This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

873.1
JF696
v.1



P. VERGILI MARONIS

OPERA

AD OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM EDIDIT PERPETUA ET ALIORUM ET SUA ADNOTATIONE ILLUSTRAVIT DISSERTATIONEM DE VERGILI VITA ET CARMINIBUS ATQUE INDICEM RERUM LOCUPLETISSIMUM

ADIECIT

ALBERTUS FORBIGER.

PARS I.

BUCOLICA ET GEORGICA.

EDITIO QUARTA
RETRACTATA ET VALDE AUCTA.

1872

LIPSIAE
SUMPTUM FECIT ET VENUMDAT I. C. HINRICHS.
MDCCCLXXII.



LELAND STANFORD JUNIOR
LIBRARY
UNIVERSITY.
A. 17659.

P. VERGILI MARONIS

BUCOLICON

LIBER.

ECLOGA I. TITYRUS.

ARGUMENTUM.

Huius carminis conscribendi ansam dedit publica illa Italiae superioris calamitas, qua etiam Vergilium afflictum, postea tamen liberatum esse, in Diss. de Verg. vita et carmm. p. XVIII. notaque 23. exposuimus, et sub Tityri persona suam ipsius fortunam poëta adumbravit. Fingit enim Meliboeum, pastorem agris suis ab Octaviani veteranis expulsum et cum capillarum grege ante se acto domo emigrantem, incidere in Tityrum, alium pastorem in communi calamitate prorsus securum et tranquillum, quem miratus eius sortem a sua plane diversam interroget, cui tandem eam acceptam referat. Narrat igitur Tityrus v. 10 sqq., quomodo et a quo agros suos gregesque salvos recuperaverit et libertatis consequendae causa Romam profectus a domino obtinuerit, ut gregem libere ac tranquille pascere posset, unde etiam apparet, Tityrum putandum esse unum e servis a domino in fundo suo habitis et quidem aetate iam provectiorem (cf. v. 29 sqq ibique adnot.) Post hanc Tityri narrationem alter contra de malis ac molestiis migrationis suae conqueritur (v. 46 sqq.). Subsistit dialogus in eo, ut Tityrus miserum exsulem in tugurio suo pernoctare iubeat.

Quod eclogae argumentum a carminis pastoricii natura, verum si loqui volumus, alienum satis comprobat ea, quae de Bucolicorum Vergil. indole in Diss. de Verg. vita et carmm. p. XXVI. disputavimus. Apparet enim, poëtam hoc carmine id maxime spectasse, ut Octaviano, qui fundum ipsi restituerat, dum vicini agris suis exturbabantur, gratum animum testificaretur, quare etiam Tityrus libertatem Romae acceptam obiter tantum commemorat et totus fere versatur in significanda laetitia ex agro sibi servato percepta, cum manumissio eatenus modo ad poëtam pertineat, quatenus ei nunc libere, quae velit, calamo agresti ludere liceat (cf. v. 10.); quamquam omnino non opus est, ut eiusmodi allegoria per totum carmen strenue servetur atque ad omnes versus et singula verba pertineat. Ceterum carmen auctumno a. 713. scriptum esse, ex v. 71 et 80 sq. (ad quem vid. adnott.) probabiliter collegit H. Vossius. De tempore autem, quo singulae Eclogae conscriptae videantur, quarum secunda, tertia, quinta et septima certa temporis indicia non continent, vide quae in Diss. de Verg. vita et carmm. nota 19. et in Argumentis iis praemissis disseruimus. Ante hanc Eclogam iam scriptas esse secundam, tertiam et quintam, ceteras vero hoc ordine secutas esse, ut ei succederent nona, quarta, sexta, octava, septima et decima, dubitare non possumus. Cur autem, cum in unum collecta ederet haec carmina Vergilius, a temporis, quo conscripta sunt, ordine recederet, causae suberant satis idoneae. Eclogam primam, unde se exorsum esse in edendis his carminibus auctor ipse testatur Geo. IV. extr. (*Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi:* cf. etiam Ovid. Am. 1, 15, 25. *Tityrus et segetes Aeneiaque arma legentur*), haud dubie propterea in principio posuit, quod ea versatur in Octaviani Augusti beneficio aliquo celebrando (cf. v. 6. sqq., imprimis v. 9. et 10.), quo ipsi facultas data erat haec carmina ludendi; simul vero etiam quod videbat, hac potissimum Ecloga gratissimam exhiberi vitae pastoriciae imaginem, quae legentium animos statim ab initio his lusibus bucolicis conciliaret. In ceteris

Eclogis ordinandis hanc rationem secutus videtur, ut, servato quantum fieri posset temporis ordine, *amoebaeis**) carminibus (I, III, V, VII, IX) interponeret *non amoebaea* (II, IV, VI, VIII), quod iam Wagner. (ad Spohnii Prolegg. p. 49.) intellexit, qui carmen VIII. specie magis, quam re, amoebaeum esse memorat, nonum autem carmen ideo proxime ante decimum et ultimum positum censet, quod ob commemorata alia quaedam carmina bucolica (cf. v. 23—29. et 39—50.), quae ab hac collectione exclusa sint, locus in ipso prope exitu operis ei maxime conveniret.**)

*) Cf. nota Argumento Eclogae III. adiecta.

**) Praeterea cf. quae de huius Eclogae argumento et personis in ea prodeuntibus disputavit Niederstein. in Quaest. Verg. (Progr. Emmeric. 1847.) p. 2 sqq. De strophica autem, quae sumitur, huius et sequentium Eclogarum omnium ratione vide quae Gebauer de poët. Graec. bucol. imprimis Theocr. carmm. in Eclogis a Verg. expressis I. p. 117 sqq. (et de prima quidem p. 133., de II. p. 120., de III. p. 131., de IV. p. 117., de V. p. 125., de VI. p. 118., de VII. p. 132., de VIII. p. 124., de IX. p. 130., de X. p. 121.) contra Ribbeckium (Annal. phil. et paed. LXXV. p. 65. sqq.) potissimum docte disputavit. Nos hanc strophicam rationem non nisi in Ecl. VIII., ubi clarissime sub oculos cadit, accuratius indicavimus. De ceteris, si forte sextam exceperis, iudicium plus minusve incertum est et lubricum.

MELIBOEUS. TITYRUS.

MELIBOEUS.

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
Silvestrem tenui Musam meditaris avena:

1. *patulae*, late patentis ideoque umbrosum tegmen praebentis. Sic Cic. de Or. 1, 7, 28. *platanus, quae ad opacandum locum patulis est diffusa ramis.* Cf. etiam Ovid. Met. VII, 622. *patulis rarissima ramis quercus.* ibid. I, 106. *quae deciderant patula Iovis arbore glandes.* Eleg. ad Messal. 17. *viridi patulae sub tegmine quercus* (quos locos de *quercu* agentes accuratius respondere Theocriti XII, 8. σχιερῇ φηγῷ, quam Vergilii fagum, docet Gebauer Progr. Quatenus Verg. in epith. imitatus sit Theocritum p. 11.) Ceterum cf. Ecl. II, 3. — *sub tegmine fagi*, ut apud Lucr. II, 662. et Cic. N. D. II. 44, 112. (ex Arateis) *sub tegmine caeli.* Erant autem prope Mantuam et in agris Vergilii veteres fagi. (Cf. Ecl. II, 3. III, 12. IX, 9.), neque haerendum esset in eo, si hodie post XVIII saecula nullae amplius fagi prope Mantuam reperirentur, quod sunt qui temere sumant. (Cf. tamen Coningtonis Exc. p. 113.) Nam haud dubie etiam Vergilii aetate non admodum multae fagi in illa regione erant, quare veteres illas in suo agro conspicuas tamquam insigne eius decus aliquoties commemorat poëta. Ceterum hoc totius operis bucolici principium (cf. Argum. huius Ecl. sub finem) respexit poëta ipse, Georgicon libros his verbis finiens: *Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi*, praeterea autem Calpurn. Ecl. IV, 62. et 163., auctor Eleg. ad Messal. 17. et poëtae Anth. Lat. Burm. I, 147, 2. 178, 131. et II, 197, 1. — 2. *silvestrem Musam*, i. e. carmen pastoricium, ut Ecl. III, 84. *rustica* et Ecl. VI, 8. *agrestis Musa.* (Cf. etiam Lucr. IV, 591. et V, 1397.) Per silvas enim et saltus Itali aestate greges pascunt et propter umbrarum frigora et ob herbas pecori salubres, quae in montibus saltuosis proveniunt. Cf. Ecl. IV, 2. sqq. VI, 2. et Aen. Prooem. 2. *egressus silvis. Musam* autem pro carmine positam videmus non solum apud Lucr. IV, 591. *Fistula silvestrem ne cesset fundere Musam*, ex quo fonte omnis hic versus profluxit, et Calpurn. VIII, 27. *Sed quia tu nostrae Musam deposcis avenae*, qui Vergilium imitatur, sed etiam apud hunc ipsum Ecl. III, 84. VIII, 1. et 5. apud Hor. Sat. II, 6, 17 et alibi. Quinctil. IX, 4, 86. hunc locum memoriter tantum laudans *agrestem* - - *Musam* exhibet. — *Musam meditaris*,

Nos patriae fines et dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.

TITYRUS.

O Meliboee, deus nobis haec otia fecit.

---

i. e. carminibus pangendis studes. *Meditari* enim est Graec. *μελετᾶν*, unde ortum videtur. Conf., si tanti est, Wakef. ad Lucr. VI, 111. Aptissime autem dici hoc voc. de pastore, qui solus sub fago iacens non carmina nota canat, sed novos modos excogitet, vere docet Iahn. Cf. etiam Ecl. VI, 8. et Plin. H. N. X, 29, 43. *Meditantur aliae* (lusciniae) *iuniores versusque, quos imitentur, accipiunt* cum adnott. ad Ecl. V, 14. Theocr. VII, 51. eodem sensu utitur verbo *ἐκπονεῖν*. — *tenui avena.* Fuerunt, qui *tenui* ad genus carminis bucolici humile et tenue referrent; sed potius ornans est avenae ephitheton ex natura calami petitum, ut in prooemio Aeneidos v. 1. *gracilis avena.* Eandem sententiam poëta Ecl. VI, 8. ita variavit: *Agrestem tenui meditabor arundine Musam.* *Avena* pro fistula pastoricia (quae commemoratur Ecl. III, 22.), ut infra v. 10. *calamus*, Ecl. VI, 8. *arundo*, Ecl. II, 36. V, 85. *cicuta* et Ecl. III, 27. cum contemptu *stridens stipula.* (Cf. etiam Gebauer de poët. etc. I. p. 14.) Sic Tibull. II, 1, 53. *arenti primum est modulatus avena Carmen.* id. III, 4, 71. *Sed perlucenti cantus meditabar avena*, et Martial. VIII, 3, 21. *Angusta cantare licet videaris avena.* Cf. etiam Calpurn. Ecl. VIII, 27. et epigr. Anth. Lat. Burm. II, 193, 1. *Tityrus agresti modulatus carmen avena.* Hac fistula autem meditari carmina recte dicitur pastor, qui ea utitur ad prooemia vel etiam ad embolia inter singulas strophas canenda. Cf. de ea Lersch. Ant. Virg. p. 256. et Ladew. Praef. p. 15. — 3. *patriae*, fundi paterni. — *dulcia linquimus arva.* Cf. Halieut. fr. in Wernsd. Poet. L. min. I. p. 180 *patriae sola dulcia linquis; dulcia* autem i. q. nobis cara et dilecta, quia ibi nati et educati sumus. Cf. adnott. ad Geo. II, 511. — 4. *Nos patriam fugimus*; nam fugere (*φεύγειν*) etiam ii dicuntur, qui vel sponte vel iussi in exsilium migrant. Cf. Hor. Od. I, 7, 22. II, 16, 20. Quinct. Inst. VI, 1, 19. et de subst. *fuga* Cic. de Or. III, 3, 9. Ovid. ex Pont. II, 8, 68. Tac. Ann. III, 24. XIV, 64. Ceterum hac notione per gradationem aliquam repetita egregie depingitur affectus hominis, qui patria excedere coactus cum summo desiderio et dolore patrios agros respicit (cf. etiam infra ad v. 74. adnotata) et propterea bene opponitur pastori, qui *lentus* in umbra canit puellam amatam. — *lentus*, otiosus, securus. Cf. Aen. XII, 237. Liv. XXII, 14, 7. Ovid. Tr. II, 514. Tibull. IV, 11, 6. Mart. II, 46, 7. et auctor carm. in Anth. Lat. Burm. V, 46, 1. (loci nostri non immemor). Heins. ad Ovid. Her. XIX, 81. Broukh. ad Tib. I, 5, 45. Drakenb. ad Silium XII, 567. Orell. ad Hor. Od. II, 16, 26. — 5. Cf. Theocr. III, 6. et IV, 38. *χαρίεσσα Ἀμαρυλλίς* et vid. adnott. ad Ecl. II, 17. Sensus: Saepe in silvis canis Amaryllida, amicam tuam et contubernalem. Nam servis fidelibus sibique caris et acceptis domini coniungebant servas *contubernales*, quibuscum viverent quasque pro uxoribus haberent. Cf. Varro R. R. I, 17. Colum. I, 8, 5. XII, 1, 3. Petron. c. 57. 70. 96. etc. — *Formosam.* Ribbeck. (qui conf. in Proleg. p. 434.) Aspri p. 115, 18. Keil. auctoritate scripsit *Formonsam*, quod tamen recte reiecerunt Serv. et alii Gramm. Cf. Schneideri Gramm. Lat. I. p. 457. Wagn. Orth. Verg. p. 458. et Schmitz. in Mus. Rhen. XI. p. 301. — *resonare doces Am. silvas*, i. e. facis, ut Echo, quae frequens est in silvis, amicae nomen referat. — 6. *deus.* Tityrus, servus toti familiae in villa domini (Vergilii) praefectus sive villicus, sub cuius persona ipse latet poëta, Romam ivisse fingitur, ut a domino manu mitteretur simulque de agris huic restituendis cum Octaviano ageret (ut etiam Ecl. IX. Meliboeus Vergilii heri nomine alia agit.). Patet igitur, per *deum* (ut infra v. 42. per *iuvenem*) intelligi Octavianum Caesarem, qui Vergilio praedium paternum servaverit vel restituerit, poëtam vero, cum heri et servi personas mire iunxerit et confuderit, etiam hunc deum a domino Tityri (i. e., si altius in rem inquirimus, se ipso) non satis discrevisse. Noli autem cogitare de Octaviano iam publice in deorum numerum relato, in

Namque erit ille mihi semper deus; illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti. 10

MELIBOEUS.

Non equidem invideo; miror magis: undique totis
Usque adeo turbatur agris. En, ipse capellas

---

quo demum post mortem a. u. 767. senatus consulto collocatus est (cf. Tac. Ann. I, 11.), quamquam iam ab anno 725. deus et appellari et coli coeptus atque Pergami et Nicomediae templa sibi extrui passus (ut Spohn. ad v. 43. docet); sed potius de satis noto veterum usu, ex quo vir divinitus de aliquo meritus non solum deus ei nuncupabatur (cf. Hor. Serm. II, 6, 52. *Deos quoniam propius contingis*, i. e. Octavianum, Maecenatem, Agrippam etc. Cic. p. red. ad Quir. 5, 11. *P. Lentulus, parens, deus, salus nostrae vitae*, et adnott. ad Ecl. IV, 15., omnino autem Aen. V, 391. Cic. Or. I, 23. in. II, 42. Calpurn. Ecl. I, 46. Avien. descr. 603. et similes loci), verum etiam inter Lares colebatur (cf. Hor. Od. IV, 5, 33 sqq. ibique Iani, Voss. ad h. l. et quae infra ad v. 43. adnotavimus.) — *otia*, securitatem inter tantas turbas et tumultus bellicos. — 7. *illius*, correpta penultima. Cf. Geo. I, 49. 452. Aen. I, 16. 114. V, 534. VI, 396. XII, 648. — 8. *tener agnus*, saepissime legitur. Cf. Ecl. (I, 21.) III, 103. Calpurn. IV, 102. Stat. Theb. VIII, 577. Sic etiam *tener haedus* Lucr. VII, 10. Hor. Od. III, 18, 5. Ovid. Met. XIII, 791. Calpurn. VII, 10. (Catull. XVII, 15.) et *tener vitulus* Hor. Od. IV, 2, 54., quos locos collegit Gebauer Progr. p. 15. — *nostris ab ovilibus agnus*, i. e. ab ovili nostro veniens, ex ovili nostro sumptus. Vide Geo. II, 2. 243. III, 2. 33. Aen. I, 160. 730. III, 647. VII, 647. et similes locos, ubi Praepositio *a, ab* indicat locum, unde aliquid prodiit, cui aliquid est desumptum. (Cf. praeter alios imprimis Hand. Tursell. I. p. 19.) Sic Tibull. II, 1, 57. *a pleno memorabile munus ovili, Dux pecoris hircus.* Idem I, 10, 26. sine Praepositione dixit: *Hostia erit plena rustica porcus hara.* — *nostris.* Sic secundum Voss. et Spohn. villicus loquitur de iis, quorum cura sibi, possessio domino erat, ut Ecl. IX, 2. 12. 30. — *imbuet*, sanguine suo, i. e. victima cadet. Heyn. laudat Theocr. Epigr. I, 5. *Βωμὸν δ' αἱμάξει κεραὸς τράγος οὗτος ὁ μαλλός.* — *agnus.* A pauperrimis porcellus, ab hominibus in re modica constitutis agnus, a locupletioribus vitulus Laribus solebat immolari; ut iam ex agno, pretiosissima, quam posset offerre, hostia, Vergilium de praedii sui mediocritate coniecturam capi voluisse recte suspiceris. Aptissime comparat Voss. Tibulli locum I, 1, 21. *Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos: Nunc agna exigui est hostia magna soli.* Ceterum Calpurn. Ecl. II, 67. hunc locum sic imitatur: *Nec fore grata minus, quam si caper imbuet aras.* Cf. etiam id. V, 27. *tepidos tunc hostia cultros Imbuat.* — 9. *ipsum* Burm. male coniungit cum *ludere* (i. q. ipsum lusum); ad pastorem potius referendum esse, qui gregi opponatur, iam Heyn. vidit. *Ludere*, Gr. *παίζειν*, quod dicitur de omni re non operosa et gravi, hic est animi causa cantare. Cf. Ecl. VI, 1. Geo. II, 386. IV, 565. Catull. L, 4. Ovid. Trist. II, 491. V, I, 7. Calpurn. Ecl. IV, 20. etc. — *calamo.* Vide supra ad v. 2. adnott. — 11. Verba *Non equidem invideo* hinc repetiit auctor trag. ex centonibus Vergil. conflatae in Burm. Anth. Lat. I, 178, 77. — *magis*, i. e. potius, immo. Spohn. conferri iubet Stat. Achill. [ita enim pro *Theb.* legendum] I, 141. *sed longum cuncta enumerare, vetorque. Trade magis;* cui loco adde Suet. Aug. 31. *Sextilem mensem e suo cognomine nuncupavit magis quam Septembrem, quo erat natus.* Sensus igitur: Non tam invideo, quam miror tuam sortem. — 12. *totis--turbatur agris*, a militibus veteranis. Minus commode Voss. de turba fugientium accipit, quem iure reprehendit Wagn. Pro *turbatur* aliquot Codd. praebent *turbamur.* Sed vulgatam lectionem, iam a Servio defensam, confirmat etiam Quinct. Inst. I, 4, 28. auctoritas. *Turbare* autem absolute usurpatum pro turbas ciere legitur etiam Aen. VI, 858. Ter. Hec. IV, 4, 12. Eun. IV, 3, 7. Cic. Sull. 20, 57. Varr.

Protinus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.
Hic inter densas corylos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah! silice in nuda conixa reliquit. 15

R. R. III, 17. Tac. Ann. III, 47. IV, 1. alibi. Ceterum sententiae proprie per *nam* vel *cum* connecti debebant, cum sensus sit: miror, te tam tute et tranquille agere, cum tantae undique in nostris agris turbae et calamitates exortae sint, cum immissi in nostras possessiones coloni agros nostros occupent nosque depellant; vocabulis autem *adeo*, (quod proprie initio periodi ponendum erat, hic autem poëtarum more postponitur), *tantus*, *talis*, *is* (pro *tantus* et *talis*) similibusque (ut Graec. τόσος, τοῖος), cum explicandi vim habeant, haud raro duae periodi ita coniunguntur, ut *nam* commode possit omitti. Cf. etiam Geo. I, 449. Aen. V, 404. 802. VII, 447. IX, 132. XI, 548. XII, 831. Catull. III, 15. Plaut. Menaech. prol. 16. Cic. pr. Sext. 16, 38. in Cat. IV, 11, 24. Liv. XXII, 27, 4. et similes locos. — *En* respondet Theocriti ἠνίδε. Cf. infra v. 71. Ecl. V, 65. VI, 69. VIII, 7. cum Ecl. II, 46. III, 50. V, 66. IX, 47., ubi *ecce* legimus, et Gebauer de poët. etc. I. p. 20. — *ipse*. Non alii modo talia sunt passi, sed ipse ego sum ex proturbatorum illorum numero. — 13. *protinus*, πρόσω, *vorwärts*, *fürbass*, ut Aen. X, 340. *protinus hasta fugit*. Cic. Div. I, 24, 49. *pergere protinus* etc. Ceterum Codd. Med., Rom. et Vat. auctoritatem secuti *protinus* scripsimus, non *protenus*, cui antiquiori formae (a Ribb. et Hauptio servatae) Cod. Med. et Vat. numquam, ceteri raro addicunt. (Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 466.) Quod enim a Servio ad h. l., a Capro Orthogr. p. 2243. aliisque Grammaticis statuitur discrimen, ut *protenus* referatur ad locum, *protinus* ad tempus, id non iuvant inscriptiones et Codd. antiquissimi. (Cf. tamen Ribbeck. Proleg. p. 442.) — *aeger* imprimis de animi moerore et tristitia intelligendum (cf. adnott. ad Aen. I, 208.), ut Meliboeus afflictus et sollicitus opponatur Tityro tranquillo et laeto, quamquam non nego, de corpore quoque simul cogitari posse, cum animi moeror etiam in corpus vim suam debeat exserere, praesertim ubi accedunt itineris molestiae. Minus tamen recte Heyn. de solo corpore affecto cogitat, vel *aeger* pro *aegre* positum censet, quod ut Latinum esse negat Doering. in Progr. Gothae 1824. 4. edito, ita iam propter sequens *vix* et gradationem, quae insit verbis *ago* et *vix duco*, probari non posse, Iahn. docet. Nihilominus Hildebrand. in Iahnii Novis Annall. XXVI. p. 155. Heynii rationem amplecti videtur, ut Meliboeus suam conditionem cum gregis comparet, et quemadmodum unam capellarum vix ducere possit, ita semet ipsum corpus fessum vix trahere posse profiteatur. — *duco*. Ceteras agit, hanc unam, quae paullo ante pullos enixa est, fune ducit, trahit propter lassitudinem. Lachmann. ad Lucr. III, 954. p. 196., haerens in correpta syllaba *ago*, coni. *ago*, *et iam hanc vix*, *T.*, *d.*, quod fortasse verum censent Ribbeck et Gebauer de poët. etc. I. p. 136. Ceterum respexit hunc locum Calpurn. V, 39 sq. — 14. *corylos*. Sic pro vulg. *corulos* (quod Ribbeck. et Haupt. servarunt) ex Med. auctoritate scribendum. Cf. Wagn. Orthogr. Vergil. p. 484. Ceterum animadverte Particulam *namque* a poëta mediae sententiae insertam, ut etiam Aen. X, 614. — 15. *Spem gregis*. Ut liberi gentem propagaturi spes parentum, sic haedi, vituli, agni spes gregis. Cf. Geo. III, 473. IV, 162. — *ah!* Wagn. Vol. V., Haupt., Ribbeck. et Coningt. in hac Interiectione ubique aspirationem omiserunt, meliores libros secuti. (Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 381. Heins. ad h. l. et Hand. Tursell. I. p. 211 sqq.) Nos tamen, ne quando ambiguitas oreretur, cum Wagn. in edit. min., Süpflio et Ladew. eam retinuimus. — *silice in nuda*, i. e. non substratis herbis (cf. infra v. 47. et Geo. III, 297.), non minus ad miserationem excitandam facit, quam sequens *reliquit*, (secum ducere et lacte nutrire non potuit). *Silex* autem non nisi a poëtis feminino genere usurpatur. Cf. Schneideri Gramm. Lat. II, 1. p. 112. Heins. ad Ovid. Met. IX, 225. et Barth. ad Stat. Silv. IV, 3, 1. Affert hac de causa locum nostrum Quinct. I, 6, 2., ubi vid. Burm., qui etiam ad Ovid. Met. IX, 225. conferendus. — *conixa*. *Coniti* pariendi significatione praeter hunc locum nusquam videtur legi et hiatus modo vitandi causa hic pro *eniti* positum est. Ceterum ex meliorum Codd. auctoritate alterum *n* in hoc vocabulo omisimus. Cf. etiam Gellius N. A. II, 17. Drakenb. ad Liv. IX, 43, 23. Wagn. Orth.

Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
De caelo tactas memini praedicere quercus.
Sed tamen, iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.

Verg. p. 455. et Ribbeck. Proleg. p. 393. — 16. Bene haec de ostento obiecto ad superstitionem talium hominum dici, cum adversi aliquid iis accidat, vere observat Heyn. Pomponius autem ex deperditis Grammaticorum libris narrat, arbores feraces fulmine tactas mali ominis fuisse apud veteres, qui olea fulmine percussa sterilitatem annonae, quercu exsilium praedixerint; quod iam Voss. adnotavit. — *malum hoc* expulsionem s. fugam ex patria v. 4. commemoratam respicere in promptu est. — *laeva*, stolida, stupida, ut contra *dexter* i. q. ingeniosus, callidus. Iterantur haec verba *si mens non laeva fuisset* Aen. II, 54. Cf. etiam Hor. Art. 301. *O ego laevus!* — 17. *De caelo tangi* pro fulmine tangi haud raro dicitur. Cf. Cic. Div. II, 21, 47. Liv. XXV, 7, 7. XXIX, 14, 3. etc. Idem est apud Plin. H. N. XXXVI, 4, 1. *e coelo tangi*. De voce *caelum* per *ae* scripta cf. Wagn. Orth. Verg. p. 419. et Ribbeck. Proleg. p. 393. — *praedicere*, portendere. — Post v. 17. vulgo legitur hic: *Saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix*, qui, a Servio et omnibus fere Codd. omissus, adsutus et adumbratus est ex Ecl. IX, 15. *Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix*, ideoque ab recentioribus editoribus iure meritoque eiectus. Et Spohnius quidem iam propterea repudiandum censet, quod, cum praecessisset *praedicere* et *quercus*, statim sequatur *praedixit* et *ilex*. Cf. etiam Weichert. de verss. Virg. et Val. Fl. iniuria susp. p. 60. et Kalmus Exerc. crit. in Verg. Ecl. p. 2. — 18. *Sed tamen*. His Particulis graviorem oppositionem indicantibus, quam simplex *sed* aut *tamen*, Romani haud raro orationem, quae ad alia deflexerat, revocant ad rem primariam, de qua agitur, et ad urgenda ea, quae antea dicta sunt; ut Geo. I, 99. *Sed tamen alternis facilis labor*, quae verba ad v. 71. sunt referenda. Sic etiam hoc loco Meliboeus, antea de se locutus, redit ad Tityri verba v. 6. Ceterum eadem ratione simplex *sed* usurpatur. Cf. Goerenz ad Cic. Legg. II, 23, 58. id. ad Finn. IV, 16, 45. Kritz. ad Sall. Cat. 23, 1. Zumpt. Gramm. §. 736. alii. — *iste*, i. e. iste tuus, quem tu deum vocas tuum. Nam *iste* hic simpliciter est Pron. demonstr. secundae personae, eorum habens rationem, quae pertinent ad eum, quem adloquor (cf. locos a Wagnero Qu. Virg. XIX, 1. collatos); quare vix adducor, ut Vossio adsentiar, ad hanc vocem adnotanti: „*mit halbspottendem Tone des Unglaubens*." — *qui sit*. Codd., ut saepissime, fluctuant inter *qui* et *quis*, ita tamen, ut plurimi prius illud exhibeant. Sed etiam neglecta Codd. auctoritate, quae in hac lectionis varietate, imprimis ubi vox sequitur ab litera sibila incipiens, minoris est habenda, hic necessario *qui* recipiendum, neque quod antiquius, neque quod suavius sit, (cum concursus literarum sibilantium vitetur; quam opinionem defenderunt Lachmann. ad Prop. I, 12, 7. Hand. ad Stat. Silv. p. 292. Zumpt. Gramm. §. 134. alii), sed quia rectius est. Notissimum est enim discrimen illud inter *quis*, quod nomen, et *qui*, quod naturam, mores, virtutes personae requirit; quare *quis sit* significaret: dic mihi, quo nomine nuncupetur deus ille, quem commemorabas (*wer der Gott sei*); *qui sit* valet: aperi, qualis sit homo ille, quem tu deum dicere non dubitas (*was das für ein Gott sei*); non enim verum deum, sed hominem immortaliter de rebus suis meritum se dicere, Tityrus iam significavit v. 7. Quare non adsentior Wagnero Qu. Virg. XXII. p. 486. contendenti, hanc Meliboei quaestionem ad solum nomen, non ad naturam Subiecti spectare, quam sententiam repetit Niederstein. Qu. Virg. p. 14. Immo, cum Meliboeus bene perspiciat, nomen dei a Tityro consulto reticeri, hoc et ipse non urget, sed notam modo aliquam comperire cupit, unde naturam dei intelligere et ita fortasse nomen quoque coniicere possit. Cf. omnino Cort. ad Lucan. VII, 579. Iahn. ad h. l. et Ovid. Met. X, 372. idemque ad Hor. Sat. I, 4, 41. Hand. ad Stat. Silv. I. p. 250. Vir doct. in Seebodii Bibl. crit. a. 1821. Fasc. 2. p. 129. Busch. in Ephem. schol. Darmst. a. 1828. n. 84. p. 693 sqq. Kritz. ad Sall. Cat. 44, 5. Bach. ad Ovid. Met. XI, 279. Obbar. ad Hor. Ep. Vol. I. p. 346. Wagner. quidem l. l. p. 484 sq. multis exemplis probare studuit, Vergilium, discrimine illo non servato, in directa, quam vocant,

TITYRUS.

Urbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putavi
Stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus
Pastores ovium teneros depellere fetus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus haedos
Noram, sic parvis conponere magna solebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

---

oratione, *quis*, non *qui* (v. c. Ecl. II, 68. IX, 39. Geo. IV, 315. 494. Aen. I, 459. 615. II, 594. III, 317, etc.), in indirecta vero interrogatione *qui*, non *quis* (v. c. Ecl. II, 19. III, 8. Geo. I, 3. IV, 537. Aen. III, 608. V, 648. IX, 723. etc.) usurpare, sive nomen, sive natura Subiecti respiciatur; vide tamen, quae Iahn ad h. l. in edit. II. contra eum disputat. — *da*. *Dare* haud raro idem est, quod dicere, narrare, ut *accipere* saepe ponitur pro audire. (Cf. not. ad Aen. II, 65.) Sic *dare* legitur apud Cic. Acad. I, 3, 10. Ter. Heaut. prol. 10. Hor. Serm. II, 8, 5. Ovid. Fast. VI, 434. Val. Fl. V, 219. Stat. Theb. VII, 315. Claud. de rapt. Pros. III, 337. alibi. — 19. Longae ambages narrationis pastoris imperiti personae optime conveniunt. — 20. *huic nostrae*, Mantuae, Andibus vicinae, vico tribus passuum millibus ab illa urbe distanti. — *saepe solemus*. Eundem pleonasmum, nobis quoque usitatum, invenimus Aen. II, 456. Ovid. Met. I. 639. VIII, 19. XIII, 417. alibi. — 21. *depellere*. Andes haud dubie in clivo et ager Vergilii ad eius radices situs erat (cf. infra v. 51 sq. 56. Ecl. IX, 7 sqq. et Diss. de vita et carm. Verg. not. 2.), ideoque pastores, Mantuam in valle sitam petentes, pecus ibi vendendum ex editiore loco et pascuis montanis deorsum abigere debebant; unde intelligitur, proprie h. l. dici *depellere*, ut Plin. H. N. II, 78, 80. *in inferas partes depelli*. Sil. Ital. IX, 396. *silicem, quem montibus altis Depulerat torrens*. Sic etiam Peerlk. in Mnemos. X. p. 2 sq. locum intelligit, qui adnotat, Vergilium etiam *deducere* potuisse scribere. Conington putat, Praepositionem hic non significare *desuper*, *deorsum*, sed tantum continere notionem abducendi, abigendi. Si autem comparat locutionem *deducere*, *depellere navem* (in portum), non cogitat hoc ipso exemplo nostram potius explicationem iuvari, cum naves ex alto mari deducantur. Alias *depellere fetus* significat a lacte removere (vid. ad Ecl. III, 82.); quo sensu Burm. et Wagn. hic quoque vocem capi volunt et ille propterea v. 20. *quo* in *quoi*, i. e. in cuius commodum, gratiam, mutandum esse temere suspicatur, hic autem in edit. min. utramque explicationem sic studet coniungere: „*depellere* breviter pro: depulsos a lacte s. ab ubere materno vel agere vel portare." — 22. Aptissima profecto, quae pastori subiici poterat, comparatio. — *Sic*, scil. ut ego stultus Romam Mantuae nostrae similem habebam. — *similes*. Sic cum Ribb. et Haupt. nunc scripsimus. Wagn., Ladew. et Coningt. *similis*. De Accus. Plur. apud Vergilium in *--is* et *--es* terminato vid. Wagneri Orth. Verg. p. 382—404. Adde Lachm. ad Lucr. I, 744. p. 50. — *haedos*. Ribbeck. edidit *aedos*. Cf. eius Proleg. p. 422.; sed vide Wagn. Orth. Verg. p. 441. — Ceterum Peerlk. p. 3. coniicit *Ut canibus c. s., ut matr. haedos*, ad Servii Comment. provocans, qui tamen quomodo hanc coniecturam flagitet, non video, cum potius diserte explicet verba „*Sic canibus catulos* etc." Cf. etiam, quae contra eum disputat Ladew. in Progr. *Beurth. d. Peerlk. Bemerk.* etc. p. 6. — 23. *parvis conponere magna* legitur etiam Geo. IV, 176. et Ovid. Met. V, 416. Sic Cic. de opt. gen. or. 6, 17. *ut cum maximis minima conferam*. Herod. II, 10. ὡς εἶναι σμικρὰ ταῦτα μεγάλοισι συμβαλέειν. Thuc. IV, 36. ὡς μικρὸν μεγάλῳ εἰκάσαι. *Conponere* autem scripsimus, antiquiorem consuetudinem secuti, quamquam etiam optimos Codd. in scribendis vocabulis, quae a literis *comp.* incipiunt, fluctuare videmus. Cf. Schneiderl Gramm. I, 1. p. 306. 2. p. 544. Wagn. Orth. Verg. p. 412. et Ribbeck. Proleg. p. 394. — 24. sq. Cf. Theocr. II, 45. 114. et Sulpic. sat. 20. *duo sunt, quibus extulit ingens Roma caput*. — 25. *Viburnum* Billerbeckio in Flora class. p. 82. falso *Schneeball* vocatur. Est potius secundum Heyn. et Voss. fruticis illud genus flexile et lentum,

MELIBOEUS.

Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?

TITYRUS.

Libertas, quae sera tamen respexit inertem,
Candidior postquam tondenti barba cadebat;
Respexit tamen et longo post tempore venit,

---

sepibus viendis et ligandis fasciculis utile, quod nos *Waldrebe*, *Schlingbaum*, *Wegeschlinge* dicimus. Francogalli hunc fruticem etiam nunc *viorne* appellant. Calpurn. Ecl. IX, 86. hunc locum respiciens scripsit: *Si modo coniferas inter viburna cupressos, Aut inter pinos corylum frondescere fas est.* Ceterum Peerlk. haerens in voce *solere* post breve intervallum tertium repetita, p. 5. scribi vult *lenta inter solidae viburna.* — 26. *Et* est curiosius et cum admiratione quadam interrogantis. Saepius in eiusmodi interrogationibus est indignantis. Cf. adnot. ad Aen. IV, 215. et Handii Turscll. II. p. 492. Deteriores quidam libri praebent *Ecquae.* Vid. Cort. ad Lucan. IV, 542. — 27. *Libertas* a domino Romae vivente impetranda. Poterant autem servi, quibus praediorum domini fere solis utebantur, ut agrum colerent et greges pascerent, pretio domino soluto in libertatem se vindicare, qua de re Heyn. conferri iubet Lips. ad Tac. Ann. XIV, 42. Burm. ad Petron. 75. id. ad Ovid. Am. I, 8, 63. et Apul. Met. VIII, 43. Hoc pretium servis frugi parcisque sexennio nondum exacto ex peculio (cf. adnott. ad v. 32.) solvere licuit Cicerone teste Phil. VIII, 11.; Tityrus vero, qui Galateae amori indulgens per multos annos peculium neglexerat, demum senex factus, cum Amaryllidem, quae frugalior et parcior erat, amicam haberet, ut libertatem assequeretur, Romam ad herum suum proficisci potuit. Nunc ei liberto certa mercede dicta patroni greges commissi erant. — *sera tamen respexit*, i. e. quamquam sero, s. sero quidem, aliquando tamen mihi contigit. *Sera* pro sero, ut apud Hor. Od. I, 15, 19. Epist. II, 1, 161. Prop. III, 4, 5. III, 15, 35. et alibi. *Quamquam* autem vel *quidem* ante *tamen* saepe omitti, res satis nota. Cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. prol. 11. Goerenz. ad Cic. Finn. II, 13, 43. Kritz. ad Sall. Cat. 61, 3. Sillig. ad Vergil. Cir. 263. Orelli ad Hor. Od. I, 15, 29. alii. Spohn hic comparat locos simillimos Propertii III, 4, 5. *Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis*, et III, 15, 35. *Sera, tamen pietas.* — *respexit.* Vid. adnott. ad Aen. I, 603. — *inertem* male ad senilem inertiam et tarditatem referunt, cum Tityrus v. 32 sq. ipse satis clare significet, cur se *inertem* dicat, scil. quod peculii antea rationem non habuerit. — 28. *Candidior--cadebat*, pro vulgari: postquam candidior mihi barba erat, i. e. in senectute demum. Similiter Iuvenalis nationem *olim tonsor meus* expressit I, 25. *quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat*, quod Wund. adnotat. Ceterum haec aetatis significatio, quam comprobat etiam v. 46., omnium aptissima, quia manumissi barbam, quam servi aluerant, ponere solebant. *Postquam* autem hic cum Imperfecto construitur, quia non de re plane absoluta agitur, sed de ea, quae, postquam incepta est, durat et ab initiis suis ulterius perducitur; quo sensu etiam cum Praesente coniungi solet (cf. statim post v. 30.). Exempla huius constructionis collegerunt Kritz. ad Sall. Iug. 13, 5. et Boetticher. in Lex. Tacit. p. 365. — 29. Hunc versum, qui Heynio tam scaber visus est, ut vix eum a poëta profectum, sed e margine illatum esse putaret, recte defendit Wagn., neque in hoc genere ἐπαναφορᾶς, Vergilio, ut omnibus poëtis Latinis, satis familiari (de quo conferri iubet Weicherti Diss. de verss. iniuria suspp. p. 94. et se ipsum ad Eleg. ad Messal. p. 13., quibus addi potest Iahn. ad h. l.), neque in verborum collocatione *longo post tempore* haerendum esse docens, quae vel in pedestri oratione sollemnis sit. Nihilominus Kalmus. Exercit. crit. in Verg. Ecl. p. 2. non solum hunc, sed etiam antecedentem versum spurium censet, Peerlk. autem l. l. utrumque versum locum mutare et v. 27. *quidem* pro *tamen*, v. 30. autem *cum iam* pro *postquam* legi iubet. — *Longo post tempore* (— de antiqua scribendi ratione *postempore* vide quos Ribbeck. eam secutus ad h. l. et in Proleg. p. 442. laudavit —) nulla diver-

Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat nec cura peculi.
Quamvis multa meis exiret victima saeptis,
Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,

---

sorum temporum comparatione instituta, per negligentiam aliquam homini non erudito facile condonandam dicit libertinus, cum suae servitutis diuturnitatem tacite comparet cum breviore illo tempore, quo elapso alii libertatem consequi soleant. Ceterum verba *longo post tempore venit* repetit auctor epigr. in Anth. Lat. Burm. III, 81, 91. — **30**. *Postquam -- habet*, pro: ex quo --habet; scil. postquam A. nos cepit, quae nunc nos habet. Eodem modo *postquam* cum Praesente coniungitur Geo. III, 432. Plaut. Bacch. III, 6, 1. et haud raro apud Sallustium. Cf. Kritz. ad Sall. Cat. 40, 3. 57, 5. et Iug. 38, 4. *Habere* autem verbum proprium de foedere amoris. Sic Cic. ad Div. IX, 26. *Habeo, inquit* [Aristippus], *non habeor a Laide*. Tibull. I, 2, 65. *Ferreus ille fuit, qui, te cum posset habere, Maluerat praedas stultus et arma sequi.* Acute autem perspexit Ladew. (qui etiam conf. in Progr. supra laud. p. 7.), poëtam aptissime dixisse *postquam nos Amaryllis habet*, non *postquam Amaryllidem habeo*, cum Amaryllis probitate sua et modestia effecerit, ut Tityrus se redimere posset. Peerlk. totum hunc versum spurium esse suspicatur et cum Serv. in Comment. utatur Ablat. absol. *Galatea relicta*, etiam in exemplo Verg. *Galatea relicta est* legi posse censet. — **31**. Verba *Namque fatebor enim* hinc repetit poëta in Wernsd. Poet. L. min. III. p. 148, 11. — **32**. *peculi*. Peculium strictiori sensu significat partem aliquam pecoris, quam vel dominus servo, vel pater filio ad suum arbitrium utendam fruendamque permisit; quales pecudes propterea *peculiares* et (si recte se habet locus Varr. L. L. IV, 19.) *peculatoriae* vocabantur. Cf. de servorum peculio Varr. R. R. I, 2, 17. et I, 17, 5. Plaut. Asin. III, 1, 36. Cic. Parad. V, 2, 39. Iuven. III, 188. Pompon. Dig. XV. tit. 1., de peculio. Plaut. Merc. prol. 94. Liv. II, 41, 10. (ubi vid. Drak.) Suet. Tib. 15. (ubi vid. Bremi) et 50. Hic omnino significat pecuniam, quam Tityrus hostiis et caseis venditis (v. 33. 34.) compendii facere et qua se redimere e servitute potuisset, nisi omnem pro munusculis Galateae suae deferendis expendisset (v. 35.). De forma Genitivi *peculi* vid. quae commentatus sum ad Lucr. V, 1004. et infra ad Aen. IX, 151. — **33**. *multa victima*, i. e vituli ad sacrificia destinati. Sic autem *multus* apud poëtas saepe Singulari numero poni, res est satis nota. Vide, si tanti est, Aen. I, 334. Hor. Epod. 2, 31. Ovid. Fast. IV, 772., id. A. A. III, 5, 4. Tibull. I, 3, 28. Sil. Ital. II, 547. etc. Cf. etiam adnott. ad Ecl. VII, 60. et quos Unger de Valg. Ruf. p. 376 sq. laudat. — **34**. Wakef. et alii cum Servio coniungunt *victima pinguis*, quemadmodum Ecl. VI, 4. At sic *caseus* minus bene subiiceretur sine epitheto, cum contra apte sibi opponantur *multa victima* et *pinguis caseus*. Sic iam Theocr. XXV, 106. commemorat *πίονα τυρόν*, quare etiam Ameis. Spicil. p. 13. et Gebauer de poët. etc. I. p. 60. et Progr. p. 10. recte contra Serv. disputant. (Conington suspicatur, hoc epitheto fortasse caseum e flore lactis factum (*cream cheese*) distingui a vulgari caseo.) Propterea etiam copulam esse postpositam, vere docet Iahn. Haud raro enim Particula *et* uni vocabulo (cf. infra v. 67. Geo. I, 304. 402. II, 73. 383. 433. Aen. I, 35. 333. III, 430. 668. IV, 124. 512. 515. VIII, 517. XI, 367. etc.) vel adeo duobus (ut XII, 381.) postponitur, ubi illud, quod praemittitur, vocabulum praecipuam vim habet. Cf. etiam infra ad IV, 63. adnott. — *ingratam* comica morositate dici vidit Spohn., ut sensus sit: non tantum urbs dedit pro vitulis caseisque meis, quantum mihi videbatur et quanto opus erat ad ornatum Galateae; quam explicationem Wagn. iure praefert miro Paldami commento ad Prop. p. XLVI. prolato: „*ingrata urbs*, i. e. negligens accepta et mox consumens, et iccirco semper nova poscens." Non magis autem probanda Burmanni explicatio: „Mantuae, iam non gratae, postquam occupata a veteranis, novis colonis." Bryce denique *ingratae* non male pro communi habet omnium urbium epitheto, quae rus despicere nec beneficia eius pro merito aestimare soleant. - *premeretur;* vox propria hac de re, casei enim sub pondere premebantur. Cf. infra v. 81. Geo. III, 401. Plin. H. N. IX, 42, 97. Calpurn. II, 70. V, 34. Colum. VII, 8. med.

Non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

MELIBOEUS.

Mirabar, quid maesta deos, Amarylli, vocares,
Cui pendere sua patereris in arbore poma:
Tityrus hinc aberat. Ipsae te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.

TITYRUS.

Quid facerem? neque servitio me exire licebat,

---

et Burm. ad Nemes. Ecl. II, 34. III, 69, — **35**. Sensus: Nihil pecuniae ex venditis iuvencis et caseis partae ex urbe domum referebam, quippe omnem in coëmendo ornatu muliebri consumere ab amica coactus. Ceterum cf. Moret. 81. carm. Priap. LXXXVI. *Meisque pinguis agnus ex ovilibus Gravem domum remittit aere dexteram.* Colum. X, 310. *Aere sinus gerulus plenos gravis aere reportet* et Paullin. Nat. III. Felicis p. 52. *Quis gravis aere sinus relevetur, egente repleto*, qui aperte hunc locum ante oculos habuerunt. Nihilominus Peerlk. p. 6. etiam hunc versum Vergilio abiudicandum esse suspicatur, quem recte defendit Ladew. Progr. laud. p. 7. ad Peerlkampii quaestionem, cur pastor aes dextra, non in zona gestaverit, verissime respondens, haud dubie etiam Tityrum pecuniam ex more pastorum in zona gestasse (coll. *Zeitschr. f. Alt.-Wiss.* 1842. p. 1083.), nihilominus autem poëtae de manu loqui licuisse, quemadmodum etiam nos dicamus: *mit vollen, mit leeren Händen zurückkehren* et apud Tibull. I, 5, 68. et I, 9, 52. *plena manu* legamus. — **36**. Nunc intelligo, quod antea assequi non poteram, cur Amaryllis maesta deos invocaverit; Tityrus non aderat. Vix autem opus est, ut lectores attentos faciam, quanto vividior reddatur oratio hac Amaryllidis, quasi praesentis, allocutione. Respexit hunc locum Calpurn. VII, 7. — *maesta.* Vid. Wagn. Orth. Verg. p. 453. — **37**. Non nisi de Tityro absente cogitans, neglexit Amaryllis poma decerpere. — *sua in arbore*, i. e. cui propria sunt, ut Serv. recte explicat. Cf. Ecl. VII, 54. Aen. VI, 206. Geo. II, 82. et adnott. ad Geo. IV, 190. — **38**. *aberat*, brevi syllaba arseos et caesurae vi producta. Vid. Wagn. Qu. Verg. XII., ubi exemplorum magnam copiam invenies (v. c. Ecl. III, 97. VII, 23. IX, 66. X, 69. Geo. II, 5. 211. III, 76. 118. 189. 332. IV, 92. 453. Aen. I, 308. 668. II, 369. 411. III, 112. IV, 64. V, 284. 337. etc.) et quos ipse laudavi ad Lucr. I, 11., imprimis autem Schneid. Gr. Lat. I. p. 664 sqq. 744 sqq. Weichert. in Epist. crit. p. 73. Osann. Annal. crit. p. 169. et 173. Corssen. de pronunt. etc. II. p. 348 sq. 356. 363 sqq. et Gebauer de poët. I. p. 140. Cf. etiam adnott. ad Ecl. IV, 51. Recentiorem tamen de hac re sententiam nondum ab omnibus probatam infra ad Geo. II, 211. et Aen. V, 521. commemorabimus. — *Ipsae - - pinus* etc. Voss. haec verba, quae tamquam aliena ab hoc loco temere vituperat Heyn., ita explicat, ut omnia resonasse putet vocibus maerentis Amaryllidis; quam interpretationem etiam Wund. amplectitur. Sed longe dignior poëta videtur Wagneri explicatio, ut, quemadmodum a poëtis hominum sensus saepe transferantur ad ipsam naturam et res inanimatas, sic etiam hic pinus et fontes ipsi eodem absentis desiderio affecti una cum Amaryllide Tityrum vocare perhibeantur. Cf. Ecl. V, 21. 27 sqq. 62 sqq. IX, 29. X, 13 sqq. Aen. VII, 759 sq. VIII, 91 sq. Cic. pro Sext. 60. de Fin. V, 2, 4. Rutil. Itin. I, 31. etc. — *ipsae*, quia opponuntur Amaryllidi, quae itidem, ut deos, sic etiam Tityrum vocasse putanda est. Pronomen *ipse* autem rebus personisve distinguendis opponendisque inservire, pluribus exemplis (v. c. Ecl. II, 62. IV, 16. Geo. IV, 432. Aen. I, 42. IV, 144 sqq. V, 859. etc.) docuit Wagn. Quaest. Verg. XVIII. 2. p. 457 sqq. — **39**. *arbusta* recte negat Spohn. de arboreto cum vitibus capienda esse, quod Voss. censuit; nam fruticeta significari, docent v. 2. et 14 sqq. Ceterum, ut Verg. ipse Theocritum Id. IV, 12. (quocum Wold. Ribbeck. Bionem I, 33. et Moschum III, 23. conferri iubet), sic eum imitatus est Calpurn. Ecl. VIII, 72. *Silvestris te nunc platanus, Meliboee, susurrat, Te pinus.* Cf. etiam similes loci Ecl. V, 27. 62. VI, 10 sq. X, 13. — **40**. Non curans Amaryllidis querelas Romam pro-

Nec tam praesentis alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quot annis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
„Pascite, ut ante, boves, pueri; submittite tauros.“

---

ficisci coactus eram, quia alibi neque libertatem consequi, neque fundum meum a veteranis tueri poteram; hic enim poëta prorsus confundit pastoris personam cum sua. Formula *Quid facerem?* (*was sollte ich thun? was blieb mir Anderes übrig?*) redit Ecl. VII, 14. Sic Geo. IV, 504. *quid faceret?* Aen. IX, 399. Ovid. Met. I, 617 II, 187. III, 204 et saepius *Quid faciat?* Cf. Wunderl. ad Tibull. I, 6, 39. Matth. ad Cic. pro Sext. 19, 43. alii. — *servitio exire*, i. e. liberari; ut Cic. Phil. XI, 6, 13. *aere alieno exire*, Lucil. apud Non. IV. n. 164. *ex aerumna exire*, Paul. in Dig. XXXVII, 4, 62. *avi potestate exire* et similia. — 41. *praesentis*, i. e. qui praesto sunt auxilio, qui efficacissimum afferunt auxilium ideoque propitii, faventes. Cf. Geo. I, 10. Aen. IX, 404. Ovid. Met. VII, 177. Cic. Tusc. I, 12, 28. ibique Kühner. Mitscherlich. ad Hor. Od. I, 35, 2. Beneck. ad Cic. Cat. II, 9, 19. Kritz. ad Sall. Cat. 51, 19. alii, et quae adnotavimus ad Geo. II, 127. De Accus. autem Plur. in *is* misso cf. adnott. ad Geo. I, 25. et supra ad v. 22. — 42. Pro *illum* Peerlk. p. 7. coniicit *meritum*, — *iuvenem*. Cf. quae v. 6. adscripsimus. Eundem Octavianum, qui illo tempore XXIII annos natus erat, *iuvenem* appellatum videmus Geo. I, 500. Hor. Sat. II, 5, 62. Od. I, 2, 41. Cf. Wernsd. ad Poët. lat. min. II. p. 312. et Obbar. ad Hor. Ep. Vol. II. p. 19. — *quot annis* divisim scripsimus cum recentissimis editoribus praeter Ribbeck., qui *quodannis* edidit. (Cf. eius Proleg. p. 398.) Vid. Beneck. ad Cic. Or. de Imp. Pomp. 23, 67. p. 318. et Wagn. Orth. Verg. p. 467.— 43. Sensus est: quem ut Larem domesticum colo; huic enim menstrua sacra fieri solebant. Ceterum vid. adnott. ad v. 6. — *bis senos dies*, non continuos quidem, sed singulis mensibus, Kalendis quidem, aut Nonis, aut Idibus. Cf. Cato R. R. c. 143, 2. *Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies cum erit, coronam in focum indat; per eosdem dies Lari familiari pro copia supplicet.* De hac autem ratione numerum circumscribendi vid. quae ad Aen. I, 71. adnotavimus. — *fumant* pro fumabunt positum censet Heyn., male; cum vere iam fument, scil. ab eo tempore, quo Tityrus, ab Octaviano benigne auditus, Roma reversus erat, ut menstrua illa sacra iam bis vel ter institui potuerint, vel potius vere instituta debeant cogitari. Tityrus enim tempore, quo poma iam decerpenda in arboribus pendebant (v. 37.), i. e. mense Iulio aut Sextili ineunte, Romam profectus erat, hoc colloquium autem tempore, quo poma iam mitia in cella penaria iacebant (v. 80.) ideoque fere Octobri exeunte habitum fingitur; id quod iam Spohn. perspexit. Unde etiam apparet, infelicem esse Peerlkampii coniecturam *fument*. — 44 *primus* Voss. explicat per *princeps;* longe melius vero Wagn. Quaest. Virg. XXVIII. 5. per *demum*, *tandem*, ut haec prodeat sententia: Hic, spe prope omni iam abiecta, ille primus, i. e. tandem, propitio responso me cura ista liberavit; monetque, *primum* pro *demum* legi etiam Aen. II, 375. et VII, 118., et *primum tandem* coniungi Aen. III, 205. (Cf. etiam Hand. Tursell. IV. p. 335.) Quod autem praeterea addit Vir. doct., *primum* pro *principe* Singulari numero non dici, nisi adiecto aliquo vocabulo vel omni oratione ita comparata, ut inde appareat, quae sit vis eius vocis (v. c. *primus gentis suae*), id haud temere in dubium vocat Hildebrand. in Iahnii novis Annall. XXVI. p. 155. coll. locis Ter. Eun. I, 2, 10. *aut quia sum apud te primus*, et Lamprid. Sev. 28. *Palaestes primus fuit.* (Niederstein. Qu. Virg. p. 15. *primus* pro *primum* positum accipiens locumque sic explicans: „Hic ille mihi petenti *primum, primo loco*, responsum dedit“, hoc responsum ad agros et pascua pertinens opponere quodammodo videtur alteri de libertate; addit enim: „Inde fit, ut Tityrus maius et fere unicum gaudium percipiat ex agris donatis, libertatis non amplius faciat mentionem.“) — 45. *submittite tauros*. Wagn. cum Servio explicat: tauros submittite iugo ad arandum; ut duo illa hic commemorentur, quibus res rustica maxime contineatur,

MELIBOEUS.

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt.
Et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus
Limosoque palus obducat pascua iunco.
Non insueta gravis temptabunt pabula fetas,

---

res pecuaria et agricultura. At, cum ne in poëtae quidem ullo loco vocem ζυγο vel *aratro* ita omissam invenerim (nam locus ab ipso Wagn. allatus, Rutil. Itin. I, 142. *Submittant trepidi perfida colla Getae*, cum *colla* adiiciatur, alius est generis) et in hac tota Ecloga nusquam agriculturae, sed solius rei pecuariae mentionem factam viderim, (cf. etiam v. 48 sq.) potius cum Iahnio cogito de tauris vaccarum gregi ad admissuram submissis, de qua re *submittere* proprie dicitur. Cf. Geo. III, 73. 159. Varr. de R. R. II, 3. *mares submittere ad admissuram* et ibid. *In nutricatu haedi trimestres submittuntur et in grege incipiunt esse;* Nemes. Cyn. 114. *huic parilem submitte marem* etc., ut igitur sensus sit: alite tauros, qui gregem propagare possint. [Video tamen Wagnerum in edit. minore sententia mutata vocem nobiscum sic interpretari: „alere ad supplendum propagandumque gregem."] Neque aliter locum intelligunt Ladew., Bryce et Conington (qui adnotat, accuratius sane poëtam scripturum fuisse *submittere vitulos*, ut Geo. III, 159., sed *tauros* simul indicare consilium, quo submittantur (ad admissuram). Peerlk. tamen (simul Theocriti Id. IX, 3., qui locus ad defendendam nostram explicationem soleat afferri, nihil probare censens, ubi pro ὑπὸ στείραισι δὲ ταύρως iam omnes praeferant ἐπὶ στείραισι), cum vaccae submittantur tauris, p. 8. potius *submittite tauris* coniicit. Sed vide Ladew. Progr. laud. p. 8. Ceterum, ut Octavianus tamquam deus cogitetur, ita eius responsum oraculi quodam habitu vestiri, bene animadvertit Voss. — 46. *tua rura manebunt* Wagn. explicat: tibi restituta tua erunt, ut antea fuerunt; sed rectius Ameis in Spicil. explic. Verg. p. 2.: „*tua* manebunt i. e. tibi non eripientur, ut aliis." *Tua* igitur cum accentu efferendum, ut infra Ecl. IX, 4. *Haec mea sunt: veteres migrate coloni!* Cf. etiam Ecl. III, 23. Wagn. memor est formulae in iudiciis sollemnis: *meum est*, coll. Brisson. de Form. l. V. §. 19. Quisque autem videt, etiam hic heri et servi personas confundi, cum non Tityri, sed heri (Vergilii) sint rura et greges. Conf. supra ad v. 6. et 40. — 47. *Et*, i. e. et quidem. Wagn. Qu. Virg. XXXV. p. 562. interpositum pastoris iudicium bene comparat cum iis locis, ubi copula parenthesin aliquam incipit, qua de re cf. adnott. ad Ecl. IX, 11. — *quamvis--iunco* Heyn. capit de aliorum agris, qui, neglecta ex longa calamitate cultura, saxosi et palustres sint, quibusque opponantur Tityri (i. e. Vergilii) pascua intacta ideoque satis bona et tolerabilia. Rectius vero alii (inter quos etiam est Niederstein. Qu. Virg. p. 16.) cum Vossio de ipsius Vergilii agris ea intelligunt partim ad radices montium saxosorum et silva tectorum, partim ad ripam Mincii fluvii sitis, qui exundans et stagnans quaedam paludosa fecerit; et Spohn. verissime addit, attenuari opes artificiose per Meliboeum, ut absit invidia, Vergilius paucis contentus videatur, et militi non larga possessio, sed tenuis et macer agellus creptus videatur. — *omnia* per hyperbolen dici quisque videt. — *lapis nudus*, ut supra v. 15. *nuda silex*, gramine, frumentis non obsitus. Sic Liv. XXI, 37, 4, *nuda cacumina* (montis). — *limoso--iunco*, qui in solo limoso nasci solet. Sic *limosa radix* apud Plin. H. N. XXVII, 5, 17. — 49. Tu hic securus vivens in agris tuis non senties incommoda illa, quae me nunc premunt ex patriis sedibus expulsum. Tui greges non, ut mei, ex alio in alium locum depulsi, cogentur extra consuetos fines vagari et pabulis insuetis noxiisque vesci, neque ex ...inia gregum morbis contagiosis vexatorum detrimenti quid capient. — ...*ves*, languidas, aegras e partu. Cf. Hor. Epod. 2, 57, *gravi malvae saus corpori*. Geo. III, 95. *morbo gravis*. Liv. XXI, 48, 4. *gravis vulnere*. Fl. VI, 65. *gravior de vulnere* etc. Ameis in Spicil. p. 3. potius ex... per gravidas (*trächtige Mutterschafe*); non autem expedit, quid sibi additum *fetas*. — *temptabunt*, i. e. vexabunt, nocebunt. Proprie de ... dicitur, ut h. l. (cf. Geo. III, 441. Cic. Tusc. IV, 14. in. Suet. Aug. Burm. ad Samonic. c. 2. et Heindf. ad Hor. Sat. I, 1, 80.), interdum

Nec mala vicini pecoris contagia laedent.
Fortunate senex, hic inter flumina nota
Et fontis sacros frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quae semper, vicino ab limite saepes

---

etiam de vino, quod vires debilitat (cf. Geo. II, 93. Plin. H. N. XXIII, 1, 20.). Ceterum pro vulgari *tentabunt* Cod. Med. auctoritate cum recentissimis editoribus nunc scripsimus *temptabunt*. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 475. et Ribbeck. Proleg. p. 441. — *fetae* Spohnio sunt gravidae, in utero habentes, ut Ecl. III, 83. *Dulce — lenta salix feto pecori* et alibi, mihi vero modo enixae; nam Meliboeus, quem hic Tityri capellas suis opponere patet, imprimis respicere videtur capram illam modo enixam et e partu debilem et infirmam, quam v. 13. commemoravit; idque etiam docet epitheton *graves*. *Fetus* autem (ab antiquo *feo*, *φύω*), non *foetus* scribendum esse, docent Voss. ad h. l. Weber. in Exercitt. stili Lat. p. 114. Kritz. ad Sall. Cat. 53, 5. Wagn. Orth. Verg. p. 437. et Schneid. Gr. Lat. I. 1. p. 79. — V. 51—58. colorem traxisse videntur ex Theocr. VII, 136—142. Cf. Gebaueri Progr. p. 6. — 51. *flumina nota* aut de Mincio et Pado, aut de rivis campestribus intelligunt, quam alteram opinionem Voss. probare studet coll. Ecl. V, 84. et Geo. IV, 54.; Wagn. vero cum meminerit, *flumina* apud Vergilium aliquoties de uno flumine dici (Aen. VII, 138. XI, 659. XII, 331.), hic quoque de uno Mincio sermonem esse suspicatur, et Praepos. *inter* ad arbores iuxta flumen positas relata, locum admodum artificiose sic interpretatur: inter arbores ad flumen. Mihi nulla prorsus difficultas videtur inesse. *Flumina* enim *et fontes* simpliciter depingunt amoenam regionem fluminibus (sive Mincio et Pado, sive uno Mincio) rivisque concisam ideoque nec fontibus destitutam, et commemorantur, quia de frigore sermo est, aquae autem vicinae coeli ardorem mitigant. Sensus igitur: prostratus in silva vel fruticeto inter flumina, rivos, fontes sito auram frigidam captabis. — *nota*, ad quae venire Tityrus et gregem compellere solebat. Wagn. adnotat, consuetudinis frequentisque usus atque inde ortae caritatis notionem sustineri hoc vocabulo, ut Aen. II, 256. III, 657. V, 500. Geo. I, 363., et praeterea Homericum illud ἤθεα, Aen. II, 401. VI, 689. et Eleg. ad Messal. p. 22. conferri iubet; quae ut vera esse concedamus, non tamen impediunt, quominus cum Ameisio Spicil. p. 3. haec flumina Tityro nota opposita habeamus fluminibus longinquis et remotis, quae Meliboeus quaerere cogatur. Verba *hic inter flumina nota* hinc repetiit auctor epigr. in Anth. Lat. Burm. I, 147, 11.) — 52. *fontis sacros*, utpote a Nymphis habitatos. Cf. Theocr. VII, 136. Aen. VII, 83. Hor. Od. I, 1, 22. Ovid. A. A. III, 688. Her. XV, 158. cett. et Gebauer. l. l. — *frigus opacum*, frigus loci opaci, nemoris umbrosi. Cf. Ecl. II, 8. et Colum. VI, 22. *Opacissima nemorum pascua*. Similiter Stat. Silv. III, 5, 17. *opaca quies*, h. e. quies vitae umbratilis, et Silius I, 395. *Felix, heu! nemorum, et vitae laudandus opacae*, i. e. felix praedicandus ob vitam in umbrosis nemoribus actam. — *captabis*. Sic Ecl. II, 8. *pecudes umbras et frigora captant*. — 53. Locus difficillimus, in quo praeter Vergilii editores etiam alii viri docti quam maxime haeserunt (cf. Schirach. Clav. Virg. p. 574. Markland. ad Stat. Silv. I, 3, 43. Doering. in Progr. supra ad v. 13. laud. p. 3. et Lachmann ad Prop. IV, 2, 29.). Ne ad coniecturas confugiamus, quod omnium Codd. et Prisciani XVIII, 193. consensus interdicere videtur, mihi etiamnum inter varia pericula hunc locum expediendi Wagneri ratio maxime probatur, ex qua loci sententia haec est: Hinc, a vicino limite, saepes, quae semper Hyblaeis apibus florem salicti depasta (est), saepe tibi levi (apum) susurro suadebit somnum inire; etsi non nego, in mira verborum traiectione, quam nec gratam nec simpliciori pastorum sermoni aptam cum Wagn. possum agnoscere, (quae tamen non prorsus abhorret a Vergiliano dicendi genere: cf. Ecl. IX, 3. Geo. II, 227. Aen. VIII, 168.) semper aliquid residere, quod offendere debeat. Coniungo igitur primum verba *Hinc — vicino ab limite;* qui usus Adverbiis loci accuratiorem explicationem per appositionem quandam addendi (de quo vide quos Dissen. laudat ad Tibull. I, 10, 37.) prorsus est Vergilianus. Cf. Ecl. III, 12. Aen. I, 235. II, 18. III, 616. VI, 305. VII, 209. XII, 273. Sic autem

Hyblaeis apibus florem depasta salicti
Saepe levi somnum suadebit inire susurro;
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras:

---

verba coniungenda esse, non (quemadmodum Wund., Spohn. et in prioribus certe editt. Iahn. et Ladew. censuerunt) *vicino ab limite saepes* (i. e. qua parte limes est, agrum vicinum a tuo disterminans), quod eodem modo dictum putant, quo v. 8. *nostris ab ovilibus agnus*, Geo. III, 2. *pastor ab Amphryso* et similia, iam docet parallelismus membrorum: *Hinc vicino ab limite* et *Hinc alta sub rupe*. (Consentit nobiscum Ameis. Spicil. p. 3.) Porro *quae semper saepes depasta* per attractionem positum pro *saepes, quae semper depasta (est)*; ellipsis autem Verbi auxiliaris in sententiis relativis haud inusitata Vergilio (vid. Ecl. II, 23. VIII, 24. Geo. IV, 89. Aen. I, 234 sqq. V, 192. 687. IX, 675., et cf. Heind. ad Hor. Sat. I, 2, 42. Both. ad Hor. Sat. II, 8, 2. Herz. ad Sall. Iug. 71, 1. et Obbar. ad Hor. Ep. I. p. 350.). Iam *quae depasta est* significant: quae depasci solet (cf. adnott. ad Geo. I, 49.) et accuratius definiuntur adiecto Adv. *semper*, i. e. quoties recentes flores proveniunt; nam *semper* haud raro valet: quoties tempus aliquod certum vel occasio aliqua redit. (Cf. Ecl. III, 62. VII, 50. Geo. I, 431. Aen. V, 49.) Quare non opus esse videtur coniecturis Doeringii l. l. (*quae superat*, i. e. „quae tua manet"), Burmanni (*quae serpit*), Hildebrandi in Iahn. Novis. Annal. XXVI. p. 162. (*quae serpet*), et Peerlkampi p. 9. *Hinc tibi aquae strepitu et vicino ab limite saepes*), neque verborum transpositione, quam Hoffmann. in Ephem. gymn. Austr. 1853. p. 411. suadet: *Hinc tibi, quae semper florem depasta salicti Hyblaeis apibus, vicino ab limite saepes* etc. Alii tamen fortasse probabunt Ladewigii rationem, qui *depasta* pro Participio habet et ad *quae semper* ex sequente *suadebit* supplet *suasit*. — *saepes florem depasta* per notissimam illam constructionem cum Accusativo, quem vocant, remotioris Obiecti dictum (pro: cui depasti sunt flores). Ex Vergilio huc pertinent inter alia Ecl. III, 106. VI, 75. Geo. II, 131. III, 383. IV, 99. 338. Aen. I, 228. 658. V, 608. VI, 495. IX, 582. 678. X, 283. 324. 869 etc. — *salicti*, quod secundum vulgarem rationem e voc. *saepes* pendere debebat, poëtice iunctum est voc. *flores*. Longe enim elegantius est: saepes unde apes depascunt flores salicti, quam tritum illud et vulgare: saepes ex virgis saligneis contexta, unde apes flores depascunt. Salices autem secundum Geo. II, 434 sq. sunt *pabula mellis*. — *Hyblaeis* epith. ornans, ab Hybla, Siciliae monte apibus ob thymum (cf. infra Ecl. VII, 37.) maxime frequentato, ductum. Cf. Ovid. A. Am. III, 150. id. Trist. V, 13, 22. Sil. XIV, 199 sqq. Martial. VII, 87, 8. Plin. H. N. XI, 13, 13.; unde *mella Hyblaea* apud Martial. XI, 43, 3. Solet autem eiusmodi epithetis plerumque praestantia rei significari. Cf. Ecl. X, 59. Geo. I, 228. III, 343. Aen. VII, 816. XI, 773. — Ceterum hunc versum imitatus est Auson. Ep. XXV, 12. *Hyblaeis apibus saepes depasta susurrat*. — 55. Animadverte, quam bene ipso literarum sono res significetur et cf. Gebauer. de poët. I. p. 35., qui comparat Ecl. III, 28. et 55 sqq. V, 46 sq. 82 sqq. VII, 13. IX, 36. — *levi susurro*. Cf. Theocr. I, 1. *ἁδὺ ψιθύρισμα* et Wernsd. Poët. Lat. min. VI, 163, 13. *apes susurro murmurant gratae levi*. — *somnum suadebit inire*. Saepes, cui tribuitur a poëta, quod in soluta oratione apibus earumque susurro tribuendum erat, ad somnum te invitabit. Similes locos legimus apud Hor. Epod. II, 27. Ovid. Met. XI, 604. Stat. Silv. I, 3, 42. Praeterea cf. Aen. II, 9. Iahn. etiam de susurro, quem ventus in saepe suscitet, cogitari posse temere suspicatur. — 56. *frondator*, qui vites amputat et folia stringit, decerpit, ne uvae obumbrentur. Cf. Geo. II, 365. 400. 407. 410. Ecl. II, 79. IX, 60. Voss. de arbustorum frondatione mense Augusto facta cogitat (coll. Geo. II, 400.), quo tempore *gemere* palumbes incubantes Plin. XVIII, 28. referat. Ceterum recte Spohn. adnotat, ex eo, quod hic oblectamenta aestivi temporis et Augusti quidem mensis commemorentur, non sequi, hanc Eclogam eodem mense esse conscriptam. — *ad auras* (i. e. ad coelum s. coelo: *er wird dem Himmel vorsingen*, quia nemo praeterea eum audit) ita dictum, ut Aen. VI, 561. *qui tantus plangor ad auras*, et Ovid. Met. X, 11. *Quam satis ad superas postam Rhodopeius auras Deflevit vates*. Wagn. Qu. Virg. X, 1. p. 417., ubi de

Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes
Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.

TITYRUS.

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,

discrimine inter voces *ad auras* et *in auras* agit, ostendere studet, *ad auras surgere, ferri* etc. dici de rebus, quae ita a terra se elevent, ut terram adhuc contingant, aut non nimis a terra assurgant; quod sane ex parte verum est. Scilicet cum auras non statim supra terrae superficiem, sed in altioribus regionibus quaerere soleamus, quae *ad auras*, i. e. versus auras, feruntur, non tam alte assurgere dicuntur, quam quae *in auras* feruntur, i. e. in ipsas auras penetrant. Quare ut Geo. I, 408. Aen. II, 699. 759. IV, 455. 665. V, 861. VI, 554. etc. recte dicitur *ad auras*, ita non minus recte Geo. III, 109. Aen. IV, 176. V, 257. 520. et alibi *in auras*. — **57**. *Nec tamen interea.* Wagn. comparat eos Vergilii locos, ubi *Nec minus interea*, formula transitioni inserviens, legitur: Aen. I, 633. VI, 212. VII, 572.; quae autem praeterea affert formulae *nec minus* exempla, huc certe non pertinent. — *tua cura*, deliciae tuae. Cf. Ecl. X, 22. *tua cura Lycoris.* — *palumbes*, (palumbus et palumba, a graeco πελειάς) columba est silvestris, *die Holztaube*. Cf. Cato R. R. 90. Colum. VIII, 8. Plin. X, 35, 52. — *raucae* ob sonos raucos, quos edunt. Similiter Ecl. II, 12. *raucae cicadae*, ubi vide adnott. — **58**. *cessabit.* Ubi duo Nomina eidem Verbo temporis iunguntur, hoc proximi Nominis numerum plerumque sequitur, ut Geo. I, 484. IV, 30. Aen. I, 16. III, 274 sqq. VI, 181 sqq. IX, 706 sqq.; idque vel tum fieri, cum metrum etiam Pluralem admittat, ut Ecl. VI, 30. (ubi vid. adnott.) Aen. I, 574. II, 597. III, 270. 552. IX, 254. etc., docet Wagn. Qu. Verg. VIII. p. 401. — *gemere* vox propria de avibus rauca et obtusa voce praeditis, imprimis de palumbibus et turturibus (cf. Plin. H. N. X, 35, 52. *cantus omnibus* (columbis) *similis atque idem, trino conficitur versu praeterque in clausula gemitu*), interdum etiam de noctuis (cf. Prop. V, (IV,) 3, 59. *Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno* et Apulei. Flor. p. 46. *gemulus bubo.*). Cf. Theocr. VII, 141. ἔστενε τρυγών. Similiter apud Hor. Epod. II, 26. *queri* et apud Graecos μύρεσθαι, μινυρίζεσθαι. — *aërius* perpetuum rerum in auras surgentium, arborum potissimum, montium et arcium celsarum epitheton. Cf. Burm. ad Anthol. Lat. I. p. 100. Heins. ad Aen. VIII, 221. Barth. ad Stat. Theb. VIII, 408. Huschk. ad Tib. I, 7. Sic Aen. III, 680. et IX, 679. *aëria quercus*, in Culice 123. *aëriae platani*, ap. Catull. LXIV, 292. *aëria cupressus* legitur; *mons aërius* autem invenitur Ecl. VIII, 59. Aen, VI, 234. VIII, 221. Catull. LXVIII, 57. Sil. It. IV, 742. alibi. Cf. etiam Geo. III, 474. IV, 508. Aen. III, 291. Ovid. Met. II, 226. Sil. It. I, 371. 728. adnott. ad Ecl. III, 69. et Gebauer. Progr. p. 17. — *turtur* avis domestica, in villis nutriri solita. Cf. Varr. R. R. III, 8. Colum. VIII, 9. Pallad. I, 25. Respicit hunc locum epigr. Anth. Lat. Burm. V, 143, 16. *Et castus turtur atque columba gemunt.* — **59**. Peerlk. l. l. totum, qui sequitur, locum v. 59—63. spurium censet. Sed vide, quae contra eum disputat Ladew. Progr. p. 8. sq. Habemus autem hic comparationem ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου: commemorat enim Tityrus res, quae omnino fieri non possunt. Sensus igitur: Numquam omnino vultus illius de pectore meo elabetur. (Conf. infra ad v. 64.) Similis color est locorum Ecl. III, 91. VIII, 27 sqq. 52 sqq. Plaut. Asin. I, 1, 85. Hor. Epod. 16, 25 sqq. Ovid. Met. XIV, 38. Trist. I, 8, 1 sqq. Calpurn. Ecl. VIII, 75. Propert. III, 7, (II, 15,) 31. Senecae Hipp. 568. Anth. Lat. Burm. III, 65. Wernsd. Poet. L. min. IV, 533, 92. et aliorum, quorum omnium fons est Hom. Il. I, 234. Cf. etiam Archilochi fr. 66. Schn. et Herod. V, 92. — *pascentur in aethere*, ut aves volabunt per auras. Pro *in aethere* Wakef. ex uno Moret. IV. (cui nunc adiungendus Probi V, 17. Keil. Vat. c.) recepit *in aequore*, quod, iam Cerdae, Burm., Trillero Obss. III, 27. p. 276. aliis (ut nuper rursus Keilio in Philol. II. p. 166.) probatum, neque Heynio displicuerat. Sed recte cum Iahn. repugnavit Wagn.; tum enim minus quadrare epith. *levis*, quod ut parum aptum esset natantibus cervis, sic aptissimum volantibus, coll. Aen. V, 838. VI, 16. Addo alias causas, nisi fallor, paulo graviores. Primum enim *pascentur in aequore cervi*, i. e. piscium naturam induentes in mari vivent, minus fortem efficeret sententiam; nam cervi

Et freta destituent nudos in litore pisces,
Ante pererratis amborum finibus exsul
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore voltus.

per mare natantes cogitari certe possunt, cum nandi facultatem habeant, poëta autem aperte hic coniungi voluit, quae coniuncta cogitari omnino non possunt; deinde vero Vergilio obversata videtur Lucretiana dictio *per caeli caerula pasci*, *per caelum pasci*. Cf. Lucr. I, 1089. V, 526. Praeterea Ameis. Spicil. p. 3., in universum mecum consentiens, addit: „*in aequore* ambigue dictum esset, cum saepe apud poëtam dicatur de *campo*" et „cervi in aequore pascentes cogitari possunt, si quidem in mari pedibus stantes potu hausto herbas litorales decerpunt." Denique etiam a Schenkelio in Ephem. gymn. Austr. a. 1852. et Wagnero in Philol. Suppl. I. p. 311. lectionem *aethere* defensam video. (Omnes autem locos, quos hic iterum tractat Wagn., plerumque priores sententias suas strenue defendens, in Appendice huic voluminī adiicienda collectos indicabo.) Quae non curantes etiam Ribbeck. (cf. eius Proleg. p. 165.) et Ladew. (quos Haupt. et Coningt. iure non sequuntur) *in aequore* ediderunt, quod Iahn. ex sequ. *in litore* ortum censuerat. Fortasse potius debetur docto alicui librario, qui piscibus in sicco litore degentibus cervos in mari viventes opponendos esse putabat. De permutatis autem his vocibus cf. viri docti, quos laudat Unger de Valgio Rufo p. 484. — **60**. *freta destituent pisces*, i. e. pisces in sicco vivent, quare *nudi* vocantur, i. e. non amplius undis tecti, ab aqua destituti. Eodem modo Senec. Oedip. 43. *nuda vada* dixit. Cf. etiam supra adnot. ad v. 15. *Destituere* autem sic etiam ap. Plin. H. N. IX, 5, 4. legitur: *Tiberio principe contra Lugdunensis provinciae litus in insula simul trecentas amplius belluas reciprocans destituit Oceanus.* — **61**. *pererratis amborum finibus*, ita ut alter ad alterius sedes pervenerit, h. e. Parthi in Germaniam et Germani in Parthiam migrabunt, quod (ut Heyn. apte commemorat) nisi victis et subactis Romanis fieri non poterat. — *exsul* quisque est, qui non in patria commoratur, aliqua causa ea excedere compulsus. — **62**. Poëtam hic, ubi Germaniae flumen exspectaveris, *Ararim*, Galliae fluvium, (qui nunc *Saone* vocatur) commemorantem Voss., Heyn., alii ita defendunt, ut dicant, rusticorum sententias ex certis rationibus geographicis non posse iudicari, immo hanc ipsam locorum inscientiam indoctum servulum non male decere, Gallos autem et Germanos vulgari sermone haud raro confundi; quibus prorsus adsentior, facile supersedens Schraderi coni., *Albim*, ignotum isto tempore Romanis flumen, Arari substituentis; imprimis cum verissima sint, quae Iahn. in edit. II. addidit, illo tempore, quo haec Ecloga scripta sit, Ararim vere fuisse versus Germaniam imperii Romani terminum, cum gentes inter Ararim et Rhenum incolentes, quamquam iam a Caesare debellatae, tamen ab Agrippa demum a. 717. p. u. c. imperio Romano additae esse videantur. Wagneri autem explicationi paulo subtiliori: „Parthi pererratis Germaniae finibus in Galliam venient, Germani pererratis Parthorum finibus ad Tigrim" id obstare videtur, quod Tigris non orientem, sed occidentem versus Parthorum regnum terminabat. Ceterum forma *Ararim* a Nomin. Araris est deducenda; duplex enim erat Nominativi forma Arar et Araris, ut Liger et Ligeris. Cf. Claud. in Ruf. II, 111. in Eutrop. I, 405. Schneid. Gramm. Lat. II, 1. p. 214. et liber meus *Handb. d. alt. Geogr.* III. p. 121. — *Germania*, i. e. Germani. Terrarum autem nomina pro populorum nominibus non solum poëtis (cf. Ecl. IV, 58. Geo. I, 38. Aen. II, 193 etc.), verum etiam optimis quibusque pedestris orationis scriptoribus usurpari satis constat. Cf. praeter alios Zumpt. §. 675. Goerenz. ad Cic. Fin. III, 1, 4. et Schneider. in Novis Annal. phil. LXI. p. 251. Nemes. Cyn. 67. hunc locum sic imitatur: *Rhenum Tigrimque bibunt Ararisque remotum principium.* — **63**. Sensus: Semper imago imperatoris placidi, mitis, benevoli ante oculos nobis versabitur, i. e. numquam beneficii eius immemores erimus. Pro *labatur* Cod. Pal. a m. sec. praebet *labantur*, quod Ribbeck. locis Aen. I, 684. IV, 4. VII, 416. commendari censet. De forma *voltus*, quam nunc cum recentissimis editt. recepimus, cf. Wagn. Orth. Verg. p. 445 sqq. et Ribbeck. Proleg. p. 438. Respexit hunc locum Rutil. Itin. I, 53. *Obruerint citius scelerata oblivia solem,*

MELIBOEUS.

At nos hinc alii sitientis ibimus Afros,
Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxen
Et penitus toto divisos orbe Britannos.

Quam tuus ex nostro corde recedat honos. — 64. At nos per totum terrarum orbem dissipabimur; hyperbola homini acerbissimo dolore affecto facile condonanda. Voss. comparat Calpurn. Ecl. IV, 38 sqq., qui locus ex nostro fluxit. — Peerlk. p. 11. hanc suadet distinctionem: *At nos? Hinc alii* etc., quam, cum Meliboeus interrogare pergat, erunt fortasse, qui probabunt. — *alii* et *pars* saepe sibi opponuntur. Cf. Geo. II, 10 sqq. IV, 158 sqq. Aen. I, 212 sqq. II, 399 sqq. XI, 193 sqq. Ovid. Met. I, 244. Val. Fl. II, 235. Tac. Hist. IV, 23. Sallust. Cat. 2, 1. 38, 3. 48, 5. Iug. 13, 8. 19, 1. 32, 4. 51, 1. 57, 4. etc. — *sitientis Afros*, ob coeli ardorem et aquarum penuriam; quare Plin. X, 73, 94. et XXXI, 7, 39. loquitur de *sitientibus* (locis) *Africae*. De omissa Praepositione apud verba eundi, veniendi etc. cf. adnott. ad Aen. I, 5. — *et* respondet praecedenti *alii--pars*, ut etiam alibi copulae distinguendo inservientes interdum pro iterato *alius* usurpatae inveniuntur. Cf. Wagn. Quaest. Virg. XXXIV, p. 552., qui comparat Aen. I, 701. et X, 130., ubi *que - - que* pro *alii - - alii* positum sit, et Aen. II, 73., ubi Heynius *que* temere in *ve* mutaverit. — 65. *rapidum Cretae Oaxen.* Cum nemini veterum scriptorum (praeter Vibium Sequ. p. 15. Oberl., fortasse ex hoc ipso loco haurientem) hic Cretae insulae fluvius commemoretur, alii (inter quos etiam est Kalmus Exerc. crit. p. 5.) de Araxe, Armeniae maioris flumine (quod etiam apud Claud. B. Get. 31. a librariis cum Oaxe confunditur), substituendo, alii (in quibus Voss. et Salmas. ad Solin. c. 49. p. 692. cf. Tzschuck. ad Mel. III, 5, 6. p. 161 sq.) de *Oxo*, Scythiae fluvio, qui per licentiam poëticam hic Oaxes diceretur, cogitarunt, *cretae* autem (quaemadmodum nuper etiam Ladew., qui simul *ad Oxum* legendum esse suspicatur, Kappes in *Eos* I. p. 152 sqq. et Ribbeck., quibus recte adversatur Kalmus. l. l.) non proprium, sed appellativum, quod vocant, nomen habuerunt, *rapidus cretae* (quae constructio exemplis esset comprobanda) satis artificiose explicantes: qui rapit terram albam radendo litus, i. e. lutulentus, turbidus, coll. Curt. VII, 10. *Oxus, quia limum vehit, turbidus semper est.* Sed recte vulgatam (in qua ne Peerlk. quidem offendit) defenderunt Heyn., Wagn., Iahn., Bryce, Coningt., alii, censentes, poëtae credendum esse, in Sicilia, cuius urbs Oaxus, prius Axus vocata (quemadmodum etiamnum Axos dicitur: cf. Pashley *Travels in Crete* I. p. 146 sqq.), non ignota sit (cf. Herod. IV, 154 ibique Baehr. Apoll. Rhod. I, 1131. Steph. Byz. p. 505. Plisthenes ap. Serv. ad h. l. Eckhel. Doctr. num. P. II. p. 306. Meursii Creta p. 92.), etiam flumen huius nominis fuisse, de qua re Kalmus l. l. p. 4. sine iusta causa dubitat. Videtur autem is fluvius esse, qui nunc *Arcadi fiume* appellatur. Cf. Hoeck. Creta I. p. 397. et Pashley l. l. p. 145. Quod si verum est, videmus etiam, a poëta hic sibi opponi extremas orbis Romani partes, Africae, occidentali parti, Scythiam, ultimam regionem orientem versus sitam, atque Cretam, meridionalem insulam, Britanniae septentrionali. Creta autem illis temporibus, cum Aegyptus imperio Romano nondum adiecta esset, extrema eius fuit versus meridiem provincia. Ceterum non convenire pastori Mantuano fluminis tam incogniti commemorationem, quis potest negare? sed num conveniret Oxi aut Araxis mentio, fluminum non multo magis cognitorum, neque ad Rom. quidem imperium illa aetate pertinentium? nonne omnibus his eclogis permulta insunt, in quibus non pastores, sed poëtam loquentem audimus? Praeterea, cum nominum Graec. masc. gen. in *as* et *es* desinentium Accusativus a Verg. ubivis terminetur in *an* et *en*, non *Oaxem* (ut Ladew. edidit), sed *Oaxen* scribendum esse, docet Wagner. Quaest. Virg. III. p. 389. (quem Ribbeck. secutus est. In Hauptii edit. errore typogr. legitur *Oaxe.*) — 66. *penitus---Britannos*, scil. a terris antea commemoratis. Sic Hor. Od. I, 35, 29. *ultimos orbis Britannos* et Od. IV, 14, 47. *remotos Britannos*, Catull. XI, 11. pariter *ultimos Britannos* et Tac. Agr. 30. *Britannos terrarum extremos.* Quid? quod Britanniam, ante Iul. Caesarem Romanis plane ignotam (Caes. B. G. IV, 20. Suet. Caes. 25. Dio

En umquam patrios longo post tempore finis,
Pauperis et tuguri congestum caespite culmen,
Post aliquot mea regna videns mirabor aristas?
Impius haec tam culta novalia miles habebit? 70

Cass. XXXIX, 50. Strabo IV. p. 304. Plut. Caes. 23.), ultra terminos orbis habitati promoverunt (Vellei. II, 46. Suet. Claud. 17. Tac. Agr. 14. Eleg. ad Messal. 54. Senec. cons. ad Marc. c. 14. Dio Cass. LX, 19.) Respexerunt hunc locum Nemes. Cyn. 124. *divisa Britannia mittit* etc. et poëta in Wernsd. Poet. L. min. V, 1358, 1. *semota et vasto disiuncta Britannia ponto.* Ceterum Peerlk. l. l. ut post *nos*, ita etiam post *Britannos* signum interrogandi vult positum. — 67 sqq. Sensus est: Eritne aliquando tempus, quo mihi agros meos revisere continget, in quibus, antea fertilissimis, nunc vero a novis colonis neglectis, aliquot modo aristae oculis meis se offerent? Alia tamen est sententia Brycei, qui dubitans, agros veteranis distributos ab iis adeo neglectos esse, locum potius sic explicat: Fietne aliquando, ut revisam agellum meum cum paucis aristis suis, qui tamen mihi, qui numquam sperare poteram, eum a me recuperatum iri, non nisi cum admiratione intuendus et instar regni habendus erit; cui interpretationi praeter alia (ut *mea regna* pro „*to me a kingdom*" vel „*my whole kingdom*", et *videns mirabor* pro „*look with admiring delight*" posita) imprimis v. 70. videtur adversari, etsi negari nequit, sic *aliquot aristas* bene respondere *pauperi tugurio.* — *En umquam.* Spohn. et Wagn. recte docuerunt, non in voc. *umquam*, sed in voc. *en* vim inesse contendentes: omnium vero optime hac de re disputavit Hand. in Tursell. II. p. 371 sqq., qui docet, hac formula interrogationis quemcumque vehementiorem animi affectum, praesertim desiderium et dolorem, tum etiam iram et indignationem exprimi, neque vero deesse locos, in quibus interrogatio tantum intendatur atque significetur, si contrarium esset, mirum videri. Ex locis, quos collegit, huc pertinent imprimis Plaut. Trin. III, 1, 189. *en umquam adspiciam te?* id. Rud. IV, 4, 73. *Quaeso, en umquam hodie licebit mihi loqui?* Sil. Ital. XVI, 91. *en umquam lucebit in orbe ille dies, quo* etc. Liv. IX, 10, 5. *en umquam futurum, ut congredi armatis cum hoste liceat?* et interposito uno vocabulo infra Ecl. VIII, 7. *en erit umquam ille dies* etc. — 68. *tuguri.* Vid. supra ad v. 32. — *congestum caespite culmen*, i. e. congesto caespite exstructum. Cf. Aen. VI, 178. *aram sepulcri congerere arboribus.* E caespite autem ubivis obvio faciebant pauperiores et parietes et culmina tectorum. Cf. Hor. Od. II, 15, 17. ibique interpp. De voce per *ae* scripta cf. Wagn. Orth. Verg. p. 420. et Ribbeck. Proleg. p. 393. — 69. *Post*, i. e. postea, posthac; notandum est enim, Particulas *ante* et *post* optimis quibusque scriptoribus interdum etiam ante Accusativum aliquem adverbialiter poni, ubi perspicuitati non officiatur. Cf. Verg. Aen. II, 216. Cic. ad Fam. XVI, 5. id. Part. 39, 137. Ovid. Fast. I, 337. Val. Fl. VI, 664. et quae de eodem usu Adverbii *ante* ad Geo. III, 552. disputavimus. Respondet autem hoc *post* praecedenti *longo post tempore* eodem modo, quo Geo. II, 259 sqq. *multo ante — et — ante* legimus. Fallunt igitur, qui coll. Claud. IV. Cons. Hon. 372., ubi *decimas emensus aristas* legitur, *post aliquot aristas* coniungentes explicant: post aliquot annos, quasi numeraret pastor per messes, quamquam etiam Klotz. in Lex. s. v. arista, Meinek. Anal. Alex. 193. et ad Theocr. III, 31. atque, qui hunc laudat, Ribbeck. huic explicationi favent, cui nobiscum recte adversatur Conington. Ceterum cf. simillimus locus Geo. III, 476. et de voc. *regna* Lucan. II, 458. *Regna videt pauper Nasamon errantia vento* cum Martial. X, 613. *regnator agelli.* Peerlk., qui temere contendit, *longo post tempore et post aliquot aristas* idem esse quod *post longum tempus* et *post aliquot annos*, p. 11. coniicit *Pascuaque, et, mea regna, videns, mirabor aristas?* — 70. *impius*, sceleratus, nefarius; non solum quia *impius* perpetuum est belli, militum, armorum epitheton, (cf. Geo. I, 511. *Mars impius*), sed quia agitur de bello civili et de militibus aliorum possessiones contra ius fasque occupantibus. Cf. etiam Wakef. ad Lucr. V, 382. Opponuntur autem impii milites, quibus vis et ferrum pro lege est, piis agricolis, i. e. pacis et iustitiae amantibus nec quemquam laedentibus; quod recte docet Wagn. in minore edit., quamquam impietas

Barbarus has segetes? en, quo discordia civis
Produxit miseros: his nos consevimus agros!
Insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vitis.
Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.
Non ego vos posthac viridi proiectus in antro
Dumosa pendere procul de rupe videbo;

---

militum simul in eo potest quaeri, quod fertilissimum agrum sibi donatum degenerare et fere incultum iacere sinunt. — *novale*, proprie ager post cessationem aratro renovandus, tum ager, qui primum aratur, hic, ut Stat. Theb. III, 644. et Iuv. XIV, 148. in universum pro agro culto positum. — 71. *Barbarus*, Galli aliique, qui in legionibus Rom. tum erant. Ceterum Iahn. interrogationis signa post *habebit* et *segetes* sustulit, putans, his verbis responderi ad ea, quae v. 67 sqq. legantur. Sed recte Wagn. hoc modo vim et vigorem orationi detrahi censet. Ceterum non dubitantis, sed indignantis esse quaestionem, nobis sic reddendam: *Ein ruchloser Soldat, ein Barbar soll--besitzen?* quisque facile videt. — *has segetes.* Si vera sunt, quae infra ad v. 81. adnotavimus, de satione auctumnali post messem facta videtur cogitandum. — 72. Habemus hic duas lectiones *Produxit* et *Perduxit*, quarum quae praeferenda sit, difficile est iudicatu, cum utraque sensum non ineptum praebeat. *Produxit* significat: quo progressa est discordia et ad quem gradum miseriae paullatim adduxit cives, *perduxit* autem: quem ad finem, exitum, discordia miseros cives adduxit, i. e. coloni ex agris depulsi ad extrema, ad summam miseriam, pervenerunt civium discordia; nam et hanc lectionem commode ad colonos illos referri posse, neque necessario cum Wagn. explicandam esse: „quem ad exitum res suas adduxerunt miseri cives," quis non videt? Nos plurimorum, ut videtur, Codd. auctoritatem secuti, cum plurimis editoribus recepimus *Produxit;* Iahn. autem cum Wakef. ad Lucr. II, 1116. defendit Vat., Gud., Longob. et unius Bern. lectionem *Perduxit.* — *his nos* ex Codd. Pal. et Rom. cum Ribbeckio, Ladew., Hauptio et Coningt. nunc edidimus. Wagn. retinuit vulg. lectionem *en, quis*, pro quibus, in quorum commodum, de qua antiquiore Dativi forma vid. adnott. ad Aen. I, 95. — 73. Ironice. haec dicta: Quid iuvat nunc insevisse? *Inserere* autem non tam de plantatione, quam potius de insitione, quae proprie vocatur, intelligendum (*pfropfen*). Cf. Varro R. R. I, 40. *pirum bonam in pirum silvaticam inserere.* Verg. Geo. II, 69. (per inversionem) *inseritur arbutus fructu nucis.* Prorsus eodem modo Ecl. IX, 50. *Insere, Daphni, piros.* Nostro autem loco pirus tamquam species pro universo arborum frugiferarum genere nominatur. — *pone ordine vites*, h. e. secundum Voss. in quincuncem (⁘). Cf. Plin. H. N. XVII, 11, 15. et Geo. II, 277. Simplex autem Ablat. *ordine* significat: iusta, legitima ratione. Cf. Geo. I, 426. IV, 4. 376. 537. Aen. I, 703. V, 53. 102. VI, 723. VII, 276. cum adnott. ad Ecl. VII, 20. et Geo. III, 341. — 74. Locus affectu plenus et quam maxime ad miserationem excitandam factus, qui fluxit ex Theocr. I, 115—118., ubi simillima ratione bubulcus feris, silvis, fontibus ultimum vale dicit. Cf. etiam eiusd. IX, 11. Imprimis repetita vox *ite* inservit vehementiori animi commotioni et hic quidem doloris magnitudini graviter significandae. Vid. supra not. ad v. 4. et Wagn. ad Eleg. ad Messal. p. 13., qui comparat Ecl. IV, 24. et 58. V, 31. VII, 70. VIII, 1. et 5. Geo. IV, 465. (Pro Ecl. VII, 70. autem, qui minus huc quadrat, ante omnia Ecl. VII, 44. et X, 77. erant conferendi.) Alios eiusmodi locos diligenter collegit Gebauer. de poët. I. p. 37 sqq. Cf. etiam adnott. ad Ecl. X, 54. — *felix quondam.* Ribbeck. et Haupt. Codd. Pal. et Gud. Serviique exempl. secuti ediderunt *quondam felix;* ceteri recentiores editores nobiscum faciunt. — 75. *viridi*, quod antrum viridi musco obductum est, vel potius quod frondes eius ostio imminent, ut Ecl. V, 7. et IX, 41. (Cf. Wagn. in min. edit. Ameis Spicil. p. 4. Fritzsch. ad Theocr. III, 13 sq. et, qui hos laudat, Gebauer. Progr. p. 15.) — 76. *Dumosa. Dumi* maxime in rupibus et montibus; quare Geo. III, 315. *hirci--amantes ardua dumos*, Colum. VII, 6. de caprino pecore: *id genus dumeta potius, quam campestrem situm desiderat.* Cf. etiam Calpurn. V, 5. et 19. Avien. Orae mar. 217., quos locos Burm. laudat hic et ad Ovid. Rem. 179. — *pendere*

Carmina nulla canam; non me pascente, capellae,
Florentem cytisum et salices carpetis amaras.

TITYRUS.

Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
Fronde super viridi. Sunt nobis mitia poma,
Castaneae molles et pressi copia lactis;
Et iam summa procul villarum culmina fumant
Maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

---

de rupe, pasci in monte declivi. Sic in Epit. Iliados 893. *pendent in rupe capellae*, et Ovid. ex P. I, 8, 51. *pendentes rupe capellas*. — 78. *cytisus* frutex albus, rhamno similis, ramos spargens cubitales vel etiam maiores, iucundo foliorum odore et sapore, apibus et capris gratissimus, omninoque pecoris saluberrimum pabulum, quod vaccis potissimum lac optimum praebet (*Geisklee, Schneckenklee.*) Cf. Diosc. IV, 113. Plin. XIII, 24, 47. Varro R. R. II, 2. Cato R. R. 43. Colum. II, 11. V, 12. Verg. Geo. II, 431. et Ecl. II, 64., ubi vid. Heyn., et Billerb. Flora class. p. 197. — 79. Haec invitatio, ut Meliboeus pernoctet in Tityri tugurio, sumpta est ex Theocr. XI, 44 sqq. Cf. etiam eiusd. VII, 134. — *poteras* etc. Cf. locus nostro simillimus Ovid. Met. I, 679. *Hoc mecum poteras considere saxo* et Hor. Sat. II, 1, 16. Nos plane eadem ratione: *Du konntest ja diese Nacht bei mir bleiben.* Praeterito autem tempore utitur Tityrus, quia iam protinus pergentem videt Meliboeum (cf. v. 74.), itaque iam abeuntem his verbis prosequitur. — *hanc --noctem*, i. e. per hanc *totam* noctem, haud dubie praeferendum alteri lectioni *hac--nocte*, (aliquopiam huius noctis tempore.). Quomodo differat utraque temporis definitio, satis notum. Cf. Tibull. III, 6, 53. *Quam vellem longas tecum requiescere noctes.* — 80. *Fronde super viridi.* Cf. Theocr. VII, 134. — *mitia poma*, quae etiam leguntur Hor. Epod. II, 17. et in Anth. Lat. Burm. V, 80, 2., sunt matura ideoque dulcia. Sic Geo. I, 448. *mites uvae* et apud Petron. c. 135. *mitia sorba.* Cf. etiam Lucr. V, 1377. Hor. Sat. II, 5, 12. Tibull. I, 5, 31., ubi eodem sensu *dulcia poma* commemorantur. (Vid. Gebauer. Progr. p. 14.) — 81. *molles* ad saporem referendum esse docet Spohn., ut *mollissima vina* Geo. I, 341., *mollia fraga* Ovid. Met. XIII, 816., *molle merum* Horat. Od. I, 7, 19. *Molles* igitur h. l. sunt suaves, dulces, ut iam Schirach. p. 495. explicuit. Maturae autem sunt castaneae mensibus Octobri et Novembri (cf. Calpurn. Ecl. II, 82.) eodemque tempore etiam poma iam sunt mitia. Hinc tempus esse definiendum, quo factum sit hoc carmen, bene perspexit Spohn. Vide supra ad v. 43. adnot. — *pressi copia lactis*, casei. Vid. adnott. ad v. 34. — 83. *fumant*, quia coena paratur, ad quam veteres Romanos sub vesperum ire solitos esse constat. Illo autem, quod modo indicavimus, anni tempore cum sol inter quartam et quintam horam occidat, hic de tertia vel quarta hora pomeridiana videtur cogitandum. — 84. *Maioresque umbrae.* Conf. not. ad Ecl. II, 67.

ECLOGA II. ALEXIS.

ARGUMENTUM.

Causam huius Eclogae, primae, quam Vergilius composuit, scribendae intulit amicitia ab Asinio Pollione, qui sub finem mensis Nov. anni 711. p. U. c. Galliae Cisalpinae praecesse coeperat, cum poëta nostro facta. Vergilius enim, a Pollione ad coenam invitatus, cum conspexisset Alexandrum, puerum formosissimum nec minus ingenii praestantia excellentem, qui domino pocula ministrabat, ardente amore eius captus est et, iam ante a Pollione excitatus, ut in bucolicis carminibus condendis ingenium exerceret, in huius

pueri amati laudes hoc carmen vere bucolicum conscripsit, quo animum eius ad benevolentiam erga se conciliaret. Qui quidem amor num pro temporum illorum pravitate et turpitudine impurus, an potius, quod in Vergilii honorem sumamus, castus et pudicus fuerit, ita ut poëta noster, Socratis et Platonis exemplum secutus, hunc Alexandrum non vitiandi, sed erudiendi et formandi causa dilexisse putandus sit, nobis hic non est quaerendum. Sufficit, ut narremus, Pollionem hoc carmine adeo delectatum esse, ut Vergilio donaret Alexandrum et hunc poëtae nostri institutione factum esse grammaticum. In hac autem Ecloga Maro semet ipsum Corydonis, Alexandrum vero Alexis nomine personatos induxit (quod nititur Donati §. 20. et 37. Servii ad Ecl. II, 1. et 15. Martialis V, 16. VII, 26. VIII, 56. imprimis autem Apuleii Apol. c. 10. p. 279. Elmenh. testimonio; nam Propert. II, 34, [III, 33,] 73. hanc Eclogam commemorans nihil hac de re prodit, cf. potissimum Spohnii Proleg. p. 23 sqq. Gebauer de poëtis etc. I. p. 23. et Ribbeckii Proleg. p. 3., qui illis locis addit Schol. Bern. ad v. 1. huius Ecl.) carmenque sic instituit: Corydon, homo liber et sui gregis pastor (cf. v. 21.), pronus omnino ad amores (cf. v. 14 sq.), Alexis pueri, quem Iollas quidam in deliciis habebat (v. 57.), flagrante amore captus, miserum animi sui affectum prodit, de pueri amati duritie fastuque effuse conquerens (v. 6—18.); deinde eum allicit commemorandis opibus suis et gregum multitudine (v. 20.), canendi peritia (v. 23.) corporisque pulchritudine (v. 25.), et promittit, si puer secum vivere velit, ei artem canendi se impertiturum (v. 31 sqq.) munerique daturum fistulam egregiam (v. 36.), duos capreolos (v. 40.) corollasque florum cum pomis (v. 45.). Tum venit ad laudes vitae rusticae (v. 60.). Denique ad sanitatem rediens ipse amoris sui insaniam damnat (v. 69.). Cum autem poëta in hoc carmine pangendo Theocritum maxime ante oculos habuerit, ex cuius Idyll. XI. XXIII. et III. permulta ita sumpsit, ut adeo singulos aliquot versus ad verbum in Latinum sermonem transferret, Siculos pastores ab eo produci (cf. v. 21.), non est quod miremur. Ceterum de tempore, quo haec Ecloga scripta videatur (aestate a. 712.: cf. v. 8 sqq. 66. 70.) vid. Diss. de Verg. vita et carm. not. 19. et Ribbeck. Proleg. p. 4., atque de eius structura Ribbeck. in Iahnii Annal. phil. LXXV. p. 66 sqq. et in Proleg. p. 157., imprimis autem Gebauer de poët. etc. I. p. 23 sq. 120. et 142 sqq.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexim,
Delicias domini, nec quid speraret habebat.

---

1. Imitatur poëta Theocr. XXIII, 1. Cf. Gebauer de poët. I. p. 142 sq. *Formosum*: vid. infra ad v. 17. — *Ardere* aut (quemadmodum hic, Hor. Od. IV, 9, 13. Stat. Theb. IV, 337. et Gell. N. A. VII, 8.) cum Accus., aut cum Ablat. vel solo (ut Hor. Od. II, 4, 7. III, 9. 5. [ubi tamen alii pro *donec non alia magis Arsisti* legunt *d. n. aliam m. A.*] Sil. Ital. V, 15.). vel a Praep. *in* pendente (ut Ovid. Her. IV, 99. Met. VIII, 50.) haud raro dicitur de amore. Cf. infra ad v. 68. adnott. Eadem ratione apud Propert. I, 13, 23. legimus *flagrans amor Herculis Heben*. Wund. comparat similem dictionem *deperire aliquem amore*, qua utuntur v. c. Catull. XXXV, 12. Plaut. Cist. I, 3, 43. Ter. Heaut. III, 2, 14. Cf. etiam Calpurn. Ecl. IX, 70. — *Alexim*. Ita scripsimus cum Cod. Pal., Arus. Messio p. 209. et Prisciano XVIII, 128. 154. et 192., quamquam alii Codd. (etiam Anth. Lat. Burm. II, 193, 2., ubi hic totus versus iteratur, voc. tantum *ardebat* in *dilexit* mutata) cum Donat. ad Ter. Eun. V, 9, 23. et Schol. Hor. ad Od. IV, 9. *Alexin* exhibent. Ex optimorum tamen Codd. et Grammaticorum (vid. Priscian. VIII, 50) auctoritate Vergilius Accus. Sing. nominum propriorum in *is* exeuntium numquam, nisi metro cogente (ut Ecl. V, 52.), in syllabam *in* terminasse censendus est. Cf. Wagn. Qu. Virg. III, 3. et Iahn. ad h. l. Ceterum hunc versum Calpurn. Ecl. IX, 1. sic imitatus est: *Formosam Donacen Idas puer et puer Alcon Ardebant.* — 2. *Delicias*. De deliciis et delicatis pueris Spohn. conferri iubet Burm. ad Suet. Aug. 83. Gronov. ad Stat. Silv. II, 1. V, 5, 66. Plut. Anton. c. 59. Iuven. VI, 47. — *domini*, Iollae (v. 57.), qui tamen non utriusque. Corydonis et Alexis, sed

Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
Adsidue veniebat. Ibi haec incondita solus
Montibus et silvis studio iactabat inani:
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? mori me denique coges.

---

solius Alexis herus est habendus. Corydon enim est homo sui iuris, qui suos greges pascit, ideoque infra v. 19 sqq. in opibus suis non temere gloriatur. Ceterum huius eclogae principium, quod simile est Theocritei Idyllii XXIII. initio, respexit Prop. III, 32, 73 sqq. *Felix, intactum Corydon qui temptat Alexin Agricolae domini carpere delicias. — nec q. sp. habebat*, h. e. omni spe illius amore potiundi destitutus erat, ita ut *tantum* (v. 3.) lamentari posset. Ceterum Wagn. et Iahn. ad Ecl. I, 19. (p. 362. edit. II.) recte defendunt lectionem *quid speraret* contra Brunck., ex coni. edentem *quod speraret*. Significantem enim orationem illam *non habebat, quid speraret*, i. e. omnia ei circumspicienti nusquam apparebat ulla spes, Brunckii ratio admodum languide convertit in simplicem illam sententiam: nulla ei erat spes, cui sequentia verba minus apte respondent. Accedit, quod etiam in Anth. Lat. Burm. I, 146, 2., ubi haec verba repetuntur, legimus *Nec, quid speraret, habebat* et Vergilio obversatus videtur Theocr. XIV, 52 sq. *χὤτι τὸ φάρμακόν ἐστι — — οὐκ οἶδα*. Cf. Gebauer de poët. I. p. 144. — 3. *inter* verbo veniendi eadem ratione per prolepsin adiicitur Aen. X, 710. *postquam inter retia ventum est*. Eiusmodi autem locos sic explicandos esse: veniebat *ad* fagos, ut *inter* eas esset, non est, quod commemorem. — A Ladewigio edoctus, iam caesuram interdicere, ne *umbrosa cacumina* cum Spohnio et Iahnio pro Accusativo, quem dicunt, remotioris Obiecti habeamus a voc. *densas* pendente (densas cacuminibus umbrosis), nunc redeo ad explicationem in prima edit. propositam, ut *inter densas, umbrosa cacumina, fagos*, sit appositionis illud genus *παρενθετικόν* per relativum adsumpto verbo temporis explicandum (hic: quae habebant umbrosa cacumina), ut Ecl. IX, 9. *veteres, iam fracta cacumina, fagos*, Martial. XI, 6, 5. *Si redeant veteres, ingentia nomina, patres* et in similibus locis. Omnino cf. de hoc usu Wagn. Qu. Virg. XXXIII, 3, d. p. 675. Indicant autem haec verba causam, cur Corydon ad has fagos (umbrosas scilicet) assidue venerit. Ceterum cf. Culicis v. 139 et supra Ecl. I, 1. — 4. *Adsidue* cum recentissimis editoribus scripsimus, Cod. Rom. et alios quosdam secuti. (Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 408., sed vid. etiam Ribbeck. Proleg. p. 400.) — *incondita*, non artificiose et composite dicta, sed rudia et inornata, ut fieri solet in vehementiore aliquo animi affectu, qualis hic est ardor amoris et maestitia. Cf. Santen. ad Ter. Maur. p. 180. Eodem sensu Geo. II, 386. *versus incompti* dicuntur. — *solus*. Drak. ad Sil. Ital. III, 429. malebat *solis Montibus*. Sed praeter locos a Burm. laudatos (Aen. IV, 462. Ecl. IX, 44. Prop. I, 13, 30., quibus adde Aen. IV, 82.), ubi *solus* dicitur de iis, qui in locis solis versantur, omnium Codd. lectionem defendit etiam Calpurnii imitatio Ecl. XI, 41. *Solus cano: me sonat omnis Silva* etc. — 5. Silvosis in montibus conqueritur spretum amorem suum. Cf. Theocr. XI, 17 sq. — *iactabat*, ut alibi *verba, voces iacere*, i. e. simpliciter ore emittere. Cf. Ecl. V, 62. Aen. I, 102. et II, 588. — *montibus et silvis;* nam sola natura eius querelas audiebat. Praeter Ecl. X, 32. cf. Tib. III, 6, 40. *Flevisti ignoto sola relicta mari.* Prop. I, 15, 9. *Desertis olim fleverat aequoribus.* Catull. LXIV, 163. *Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris?* Silius III, 430. *Et promissa viri silvis narrabat opacis.* Similiter Calpurn. XI, 12. *Sic sua desertis nudarunt vulnera silvis.* — *studio inani*, i. e. frustra. Idem versus hemistichion legitur in Ciri 208., quod Heynium non magis fugit, quam Theocritei loci, ex quibus noster ductus, Id. XI, 17. 18. et Id. III, 9., unde v. 7. haustus. — 6. *O crudelis A.* Cf. Theocr. XXIII, 19. *ἄγρι παῖ καὶ στυγνέ.* Calpurn. XI, 20. *puer o crudelis Iola* et v. 44. *saeve puer.* — *nihil mea carmina curas?* Cf. Theocr. III, 33. *τὺ δέ μεν λόγον οὐδένα ποιῇ* et Gebauer de poët. I. p. 146. — De voce *nihil* hic et Aen. II, 287. ita usurpata, ut incertum sit, utrum natura, an positione producatur, cf. Lachm. ad Lucr. I, 159. p. 28. — 7. *Nil nostri miserere?* Cf. Theocr. VII, 119. *οὐκ ἐλεεῖ μεν;* — Observandus hic rarior Parti-

Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant,
Nunc viridis etiam occultant spineta lacertos,
Thestylis et rapido fessis messoribus aestu
Allia serpyllumque herbas contundit olentis.
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,

---

culae *denique* usus, quae hic id ipsum respicit, quod ultimo loco fit aut futurum est (*zu guter Letzt, am Ende noch*); ut Verg. Aen. II, 70. *quid iam misero mihi denique restat?* Locis ab Handio Tursell. II. p. 266. collectis Plaut. Trin. IV, 2, 93. Ter. Heaut. III, 3, 8. id. Phorm. I, 2, 71. II, 2, 11. adde Aen. II, 295. Ter. Hec. I, 2, 48. Hor. Sat. I, 2, 133. eiusd. A. P. 267. et cf. Donat. ad Ter. Phorm. I, 2, 71. Hand. Turs. III. p. 121. et Thiel. ad Aen. II, 70. — *coges* recte defendit Spohn. contra alteram lectionem (Pal., Gud., duorum Bern.) *cogis*, quam Cerda, Burm. et Heynius ob maiorem vim praeferendam putarunt. *Denique* enim hic indicat futurum tempus et sensus est: non quidem nunc me cogis mori, sed, si ita pergis, coges. Accedit, quod etiam Theocr. III, 9. dicit *ἀπάγξασθαί με ποιήσεις*. *Cogis* a librariis praecedentibus formis *curas, misereris* accommodatum. Gebauer de poët. etc. I. p. 17. et hunc locum et alios, ut infra v. 68. III, 107. IV, 10. 39. V, 52. 61. 64. VII, 9. 34. VIII, 67. 75. 96. IX. 34. 38. 50., praeterea etiam III, 104. et V, 89. (ubi eiusmodi sententiae per parenthesin reliquis inserantur) Theocriti usum vel maiores versuum comprehensiones, vel etiam singulos versus sententiis numeris paroemiacis compositis claudendi sequi docet. — 8. Summo aestivi solis ardore, quo vel animalia omnia umbram frigidosque locos quaerunt, ego indefessus tua sequor vestigia. — *pecudes --captant*, calidioris solis causa. Cf. Geo. III, 327 sqq. — *umbras et frigora* vulgo per figuram illam, quae *ἓν διὰ δυοῖν* dicitur (de qua cf. adnott. ad Geo. II, 192.) pro *umbras frigidas* positum censent; non tamen opus est, ut hic ad figuram illam confugiamus, cum utrumque Substantivum etiam per se cogitare possit: quaerunt loca umbrosa et frigida. — V. 9. ex Theocr. VII, 22. fluxit. Cf. etiam Gebauer de poët. I. p. 149. — *occultant spineta lacertos.* Aliquot Codd. *lacertas*, ut apud Hor. Od. I, 23, 6. (ubi, ut hic, *virides* dicuntur) Ovid. Met. V, 458. Iuven. III, 231. Copae v. 28. etc.; sed *lacertus* mascul. genere etiam Geo. IV, 13. legitur. (Cf. Schol. Iuven. l. l.: „Virgil. masculino dixit lacertos." Alibi *lacertus* piscium quoddam marinorum genus significare solet. — 10. Thestylis, serva, ceteris servis in messe occupatis comparat moretum illud s. alliatum, vile, sed refrigerans et recreans edulium, quo rustici, milites et nautae Rom. vescebantur, quodque conficiebatur ex allio aliisque herbis stomachum vellicantibus, ut ruta et apio, cum caseo, oleo et aceto in mortario contritis. Cf. Vergilii Moretum, Colum. XII, 57. Schol. Aristoph. Vesp. 312. Gierig. ad Ovid. Fast. IV, 367. et Voss. ad h. l. — *rapido aestu*, i. e. vehemente, ut alibi *sol* vel *Syrius rapidus*. Cf. Geo. I, 92. 429. IV, 425. — 11. *Allia.* Ribbeck et Haupt. Codd. Rom. Thuan. II. Moret. v. 88. et Probi Gramm. p. 1435. auctoritatem secuti cum Wagn. Vol. V. scripserunt *Alia*. Cf. Oudend. ad Suet. Vesp. c. 8. Lachmann. ad Lucr. I, 313. p. 32 sq. Wagn. Orth. Verg. p. 416. et Ribbeck. Proleg. p. 429. — *serpyllum*, *ἕρπυλλον*, a serpendo dictum, nobis vocatur *Quendel, Feldkümmel, wilder Thymian.* Cf. Dioscor. III, 40. Spreng. (vulgo 46.) Plin. XX, 22, 90. Verg. Geo. IV, 31. etc. Wagn. Vol. V., Ribbeck. et Haupt. ex Med. et Rom. ediderunt *serpullum*. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 485. et Ribbeck. Proleg. p. 452. — *olentes herbae* Wagnero, qui comparat *pascua olentia* Ovid. A. A. I, 95. et *redolentia mala* Met. VIII, 675., sunt „gratum odorem habentes." Equidem Heynii explicationem „graviter ac valde olentes" praeferendam dixerim; de herbis enim bene olentibus sermonem non esse, quisque videt, neque foedos tantum odores rusticis gratos esse putaverim. Ceterum in Ciri 360. hic versus sic variatur: *Narcissum casiamque herbas contundit olentes.* — 12. *tua vestigia lustro*, i. e. observo diligenter et sequor. Alexis enim dominum alio comitatus erat. Iteratur haec dictio Aen. XI, 763. Simili ratione *lustrare* usurpatur Aen. II,

Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius tristes Amaryllidis iras
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcan'
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses?
O formose puer, nimium ne crede colori!
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

---

564. VIII, 153. et Petron. c. 11. *Postquam lustravi totam urbem.* — 13. *Sole sub ardenti* legimus etiam ap. Catull. LXIV, 354. — *mecum resonant arbusta cicadis*, (i. e. arbusta resonant et meis querelis et cicadis stridentibus) per inversionem poeticam dictum pro: cicadae mecum canunt arbustis resonantibus. Wagn. simul accuratiorem temporis significationem inesse censet, cum cicadae tempore meridiano, ab hora quarta, i. e. nostra decima (Geo. III, 327 sq.), ceteris animalibus quiescentibus, canant; ut igitur sententia sit haec: Eo diei tempore cano, quo quiescentibus ceteris animalibus solae cicadae canunt. Cui explicationi postpono et Heinsianam, ut voce. *me cum* divisim scriptis. locum sic intelligamus: arbusta resonant me, i. e. meam vocem, (una) cum cicadis (i. e. cum cicadarum stridore), quemadmodum Geo. III, 338. *litora halcyonem resonant*, i. e. vocem eius referunt, et Handianam (Tursell. II. p. 137.), qua docemur, *mecum* hic i. q. *apud me, circa me* significare, et locum tantum respici, in quo Corydon et cicadae simul versentur, quamque repetens Ameis Spicil. p. 4. („cicadae in arbustis canentes me quocumque incedo subsequuntur, a meo latere numquam discedunt"), adiungit etiam miram Haunii opinionem, qui coniungi velit *mecum raucae*, ut haec sit sententia: „cicadae aeque raucae sunt atque ego, quia mecum diu questae sunt." Peerlk. denique, contendens *mecum* apud Vergil. (Geo. I, 41. Aen. VI, 718. al.) semper esse i. q. *ut ego*, ideoque haec verba in hunc sensum ridiculum detorquens: arbusta resonant cicadis, sicut ego resono cicadis, p. 13. coniicit *At mecum raucae -- resonant arbusta cicadae.* Quid vero? num Aen. IV, 115. *Mecum erit iste labor* etiam explicat: iste labor erit, ut ego ero? Vid. etiam Aen. I, 675. Praeterea cf. quae Ladew. in *Beurtheil.* etc. p. 6. contra eum disputat. Quod autem neutralem attinet voc. *resonandi* usum, cf. Geo. I, 486. II, 328. Aen. IV, 668. et XII, 607. et de epitheto *raucae* adnott. ad Ecl. I, 57. (et Geo. III, 328.) Gebauer Progr. p. 16. praeter Calpurn. locum mox laud. confert auct. carm. Phil. 35. Hes. Op. 582. Scut. 393. Anth. Gr. VII, 201, 3. 196, 1. 213, 3. (ubi ἠχέτης et ἠχήεις τέττιξ), laudans Zimmerm. ad Theocr. I, 146. p. 68. et Faesi. ad Hom. Il. III, 151. Ceterum imitatus est hunc locum ex Theocr. VII, 139. petitum Calpurn. Ecl. VIII, 2. *raucis resonant tua rura cicadis* et Ecl. XI, 41 sq. *Solus cano, me sonat omnis Silva, nec aestivis cantu concedo cicadis.* — V. 14. Vossium et Spohn. sequens ita interpretor: Nonne satius fuit Amaryllidem pati iracundam, morosam, superbam? nonne satius Menalcam ferre nigrum? cuius hoc unum vitium, quod fuscus est, non tam candidum habet, quam tu, colorem. — *Amaryllidis* iras. Cf. Ecl. III, 80. — 15. *superba pati fastidia.* Cf. Calpurn. XI, 50. *qui tulerit Meroës fastidia longa superbae.* — *nonne Menalcan?* scil. *ferre*, quod latet in praegresso *pati*. De forma autem *Menalcan* cf. not. ad Ecl. I, 65. Ceterum Wagn. Vol. V. ubivis *Adque* pro *Atque* scribendum esse arbitratus est. Cf. eius Orth. Verg. p. 427 sq. et Ribbeck. Proleg. p. 397. — 16. *Quamvis* etc. De repetitione eiusdem vocis post penthemimerin cf. Gebauer de poët. I. p. 39., qui confert infra v. 20. Ecl. III, 6. 30. 61. 62. V, 38. IX, 16., praeterea autem V, 66. III, 59. 60. IV, 40. V, 44. IX, 35. — II, 68. III, 2. 71. X, 69. Geo. III, 393. — *niger* (ut Ecl. X, 38. *fuscus*) i. q. adustioris coloris, sole infectus. — 17. *O formose puer.* Cf. v. 45. Ecl. I, 5. II, 1. III, 79. VII, 67. Calpurn. IX, 1. 59. XI, 38. 72. Est Theocriti III, 6. IV, 38. X, 26. 36. XI, 30. χαρίεις et χαρίεσσα. Cf. Gebauer Progr. p. 8. (De forma *formonsus* vid. not. ad Ecl. I, 5.) — *ne crede colori*, ne confide candori et pulchritudini. Cf. Calpurn. XI, 20. *puer o crudelis Iola, Non eris. - - hoc semper Perdit spina rosas, nec semper lilia candent* etc. et ibid. v. 44. *Tu quoque, saeve puer, niveum ne perde colorem.* — 18. Sensus est: Fuscus vel niger color haud raro candido praefertur. Sic v. c. flores furvi coloris interdum

Despectus tibi sum nec, qui sim, quaeris, Alexi,
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.
Mille meae Siculis errant in montibus agnae;
Lac mihi non aestate novum, non frigore defit.

---

cupidissime quaeruntur, albi negliguntur. Cf. etiam Ecl. X, 38. et Theocr. III, 34 sqq. X, 26 sqq. et XXIII, 30., ex quo uterque locus Vergilianus fluxit. Cf. Gebauer de poët. I. p. 150 sq. — *Alba ligustra.* Vid. Ovid. Met. XIII, 798. *Candidior nivei folio Galatea ligustri.* Martial. I, 116, 3. *Loto candidior puella cygno, Argento, nive, lilio, ligustro.* Quae planta, nobis vel antiquo nomine, vel *Hartriegel*, *Rainweide* vocata et Plinio H. N. XII, 24, 55. XVI, 18, 31. XXIV, 10, 45. descripta, a Billerb. Flor. class. p. 4. aliisque temere confunditur cum Graecorum *κύπρῳ*. Vid. Sprengel. ad Dioscor. I, 124. — *cadunt*, non decerpuntur, sed neglecta decidunt et iacent contempta. — *vaccinium* species aliqua delphinii (*Rittersporn*), quod Graecis etiam hyacinthus vocabatur, quare Voss. putat, *vaccinii* nomen ex hyacintho esse corruptum. Cf. Dioscor. III, 77. et IV, 63. Plin. XVI, 18, 31. XXI, 26, 97. et Billerb. Flora class. p. 14. et 141. Alii minus recte de iride (gladiolo, *Schwertlilie*) cogitant. *Nigrum*, i. e. fuscum, violaceum, etiam in loco parallelo Ecl. X, 39. dicitur. — V. 19. ex Theocr. III, 7. et reliqua v. 20—24. ex Theocr. XI, 34 sqq. sumpta. Cf. Gebauer de poët. I. p. 152. Sensus: Cur me despicis, cum et locuples (v. 19—22.) et canendi peritus (23. 24.) et formosus (25—27.) sim. — *qui sim:* quam pulcher, dives etc. Ita autem meliores libri; antiquiores edidit. et aliquot Codd. (etiam Gud. a. m. sec. et unus Bern.) cum Nonio p. 288. et Arus. Mess. p. 221. male *quis sim.* Vide adnott. ad Ecl. I, 18. Fortasse hunc locum respexit Calpurn. Ecl. IX, 70. *Forsitan indignum ducis, quod rusticus Alcon Te peream.* — 20. De anaphora *Quam--quam* cf. Gebauer de poët. I. p. 40., qui comparat Ecl. III, 59. Geo. I, 310. Aen. II, 554. III, 714. X, 176. XII, 195. et conferri iubet Haeckermann. in Annal. phil. et paed. Suppl. XVIII. p. 310 sqq. — *dives pecoris.* Sic Tibull. II, 5, 35. *gregis dives*, ubi Huschk. praeter h. l. comparat Hom. Il. V, 544. *ἀφνειὸς βιότοιο.* Solet autem Verg. *dives* saepius cum secundo, quam sexto Casu construere. Cf. Geo. II, 468. Aen. I, 14. II, 22. IX, 26. — *nivei* et ad *pecoris* et ad *lactis* potest referri. Priorem rationem cum Servio sequitur Voss. (cf. etiam schol. Bern. in Ribbeck. Proleg. p. 195.), posteriorem reliqui fere omnes; et iure quidem, cum *niveus* sollemne sit lactis epitheton (Tibull. III, 2, 20. III, 5, 34. Ovid. Met. XIII, 829. Fast. IV, 151. 780. Sen. Oed. 495. etc. et sic iam ap. Hom. Il. IV, 424. V, 902. Od. X, 246. et Theocr. V, 145. *λευκὸν γάλα*, quare adeo *niveus caseus* ap. Calpurn. II, 70.), *pecus* autem utrum album an nigrum fuerit, nihil ad h. l. pertineat, in quo tantum de magna copia pecoris agitur. Recte etiam Gebauer de poët. etc. I. p. 153. contra Serv. disputat. Cf. praeterea eiusd. Progr. p. 10. Ceterum hic totus versus iteratur in Anth. Lat. Burm. I, 147, 8. et alterum eius hemistichium ap. Nemesian. Cyn. 150. — 21. *Mille meae--agnae.* Wagn. ad Eleg. ad Messal. p. 33. hunc locum adnumerat iis, ubi verbis numeralibus Pronomina personalia ita adiiciantur, ut Genitivi partitivi vice fungantur; v. c. Elegiae illius v. 13. *pauca tua carmina*, i. e. pauca e tuis carminibus. Non adsentior; nam non video, ubi ceterae agnae praeter has mille pascantur. Quare explico: mille agnae, quae meae sunt. Mille autem agnarum numerus iam satis magnus videtur. Consentiunt mecum Bryce et Conington. — *Siculis.* Quamquam hoc carmen in Alexandrum, Pollionis servum, scriptum videtur (cf. Argum.), nihil tamen impediebat poëtam, quominus et scenam in Sicilia, pastorum carminibus celebrata, esse vellet, et ipsis personis prodeuntibus Graeca nomina daret. Accedit, quod ubivis fere Theocriti imitatorem se praebet Vergilius. Calpurn. Ecl. II, 68. hunc versum sic imitatur: *Mille sub uberibus balantes pascimus agnas.* — 22. *novum.* Wagn. Vdl. V., Ribbeck. et Haupt. ediderunt *novom.* Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 447 sq. et Ribbeck. Proleg. p. 438. — *frigore*, hieme. Cf. Ecl. V, 70. X, 65. Geo. I, 300. Tibull. I, 8, 39. *quae frigore sola dormiat*, i. e. nocte hiberna; ad quem locum Wunderl. comparat Soph. Phil. 17. *ἐν ψύχει μὲν — ἐν θέρει δ'*, nostro ex asse respondentem. Cf. etiam Theocr. VIII, 111. et Gebauer

Canto, quae solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.
Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
Cum placidum ventis staret mare; non ego Daphnim

I. p. 154. — *defit*, i. e. incipit deesse, quod sane hic non multum differt a *deest*. Sententia autem est: per totum annum quotidie lac recens apponere possum. Theocritus in simillimo loco Id. XI, 36. pro lacte caseum ponit. (Cf. etiam Schirach. p. 508. et Lange in Vindicc. tragoed. Rom. p. 49.) Ceterum huius loci memor fuit Ovid. Met. XIII, 829. *Lac mihi semper adest niveum* etc. — 23. *armenta vocabat*, i. e. convocabat, ut ea vesperi domum reduceret. Heyn. conferri iubet Apollon. I, 575 sq. — 24. *Amphion*, Iovis et Antiopae filius, Nyctei, regis Thebani, nepos et Niobes coniux, citharista sui temporis longe praestantissimus, multorum fabulis celebratus. Hom. Od. XI, 262. Paus. II, 6. IX, 5. Apollod. III, 5, 5 sqq. Hyg. fab. 7. 8. Ovid. Met. XV, 425. etc. — *Dircaeus*, i. e. Boeotius s. Thebanus, a Dirce. Boeotiae fonte appellatus (Ovid. Met. II, 239. Plin. H. N. IV, 7, 12. Stat. Theb. II, 322.). Sic Stat. Theb. II, 142. Polynices vocatur *heros Dircaeus*, et Hor. Od. IV, 2, 25. Pindarus *cygnus Dircaeus*. — *in Actaeo Aracyntho. Actaeus* i. q. Atheniensis s. Atticus, ab Acte (ἀκτή), antiquo Atticae nomine. (Cf. Ovid. Her. II, 6. XVIII, 42. Met. I, 313. Stat. Theb. IV, 453. Silv. V, 2, 128. et Interpp. ad Nep. Thras. 2.) *Aracynthus* autem hic non est Acarnaniae vel potius Aetoliae ille mons, de quo Plin. H. N. IV, 2, 3. et Solin. c. 7. agunt et qui nunc simpliciter ὁ ζυγὸς (*das Bergjoch*) appellatur, sed mons Boeotiae, ita tamen in confinibus Atticae et Boeotiae situs, ut iure etiam Actaeus s. Atticus vocari possit. (Cf. Steph. Byz. Ἀράκυνθος, ὄρος Βοιωτίας, ἀφ' οὗ Ἀθηνᾶ Ἀραχυνθία et Vibius Sequ. p. 27. Oberl. *Aracynthus in Attica, quidam in Arcadia dicunt* [ubi alii pro *Arcadia* rectius leg. *Acarnania*.] Lutat. ad Stat. Theb. II, 239. et Sext. Empir. adv. Gramm. I. 12 p. 270.) Bursian. tamen in Pauly *Realencycl.* I. p. 1405. ed. II. hunc Atticae vel Boeotiae Aracynthum mero errore commemorari suspicatur. (Erantne fortasse confusa Actii et Actes nomina erroris causa?) Praeterea Heyn. adnotat, omnem versum e Graeco translatum videri: Ἀμφίων Διρκαῖος ἐν Ἀκταίῳ Ἀρακύνθῳ. (Cf. etiam Gebauer de poët. I. p. 15. nota 1. et adnott. ad Ecl. VIII, 44. et Aen. III, 74.) De hiatu autem vide, quae infra ad v. 53. adnotavimus. Respiciunt poëtae verba primam iuventutem Amphionis, antequam ad regnum pervenit, quo quidem tempore simul cum Zetho fratre, a Nycteo avo in Boeotiae et Atticae confinibus expositus, inter pastores educabatur. Cf. Paus. I, 38. et Appollod. III, 5, 5. — V. 25. e Theocr. VI, 34 sqq. fluxit. Cf. Gebauer de poët. I. p. 155. Heyn. quidem censet, quae ibi commode de Cyclope dicantur, non aeque hic de pastore dici, qui melius fonte, rivo, amni pro speculo utatur; sed non negligendum, *Siculum* loqui pastorem, insulae habitatorem. De imagine autem in tranquilla maris superficie repraesentata Wagn. conferri iubet Lucian. Dial. Mar. T. I. p. 239. ed. 1687. ibique interpp. Vergilium imitati videntur Calpurn. Ecl. II. 88. *Fontibus in liquidis quoties me conspicor, ipse Admiror* et Ecl. IX, 74. *Quin etiam fontis speculo me mane notavi.* — *adeo*, i. e. tam valde, vel admodum; ideoque: *Auch bin ich nicht gar so hässlich.* Cf. Wagn. Qu. Virg. XXVI. p. 502. Hand. Turs. I. p. 149. et Klotz. in Lex. I. p. 125. — *me in litore vidi*, i. e. stans in litore imaginem meam in undis conspexi. — Respexit hunc locum Ovid. Met. XIII, 840. *me -- liquidaeque in imagine vidi Nuper aquae, placuitque mihi mea forma videnti.* — 26. *Cum*. Ita Coniunctionem ubivis scripsimus, cum Vergilius, Cod. Med. teste, altera forma *quum* plane abstinuisse videatur. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 448 sq., qui laudat Schneid. Gramm. Lat. I, 1. p. 321 sqq. Wunder. ad Cic. pr. Planc. p. XIV. Müller. ad Varr. L. L. p. XXXVIII. et Freund. ad Cic. pr. Mil. p. 31 sqq. — *placidum ventis* Spohn. explicat: *placidum a ventis*, coll. Hirt. B. Alex. 1. *nam incendio fere tuta est Alexandria.* Rectius autem interpretamur: placidum per ventos, i. e. ventis cessantibus placatum, stratum; nam *placidi venti sternunt mare* (Aen. V, 763.), in quam rem Wunderl. etiam Soph. Ai. 674. (659. ed.

Iudice te metuam, si numquam fallit imago.
O tantum libeat mecum tibi sordida rura
Atque humilis habitare casas et figere cervos
Haedorumque gregem viridi compellere hibisco! 30

Herm.) δεινῶν δ' ἅμα πνευμάτων ἐκοίμισε σιένοντα πόντον conferri iubet, Wagn. autem Hor. Od. I, 3, 15. Callistr. Ic. XIV. p. 906. et Anthol. Gr. T. II. p. 272, 24, 4. Paulo aliter tamen de h. l. statuit Gebauer de poët. I. p. 156., qui coll. Geo. IV, 484. coniungit verba *ventis staret* et *placidum* proleptice dictum putat. Vid. etiam Ecl. IX, 57. ibique adnott., imprimis autem Aen. III, 69 sq. — *stare* interdum de rebus dicitur, quae non moventur, quae consistunt. Plane eodem modo apud Ovid. Met. VII, 201. *freta stantia*. Cf. etiam Aen. XII, 422. *omnis stetit imo volnere sanguis* et Sen. Oed. 585. *gelidus in venis stetit Haesitque sanguis*. — **27**. Sensus est: Non metuo iudicium tuum, vel si Daphnim, alium pastorem Siculum, qui forma excelluisse putandus est, mecum comparas. *Daphnim* igitur i. q. Daphnidis pulchritudinem, quacum certare possum. — Peerlk., qui putat, Corydoni Alexidis iudicium ipsum despicientis potius esse recusandum ideoque Vergilium, si hoc spectasset, potius scripturum fuisse *vel te, te ipso iudice*, coll. Ovid. Met. XIII, 840., cui addere potuit Anth. Lat. Burm. V, 149, 19., p. 14. coniicit *Iudice me*, ut insit decens pastorem simplicitas et iactantia. In seqq. autem pro *si* legi mavult *sic*. — *fallit*. Vulgari lectioni *fallat*, quam Pal. a m. pr. exhibet, Voss. et sequentes editores iure alteram praetulerunt, nam *fallat* dubitationem exprimeret ab h. l. alienam. Sententia enim haec est: Non informis sum; vidi imaginem meam in aqua, et haec imago non fallit. Indicativi in Coniunctivum mutandi ansam videtur praebuisse vicinus Coniunctivus *metuam*. *Si* autem, ut etiam Graec. εἰ, ex notissima veterum urbanitate positum pro causali *cum*, ut etiam Geo. I, 7., ubi vid. adnott. — **28** sqq. Sensus est: Libeat tibi mecum ruri degere; ibi enim multa inveniuntur oblectamenta, cantus pastoralis (v. 31—39.) et munera, quae vel venatio (v. 40—44.), vel horti et prata offerunt (v. 46—55.). Cf. Theocr. XI, 65. et Gebauer I. p. 157. — *sordida rura* ut *humiles casas* Ameis. Spicil. p. 5. ex Alexis animo dicta putat: quae tibi sordida videntur, coll. v. 44. Sed quominus coniungamus verba *tibi sordida*, vetare caesuram heroicam docet Gebauer l. l., de hac caesura p. 70 sqq. docte disputans. Etiam Conington recte huic verborum coniunctioni adversatur. Ceterum cf. Anth. Lat. Burm. III, 61. 11. *mea sordida rura*. Martial. X, 96. *Et repetam saturae sordida rura casae*. Calpurn. VII, 42. *sordida tecta, casas et sola mapalia nosti*. *Sordidus* autem vulgare rerum rusticarum epitheton, quia carent urbana munditia (v. c. Claud. de IV. Cons. Hon. 414. *sordida aratra* et Martial. I, 56, 4. *sordida otia*, i. e. otiosa rusticatio). — **29**. *figere cervos*, scil. telo, iaculo. Eodem modo simplex *figere* legitur Geo. I, 308. Aen. V, 516. VI, 802. Ovid. Met. X, 131. Sil. Ital. I, 305. Tibull. II, 1, 71. Ceterum de h. l. cf. etiam Ameis. in Novis Annal. phil. LXII. p. 60. Heyn., cum venationis studium a vita pastorum alienum esse opinetur, cum aliis Servii explicationem amplectitur, cogitantis de furcis, quae figantur ad casae sustentationem cervique dicti sint ad similitudinem cornuum cervinorum; sed rectissime Spohn., Vossium secutus, coll. locis Ecl. III, 12, 75. Geo. III, 404 sqq. Colum. VII, 12. Geopon. XIX, 1—3. et Theocr. V, 106., venationem utique ad vitam pastoriciam pertinere docet, neque ad laborem aliquem, qui sit in furcis figendis, sed ad voluptatem Alexin invitari, qui praeterea iubeatur cum Corydone *habitare* iam structas casas, non demum exstruendas. — **30**. *hibisco*, i. q. ad hibiscum; Dativus enim verbis motum aliquem indicantibus haud raro a poëtis iungitur loco Praeposs. *in* et *ad* cum Accus. Cf. Ecl. VIII, 101. Aen. II, 276. VII, 346. 761. VIII, 178. X, 683. XII, 417. Ovid. Met. IV, 91. *Lux - - Praecipitatur aquis*. Ita saepissime *caelo* pro ad caelum (Geo. II, 306. Aen. II, 186. 688. III, 678. V, 451. VI, 178. IX, 192. Ovid. Met. IX, 210 etc.). Cf. etiam adnott. ad Geo. III, 480. et Aen. II, 85. Heynii alteri explicationi (quam sequitur Schirach. p. 436.), ut hibisci caulis et virga intelligenda sit, qua pastor utatur ad compellendum gregem, Voss. recte opponit, *compellere* numquam significare i. q. simplex *agere*, *ducere*, sed *agere aliquo*, ut hic necessario locus requiratur, quo haedi agantur. *Hi-*

Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera coniungere pluris
Instituit, Pan curat ovis oviumque magistros.
Nec te poeniteat calamo trivisse labellum:
Haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas? 35
Est mihi disparibus septem compacta cicutis

---

biscum est herba e malvarum agrestium genere, pastinacae similis, quae Graecis ἰβίσχος s. ἀλθαία, nobis *Eibisch* vocatur, et in depressis maxime et humidis locis crescit. (Cf. Theophr. h. pl. IX, 15. Plin. H. N. XIX, 5, 27. XX, 4, 14. et Billerb. Flor. class. p. 175 sq.) Plantam esculentam et pabuli genus esse, praeter h. l. docet Calpurn. Ecl. IV, 32. *viridique famem solarer hibisco.* — **31.** *in silvis:* comes mihi eris in saltibus gregem pascenti; et saltus opponuntur pratis, in quibus viret hibiscus. Ceterum vid. adnott. ad Ecl. 1, 2. — **32.** De Pane, syringis inventore, vid. Hyg. f. 274. Ovid. Met. 1, 689 sqq. et infra Ecl. VIII, 24. Utrumque Vergilii locum a multis, ut Ovid. Met. XI, 154. et Tibull. II, 5, 31., imitatione expressum esse memorat Heyn. Adde Calpurn. III, 19. 26. VIII, 4. 58. X, 13. — *calamos cera coniungere.* Vide infra ad v. 36. et ad III, 25. et Gebauer l. l. p. 160. — **33.** Cf. Theocr. VIII, 48. *ovium* post *oves* loco simplicis Pron. *earum* eleganter repetitum. Cf. adnott. ad Aen. I, 554. — *ovium magistri* sunt pastores, οἰοπόλοι, ut Ecl. III, 101. Geo. II, 529. III, 445. Tibull. II, 5, 35. Ovid. Fast. IV, 747. alibi. Ceterum Ribbeck. (cui adsentitur Kalmus l. l. p. 2.) v. 32. et 33., quos non interpretetur Serv., tamquam ex Ecl. VIII, 24. (et Tibull. II, 5, 32.) interpolatione additos e contextu removit. Sed vid. Gebauer de poët. I. p. 120. — **34.** A nemine melius, quam a me, fistula canendi artem poteris ediscere, qui et peritissimus sim artis et fistula utar longe praestantissima. *Nec te poeniteat* Wund. minus recte interpretatur: „nec te, ut arbitror, poenitebit. Tu artem fistula canendi, qua excello, a me disces." Immo *poeniteat* hic est Optativus, ut v. 28. *libeat*, et significat: Nec te pigeat, tibi molestum videatur, aut parum te dignum. Sic Tibull. I, 4, 47. *Nec te poeniteat duros subiisse labores* etc.; de qua vi verbi *poenitendi* Spohn. conferri iubet Heusing. ad Cic. Off. I, 1. et Lambin. ad Hor. Sat. I, 6, 89. *Nec* vetandi aversandique habere potestatem, aut omnino gravius commotum pectus indicare, multis exemplis docet Wagn. Qu. Verg. XXXVI, 15. p. 719., v. c. Ecl. VIII, 89. 102. X, 46. Geo. I, 36. Aen. III, 393. IV, 617. etc., hic vero potius optantis esse (ut etiam Aen. IV, 617. X, 32. et al.) recte docet Obbar. in Muetzellii *Zeitschr. f. d. G. W.* 1850. p. 902. Cf. etiam idem Obbar. ad Hor. Epp. Fasc. V. p. 125. Ceterum Wagn. Vol. V. ubique scripsit *paenitere.* Vid. eius Orth. Verg. p. 463 sq. Ribbeck. Proleg. p. 386. et Corssen. de pron. I. p. 327. et 370. ed. II. — *calamo trivisse labellum,* quia calamus (cf. adnot. ad Ecl. I, 2.) ad labra canentis movetur. Vid. Theocr. I, 129. σύριγγα καλὰν, περὶ χείλος ἑλιχτάν. Cf. etiam Anthol. Gr. IX, 586, 5. Lucr. IV, 588. V, 1407. et Calpurn. III, 58. (= Nemes. II, 2.) Simili ratione Martial. IX, 23, 7. *Nec labris nisi magna meis crystalla terantur* et Publilius Syr. 10. in Wernsd. Poët. Lat. min. II. p. 388. *Et roseo terit ore deus mollique labello.* Gebauer p. 158. totum, qui sequitur, locum 34—39. ex plurium Theocriti versuum imitatione compositum esse docet. — **35.** *quid non faciebat,* i. e. omnia fecit, nihil intactum reliquit. Corydon igitur cantu fistulae excellebat et Amyntas, alius pastor, eum aemulabatur. — **36.** Syrinx describitur, quae quo plures calamos habebat, eo pluris aestimabatur. Trium fistularum syrinx a Theocrito Id. II, 3., novem cannarum ab eodem VIII, 18. commemoratur; legimus vero etiam de undecim, quindecim, uno et viginti calamis, unde hyperbola illa apud Ovid. Met. XIII, 784., ubi Polyphemi *arundinibus compacta est fistula centum.* Syrinx autem septem calamis compacta iam inter meliores erat. Cf. Wernsd. l. infra l. et Vossius ad h. l. — *disparibus,* magnitudine. Cf. Tibull. II, 5. 31. *Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo Et calamus cera iungitur usque minor* (ubi vid. Broukh.), Ovid. Met. I, 711. Calpurn. IV, 149. Publilius l. l. v. 3. Pollux IV, 69. Achill. Tat. VIII, 6. (p. 475. Salm.) et quos viros doctos laudat Wernsd. Poët. Lat. min. II. p. 384. Vid. etiam adnott. ad Ecl. III, 25. — *cicutis,* i. e. cannis. Cf. Ecl. V, 85. Lucret. V, 1382. Calpurn. Ecl. VII, 12. X, 113. Prorsus eodem sensu apud Ovid. Met. II, 682. *dispar*

Fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim
Et dixit moriens: Te nunc habet ista secundum.
Dixit Damoetas, invidit stultus Amyntas.
Praeterea duo nec tuta mihi valle reperti
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo;
Bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.
Iam pridem a me illos abducere Thestylis orat;

---

septenis fistula cannis. Respexit hunc locum Calpurn. IV, 59 sqq. *Experiar calamos, here quos mihi doctus Iolas Donavit dixitque--Tityrus hanc habuit.* Cf. eiusd. Ecl. I, 17. — 37. *Damoetas*, pastoris nomen, qui syringe perite canebat. Cf. autem Theocr. V, 8. et IV, 30. — 38. *moriens.* Non prius de carae fistulae possessione poterat discedere. — *te n. h. i. secundum* Voss. rectissime ita explicat: a te inflata priorem possessorem non desiderabit; *secundum* igitur i. q. canendi arte mihi proximum. Cf. Ecl. V, 48 sq. et Hor. Sat. II, 3, 193. *Aiax heros ab Achille secundus.* Explicat hunc vocis usum Nepos Pelop. 4. *Haec fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita ut proxima esset Epaminondae.* Ameisii Spicil. p. 5. explicatio (ut *secundus* simpliciter sit „qui in meum possidentis locum succedis, qui me possessorem excipiet") languidior videtur. Cf. tamen Gebauer de poët. I. p. 159., qui comparat Theocr. I, 3. *μετὰ Πᾶνα τὸ δεύτερον ἄθλον ἀποισῇ.* — 39. *Dixit Damoetas.* Voss. iam vidit, non temere nomen hic esse repetitum, sed accedere dignitatem ex persona loquentis. Magna igitur cum vi haec verba (*So sprach ein Damoetas*) opponuntur sequentibus: *invidit stultus Amyntas*, scil. qui me aequare non potuit; neque hic tantum habemus epicam illam iterationem verbi dicendi, de qua vid. adnott. ad Geo. IV, 499. Ribbeck. etiam hunc versum ut spurium in marginem inferiorem relegavit, quem et ipsum Gebauer l. l. recte defendit. — V. 40. e Theocr. XI, 40 sqq. et III, 34 sqq. petitus. Cf. Gebauer I. p. 160 sq. Verba *nec tuta mihi valle reperti* commendant donum a difficultate; non sine periculo, quod vel ferae, vel ipsius vallis praecipitia parabant, hos capreolos ex cubili suo abstulit. Cf. Ovid. Met. XIII, 834 sqq., qui hunc locum ante oculos habuit. — 41. *etiam nunc.* Wagn. putat, *etiam nunc* dici de re praesenti (*jetzt noch*), *etiamnum* autem (quod hic praebet fragm. Mor.) de re praeterita (*damals noch*), quod discrimen non magis probare possum, quam Handii sententiam, in Tursell. II. p. 580 sqq. omnem inter *etiamnum* et *etiam nunc* sensus diversitatem tollentis. Potius *etiam nunc* significat *auch jetzt noch* (non solum antea,), *etiamnum* vero *jetzt noch* (in posterum [fortasse] non amplius). Cf. Kritz. ad Sall. Cat. 2, 1. et libelli mei *Aufg. z. Bild. d. lat. Stils* ed. 6. p. 63. not. 61. Sensus igitur huius loci: Capreoli, ut illo tempore, quo eos cepi, sic etiam nunc albas maculas ostendunt. — *albo*, maculis albis. Capreolae enim recens natae pelles albis maculis distinctas gerunt, quas maculas demum post sextum fere mensem amittunt. Cf. Geo. III, 56. et Senec. Q. N. III, 25. *Album* autem praeter hos locos substantive legitur etiam Ovid. Met. III, 221. (ubi vid. Haupt.) et Liv. IV, 25, 13. (ubi cf. Weissenb.), quos locos affert Gebauer I. p. 161., qui tamen praefert Codd. Rom. et duorum Bern. lectionem *ambo*, ut locus sic distinctus - - *pellibus. Ambo Bina die siccant* magis respondeat verbis Theocr. XI, 40. sqq. — 42. *die*, quotidie, ut Ecl. III, 34. Aen. XI, 397, Cels. I, 1. et 3. Plin. H. N. XV, 6, 6. Quinct. Inst. X, 3., ubi vid. Frotscherus in Addend. p. 269. — *siccant*, exsugunt. Sic Hor. Epod. 2, 46. *distenta siccare ubera*, i. q. emulgere, quem locum imitatur Lucan. IV, 314. (milites siti cruciati) *distentas siccant pecudes.* Simili ratione Hor. Sat. II, 6, 68. *Siccat inaequales calices conviva.* Oves autem praebere ubera capreolis, secundum Heyn. non caret exemplo. — *quos tibi servo.* Cf. Theocr. III, 34. *τοι λευκὰν - - alγα φυλάσσω* et Gebauer I. p. 162. — 43. *Thestylis orat abducere*, pro: orat, ut sibi liceat abducere; plane ut Aen. VI, 313. *Stabant orantes primi transmittere cursum* Similis locus est Val. Flacc. III, 446 sq. *Huc Stygias transire minas iramque severi Sanguinis, his orat vigiles incumbere curas orandi*, in quo tamen Infin. verbo adiunctus refertur ad eum, qui, ut aliquid faciat, rogatur, non, ut h. l., ad eum, qui ro-

Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphae calathis, tibi candida Naïs,
Pallentis violas et summa papavera carpens,

---

gat, ut aliquid facere sibi permittatur. Verborum autem *petendi* et *postulandi*, quae (ut *cupere, velle, studere*) interdum ita construuntur, (cf. v. c. Stat. Achill. I, 352 sq., vel Plaut. Rud. II, 6, 32. etc.) non prorsus eandem esse rationem, quisque videt. Ceterum cf. Krügeri *Untersuch.* Fasc. III. p. 337. — 44. *Et faciet*, i. e. abducet; ex Theocr. III, 36. Acute Spohn: „*Faciet;* non dixit *dabo*, ne voluntas declarata amatum offenderet." Copulam autem *et* interdum esse minantis (ut alibi indignantis, hortantis, curiose interrogantis) docet Wagn. Quaest. Virg. XXXV. p. 559. et in Diar. Lit. Halens. a. 1827. nr. 59. p. 46. Imprimis cf. Handius Turs. II. p. 488. — *sordent tibi*, a te vili penduntur, despiciuntur. Cf. Hor. Ep. I, 11, 4. *Cunctane prae Campo et Tiberino flumine sordent?* Catull. LXI, 132. *Sordebant tibi villicae, Concubine.* Calpurn. Ecl. VII, 46. *Videmus, et sordet quidquid spectavimus olim.* Anth. Lat. Burm. III, 211, 4. *sordent hirsutae munera castaneae* etc. Cf. Obbar. ad Hor. Epp. Fasc. V. p. 100. Hess. ad Tac. Dial. 23. p. 161. et Hildebr. ad Apulei. Mag. 22. p. 495. — 45. Praeter alia munuscula Corydon promittit puero calathos variis floribus foliisque repletos, quibus sertum vel coronam facere possit. Heyn. comparat Theocr. XI, 47. 56. 57. *Huc ades* formula satis nota, quae redit v. c. Ecl. VII, 9. et IX, 39. 43. Cf. etiam Tibull. I, 7, 49. Hor. Sat. II, 3, 80. Ter. Eun. I, 2, 19 cett. et Geo. I, 18. Celeritate quadam cogitandi haud raro ab Romanis, ut a Graecis, confunduntur notiones adventus et, quae eum sequitur, praesentiae, ita ut *adesse* pro *accedere, advenire* positum videatur. Cf. adnott. ad Geo. II, 243. et Bach. ad Ovid. Met. II, 513. — 46. *Ecce ferunt Nymphae.* Flores, quos Alexis nullo negotio hic carpere possit, poëtice ab ipsis Nymphis et Naiadibus suppeditari dicuntur, quo pretium rei augeatur. Respexit poëta Theocr. Idyll. XI, 56. Deos autem deasque agrestes lusibus pastorum interesse, carminis bucolici naturae prorsus consentaneum, quod iam Heyn. docuit. Voss. non ingeniose nos iubet cogitare de horto Corydonis fonte aliquo irrigato, cuius Nympha flores a se nutritos et cultos (cf. Catull. LVII, 23. Calpurn. IX, 22.) ipsa puero offerat. Ceterum haec non ita capienda sunt, ac si omnia ista uno eodemque tempore, i. e. tempore messis (v. 10.), colligantur ac parentur Alexi. Immo in universum sermo est de rebus, quae ruri nascuntur, diversis tamen temporibus. — *Ecce.* De huius Particulae (ex *en* et *ce* factae) vi et potestate cf. doctissima Handii disputatio in Tursell. II. p. 343 sq., unde etiam apparebit, duplici commate, quo vulgo solet includi, non opus esse. — *plenis ferunt calathis.* Sic Ambros. de obitu Valent. 56. (a Ribbeckio laud.) *spargant alii plenis lilia calathis.* Cf. etiam Copa 16. *lilia, quae niveis attulit in calathis* et Aen. VI, 883. *manibus date lilia plenis.* — *candida Nais*, i. e. eximiae pulchritudinis. *Candidus* enim (ut Graec. λαμπρός) etiam de corporis formositate dictum vim suam retinet, ut non vulgarem illam, sed eximiam, excellentem pulchritudinem (*glänzende, blendende Schönheit*) significet. Cf. Aen. V, 571. VIII, 138. Hor. Od. I, 18, 11. Epod. III, 9. Catull. XIII, 4. XXXV, 8. etc., adnot. ad Ecl. V, 56. et Gebauer Progr. p. 12., Theocr. XI, 19. ὦ λευκὰ Γαλάτεια aliosque locos comparans. — 47. *Pallentes violae* eam plantam videntur significare, quam nos *Lack, Lacklevcoje* vocamus. Romani enim non solum purpureum illum florem, qui nobis etiam nunc *Veilchen* appellatur, sed id quoque florum genus, quod nos, Graecos secuti (qui λευκόϊον vocarunt ob odorem violarum et foliorum canum cinereumve colorem,) *Levcoje* nuncupamus, cuiusque species est Cheiranthus Cheiri *Linn.* (*Lack, Goldlack*), violarum nomine complectebantur; quare Plin. XXI, 6, 14. *violarum plura sunt genera, purpureae, luteae, albae. Pallens* autem de flavo interdum et luteo colore dici, apparet ex Ovid. Met. VI, 100. *saxum quoque palluit auro.* ibid. XI, 145. *Arva rigent auro madidis entia glebis.* Martial. VIII, 44, 10. *Superba densis arca palleat nummis*

Narcissum et florem iungit bene olentis anethi;
Tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat;
Addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo;

(i. e. aureis, non argenteis, de quibus alii cogitant). ibid. I, 42, 4. *pallentia sulphurata* etc., quare etiam pallor amantium, qui secundum Tibull. I, 8, 52. *luto corpora tingit*, ab aliis *viola tinctus* vocatur. Cf. Hor. Od. III, 10, 14., ubi Orell. comparat Petrarcae *Son.* I, 187. *Un pallor di viola e d'amor tinto.* (Cf. etiam adnott. ad Ecl. III, 39.) Accedit, quod Theocr. VII, 63. sq. eodem modo *ἀνήτινον καὶ λευκοΐων στέφανον* coniungit. — *papavera* hic sunt silvestria, flore rufo, quae in arvis cum hordeo maxime nascuntur. Cf. Geo. I, 78. — 48. *bene olentis anethi.* Sequitur Vergilium Colum. X, 120. *Et bene odorati flores sparguntur anethi. Anethum* autem nostrum *Till* s. *Dill* esse putatur, quod flavum habet colorem. *Ἄνηθον* etiam Theocrito 'l. modo l. cum rosis et violis coniungi, cum malvis autem et apio Moscho Id. III, 107., Heyn. adnotat. Ceterum cf. Diosc. III, 60. Spreng. (vulgo 67.) Theophr. h. pl. I, 18. VII, 4. Plin. XX, 18, 74. Colum. XI, 3. — 49. Cf. Theocr. III, 23. *Casia atque alliis intexens s. herbis*, scil. vaccinia; quod poëtice dictum pro: intexens casiam atque herbas vacciniis. Cf. Ecl. V, 31. *Et foliis lentas intexere mollibus hastas* et Aen. VII, 488. *cervum Mollibus intexens ornabat cornua sertis. Casiam* vulgo *lavendulam* nostram putant; sed rectius Martin. ad Geo. II, 213. (ab Heynio laudatus) *cneoron* s. *thymelaean* Graecorum esse docet, quae lini folia habeat granaque cnidia ferat, idque testatur etiam Plin. XXI, 9, 29., qui eam inter flores coronarios refert et ibid. 12, 41. circa alvearia seri iubet. De *κνεώρῳ* s. *θυμελαίᾳ* cf. Diosc. IV, 170. (vulgo 173.) et Theophr. h. pl. I, 16. VI, 2. — 50. *Mollia*, tenera, ut Ecl. V, 38. VI, 53. — *pingit*, variat, distinguit; nam caltha est flos varii coloris (vid. infra). Cf. Cul. 142. *hederae - - Pingunt aureolos viridi pallore corymbos.* Lucr. II, 374. *Concharumque genus parili ratione videmus Pingere telluris gremium.* id. V, 1395. *anni Tempora pingebant viridantes floribus herbas.* Ovid. Fast. IV, 430. *Pictaque dissimili flore virebat humus. — vaccinia.* Vid. supra ad v. 18. — *caltha*, Gr. *χάλκη*, (cf. Schneid. ad Nicandri Alexiph. p. 204.) *die Ringelblume* (Calendula officinalis, *Linn.*), quae in fragm. Georg. Nicandri apud. Athen. XV, 9. diserte inter flores coronarios nominatur. Cf. etiam Plin. XXI, 6, 15. Colum. X, 97. et 307. Ribbeck. cum Rom. et paucis aliis Codd. itemque Nonii p. 548, 23. et Prisciani p. 617. P. exempl. scripsit *calta.* — 51. *cana - - tenera lanugine mala*, mala Cydonia s. Cotonea, a Cydone s. Cydonia, Cretae oppido, nominata, nobis *Quitten*, quae cana lanugine obducta esse constat. Cf. Alcimi Epigr. in Anth. Lat. Burm. III, 211. 3. *sordent velleribus hirsuta cydonia canis.* Catal. Petron. p. 248. Bip. ex hoc loco expressum: *mala velleribus hirsuta cydonia canis.* Calpurn. Ecl. II, 90. *ut in arbore saepe notavi Cerea sub tenui lucere cydonia lana.* Martial. X, 42, 3.. ubi pueri mollis lanugo comparatur cum Cydoniorum *lana.* Videtur autem poëta respexisse *μῆλα χνοάοντα* Nicandri ap. Athen. III. p. 82., ubi tamen Lehrs. p. 161. *χλοάοντα* edidit. (Cf. Gebauer de poët. I, p. 166.) Ribbeck. a Servio deceptus post hunc versum alium excidisse suspicatus est in Annall. phil. et paed. LXXV. p. 68.; sed vide, quae contra eum disputavit Gebauer de poët. etc. I. p. 7. — 52. *Castaneas nuces* Macrob. Sat. II, 14. interpretatur Heracleoticas, quae haud dubie ab Heraclea, oppido Ponti, nomen acceperant. Ceterum hunc versum respici ab Ovid. A. A. II, 267. sq. *Adferat aut uvas aut quas Amaryllis amabat: At nunc castaneas non amat illa nuces*, et III, 183. *Nec glandes, Amarylli, tuae, nec amygdala desunt*, iam Heyn. animadvertit. Addere potuit Alcimi Epigr. supra allati v. 5. 6. *Nolo nuces, Amarylli, tuas, nec cerea pruna. Rusticus haec Corydon munera magna putet.* — 53. *cerea pruna*, ut Copae v. 18. et Ovid. Met. XIII, 817. *prunaque, non solum nigro liventia succo, Verum etiam generosa novasque imitantia ceras.* Adde *cereola pruna*

Et vos, o lauri, carpam et te, proxuma myrte,
Sic positae quoniam suavis miscetis odores.
Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis,

---

apud Colum X, 404. et *cerina* apud Plin. XV, 13, 12., qui ea ceteris praeferri docet. Hoc autem epitheto, quo nos quoque utimur (*Wachspflaume*), non maturitatem, (ut Burm. ad Anthol. Lat. T. II. p. 522. censet), sed colorem gilvum vel luteum respici, et cerea pruna opponi nigris vel purpureis, quisque videt. Eadem ratione *cereus* usurpatum videtur a Martiale I, 93, 7. *cerea lacerna* et VI, 53, 5. *cerea abolla*, i. e. vestutate et sordibus succidis lutea facta. Ceterum vix quisquam probabit Schirachii sententiam in Clav. Virg. p. 355. prolatam, his fructibus Corydonem uti voluisse, „ut coronae ornatus quosdam adderet." Cui enim placebit corona intextis malis, prunis, nucibus ornata? Immo praeter sertum e floribus agrestibus faciendum Corydon amato puero fructus quoque colore pariter atque odore placentes se muneri daturum pollicetur. Cf. etiam Ovid. A. A. II, 263. et Prop. III, 13, 27. a Voss. laudati. — *pruna: honos.* Wunderlichio hic hiatus adeo displicet, ut, coll. loco Ovid. Ep. XVI, 92. *Addit et ad festos hunc quoque Troia diem*, paucorum quorundam Codd. lectionem *et honos* reduci malit, quam re vera recepit Haupt. Hiatus autem, etsi in thesin cadens, hic et Aen. I, 405. sensus pausa et graviore interpunctione eo magis excusandus, cum etiam loci inveniantur, ubi vel sine eiusmodi sensus pausa, correpta simul vocali, quae non eliditur, in thesi hiatus admittitur. Cf. infra v. 65. (cum adnot.) Ecl. III, 79. VI, 44. VIII, 108. Geo. I, 281. 332. 437. (ubi tamen vid. adnott.) IV, 461. Aen. III, 211. V, 261. VI, 507. Aliis in locis a graviore interpunctione cum caesura vel arsi certe coniuncta excusationem habet, imprimis cum plerumque inveniatur in nominibus propriis ex Graeco sermone sumptis vel certe in versibus ad Graecorum rationem factis, i. e. vocabulo quadrisyllabo terminatis aut spondaicum exitum referentibus (cf. adnott. ad Ecl. VIII, 44.). Horum autem exemplorum quatuor sunt genera: *a*) ubi hiatus admittitur in prima sede quinti pedis et in Graecis quidem nominibus: Ecl. II, 24. X, 12. Geo. I, 437. Aen. I, 617. III, 74. IX, 647. XI, 31., in Latinis autem vocibus: Geo. III, 60. Aen. IV, 667. VII, 631. IX, 477. *b*) in prima sede tertii pedis s. in fine penthemimeris: Ecl. III, 6. 63. VII, 53. VIII, 41. 44. X, 13. Geo. I, 221. 281. 341. II, 86. Aen. III, 74. IV, 235. (ubi vid. adnott.) VII, 178. 226. X, 136. XI, 480. XII, 535. 648. *c*) in prima sede quarti pedis: Ecl. VI, 44. Geo. II, 144. III, 155. Aen. I, 16. V, 735. IX, 291. X, 141. 156. XII, 31. *d*) in prima sede secundi pedis: Geo. I, 4. IV, 343. 463. Aen. III, 606. Cf. de hac re praeter alios Heins. ad Claud. III. Cons. Stil. 167. Cort. ad Lucan. III, 73. et VII, 676. Burmann. ad Prop. II, 12, 1. Bentl. ad Hor. Od. III, 14, 11. Huschk. ad Tib. II, 2, 5. Bach. ad Ovid. Met. V, 625. Iahn. ad Geo. II, 144. idemque ad Ovid. Met. IV, 336. et in Annall. phil. et paed. 1827. Vol. IV. p. 297 sqq. Wagn. Qu. Virg. XI. p. 418 sqq. Orell. ad Hor. Od. II, 20, 13. Lachmann. ad Lucr. III, 374. p. 162. Gebauer de poët. I. p. 136. alii. — *honos erit*, scil. apud te; dum tibi placebit, honorabitur. Wund. male explicat: „et hoc quoque pomum honorabo." — 54. Cf. Theocr. Epigr. IV, 7. *proxima myrte*, quae in calatho proxima laureis frondibus ponetur. Quam Heynii explicationem unice veram esse, evincit proximus versus: *quoniam sic positae* etc. Voss. intelligit myrtum in hortulo Corydonis lauro proxime positam, Spohn. odoris suavitate proximam. Cum Heynio praeter Wagn. consentit etiam Schirach. p. 549., nisi quod cogitat de myrto cum lauro in serto floreo coniuncta. Ceterum *laurus* et *myrtus* etiam alibi sic iunguntur, ut ap. Hor. Od. III, 4, 19. Voss. cum toto hoc loco de donis agrestibus agente confert simillimum Propertii III, 13 (11), 27—33. Ceterum Wagn. Vol. V. Superlativos trium syllabarum ex Med. (hic ibi etiam Rom. et Vat.) auctoritate ubique in *--umus* mittendos curavit, qui vero tribus syllabis amplius constant in *--imus*. Cf. eius Orth. Verg. p. 474. et Ribb. Proleg. p. 450. — 56. Cf. Theocr. XX, 3. et 32. Calpurnii locus supra ad v. 19. laud. et Alcimi ad v. 52. allatus. Ceterum Cod. Rom. et unus Bern., ut etiam a. m. pr. Pal., exhibent *Rusticus est Corydon*, quod, Ribeckio teste, probavit Buecheler in Mus. Rhen. XII. p.

Nec, si muneribus certes, concedat Iollas.
Heu heu, quid volui misero mihi? floribus Austrum
Perditus et liquidis inmisi fontibus apros.
Quem fugis, ah, demens? habitarunt di quoque silvas 60

---

251. — 57. *muneribus* post *munera* loco simplicis Pron. *iis* cum vi repetitum. Vid. supra ad v. 33. — *certes*. Alii Codd. cum Serv. Dresd. *certas*. Sed Coniunctivus praestat, cum haec sit sententia: Alexis, urbanae vitae adsuetus, non curat dona rustica, quae si nihilominus mittere velim, verendum est, ne Iollas mihi obstet, maiora et lautiora munera mittens. — *concedat*, donorum amplitudine. *Concedere* autem non idem est, quod simplex *cedere*, ut vulgo docent (cf. Drak. ad Liv. II, 47, 3. Benecke ad Cic. Cat. I, 9, 22., ubi Orell. *concedas* restituit, Matth. ad Cic. Rosc. Am. 40. extr.), siquidem verba composita numquam simplicium loco usurpantur (cf. Stallbaum. ad Ruddim. Inst. II. p. 377.), sed maiore vi dictum. Cf. Kritz. ad Sall. Iug. 11, 4. Ceterum vulgarem lectionem *concedat* Spohn. ex paucis libris in *concedet* mutandam censet, cum sensus non sit: fortasse non concedat, fieri possit, ut non concedat, sed: vere non concedet; nos tamen ob meliorum Codd. consensum, ut recentiores editores omnes, Coniunctivos servavimus, quamquam etiam Ameis. Spicil. p. 5. et Gebauer de poët. I. p. 167. Indicativos praestare censent, et hic quidem, cum Vossio post *Corydon* lenius, post *Alexis* gravius interpungens et cum Mor. I. Servioque Dresd. *concedit* legens, locum sic explicat: „Frustra expugnare cupis amorem Alexidis; nam non modo *temet ipsum* ut rusticum aspernatur, sed etiam *munera* parvi facit. Ac si nihilominus eum muneribus capere studes, obstat dominus Iollas, qui illi multo ampliora et lautiora dona offerre possit." Cf. etiam locus simillimus Ecl. IV, 58 sq. et Wagn. Qu. Virg. VI, 3. 4. — *Iollas*, dominus pueri huius delicati. Idem heri nomen (de quo cf. Unger de Valgio Rufo p. 420.) redit Ecl. III, 76. Hic Pollionem intelligendum videri, in Argumenti expos. dictum. — 58. 59. His versibus proverbiis usus ex vita pastoricia sumptis summae stultitiae se accusat Corydon, qui, cum vano amori non sine magno rerum suarum detrimento (cf. v. 70.) indulgeret, non minus dementer egerit, quam qui Austrum, ventum perniciosissimum (vid. infra), floribus (i. e. horto), aut immundos apros liquido fonti vellet immittere. (Fontes autem non minus quam horti arcendarum ferarum et pecudum causa saepiebantur.) Ideoque praevidens, se vix umquam voti sui compotem futurum, iam in eo est, ut resipiscat et insanum amorem mittat; sed, ut mos est misere amantium, quorum animi ad diversissima abripiuntur, mox rursus furere incipit et iisdem, quibus antea, curis cruciari. *Auster*, Graecis *νότος* appellatus, propter aërem gravissimum, quem afferebat Italiae, perniciosissimus fuit et plantis et hominibus. (Cf. Plin. II, 48. XVI, 46. XVIII, 76., liber meus *Handb. d. alt. Geogr.* Vol. I. p. 608 sq. et quos laudat Obbar. ad Hor. Ep. I, 7, 5sqq. Vol. I. p. 357.). Quare horti, si fieri poterat, ita institui solebant, ut ab Austro tuti essent — *Heu* eodem modo geminatum videbis Ecl. III, 100. Plaut. Pseud. I, 3, 26. Hor. Od. I, 35, 33. II, 14, 1. et alibi; quamquam negari nequit, in nonnullis eiusmodi locis geminatam Interiectionem deberi editoribus, Codd. lectionem *eheu* ob inanem de metro dubitationem (quasi *eheu* iambus esset) ita mutantibus; qua de re cf. Handii Turs. II. p. 358 sq. et Burm. ad h. l. — *Perditus*, i. e. perdite amans, amore quasi delirans. Cf. Ecl. VIII, 88. (ubi vid. adnott.) Prop. I, 13, 7. et Plaut. Cist. I, 2, 13., ubi plenius: *Amore haec perdita est.* — *liquidis*, fluentibus ideoque limpidis. Vid. Aen. IX, 679. *liquentia flumina* et adnott. ad Geo. II, 187. — *inmisi*. Optimorum librorum auctoritatem secutus Praepos. *in* ante *m* in Verbis compositis ubique servavi. Cf. Wagneri Orth. Verg. p. 410. et Ribbeck. Proleg. p. 432. Ceterum de his locutionibus, quae in proverbio fuisse videantur, cf. Ameis. Spicil. p. 5. — 60. Sententia haec est: Cur me fugis? an quia rusticus sum? At ne dii quidem et heroes fugerunt rusticorum consuetudinem et cum summa voluptate ruri versati sunt. Formula *Quem fugis?* redit Aen. V, 742. et VI, 466. Imitantur hunc locum Prop. III, 28, 1. *Quo fugis, ah, demens?* et Calpurn. XI, 16. *quemve fugis?* ut etiam poëta in

Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit arces,
Ipsa colat; nobis placeant ante omnia silvae.
Torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam,
Florentem cytisum sequitur lasciva capella,
Te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas. 65

Wernsd. Poët. Lat. min. III. p. 180, 37. eum respexit scribens *Quid loquor ah demens?* Cf. etiam Gebauer de poët. I. p. 168., qui *φεύγειν* et *fugere* haud raro de iis legi docet, qui alius amorem repudient, coll. Theocr. VI, 17. XI, 24. 30. 75. Mosch. III, 60. Calpurn. III, 61. XI, 30. — *ah* Commate separandum erat a Vocativo, non enim nominibus personarum iungitur, sed ad rei causam pertinet. Cf. Hand. Turs. I. p. 214. praeterea autem quae ad Ecl. I, 19. adnotavimus. — *Habitarunt di q. silvas.* Notum est exemplum Phoebi (Ovid. A. A. II, 239. Tibull. II, 3, 11.), minus notum Bacchi (Theocr. XX, 33.). Cf. etiam Nonni Dion. XV. p. 428 ed. a. 1605. Longi Pastor. IV, 13. p. 124 Schaef. (et Verg. ipse Ecl. X, 18.) — De *Paride* a Priamo patre exposito et inter pastores educato fabula satis nota. Vid. Lucian. D. D. 16. Apollod. III, 12, 5. Hygin. f. 91. Ovid. Her. XVI, 359. etc. — **61** sq. Sensus est: Sine tu Palladem suas arces incolere; tu mecum silvas et vitam rusticam ama. *Pallas* hic cogitatur tamquam dea tutelaris urbium et arcium, tamquam *πολιάς, πολιοῦχος*, quo cognomine Athenis, Erythris, Tegeae, Troezene in singularibus templis colebatur. Cf. Paus. I, 15. VII, 5. VIII, 47. II, 30. Cuperi Observv. III, 16. Spanh. ad Callim. Lav. Pall. 53. Boeckh. ad Pind. Ol. V, 20. Goldast. ad Petron. c. 5. Barth. ad Claud. rapt. Pros. II, 19. et Doering. ad Catull. LXIV, 8., (ubi Pallas vocatur *Diva, retinens in summis urbibus arces*) et O. Müller de Minerva Poliade. Gotting. 1820. — *quas condidit*, i. e. quas condere docuit, ut recte Wagn. explicat, qui simul animadvertit, *arces*, clausas et circumseptas urbes, egregie opponi ruri libero et undique patenti. — **62.** *Ipsa colat*, i. e. incolat. Colendi verbum ut omnino pro *incolere, habitare* haud raro ponitur, (cf. Ecl. III, 59. Aen. I, 16. Cic. N. D. II, 66, 164. Ovid. Met. V, 495. Fast. IV, 487. etc.), ita potissimum de diis usurpatur, qui locum aliquem prae ceteris frequentant. (Cf. Ovid. Met. I, 576. XIV, 331. XV, 545.) Ceterum *ipsa* adiicitur, quia sententia haec est: quas Pallas condidit arces, Pallas colat *ipsa*, non tu cum illa. Cf. Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 460. Tenendum autem, Alexidis nomine Pollionis aliquem puerum, cum domino *in urbe viventem*, significari. — *nobis placeant* etc. Cf. Moschus V, 7, 11. 12. *γᾶ δέ μοι ἀσπαστὰ χἀ δάσκιος εὔαδεν ὕλα* et Geo. II, 485. — De notissima formula *ante omnia* cf. Handii Tursell. I. p. 388. — **63.** Corydonem, ut cupiditatis suae vehementiam excuset, hic adeo provocare ad impetum illum, quo duce natura sua bestiae ferantur, a pastoris persona et bucolici carminis indole alienum censeri non potest. Cf. Theocr. X, 30 sq. Sunt autem verba seqq. ex Theocr. XX, 30. 31. translata. Cf. Gebauer de poët. I. p. 169. — *torva*, truculenta, ipso adspectu terribilis. Sic Geo. III, 51. *torva bos.* Aen. VI, 571. *torvi angues* etc. De vocis etymologia cf. Doederl. Syn. I. p. 42 sq. — *sequitur*, coëundi cupiditate ducta. — *lupus ipse* Wagn. Graece reddit *λύκος δ' αὖ*. Distinguit *ipse* alterum ab altero. Cf. adnott. ad Ecl. I, 39. Calpurn. Ecl. XI, 26. hunc versum sic imitatus est: *Cerva marem sequitur, taurum formosa iuvenca.* — **64.** De *cytiso* iam dictum ad Ecl. I, 78. *sequitur* hic alio sensu capiendum esse, quam superiore versu, non potest offendere, cum omnino de omnibus dicatur, quae quacunque de causa appetimus. Cf. Gronov. ad Liv. XXVIII, 18. — **65.** *o Alexi.* Unus hic est Vergilii locus, ubi hiatum iuxta Interiectionem admissum videmus, nam Aen. VIII, 72. pro vulg. *tu o genitor* legendum *tuo genitor* (vid. ibi adnott.), et *heu heu* supra v. 58. et Ecl. X, 100. paullo alius est generis. Cf. autem de hoc hiatus genere Schneid. Gramm. I, 1. p. 139 sqq. Ramsh. Gramm. §. 221. not. p. 1071. alios, et vide omnino quae supra ad v. 53. adnotavimus. — *lasciva capella.* Cf. Ovid. Met. XIII, 791. *tenero lascivior haedo.* Martial. XIII, 39. *lascivum pecus* (de haedis.)
er Progr. p. 10. comparat Theocr. V, 145. ex Ahrensii coni. *αἶγες κε-*
. — *trahit s. q. voluptas*, amor, libido; de qua vocis potestate

Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuvenci
Et sol crescentis decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor; quis enim modus adsit amori?
Ah Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!

Burm. conferri iubet Donat. ad Ter. Phorm. I, 2, 36. Interpp. ad Petron. c. 81. et Sabini Epist. I, 80. Vid. etiam Geo. III, 130, *Trahere* dicitur de rebus, quae nos alliciunt et tenent, imprimis autem de iis, ad quas, vel inviti, naturae impetu compellimur; qua de re cf. Goerenz. ad Cic. Fin. I, 16, 50. et Beier. ad Cic. Off. I, 6, 18. Sic Iuv. XIV, 37. *monstrata diu veteris trahit orbita culpae.* Cic. Arch. 11. in. *Trahimur omnes studio laudis.* Nep. Milt. 8, 2. *consuetudine ad imperii cupiditatem trahi* etc. Ceterum poëta non immemor videtur fuisse illius Lucretiani loci II, 258. *voluntas, Per quam progredimur, quo ducit quemque voluptas.* Eiusmodi proverbiales sententias legimus etiam Ecl. III, 91. 102. VII, 23. 43. VIII, 63. X, 69. Cf. Gebauer de poët. I. p. 8. — **66.** sqq. Cf. Theocr. II, 38 sqq. et Gebauer de poët I. p. 71. — *Aspice* pro usitatiore *Ecce.* De hac autem scribendi ratione, optimorum Codd. auctoritate nitente, quos cum recentissimis editoribus secuti sumus, cf. Wagn. Orth. Verg. p. 408. et Ribbeck. Proleg. p. 400. Sensus secundum Voss. et Spohn. hic est: Pridem sol desiit aestum facere; refrigescunt omnia: ego solus adhuc ardeo. Sed quid tum sibi vult aratri suspensi commemoratio? Quare potius cum Wagn. Corydonem puto hoc dicere: Nihil prodest tempus et mora mitigando meo amori, nec minus nunc flagro, quam antea; omnia iam cessant et sese dant quieti: ego solus quietem non invenio, amorem meum non possum restinguere. Idem fere color est huius loci, qui Ecl. VIII, 88. *nec serae meminit decedere nocti.* Heyn. minus recte: *Aratra* (*ex*) *iugo suspensa*, inverso vomere, ut solum verrant, protracta, coll. Hor. Epod. II, 63. *Videre fessos vomerem inversum boves Collo trahentes languido.* Immo verba cum Wund. et Spohnio sic intellige: (tempore vespertino, *βουλυτῷ*) *iuvenci iugo referunt*, domum ferunt, (cf. Ovid. Fast. V, 497. *Versa iugo referuntur aratra*) *aratra suspensa*, i. e. ita sublata, ut humum non tangant. Antiquis enim temporibus aratra nondum rotis erant instructa. *Suspendere* autem de rebus, quae vix terram attingere videantur, legitur etiam Plin. H. N. XXXIV, 8, 19. Quint. Inst. XI, 3. alibi, eodemque spectant notissimae illae locutiones *gressum suspendere* (Veget. de re vet. II, 40, 3. 55, 3.), *suspenso gradu ire* (Ter. Phorm. V, 6, 28.), *suspensos gradus ferre* (Ovid. Fast. VI, 338.) et similes. Particulam *ut*, quae in Codd. quibusdam ante *referunt* apparet (quemadmodum Ecl. IV, 52. V, 6. Aen. X, 20. etc.), praeter optimos Codd. etiam Schol. Horatii Od. III, 6, 42. omittit. — **67.** Cf. Ecl. I, 83. — *sol decedens*, de coelo, cursu per coelum paene confecto. Sic alibi etiam *decedere* de astris dicitur ad occasum vergentibus. Cf. Geo. I, 222. ibique Voss. Broukh. ad Prop. II, 14, 11. Bentl. ad Hor. Ep. I, 16, 7. Burm. ad Ovid. Met. IV, 91. Simili ratione *dies* et *nox decedere* dicuntur Geo. IV, 466. Ecl. VIII, 14. — *duplicat* Voss. proprie accipiendum putat, quod aliter frigeat *crescentes.* Umbrae autem secundum Palladium VIII, 10. et IX, 14. per dies longissimos undecima hora duplo fere sunt maiores, quam decima. Ceterum cf. Culicis v. 202 sq. — **68.** *Me tamen urit amor.* Vid. Theocr. II, 40. *Ἀλλ' ἐπὶ τήνῳ πᾶσα καταλθομαι* et VII, 56. *θερμὸς γὰρ ἔρως αὐτῶ με καταλθει.* Praeterea cf. Ecl. II, 1. VIII, 83. Geo. III, 215. Aen. IV, 101. Calpurn. II, 56. III, 7. IX, 1. XI, 66. aliique loci a Gebauero I. p. 171 sq. collecti, ubi et Graeci et Romani poëtae vim et vehementiam amoris verbis ab igne flammisque ductis expresserunt. — Verba *quis enim modus adsit amori?* iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 170, 70. — V. **69.** sq. ex eodem Theocr. XI, 72 sqq. fluxerunt. Cf. etiam Gebauer de poët. I. p. 148. et 173. Quod attinet ad nomen *Corydonis* cum vi repetitum (per *παλιλλογίαν*), cf. Ecl. III, 79. V, 64. VI, 44. et ex aliis scriptoribus unus Iuven. IX, 102., ubi prorsus, ut hic: *o Corydon, Corydon.*, a quibus locis paullum differunt ii, ubi vox geminata addito praedicato aliquo amplificatur, de quo anaphorae genere diximus ad Ecl. VI, 20. — *quae te dementia cepit!* Cf praeter Theocr. l. l. eiusdem Id. II, 19. Verg. Ecl. VI, 47. Geo. IV, 488. Aen. V, 465. et

Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere iunco?
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexim.

Anth. Lat. Burm. I, 170, 47. 178, 45. 135. 262. Sic ibid. III, 81, 99. *quae te dementia ducit?* Cf. etiam Gebauer I. p. 174. Conington in fine versus interrogandi signum posuit. — **70.** Animum ab amoris cura ad curas domesticas revocans Corydon ipse se obiurgat de negligentia operis rustici. — *Semiputata.* Cf. ad Ecl. I, 56. et Geo. II, 410. Amputabantur autem vites bis quotannis, primum aestate ante aequinoctium (vid. Plin. H. N. XVIII, 26. ibique Hard.), deinde post Idus Octobres. (Cf. Colum. IV, 17. 27 sq. Pallad. IX, 3. et XI, 4.) et de ratione usuque pampinationis Colum. V, 5. Et hic quidem de priore illa pampinatione agi, clare intelligitur ex v. 9. sqq. *Semiputatus* autem praeter hunc locum nusquam videtur legi. — *vitis in ulmo.* Arbores, imprimis ulmi et populi, apud Italos *maritabantur*, i. e. alligabantur vitibus, ut hae quam altissime tollerentur (vid. Varr. R. R. I, 8.). Colum. XI, 2, 79. *ulmi vitibus maritantur.* Hor. Epod. II, 10. *Ergo aut adulta vitium propagine Altas maritat populos.* Cf. etiam Colum. IV, 22, 6. Plin. XVII, 20, 32. alii cum adnott. ad Ecl. III, 10. et IX, 41. Ceterum Wagn. Vol. V., quem sequitur Haupt., elisa Vocali edidit *ulmost.* Cf. eius Orthogr. Verg. p. 433 sq. et qui ibi laudantur, imprimis Freund. ad Cic. Mil. p. 19 sqq. — **71.** *tu* eadem vi adiectum, qua haud raro Imperativo additur. Cf. Loers. ad Ovid. Trist. I, 1, 25. — Ante Wagn. male sic distinguebatur: *--saltem, potius quorum* etc. Sed recte perspexit Wagn., hic non requiri, quarum rerum maior, quarum minor sit usus, sed ut omnino aliquid fiat, quod utilitatem aliquam afferat; ideoque iungendas esse voces. *Quin potius:* tum *aliquid* et *usus* fortius pronuncianda. *Aliquid saltem*, i. e. quantumvis exiguum, *nur Etwas;* sic Ecl. III, 15. 73., ubi vid. not., et Aen. X, 84. Haerentes tamen in coniunctis verbis *saltem potius* Markl. ad stat. Silv. p. 341. (s. 251. Sillig.) et Peerlk. locum coniecturis vexarunt; ille enim *potior - - usus* legi voluit (quod Heyn. recte reiicit, comparans Theocr. XI, 74. *μᾶλλον*), hic autem p. 14. *lentis potius* (viminibus). — *aliquid* (scil. eorum) *quorum*, quod Pron. demonstr. hic facilius omitti poterat, quam v. c. Aen. XI, 81. *manus* (eorum), *quos.* ibid. v. 172. *tropaea* (eorum), *quos.* IV, 597. *fides* (eius), *quem.* Ter. Adelph. III, 2, 9. *partus* (eius), *cui.* Iuven. I, 161. *accusator erit* (eius), *qui.* Geo. I, 104. *Quid dicam* (de eo), *qui* etc. De qua brevitate dicendi cf. Gronov. et Drak. ad Liv. XXIII, 15, 4. Bach. ad Ovid. Met. XII, 93. Ruddim. II. p. 21. not. 49. Krüger *Untersuch.* cett. Fasc. III. p. 196. not. alii. — *quorum indiget usus*, quae ad usum vitae rusticae necessaria sunt, scil. vas aliquod, ut corbem, calathum, qualum. Usus enim interdum i. q. usus necessarius, (*χρεία, Bedürfniss*), imprimis ubi v. *esse* adiicitur, ut *usus est* idem fere significet, quod *opus est.* Cf. Geo. I, 133. Aen. VIII, 441. Cic. Tusc. IV, 3. in. id. Off. I, 26, 92. Cat. R. R. 4. extr. Tac. Ann. I, 32. Ter. Heaut. I, 1, 28. 29. et plures comicorum locos. — **72.** *molli iunco*, i. e. flexili. Cf. Ecl. V, 31. et Geo. III, 76. (ubi vid. not.) — *detexere*, i. q. texendo absolvere. Cf. Titin. ap. Nonium I, 3. *Quae inter decem annos nequisti unam togam detexere.* Hyg. f. 126. *cum telam detexuero, nubam.* Tibull. II, 3, 15. *Tunc fiscella levi detexta est vimine iunci*, qui locus non minus ad nostri exemplum formatus est, quam Calpurn. Ecl. VIII, 1. *Dum fiscella tibi fluviali, Tityre, iunco Texitur*, et eiusd. IX, 33. *Ipse ego nec molli iunco nec vimine lento Perfeci calathos.* Cf. etiam Ecl. X, 71. In utroque loco poëta respexisse videtur Theocr. I, 52. Vid. Gebauer de poët. I. p. 173 sq. et Progr. Quatenus Verg. etc. p. 1. — **73.** *alium Alexim*, alium formosissimum puerum, qui te non spernat; nomen pro simili aliquo. Sic Aen. VI, 89. *alius Achilles*, Tac. Hist. IV, 73. *alius Ariovistus*, Suet. Tit. 7. *alius Nero*, Curt. IX, 8, 5. *alius Liber pater.* Cf. etiam Burm. ad Ovid. A. A. III, 13. Ruhnken. ad Vellei. II, 82. Lindem. ad Plaut. Capt. argum. v. 2 et 9. Wagn. ad Eleg. ad Messal. p. 77. et Qu. Virg. XXV, 10., qui docet, *alterum* in tali oratione spectare ad pares, *alium*

ad similes, ut sit nostrum: *wieder so einer* (*wie jetzt* s. *wie sonst.*) Ceterum non reticendum, ante Heinsium editum fuisse: *si te hic fastidit Alexis;* qua secundaria sententia, ut rectissime observat Wagn., minus bene finiretur carmen, quam primaria illa: *alium invenies Alexim.* Addo alteram causam. Apud Theocritum Id. IX, 76., quem locum Vergilius videtur ante oculos habuisse, legitur: *Εὑρήσεις Γαλάτειαν ἴσως καὶ καλλίον' ἄλλαν.*

ECLOGA III. PALAEMON.

ARGUMENTUM.

In hac Ecloga, primo, quod scripsit, *amoebaeo**) carmine, Vergilius Theocriti Idyll. IV. et V. imitatus est. Introducit autem duos pastores Mantuanos, Menalcam puerum, qui patris gregem pascit, et Damoetam, Aegonis cuiusdam gregem (absente fortasse domino) curantem et eiusdem Neaerae amatorem, cuius amore etiam Menalcas flagrat; quare rivales conviciis mutuis et probris nullam prorsus honesti et decori rationem habentibus puerili petulantia se invicem lacessunt.

Ceterum Spohnius Prolegg. p. 26 sqq. suspicatur, etiam huius Eclogae scribendae causam in rebus ad vitam poëtae pertinentibus esse quaerendam. Vergilium enim, omnes priores Romanorum poëtas longe praecedentem, cum invidiam movisset Bavio, Maevio, Anseri, aliis poëtis ipso multo deterioribus et propterea obtrectationi et conviciis eorum expositus fuisset, importunos illos et ineptos obtrectatores hoc carmine castigare simulque Pollioni, fautori suo, blandiri et meritas gratias persolvere voluisse, ex qua sententia nobis sumendum esset, sub altercantium pastorum personis obtrectatores illos poëtae nostri latere, Palaemonem autem Asinii Pollionis partes agere, cuius quidem opinionis veritatem in medio relinquamus, quamquam hoc Spohnio libenter concedimus, ad tale propositum assequendum carminis amoebaei naturam fuisse aptissimam. Scripta videtur haec Ecloga sub aestatem anni 712. p. U. c. (cf. Diss. de vita et carmm. Verg. nota 19.)

*) Amoebaei carminis sive *alternorum versuum* (Ecl. VII, 18.) ea est lex, ut duo canentes alternent et sibi invicem respondeant. Duplex autem eiusmodi carminum genus reperitur. Alterum, quo hic poëta usus est, ita institutur, ut, qui incipit canere, paucis (duobus, tribus, quatuor) versibus sententiam aliquam proferat, quam alter totidem versibus aut latius persequitur, aut contrarium ponens refutat, ita tamen, ut semper maius aliquid et pulchrius dicere et priorem vel ingenii acumine, vel dicendi luminibus superare studeat. Non autem opus est, ut omnia sint eiusdem argumenti, sed in uno eodemque carmine res plane diversae et minime inter se cohaerentes tractari possunt. Alterum autem genus (ad quod Ecl. V. et VIII. pertinent) ita est comparatum, ut duo homines longioribus carminibus aut uno tenore prolatis (ut Ecl. V, 20—44. et 56—80.), aut in singulas totidem versuum strophas versu intercalari, quem vocant, seiunctas divisis (ut Ecl. VIII.) alternent. De legibus cantus amoebaei cf. Gebauer de poët. etc. I. p. 176 sqq.

MENALCAS. DAMOETAS. PALAEMON.

MENALCAS.

Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?

1. Cf. Theocr. IV, 1 sqq. *cuium pecus.* Adiectivum *cuius, a, um,* quo utebantur pro Genitivo Pronominis *qui, quae, quod,* ad possessorem

DAMOETAS.

Non, verum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.

MENALCAS.

Infelix o semper, ovis, pecus! ipse Neaeram
Dum fovet ac, ne me sibi praeferat illa, veretur,
Hic alienus ovis custos bis mulget in hora;
Et sucus pecori et lac subducitur agnis.

---

alicuius rei relato, iam Vergilii aetate obsoletum, non nisi vitae quotidianae et rusticae sermoni proprium manserat. Cf. Ecl. V, 87. (ubi poëta haec ipsa verba iterat) Ter. Andr. IV, 4, 24. *Cedo, cuium puerum hic apposuisti.* ibid. V, 4, 29. *suamne esse dicebat? — non. — cuiam igitur? — fratris filiam.* id. Eun. II, 3, 29. *Quid? virgo cuia est?* Plaut. Rud. III, 4, 40. *Argentum pro istisce ambabus, cuiae erant, domino dedi.* etc. *— an Meliboei?* Wagn., collato Beiero ad Cic. Off. I, 15, 48., *an* vim addubitandi habere censet, *doch nicht?* cum haec verba respondeant Theocriteis IV, 1. τίνος αἱ βόες; ἢ ῥα Φιλώνδα; atque etiam Bryce adnotat: „*An expresses considerable doubt: It is not that of Meliboeus, is it?*" Rectius tamen Hand. Turs. I. p. 353., vituperans Beieri explicationem *doch wohl nicht gar*, et apud Theocr. ἢ ῥα in ἦ ῥα mutandum esse censens, hunc locum comparat cum Cic. Sen. 6, 15. *a rebus gerendis senectus abstrahit? quibus? an iis, quae in iuventute geruntur et viribus?* (i. e. num aliis, an iis, quae —?) et similibus, explicans: num est alius, an Moliboei? Nobis vix aliter, quam cum Vossio, licet vertere: *Wess Heerde da? wohl Meliboeens?* Ceterum ex hac ipsa, puto, quaestione, collata cum v. 5. et 29., Voss. haud temere colligit, Damoetam non esse servum Aegonis, sed hominem sui iuris, bubulcum Meliboei, qui officiosa voluntate Aegonis absentis gregem ad tempus pascendum susceperit. Vid. etiam quae ad v. 16. et 44. adnotavimus. Ceterum cf. imitatio huius loci ap. Donat. vit. Verg. 16. *Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? anne Latinum? Non verum Aegonis. Nostri sic rure loquuntur.* — 3. Cf. Theocr. IV, 13. et Gebauer I. p. 188. Dum ipse Aegon Neaerae assidet, hic mercede conductus (*alienus*) gregem eius absentis perdit. Sic Heyn., comparans Hom. Od. XVII, 246. ἀλαλήμενος αἰεὶ Ἄστυ κατ' αὐτὰρ μῆλα κακοὶ φθείρουσι νομῆες. — *infelix*, propter possessoris nil nisi Neaeram curantis negligentiam, qui pecudes eiusmodi pastoris perfidi et inhumani vexationibus permisit. Quod ad appositionem attinet, conf. Geo. IV, 168. *ignavum, fucos, pecus a praesepibus arcent*, Ecl. I, 74. et adnott. ad Ecl. II, 3. — *ovis.* Hanc formam Accusativi optimos Codd. et Servium secuti cum aliis editoribus nunc restituimus. Cf. adnott. ad Geo. I, 25. — *ipse*, dominus Aegon. — 4. *fovet*, blandiens amplectitur. Cf. Aen. I, 718. IV, 686. imprimisque VIII, 387. — *ac.* Wagn. Qu. Virg. XXXV, 13. observat, hanc Particulam, utpote plenius quid et gravius sonantem, exsulare fere a levioris argumenti carmine, quale sit bucolicum, ideoque in Bucolicis Verg. bis tantum legi, hic, ubi serviat evitando nimis exili sono, et IV, 9., quo loco vel rei gravitati conveniat, vel etiam sonum reddat suaviorem. — 5. Cf. Theocr. IV, 3. *hic alienus custos.* Pronomen adiicitur, quia Damoetas, custos ovium, opponitur Aegoni possessori (v. 3. *ipse.* Cf. v. c. Ecl. IX, 16.); eodemque modo *alienus* explicandum de homine mercenario, qui ovibus non suis ad suam utilitatem perfidiose abutitur, nihil curans earum valetudinem dominique commodum. — *bis mulget*, ut multum lactis in suum commodum vendere possit. — 6. *sucus.* Sic ubique antiquiores; deducitur enim voc. a sugendo. Cf. Donat. ad Ter. Eun. II, 3, 25. Etiam Codd. huic scribendi rationi magis favent, quam alteri, *succus.* Vid. Heins. ad Claud. in Ruf. I, 208. Drak. ad Sil. VII, 169. Burm. ad Calpurn. Ecl. V, 107. Harles. ad Cellar. Orthogr. p. 365. Oudend. ad Lucan. III, 237. Schneid. Gr. Lat. I, 2. p. 402. et Wagn. ad Geo. I, 90. — De hiatu cf. notata ad Ecl. II, 53. In Dativo 3. Declin. hiatum admissum videmus Geo. I, 4. III, 155. Aen.

DAMOETAS.

Parcius ista viris tamen obicienda memento.
Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo — sed faciles Nymphae risere — sacello.

MENALCAS.

Tum, credo, cum me arbustum videre Miconis 10

III, 74. X, 156. Vid. Wagn. Qu. Virg. XI. p. 419. — 7. Menalcae convicio, ut fieri solet in carmine amoebaeo, Damoetas maiore convicio respondet, pathicae libidinis infamiam ei exprobrans, ut sensus sit: etiamsi illa iure mihi exprobrari possent, te tamen, *cinaedum*, non decebat, *viris* puris moribus praeditis eiusmodi convicia facere; ut apud Suet. Vesp. 13. (ab Heynio laud.) Vespasianus notae impudicitiae homini respondet: *Ego tamen vir sum.* — *viris*, igitur i. q. mihi viro. Wagn. autem in edit. minore rectissime docet, Pluralem Nominum haud raro eum indicare, qui sit e numero vel in condicione eorum, qui appellentur eo nomine, coll. Aen. III, 488. VII, 359. XII, 799. 876. 947. — *obicienda* autem scripsimus cum Wagn. Vol. V. et recentissimis editoribus, cum in eiusmodi verbis (*conicere, inicere, reicere* cett.) non duplex, sed simplex *i* ab antiquis scriptum esse constet. Cf. Quinct. Inst. I. 4, 11. Gellius N. A. IV, 17. et quos praeterea laudat Wagn. Qu. Virg. p. 445. Vide etiam quae infra ad v. 96. adnotavimus. Ceterum Peerlk. p. 368. hos versus parum probabiliter sic vult distinctos: *Parcius ista: viris tamen obiicienda. Memento, Novimus* etc. — 8. Cf. Theocr. V, 41 sq. et Gebauer I. p. 189. — *Novimus et qui te*, sc. corruperit. Me non fugit, te inter greges et in ipso sacello Nympharum cuidam te permisisse abutendum. Verbum temporis honestatis causa per aposiopesin reticetur, ut alibi Infinitivus post v. *solere, consuescere, posse* et similia. Cf. Ruddim. II. p. 228. Wagn. conferri iubet Theocr. I, 105. et Ter. Heaut. V, 1, 40. V, 4, 18. — *transversa tuentibus hircis.* Wagn. prius explicuerat: „oculos ab ista turpitudine avertentibus, in min. autem edit. rectius, puto, cum Vossio et Heynio, qui memores sunt Theocr. l. l., quibusque adsentiri videtur Ladew., transversis oculis adspicientibus et invidentibus lascivia, quomodo etiam Bryce locum intelligit. Nihilominus Ameis Spic. p. 5. ad illam rationem rediit, quia maius sit Menalcae opprobrium, si vel hirci dicantur oculos ab ista turpitudine avertisse, et hanc explicationem poscat oppositio (?) *sed* faciles risere Nymphae. Vide autem, quae Gebauer I. p. 190. verissime contra eum disputat. Nos in tali re nolumus nimis curiosi esse; sed adiicientes, Vergilium haud dubie respexisse Theocr. XX, 13. verba ὄμμασι λοξὰ βλέποισα, comparamus potius alios locos, ubi *transversa* absolute dictum reperitur pro *transverse:* Verg. Aen. V, 19. Val. Fl. II, 154. *quam iam miseros transversa tuentem - - cerno.* Stat. Theb. I. 348. *venti transversa frementes.* Multos poëtarum locos, in quibus Neutra Adiectivorum utriusque numeri ex Graecorum more pro Adverbiis ponuntur, suppeditat Ruddim. II. p. 159. E Vergilio huc pertinent v. c. Ecl. III, 63. IV, 43. Geo. III, 149. 239. 500. IV, 122. Aen. VI, 288. 467. VII, 399. 510. VIII, 248. IX, 125. 794. XI, 854. XII, 338. 398. Ceterum Ribbeck. et Haupt. scribunt *hirquis*, quae forma utique in Codd. quibusdam invenitur. (Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 451. et Ribbeck. Proleg. p. 193. 392. et 443.) Nos tamen omnes eiusmodi archaismos revocare dubitavimus, ne nimis casca viderentur nitidissima Vergilii carmina. — 9. *faciles* (in condonanda hac lascivia, indulgentes) *Nymphae risere*, cum graviores dii ulturi fuissent sacrilegium. Nymphis enim, ut alibi Satyris, Panibus, Faunis omninoque numinibus agrestibus, paullo dissolutiores tribuuntur mores. Cf. etiam Ovid. Epist. IV, 173. Fast. III, 409. Met. II, 452. III, 345. 442. cum Nemes. Cyneg. 94. *faciles Naiadas* et Prop. III, 32, (II, 34), 76. *Laudatur faciles inter Hamadryadas.* — Per *sacellum* Voss. recte intelligit antrum Nymphis consecratum earumque simulacris rudi arte ex ligno exsculptis ornatum. Comparat autem Aen. I, 168., ubi *antrum* vocatur *Nympharum domus*, et Lucr. V, 946., ubi *silvestria templa Nympharum* nihil aliud significant. — 10. Cf. Theocr. VIII, 43 sqq. Tum, credo, hoc factum, cum Nymphae [non enim adsentior Wagnero ad *videre* supplenti „ii,

Atque mala vitis incidere falce novellas.

DAMOETAS.

Aut hic ad veteris fagos cum Daphnidis arcum

---

qui erant in vicinia"] viderunt me etc., quod ironice dictum esse patet. Inest igitur sententia: illud, cuius tu me accusas, flagitium non magis verum, quam si quis dicat, *me* corrupisse Miconis arbores, quas *tu* laesisti. Apertum est enim, hic velle Menalcam Damoetae exprobrare aliud, quod commiserit, flagitium, ideoque de se dicentem notare alterum. Recte autem Ameis. Spic. p. 6. reiicit Vossii explicationem (quam prius etiam Ladew. secutus erat) poscentis, ut ad *Tum* suppleamus: faciles risere Nymphae; nam, quae sequuntur, profecto *risum facilium* Nympharum provocare non potuerunt. Ceterum imitatus est hunc locum Calpurn. VI, 84 sqq. — *Tum*. Wagn. Qu. Virg. XXV. ostendere studet, Vergilium interdum *tum* pro *tunc* scripsisse, Adverbium autem *tunc* non nisi ante vocabulum a vocali incipiens posuisse; quam opinionem nuper Hauthal. ad Persii Sat. V, 37. p. 316 sqq. docta disputatione refutavit, et Iahn. in altera edit., ubi sententia sua mutata et ipse *Tum* recepit, longissimam de discrimine et usu utriusque Particulae disputationem adiunxit (p. 367—373.) Summa rei huc redire videtur: Vulgaris illa de discrimine Particc. *tunc*, temporis, et *tum*, ordinis Adverbio, a Vergilio ex Med. aliorumque bonorum Codd. auctoritate saepissime violatur, atque omnino ad priora Latinitatis aureae tempora, quibus emphaticum dicendi genus per Ovidium aliosque nondum erat in usum inductum, non potest referri. Quare non mirum est, apud Vergilium, qui raro illam emphasin sectetur, quae Particulae *tunc* inesse possit, multo saepius *tum* quam *tunc* inveniri. Primum enim poëta Part. *tum*, ut ceteri omnes, utitur in iis locis, ubi idem significans, quod *postea*, aut indicat, quae prioribus tempore succedunt (cf. Geo. I, 181. Aen. I, 214. 357. 505. 730. II, 775. III, 153. 182. 223. 266. 289. 525. 543. 554. etc.), aut rebus pluribus enumerandis inservit (cf Ecl. II, 49. Geo. I, 278. 388. II, 296. III. 226. 357. Aen. I, 104. 164. II, 489. 697. III, 141. 175. 228. cett.); deinde in iis locis, ubi vere vim correlativam habet et duas res ad idem tempus revocat (ut *tum — cum:* Ecl. III, 10. IX, 67. Geo I, 305 sqq. III, 198. 335. 435. IV, 523. etc., *tum — ut:* Aen. I, 485. XII, 218., *ubi — tum:* Geo. IV, 405. Aen. VI, 897 sqq., *dum — tum*: Aen. IX, 540. et quae sunt similia); denique vero etiam in eiusmodi locis, quorum natura magis inclinat ad demonstrativum *tunc* (v. c. ubi sibi opponuntur *nunc—tum*, ut Aen. VI, 776. X, 14. 94. XII, 135. etc., vel *ante — tum*: Aen. VI, 171. IX, 649. XI, 33. etc., *tum primum*: Aen. II, 559. VIII, 222. I, 590., *tum demum:* Geo. III, 205 Aen. VI, 330. 573., *iam tum*: Geo. I, 405. Aen. I, 18. 148. VII, 643. 737. VIII, 349 sqq., *tum quoque*: Geo. IV, 523. Aen. VIII, 379. IX, 183 etc.). Ita pauci tantum loci supersunt, in quibus ob Codd. auctoritatem *tunc* servandum est, quod rem certo aliquo tempore, cum alio non confundendo, factam commemorat (*damals gerade*), ut Geo. I, 136. II, 317. 367. Aen. II, 246. III, 234. IV, 189. V, 508. VI, 503. VIII, 423. 566. X, 517. XI, 208. etc. Ceterum de hac re multos vario modo disputasse constat. Viris doctis a Wagn. iam laudatis ex iis, quos in edit. I. adiunxi, hic tantum addo, qui videntur rem optime expediisse, Zumpt. Gr. Lat. § 285. Weberum in: *Uebungsschule f. d. lat. Stil.* P. I. p. 93. Herzog ad Caes. B. G. V, 33. p. 273. et Kritz. ad Sall. Iug. 5, 1. — *Arbustum* est arboretum, ubi vites in ramis arborum, ulmorum maxime et populorum, haerent (cf. adnott. ad Ecl. II, 70.) ideoque fere i. q. vinea (cf. Geo. II, 416.); *vites* autem *novellae* sunt recens plantatae, quae propter humilitatem nondum se ad arbores illas implicuerunt; ergo ille et adultas et novellas vites laesit. Capitale autem fuisse, arbores alienas incidere, docet Servius; vid. etiam Cuiac. Obs. IX, 12 a Lemario laud. — 11. *mala falce* Burm., coll. Geo. II, 301. et Colum. IV, 42., docte magis quam vere de falce obtusa, rubigine exesa, capit, qualis ramis et vitibus tanto magis noceat. Simplicius Heyn. explicat nocivam, perniciosam, coll. Tibull. III, 5, 20. *Et modo nata mala vellere poma manu*, ubi Wund. addit Catull. XX, 5. *malasque furis arceo manus.* Ceterum Gebauer I. p. 191. cum hoc loco comparat Theocr. V, 109. — 12. His versibus poëtam in suum usum arcessivisse Theocr. V,

Fregisti et calamos; quae tu, perverse Menalca,
Et' cum vidisti puero donata, dolebas,
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

MENALCAS.

Quid domini faciant, audent cum talia fures?

---

11 sqq. docet Gebauer I. p. 192. — Dissimulans Damoetas, quasi non intelligat Menalcae ironiam, pergit: *Aut* (etiam tum, scil. factum est illud, de quo agunt v. 8. et 9.), *cum* etc.; egreditur tamen cancellos, quibus Menalcas, eum non nominans, se continuit, et claris verbis dicit *fregisti,--quae tu-dolebas.* Secundum Wagnerum structura verborum haec est: Aut tum, cum viderunt, cum hic ad fagos Daphnidis arcum fregisti: *als sie sahen, wie du* etc. Sed mihi quidem simplicior videtur ratio, qua ipse modo loci connexum explicui. — *hic--ad fagos.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 53. Viderat autem haud dubie Menalcas arcum a Daphnide in fago suspensum. De *veteribus fagis* vid. Ecl. I, 1. II, 3 et IX, 9. — *Arcum* Heyn. refert ad greges a pastoribus contra feras defendendos; sed potius ad venationem spectat, quam a vita pastoricia non alienam fuisse, iam supra ad Ecl. II, 29. vidimus. — 13. *calamos*, sagittas. Hor. Od. I, 15, 17. *calami spicula Cnosii.* Ovid. Met. VIII, 30. *Impositis calamis patulos sinuaverat arcus.* — *quae*, neutro genere ad Substantiva masculini (vel femin.) generis relatum, ut saepe, ubi non genus grammaticum, sed sensus tantum et notio rerum praecedentium respicitur. Multa exempla congesserunt Ruddim. II. p. 25. Ramsh. §. 158. c. p. 549. et §. 206. A. b. p. 998. et Kritz. ad Sall. Iug. 41, 1. — *perversus* i. q. malevolus, iniquus; homo enim, qui aliis invidet atque adeo corrumpit, quorum ipse compos fieri non potest, perversam sequitur vitae rationem. Cf. Cic. pro Cluent. 26. Brut. in Cic. ep. ad Div. XI, 10. Liv. XXI, 33, 4. — 14. *vidisti puero* (i. e. Daphnidi) *donata*, scil. a me. — 15. *aliqua*, sc. ratione, via; „quamquam, ut verissime dicit Hand. Turs. I. p. 242 sq., certum quod nomen substituendum sit, nemo affirmabit, qui reputaverit, in Graeca et Lat. lingua Adiectiva femin. generis pro Substantivis viam et modum significantibus poni." Cf. Ecl. IX, 14. Aen. I, 676. Plaut. Merc. II, 2, 62. Epid. I, 2, 49. (ubi vid. interpp.) Ter. Phorm. V, 1, 19. Val. Fl. I, 701. Cic. Phil. VI, 3. in. etc. Heins. ad Ovid. Trist. III, 4, 75. Drak. ad Sil. XIII, 224. alii. — *mortuus esses.* Cf. similis locus Ecl. VII, 26. — 16. Novo convicio Menalcas petit Damoetam, quem furti adeo incusat. *Fures* Heyn. cum Servio male explicat per servos, quo sensu hoc voc. apud comicos haud raro legatur. Sed recte adversatur Spohn., contendens vocem *furis* numquam posse ad servum deduci, nisi quando iocentur aut illudant personae comicae. Minus recte autem idem Spohn. cum Vossio locum sic intelligit: „Cum hic mercenarius furacissimus talia in me audeat proferre, quid putem dominum sibi licitum putare adversus me, Aegonis in Neaera, quam amamus uterque, aemulum?" Quod si dicere voluisset Vergilius, ei scribendum erat: *Quid domini faciant, audent cum talia servi*, non:--*faciant--fures.* Cum igitur non *dominus* et *servus*, sed *domini* et *fures* sibi opponantur, apertum est, Wagnerum multo propius venisse veritati, cum loci sensum sic fere constitueret: cum tu, fur audacissimus, sic invadas vicinorum bona, multo minus temperabis a domini bonis in promptu positis. *Quid* igitur *domini faciant* (*was sollen die Herren thun?*) ut sua tueantur adversus eiusmodi hominum, qualis tu es, rapinas? nihil habent, quod faciant. Equidem in eo tantum non adsentior Wagnero, quod de servis furacibus hunc locum intelligit. Damoetam enim, cui servilis conditio a Menalca, ingenuo iuvene, nusquam exprobretur, qui potius v. 29. iuvencam *sui* gregis pignus certaminis deponere possit, et pocula possideat non vulgari arte tornata (cf. v. 44 sq.), hominem ingenuum vel libertinum censeo, parvi gregis possessorem (cf. adnott. ad v. 1.), et *dominos* hic non servorum, sed gregum et praediorum ratione habita commemoratos puto, (quemadmodum apud Calpurn. II, 2. Cic. ad Att. XII, 19. de Inv. II, 51, 154. N. D. I, 26, 72. Liv. XXII, 41. Suet. Caes. 41. 61. de *gregis, praediorum, navis, aedificii, insularum, castrorum, equi dominis*, i. e. possessoribus,

Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
Et cum clamarem: Quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus! tu post carecta latebas.

DAMOETAS.

An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula, caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon
Ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.

MENALCAS.

Cantando tu illum? aut umquam tibi fistula cera

---

sermo est); ut igitur sensus sit: Quid domini gregum faciant, si ne a sui quidem ordinis hominibus tuti sunt, si vel vicini gregum possessores furta facere non verentur. Hanc meam loci explicationem nunc comprobatam video ab Obbario ad Hor. Ep. I, 6, 46. Vol. I. p. 325. Bryceo et Ladew. Conington tamen et hic et ap. Horatium l. l. (*Et dominum fallunt et prosunt furibus*) *fures* (comice pro *servis* dictos) opponi *dominis* censet. — 17. De simplici *non* gravius et nervosius, quam *nonne*, quaerente cf. imprimis Goerenz. ad Cic. Legg. III, 9. p. 243. et 30. p. 285. Wolf. ad Cic. Tusc. I, 8, 17. (p. 335. Orell.) et Kritz. ad Sall. Iug. 31, 17., praeterea vero Walch. ad Tac. Agr. p. 346. Beneck. ad Cic. Cat. III, 9, 22. Thiel. ad Aen. IV, 492. alii. — *pessime*. Cf. Theocr. V, 75. *κάκιστε* et iam v. 12. *ὦ κακέ*. — 18. *Lycisca*. Grammatici argute magis, quam vere, hoc nomen referunt ad orginem ex lupo et cane, quales musimones a Gallis maxime altos esse, Plinius VIII, 40, 61. auctor est. Cf. etiam Isidor Orig. XII, 2. — 19. *ille*, *der dort;* refertur enim hoc Pron. ad rem remotam a loquente, sive locus spectatur, sive tempus. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXI, 1., ubi (de *loco* quidem) comparat Vir doctiss. Aen. VI, 760 et 767. 809. 837 sqq. IX, 257. — 20. *coge pecus* (quod dispersum vagabatur) in unum locum. Heyn. recte addit: „tacite vero eo ipso indicabat, furem adesse, qui caprum ex grege dolo interciperet." — *Tityrus* est Damonis caprarius. — *Carex* (nostrum *Riedgras*) apud Catull. XIX, 2. cum *iunco*, apud Colum. XI, 2. cum *filice* iungitur et Geo. III, 231. *acuta* appellatur. Cf. Calpurn. III, 94. *Ipse procul stabo vel acuta carice tectus Vel propius latitans.* — 21. Non furtum se fecisse, sed debitum a domino exegisse profitetur Damoetas. *An — non redderet ille?* Omissa est prior pars sententiae disiunctivae: Noli me furti incusare; nam non nisi debitum mihi vindicavi. Cf. de hoc loco Charis. p. 203. et Hand. Tursell. I. p. 356 sq. Pron. *ille*, quod hic opponitur Pron. *mihi*, saepissime inservit personis et rebus distinguendis opponendisque, quod Wagn. Qu. Virg. XXI, 3. multis exemplis, etiam tectioribus, (v. c. Aen. I, 683. II, 529. V, 358. III, 49 sqq. XI, 49. 422. 445. XII, 398 sqq.) comprobavit. Cf. etiam quae de Pron. *ipse* adnotata sunt ad Ecl. I, 29. — 22. Inter singulas cantilenae partes syringe vel fistula canebant. Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 21. — 23. *Si nescis*, h. e. ut hoc scias, ne hoc ignores. Sic Ovid. Epist. XX, 150. *Si nescis, dominum res habet ista suum.* Adde eiusd. Epist. XVII, 197. ex Pont. III, 3, 28. Fast. V, 229. Martial. IV, 66, 8. 81, 2. etc. Illustravit hanc formulam Passerat. ad Prop. II, 15. p. 303. Nos prorsus eodem modo alterum increpamus: *Wenn du es noch nicht weisst.* Gebauer I. p. 31. et 193. confert Theocr. XV, 91. *ὡς εἰδῇς καὶ τοῦτο.* — 24. *reddere posse negabat*, „quod, si reddidisset, palam se victum et inferiorem Damoetae esset confessus. Ergo quamquam se victum confitebatur Damoetae privatim, tamen signum victoriae ei concedere noluit, ne famam perderet." Sic *Spohn.* locum explicat, cui mecum adsentitur Bryce. Aliter Ladew.: aut simpliciter quia tam pulchro capro carere nolebat aut (quod mihi omnium minime probandum videtur) quia ipsi idem accidebat, quod Menalcae secundum v. 33 sq. — 25 sqq. ex Theocr. V, 5—7. translati. Cf. Gebauer I. p. 193. Vergilium imitatus est Calpurn. VI, 22—24. *Cantando tu illum?* scil. vicisse te ais?

Iuncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

DAMOETAS.

Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur? Ego hanc vitulam — ne forte recuses,

Interdum enim similem notionem e verbo praegresso subaudiri, ut *incedendi* notionem e verbo *currendi*, ap. Hor. Sat. I, 3, 9—11., supra Ecl. II, 15. *ferre* e verbo *pati*, et hic activam notionem *vincendi* e passivo verbo *victus* v. 21., vere adnotat Spohn. — *Aut umquam* etc. Cf. Theocr. V, 5. cum I, 125. — *fistula cera iuncta*, syrinx pluribus fistulis cerae ope compacta. Cf. not. ad Ecl. II, 36. et quod ad ceram attinet conglutinandis singulis calamis adhibitam, locis ibi laud. adde Tibull. II, 5, 32. *nam calamus cera iungitur usque minor.* Calpurn. X, 14. *cicutas, Quas ego Maenaliis cera coniungo sub antris.* id. VIII, 58. *Tu calamos aptare labris et iungere cera Hortatus* et IV, 19. *Iam puerum calamos et odorae vincula cerae Iungere non cohibes.* Codd. Rom., Gud., duo Bern. et aliquot Prisc. p. 811. P. pro *Iuncta* exhibent *Vincta*. — 26. *in triviis*, ubi ignobili plebi canere solebant rudes et indocti homines. Santen. ad Terent. Maur. p. 181 sqq., a Wagn. laudatus, conferri iubet Iuven. VII, 53., ubi legimus *communi ferire carmen triviale moneta*, et Titium ad Nemes. Ecl. IV, 3., qui canit: (*Lycidas et Mopsus*) *Pastores, calamis ac versu doctus uterque, Nec trivale sonans, proprios cantabat amores.* Adde Calpurn. I, 28. *Non pastor, non hoc triviali more viator, Sed deus ipse canit.* Ladew. potius cum Servio cogitat de carminibus, quibus Hecate in triviis posita, quae vel augere greges vel minuere credebatur, a pastoribus honorabatur. — *indoctos* Santen. l. l. a veteribus imprimis musicae atque adeo numerorum ignaros vocatos esse, locis Cic. Tusc. I, 2, 4. et Quinct. I, 10, 18. probat. Cf. etiam Ovid. Trist. IV, 1, 5. *Hoc est, cur cantet-- fossor, Indocili numero cum grave mollit opus.* — 27. Cf. Theocr. V, 7. *Stridenti*, adiective pro *stridula*, non, quae nunc ipsum stridet, sed quae semper. Participii enim *stridens*, Ablativus in *e* mittendus erat, qua de re Spohn. conferri iubet Bentl. ad Hor. Od. I, 2, 31. 25, 17. Ceterum *tibia stridens* apud Catull. LXIV, 264. et *tuba stridens* apud Lucan. I, 431. invenitur, et a Calpurn. III, 60. commemoratur *acerbae stridor avenae.* — *stipula* cum contemptu vocatur simplex fistula, comparata cum syringe, quae ex pluribus calamis est composita. Cf. adnott. ad Ecl. I, 2. — *disperdere*. Ubicunque hoc verbum minus frequentatum legitur (ut Plaut. Trin. II, 2, 53. Cas. II, 3, 32. Lucr. II, 380. Cic. Agr. I, 1, 2.), significat absumendo et dissipando aliquam rem ita perdere, ut nihil eius relinquatur, sed tota evanescat; quare hic quoque explico: tam misere dilacerare, tam corrupte efferre et modulari carmen, ut carmen esse desinat (nostrum *radbrechen*); neque prorsus reiiciendam dixerim Spohnii sententiam, Wagnero improbatam, ex qua *miserum carmen* hic idem est, quod *infelix carmen*, quod canis non a te factum, sed ex alio auditum imitari vis et exprimere, cui vero male recantando illudis. — 28. Cf. Theocr. VIII, 6, 11. 14. et Gebauer I. p. 195. Damoetas, Menalcae conviciis lacessitus, ut famae suae et honori consulat, ad certamen canendi eum provocat. *Vis ergo*, omissa Particula interrogativa habet vim excitandi. — *vicissim* i. e. per vices, ad amoebaeum carmen referendum esse docet Heyn. coll. Ecl. V, 50. Bene tamen perspexit Wagn., nostri loci non prorsus eandem esse rationem, atque illius; aliud enim esse, si alter praecat carmine cantando, alter sequatur, ut Ecl. V., aliud amoebaeum carmen, quale hic exhibeatur, ubi alterni cantent, saepe periclitantes carminibus canendis vires. Cum verbis *vicissim inter nos* confert Cic. Ep. ad Div. X, 34. *studia officii mutuo inter nos certatim constiterunt.* — 29. Cf. Theocr. VIII, 14. cum V, 23. *Vitula* hic pro iuvenca, ut etiam Geo. IV, 299. *vitulus bima curvans iam cornua fronte.* Proprie enim *vitulus* et *vitula* sunt animalia bovini generis, quae primum aetatis annum nondum expleverunt, quo expleto *iuvencus* et *iuvenca* vocabantur. — Verba *ne forte recuses* addit,

Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus — 30
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.

MENALCAS.

De grege non ausim quicquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater, est iniusta noverca,
Bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.

---

ne alter certamen detrectet, quasi vili pignore nec satis digno posito. Ceterum Wagn. Vol. V. edidit *recusses*, cum Latini Quinctiliano teste Inst. I, 7, 20. Ciceronis aetate literam *s* praegressa longa vocali vel diphthongo geminaverint, cuius consuetudinis etiam in Codd. vestigia supersint. Cf. eius Orth. Verg. ibid. p. 468 sq. et Ribbeck. Proleg. p. 445. — 30. Ex Theocr. I, 25 sq. Cf. etiam Hor. Epod. XVI, 49. *iniussae veniunt ad mulctra capellae.* et Beda Ven. in Wernsd. Poët. Lat. min. II. p. 243, 50. *Uberibus plenis veniantque ad mulctra capellae* et vid. Ecl. IV, 21. — *binos a. u. fetus*, quod, cum Aristotele H. A. VI, 21. 2. et Plin. H. N. VIII, 45, 70. testibus vaccae raro gignant geminos, pignus positum eo magis commendaret necesse erat. Ceterum vaccas vitulos adhuc nutrientes mulgeri vetat ipse Vergilius Geo. III, 176 sqq., quare hic cogitandum de vacca nimia lactis copia abundante, quod et ipsum pretium eius auget. — 31. *Depono*, (scil. ut victor deportes), quod infra, v. 36. simplex *ponere*, Graeci eodem sensu (*als Pfand, Kampfpreis niederlegen*) dicunt *κατατιθέναι ἄεθλον* (Hom. Od. XIX, 572. Theocr. VIII, 11 sq.) et *ἐρείδειν τι* (Theocr. V, 24.) — *quo pignore* scil. *posito*. De *pignore* certaminis cf. Calpurn. II, 7. 22. VI, 3. 47. praeterea etiam Theocr. VIII, 11 sqq. XXII, 70. 74. — 32. Cf. Theocrit. VIII, 15 sq. — *quicquam* cum Cod. Med., Wagn. Vol. V., et recentissimis editoribus scripsimus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 459. et Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. II. p. 501 sq. — *tecum* non: *in certamine tecum*, ut Wund. explicat, sed: *uti tu pignus ponens*, quam Spohnii explicationem veram esse, probat Plaut. Cas. Prol. v. 75. *Id ni fit, mecum pignus, si qui volt, dato*, ubi vid. Gronov. Ceterum cf. Geo. I, 41. II, 8. Aen. I, 675. et similes locos. — 33. Patet ex hoc versu, Menalcam puerum esse vel adolescentulum a parentibus severius coercitum, quod, si de amatoria, cui deditus est, levitate deque petulantia, qua Damoetam lacessit, cogitamus, mirum videri non potest. Patres autem apud Romanos multo maiorem liberorum potestatem habebant, quam apud nos. — Recte Wagn. semicolon vulgo post *pater* positum in comma mutavit, cum apertum sit, Praedicatum *iniusta* non minus ad patrem, quam ad novercam pertinere, quod iam indicat Particula explicativa *que* in *Bisque;* quare etiam post *noverca* cum Wagn. comma posuimus pro semicolo, qui praeterea in edit. min. vere addit: „nempe filio peccanti videtur iniustus, qui tantum severus est. Cf. Ter. [Heautont.] I, 2, 30 sqq." Paullo aliter Gebauer I. p. 198., qui putat, nomen *pater* ante caesuram gravissimam positum et propterea sono efferendum iam per se id significare, quod Theocritus addito epitheto *χαλεπὸς* indicare voluerit, locumque sic vertendum esse: *„Denn ich habe noch einen Vater zu Hause und dazu eine unmütterliche Stiefmutter."* Praeterea de hoc loco cf. Ameis. Spicil. p. 6. — 34. Cf. Theocr. VIII, 16. *Bisque*, et mane, dum educitur, et vesperi, dum redit pecus in stabula. De explicativa autem copulae potestate si quaeritur, duplex ratio discernenda. Aut enim coniungit totas sententias, ita ut priorem explicet et definitius exponat posterior, ipsaque valeat *et propterea, et ita, et sic*, (quemadmodum h. l.; qua de re cf. Walch. Emendd. Liv. p. 65 sqq. Wolf. ad Tac. Ann. I, 57. Wyttenb. Bibl. crit. III, 3. p. 103. Kühner. ad Cic. Tusc. I, 34, 82. (minus recte in eiusmodi quoque locis *et* per *id est* explicans) Kritz. ad Sall. Cat. 3, 5. et 19, 2. Wagn. Qu. Virg. XXXIII, 10. et Hand. Tursell. II. p. 484.); aut singulis vocabulis ita interponitur, ut alterum altero accuratius definiens, vel alio nomine declarans, per *id est* commode reddi possit. Vid. Oudend. ad Apul. Met. p. 462. Goerenz. ad Cic. Acad. I, 5, 21. p. 35. id. ad Finn. I, 10, 34. p. 47. Beier. ad Cic. Off. I, 10, 33. p. 75. Beneck. ad Cic. Cat.

Verum, id quod multo tute ipse fatebere maius, — 35
Insanire libet quoniam tibi — pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis;
Lenta quibus torno facili superaddita vitis

IV, 1, 2. Kritz. ad Sall. Cat. 4, 2. Hand. Tursell. II. p. 479. alii. — — *die.* Vid. adnott. ad Ecl. II, 42. — *numerant.* Hinc ductum esse illud: *Pauperis est numerare pecus*, ap. Ovid. Met. XIII, 824., docet Heyn. Cf. etiam Ecl. VI, 85. et Calpurn. Ecl. III, 64. *quot nostri numerantur vespere tauri?* — *alter* cum scribat poëta, non *ille*, non solum de patre, sed etiam de noverca vult cogitari: modo ille, modo haec, ut fert occasio. — 35. Totum, qui sequitur, locum v. 35—47. expressum esse ad Theocr. I, 27—60. exemplum, docet Gebauer I. p. 199 sqq. De Pronomine *id*, relativo, quod ad totam aliquam enuntiationem refertur, per abundantiam quandam addito in sententiis, quae, ut primariae sententiae veritatem confirment, parenthetice interponuntur, cf. Goerenz ad Cic. Legg. I, 19, 52. Beier. ad Cic. Off. II, 23, 83. Beneck. ad Cic. Cat. I, 3, 7. p. 36. et II, 8, 18. p. 151. Zumpt. Gramm. §. 371. imprimisque Kritz. ad Sall. Iug. 56, 1. — 36. *insanire*, h. e. mecum certare; sed indicat etiam, Damoetam esse stultum, qui tali praemio posito certamen inire audeat, in quo se victum iri praevidere possit. Verba *insanire libet* leguntur etiam in Anth. Lat. Burm. III, 81, 13. Gebauer I. p. 204. poëtam nostrum ante oculos habuisse Theocr. V, 23. putat. — *quoniam, da nun einmal.* Vid. Frotscheri Obss. ad Sallust. Part I. p. 16. Herzog. ad Sall. Cat. 1, 3. Kritz. ad Sall. Cat. 37, 3. Grysar. *Theorie d. lat. Stils* p. 572. et libellum meum: *Aufg. z. Bild. d. lat. Stils.* ed. 6. p. 87. not. 17. — *pocula ponam.* Heyn. Pluralem pro Singulari positum censet, ut Damoetas v. 44. tamquam maius aliquid subiiciat *Et nobis — duo pocula*; sed rectius Voss. (quem Wund. et Wagn. sequuntur) de duobis poculis cogitat, *pocula* pro uno poculo dici, recte negans et docet paria poculorum haberi esse solita; bina autem singulis convivis fuisse apposita, apparet ex Hor. Sat. I, 6, 117. Cf. etiam Cic. Verr. II, 2, 19. 22, 49. Lersch. tamen Antiqq. Verg. p. 210. (coll. Ecl. II, 40. Aen. V, 61. 306. 557. IX, 263.) docet, omnino saepe duplicia esse, quae muneri dentur. — *fagina* autem pocula bene conveniunt pastorum paupertati. Sic apud Ovid. Met. VIII, 669. pauper Philemon proponit hospitibus suis *fabricata fago pocula.* Ceterum Wagn. adnotat, fagineorum poculorum usum dudum exolevisse apud Romanos, certe elegantiores, quod appareat ex Tibull. I, 10, 8. *nec bella fuerunt, Faginus adstabat cum scyphus ante dapes* [cui addi poterat Plin. H. Nat. XVI, 43, 84., qui fagum non nisi capsis ac scriniis fabricandis utilem esse dicit]; his autem Menalcae poculis pretium accedere ex caelaturae artificio. Cf. etiam Theocr. I, 27. sqq. — 37. *caelatum opus* est anaglyphum plerumque in aere, argento, auro, rarius, ut h. l., in ligno factum. — *Alcimedontis.* Fictum videtur artificis nomen. Sillig. tamen in Catal. artif. p. 36. haec scribit: „Haud ego recusaverim, si quis Alcimedontem Vergilio aequalem fuisse dicat, qui hac ratione artificem eleganter adulatus sit.“ Wagn. adnotat, similiter apud Theocr. V, 105. pastorem iactare crateram a Praxitele factam, quam possideat. Cf. etiam Gebauer I. p. 204. — 38. *lenta--vitis*, i. e. flexibilis, legitur etiam Ecl. IX, 42. X, 40. Catull. LXI, 106. Tibull. IV, 1, 171. Cf. praeterea Ecl. I, 25. III, 83. V, 16. 31. IX, 42. Geo. II, 12. IV, 34. 558. et adnott. ad Ecl. VII, 48. et Geo. IV, 170. — *quibus*, in quibus poculis, i. e. in quorum ora. — *torno facili.* Tornus (τόρνος), proprie instrumentum fabrile, quo ligna, ebur et huiusmodi res rotundantur ac poliuntur (cf. Heins. ad Prudent. c. Symm. I, 202. p. 802 sq. Bentl. ad Hor. A. P. 441. p. 171. alii), hic pro scalpro, caelo positus. Sensus est enim: postquam pocula torno polita sunt, superaddita est iis vitis per scalpturam. *Seb. Ciampius* tamen in *Diss. dell' ant. toreut.* p. 43. putat, veteres etiam, ut recentiores, tornandi artem ita calluisse, ut unius ope torni pocula anaglypticis cuiusque generis distinguerent figuris. Heyn. autem, quem miror, (cf. adnott. ad v. 40. sqq.) non de Graeci alicuius artificis, sed de pastoris opere sermonem esse ratus, per *tornum* intelligit scalpellum, quo et *exca-*

Diffusos hedera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon et — quis fuit alter, 40

---

vaverit ille poculum et caelaverit, s. exsculpserit in poculi exteriore area *opus anaglyphum*, ita ut, collocatis in medio duorum hominum signis, oras ambiret vitis hederae implicita. Ceterum idem Heyn. de torno et caelatura uberius egit in libro *Antiquar. Aufsätze* P. II. p. 145 sqq. — *facili*, h. e. qui docta et perita manu tractatur, quae alibi ipsa *facilis* dicitur, ut apud Prop. II, 1, 10. et Tibull. I, 1, 8. Cf. etiam Burm. ad Ovid. A. A. 1, 160. et Heyn. ad Tib. I, 4, 40. Valet igitur epitheton ad artificis peritiam et artem in rotundandis et levigandis poculis exprimendam. Fragm. Vat. et duo Bern. a. m. pr. praebent *facilis*, quod a prima Vergilii manu fuisse testatur Serv. ad Aen. II, 592.; sed quamvis per se ferri possit haec lectio, ut sensus sit: „superaddita est lenta vitis multa cum facilitate," recte tamen Wagn. censet frigere voc. *torni*, epitheto ornante non addito. (Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 179.) — *superaddita*, ut apud Prop. II, 13, (III, 4,) 33. *Et sit in exiguo laurus superaddita busto.* Verbum *superaddere*, Gr. ἐπιπροστιθέναι, redit Ecl. V, 42. Ribbeck. divisim scripsit *super addita.* Cf. adnott. ad Ecl. VI, 81. atque Gebauer I. p. 74. et 252. — 39. *Vitis* circumplicans *corymbos hedera diffusos*, i. e. qui ab hedera diffusi pendent, simul cum hedera ambit et distinguit duas caelatas imagines Cononis et (ut videtur) Eudoxi. Cf. etiam Theocr. I, 29 sqq., quem locum Verg. ante oculos habuit, et Calpurn. Ecl. X, 18. 19. *corymbis Vitea serta plicas.* — *Corymbi* Heynio teste sunt racemi hederae in orbem circumacti (ut Plin. XVI, 34, 62.) et acinis ac baccis sive uvis hederae graves. Eiusmodi autem corymbos non solum coronis et sertis ornandis adhibebant veteres (cf. Tibull. I, 7, 45. Prop. II, 30, (III, 28,) 39. III, 17, (IV, 16,) 29. Iuven. VI, 52), sed etiam a sculptore imitando effictos variis rebu sornatus causa addebant. Vid. *Monum. inediti dell'Inst. archeol.* Vol. III, tab. 5. (Nescio, an ita intelligendi sint loci Val. Fl. I, 273., ubi vid. Burm., IV, 691. et VIII, 194.) Ceterum de corymbis vid. Dissen. ad. Tibull. l. l. — *hedera pallente.* Wagn. contra Doering. disputans qui (in Progr. Goth. 1824. edito) coll. Plin. XVI, 34. Mart. V, 79. et Ovid. Med. fac. 69. pallentem dici hederam existimat eam, quae fere subnigri sit coloris, cum color hederae in tali opere distingui non potuerit, *pallente* simpliciter pro epitheto ornante habet, ut supervacaneum sit de colore quaerere. Qua quidem in re Viro doctiss. non adsentior; nam et ornantia, quae vocantur, epitheta certam habeant significationem suam necesse est. *Pallens* autem haud raro dicitur de virore in obscurum et fuscum inclinante, ut Ecl. V, 16. *pallens oliva*, Ecl. VI, 54. *pallentes herbae*, Mart. V, 79. *pallens faba*, Ovid. Med. fac. 69. *pallentes lupini*, Cul. 403. *hederaeque nitor pallente corymbo* (cf. etiam Burm. ad Calpurn. VII, 9., ubi pariter *pallens corymbus*), et eiusmodi color hic suaviter discrepat a perviridi colore vitis. Ceterum Ribbeck. (non tamen sibi constans: cf. Ecl. VIII, 13. IV, 19. et Geo. IV, 124.) scripsit *edera.* (Cf. eius Proleg. p. 422.) Vide tamen Wagn. Orth. Verg. p. 441. — 40. Celeberrimorum virorum imagines metallis, marmore, ligno, cera, gypso effictas, vel gemmis incisas, usitatissima veteribus fuisse museorum, bibliothecarum, cubiculorum, vasorum et annulorum ornamenta, bene adnotat Voss. Rustici autem homines astronomis inter omnes viros doctos plurimum tribuant necesse est. *Conon* fuit celeberrimus mathematicus et astronomus, qui circa Ptolemaei Philadelphi tempora inter a. 260. et 220. a. Chr. n. vixit, et Archimedis amicus, qui aliquoties eum commemorat; ut etiam Ptol., Senec. Q. N. VII, 3. et Catull. de coma Ber. v. 7. eius mentionem faciunt. Cf. Fabricii Bibl. Gr. IV. p. 25. 176. — *et quis fuit alter* etc. De celebri astronomo loqui Menalcam necesse est, qui coeli plagas, ortus occasusque siderum et anni tempora in agricolarum usum descripserat. Haud dubie *Eudoxum* Cnidium significat, qui secundum Diog. L. VIII, 8. §. 90. circa Ol. 103. s. a. 366. ante Chr. n. floruit, et de cuius Phaenomenis, agricolarum usibus per Italiam inservientibus, vid. Colum. IX, 14, 12. (Cf. etiam Cic. Rep. I, 15. de Div. II, 42. Strab. II. p. 119. XVII. p. 806. Boehmer. Diss. de Eudoxo Cnidio. Helmst.

Descripsit radio totum qui gentibus orbem,
Tempora quae messor, quae curvus arator haberet?
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.

DAMOETAS.

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus acantho, 45

1712. Fabricii Bibl. Gr. IV. p. 10. Ukerti Geogr. vett. Gr. et Rom. I. p. 89., librum meum geogr. I. p. 111 sqq. [quosque ibi laudavi not. 47.] et Pauly *Realencyclop.* III. p. 264 sq.) Alii de aliis cogitant. — 41. *Radius* proprie geometrarum (hic astronomi) virga est, qua in mensa pulvere illo viridi conspersa, quem propterea Cic. N. D. II, 18, 48. *pulverum eruditum* vocat, formas delineabant. Cf. etiam Cic. Tusc. V, 23, 64. *homunculum a pulvere et radio excitabo*, ubi vid. Wolf. et Kühner., praeterea autem Aen. VI, 850. et Claud. Cons. Mall. 275. *Manlius igniferos radio descripserat axes.* — *Descripsit--orbem, quae tempora* pro vulgari: *descr. orbem* (coeli, mundi, cf. Ecl. VI, 34.), definiens, *quae tempora* etc. De mutata constructione, qua ex uno eodemque verbo primum Accusativus Obiecti, tum sententia aliqua relativa pendet, cf. adnott. ad Aen. II, 5. — 42. Notato siderum ortu et occasu definiit tempus, quo metendum, quo arandum esset. Cf. Hesiod. Op. et D. 384. — *curvus arator*, i. e. curvato corpore incumbens aratro et sic ipso corporis pondere vomerem terrae altius imprimens; ut iam Wagn. explicuit (qui Vol. V. *corvos* scripsit antiquiore ratione, quam etiam Ribbeck. et Haupt. secuti sunt. Cf. eius Orth. Verg. p. 447 sqq. et Ribbeck. Proleg. p. 438.) De ipsa re vid. Geop. II, 2. et Plin. H. N. XVIII, 19, 49. (*Arator, nisi incurvus, praevaricatur.*). Voss. praeterea observat, eiusmodi versus hexametros in duo amphibrachos post trochaeum exeuntes rarius inveniri. Comparat infra v. 58. et Geo. III, 519., quibus adde Aen. I, 113. 188. 477. 558. 749. II, 380. 365. 670. 744. III, 395. 459. IV, 218. 521. V, 766. etc. — V. 43. conversus ex Theocr. I, 59. 60. Cf. de hoc loco Ahrens. in Philol. VII. p. 412. — 44. Damoetas dicit: non est, quod pocula tua tantopere iactes; sunt etiam mihi pocula duo tuis simillima, eiusdem pretii ac tua, sed, ut ex seqq. apparet, eodem exemplo facta. Procul dubio respexit poëta simillimum locum Theocr. III, 18. 19. et 21. 22. Cf. Gebauer de poët. I. p. 61. Ceterum his quoque verss. comprobari videntur, quae supra contendimus, non servum esse Damoetam, sed colonum non omnino inopem. — 45. *molli--acantho.* Heyn. adnotat: „*Mollis* est proprium ex acanthi lubrica et flexuosa natura epitheton. Vid. Geo. IV, 137. et apud Theocr. I, 55., unde haec expressa, *ὑγρὸς ἄκανθος*." Quod quamquam verum esse concedo, (cf. etiam Ecl. II, 72. Geo. IV, 123., ubi eodem sensu *flexi vimen acanthi* legitur, Plin. Ep. V, 6. *Acanthus in plano mollis et, paene dixerim, liquidus* et Calpurn. IX, 5. *Et molli gremium compleret acantho*), non omnino tamen reiiciendam duco Schirachii p. 618. sententiam, qui animadvertit, exprimi hoc epitheto artem artificis, qui sic frutices illos expresserit, ut omnem suam naturam retinuisse viderentur. Constat enim, in fingendi et sculpendi arte *mollia* dici, quae singulari arte ita sint efficta, ut mollia quasi et flexibilia videantur. Cf. v. c. Hor. A. P. 33. *molles imitabitur aere capillos*, et Burmann. ad Val. Flacc. VI, 333. Quid igitur impedit, ne poëtam hoc potissimum epitheto uti voluisse putemus, quo simul ad caelatoris artem docte alluderet? Consentit mecum Conington. — *Acanthus* hic et Ecl. IV, 20. Geo. IV, 123. et 137. Aen. I, 649. et 711. est herba illa silvestris, quam nos *Bärenklau* dicimus. De acantho, arbore Aegyptia, Heyn. adnot. suam ad Geo. II, 119., Böttiger. ad Vasa picta Vol. I. p. 80. et Ciofan. ad Ovid. Met. XIII, 701. conferri iubet. Praeter Salmas. Exercitt. Plinn. p. 375 sqq. adde Sprengel. ad Dioscor. II, 17. p. 499 sq. et Billerb. Flor. class. p. 164 sq., qui recte duo acanthi genera distinguunt, *mollem* et *spinosum*. — *circum*, absolute positum, *ringsherum*, ut saepissime (fortasse etiam Aen. V, 312. ubi vid. adnott.). Alius generis sunt ii loci, in quibus Praepositio per tmesin a verbo seiungitur, ut apud nostrum Aen. I, 175. et II, 792. *circum dare*, apud Lucr. V, 881. *circum*

Orpheaque in medio posuit silvasque sequentis;
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectas, nihil est, quod pocula laudes.

MENALCAS.

Numquam hodie effugies; veniam, quocumque vocaris.
Audiat haec tantum — vel qui venit ecce Palaemon.

---

agere, apud Ovid. Met. XII, 528. *circum sonare* etc. De composito enim verbo *circumamplecti* hic noli cogitare. Cf. adnott. ad Aen. l. l. Ceterum Wagn. Vol. V. scripsit *circumst.* Vid. supra ad Ecl. II, 70. — *ansas amplexus*, circumdedit, cinxit ansas. Cf. praeter Aeneidos l. l. Plaut. Capt. III, 4, 120. *compedes amplectuntur crura.* Plin. Ep. X, 75. *Ego cogito-- eum locum -- exedra et porticibus amplecti.* — 46. De silvis Orpheum canentem secutis cf. praeter Vergilium ipsum (Ecl. VIII, 55. et Geo. IV, 453 sqq.) Apollon. I, 26 sqq. Hor. Od. I, 12, 7 sq. Ovid. Met. X, 86 sqq. Claud. de rapt. Pros. praef. l. II, 21 sqq. -- 47. Iteratur v. 43., ut haud raro in carmibus amoebaeis. Vid. infra v. 104. et 106. et quae de integris versibus apud Vergilium duobus pluribusve locis repetitis disputavimus ad Ecl. V, 37. Sententia haec est: Etiam mihi sunt duo pocula tuis simillima, quae si voluissem, certaminis praemium potuissem proponere. Sed tam vile pignus respuens, vaccam deposui, cum qua comparata pocula tua iacent. Quare fortuna favente vaccam reportaturus, non est, cur multis verbis illa praedices. *Si ad vitulam spectas*, i. e. si vitulae, mei pignoris, rationem habes; nam *spectare ad aliquid* valet intentis oculis aliquid intueri, ideoque etiam cogitare vel sibi proponere aliquid assequendum; ut Varr. R. R. 3, 6. *Pavones pauciores esse debent mares quam feminae, si ad fructum spectes*; Cic. in Vat. 10, 24. *Ipse ad imperatoris laudes a puero videlicet spectaras.* Ovid. Met. I, 628. *Constiterat quocunque modo, spectabat ad Io; Ante oculos Io, quamvis aversus, habebat.* (Cf. etiam Bach. ad Ovid. Met. I, 767.) Quae locum explicandi ratio mihi simplicior videtur altera, a Burm., Heyn. Spohn. et Wagn. in edit. min. prolata, qui viri docti paullo artificiosius verba ita construentes: *si pocula spectas ad vitulam, nihil est quod laudes*, Praep. *ad* cum vi comparandi dictam censent, (de qua cf. Gronov. Obss. IV, 6. p. 581. ed. Lips. Barth. ad Gratii Cyneg. 211. et quos Hand. in Tursell. I. p. 104 sq. laudat.) — 49. *Numquam hodie effugies*, quasi Damoetas contemnens praemium a Menalca positum certamen vitare vellet. Macrob. Sat. VI, 106. Naevii locum huic comparat: *Numquam hodie effugies, quin mea manu moriare*, quod Wund. observat, addens Prop. II, 8, 25. (7, 87.) *Sed non effugies, mecum moriaris oportet.* — *Numquam*, gravius simplici negatione, i. q. nullo pacto; ut Aen. II, 670. *Numquam omnes hodie moriemur inulti.* Plaut. Asin. III, 3, 40. *Qui hodie numquam ad vesperum vivam.* Ter. Phorm. V, 3, 22. *Numquamne hodie concedes mihi, Neque intelliges?* eiusd. Adelph. IV, 2, 31. *verum hodie numquam monstrabo* etc. Cf. Handii Tursell. III. p. 99. Gebauer I. p. 31. comparat Theocr. VIII, 10. et 15. *οὔποτε.* — *„veniam, quocumque vocaris*: descendam ad omnia quavis conditione proposita certabo; modo arbiter certaminis adsit.“ *Heyn.* Scilicet victoriam certissime sperans audet et ipse vitulam ponere, quam non sine summo periculo amitteret, cum pater et iniusta noverca bis die numerent pecus (v. 33 sq.). Spohn. haec verba minus recte ad ipsum certamen, non ad pignus certaminis refert. Ceterum verba *veniam, quocumque vocaris* iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 147, 37. et III, 81, 70. Cf. etiam Calpurn. I, 13. *quo me cumque voces, sequar.* — 50. *Audiat haec tantum* — volebat subiicere nomen pastoris alicuius, qui idoneus arbiter certaminis esset, cumque circumspicienti se offerret Palaemon, *vel hic Palaemon*, pergit, *audiat, qui ecce venit.* Cf. Theocr. V, 61 sqq. (VIII, 25 sqq.) et Gebauer I. p. 206. — Quem Spohn. Palaemonis nomine significari suspicetur, vidimus in Argum. (p. 37.) Wund. minus probabiliter haec adscripsit: „Particula *vel* haud dubie notat, Menalcam indicem aequiorem vel peritiorem quidem desiderare, sed vel hoc iudice de victoria esse certum;“ cui recte videtur Wagn. op-

Efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.

DAMOETAS.

Quin age, si quid habes; in me mora non erit ulla,
Nec quemquam fugio: tantum, vicine Palaemon,
Sensibus haec imis — res est non parva — reponas.

PALAEMON.

Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba.
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus.

---

ponere: non esse probabile, hominis non satis idonei arbitrio permitti iudicium, cum de tanto praemio certetur. Immo Part. *vel* omnino significat, se quovis iudice de victoria esse certum. De Particula *ecce* vid. adnot. ad Ecl. II, 46. Respexit hunc locum Calpurn. VI, 21. *veniat licet arbiter Alcon*, ibid v. 28. *Ecce venit Mnasyllus: erit, nisi forte recuses, arbiter*, et v. 92. *et venit ecce Micon.* — 51. Ante Vossium minus recte sic distinguebatur: *Efficiam posthac, ne* cett. Totus versus repetitur in Anth. Lat. Burm. I, 178, 267. et III, 81, 72. atque etiam Calpurnio VI, 88. obversabatur. Videtur autem Verg. respexisse Theocr. V, 44. *καὶ ὔστατα βωκολιάξῃ* (ubi vid. Reisk.) Cf. Gebauer I. p. 206 sq. — 52. *si quid habes*, quod canas, si quid potes canere. Redit haec formula dicendi Ecl. IX, 32., cum quo loco cf. Ecl. V, 11. Notissimum autem est *habeo dicere, ἔχω εἰπεῖν*, i. e. habeo materiam et facultatem dicendi, sive possum dicere. Ceterum poëta videtur memor fuisse Theocr. V, 78. Cf. Gebauer I. p. 207. — *in me mora non erit ulla.* Cf. Ter. Andr. II, 5, 9. Ovid. Met. XI, 160. etc. Saepius dicitur *per me nulla mora est.* Cf. Ter. Andr. III, 4, 14. Sen. Thyest. 1022. etc. — 53. *Nec quemquam fugio*, i. e. nec te fugio, nec alium quemquam, cum quo certem carmine. Respicit autem Damoetas verba Menalcae v. 49. *Numquam hodie effugies.* — Captat Damoetas Palaemonis benevolentiam, *vicinum* appellans. Cf. Terent. Heaut. I, 1, 5. *vicinitas, Quod ego in propinqua parte amicitiae puto.* — 54. *Sensibus--reponas*, immittas, infigas. Iubetur Palaemon attentissime audire canentes, ut iustum ferre possit arbitrium. Sic poëta trag. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 162. *cape dicta memor -- Sensibus hic* (*haec?*) *imis.* Gebauer I. p. 207. comparat Theocr. V, 68 sqq. — *res est non parva*, scil. vitula, praemium victoriae. Recte autem Wagn. adnotat, Damoetam haec dicentem digito monstrare vitulam Palaemoni; aliter enim non apparere, qui scire hic potuerit v. 109., vitulam esse ab iis positam. — 55. *dicite*, canite, ut sexcenties. Cf. Ecl. IV, 54. V, 2. 51. VI, 5. VIII, 5. X, 6. Geo. III, 6. Aen. VI, 644. Hor. Ep. I, 19, 8. Ovid. Rem. Am. 381. Calpurn. VIII, 22. etc. Cf. Broukh. ad Tibull. II. 1, 54. Burm. ad Nemes. I, 63. p. 21. ad Calpurn. IV, 128. p. 167. ad Ovid. Trist. V, 12, 63. et Unger de Valgio Rufo p. 51. — *consedimus* fere i. q. sedemus. Cf. adnott. ad Aen. III, 565. — *in molli -- herba, ἐν μαλακᾷ ποίᾳ* Theocriti VI, 44. Cf. Ecl. VII, 45. *somno mollior herba.* Ovid. Met. IV, 514. *mollibus incubat herbis*, et X, 513. *mollibus herbis imposuere.* Lucr. II, 29. V, 1392. *molle gramen.* Vid. etiam adnott. ad Ecl. X, 42. et VI, 53. — 56. Ex Bionis Idyll. VI, 17. *ἔαρι πάντα κύει, πάντ' ἔαρος ἀδέα βλαστεῖ.* Cf. etiam Geo. II, 330. et 429. ibique adnott. — *arbos.* De hac antiquiore forma, poëtis vel nulla metri necessitate cogente frequentata, cf. Schneid. Gramm. II, 1. p. 57 sq. et quae ipse adnotavi ad Lucr. I, 774. *Arbos* autem (et *honos*) Cod. Med. constanter exhibet. Cf. Wagn. in Varr. Lectt. ad h. l. et Geo. II, 150. Ceterum vide Pentadii imitationem huius loci in Anth. Lat. Burm. V, 69, 3. *Parturit omnis ager, praesentit terra calorem Germinibusque novis parturit omnis ager*, et cf. Ecl. VII, 55. Ovid. Met. XV, 204. Fast. I, 151. et similes loci. — 57. *annus* pro anni tempore. Sic Aen. VI, 311. *frigidus annus*, ap. Hor. Epod. II, 29. *annus hibernus* etc. Memores sunt huius loci Calpurn. V, 21. *Tunc florent silvae viridisque renascitur annus* et Co-

Incipe, Damoeta; tu deinde sequere, Menalca.
Alternis dicetis; amant alterna Camenae.

DAMOETAS.

Ab Iove principium, Musae; Iovis omnia plena;
Ille colit terras; illi mea carmina curae.

---

lum. X, 282. *nunc est mollissimus annus.* Gebauer Progr. p. 12. confert Theocr. VII, 85. VI, 16. XXI, 26. Bion. III, 7. Ovid. Fast. IV, 129. *formosum tempus* et laudat Fritzsch. ad. Theocr. XXV, 28. — 58. Ex Theocr. IX, 1. 2., de qua Theocriti imitatione temere dubitasse Buechelerum in Annal. phil. et paed. LXXXI. p. 342., docet Gebauer I. p. 209. Damoetam incipere iubet Palaemon, quia ille certamen proposuerat. — 59. *Alternis, δι' ἀμοιβαίων.* Theocr. VIII, 61. coll. cum v. 31. Cf. Ecl. VII, 18. — *amant alterna Camenae.* Cf. Hom. Il. I, 604. *Μουσάων θ', αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ* et, qui illum imitatur, locus Od. XXIV, 60. *Μοῦσαι ἐννέα πᾶσαι ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ Θρήνεον.* Vide etiam Ecl. VII, 19. ibique adnott. — *Camenae* (s. *Camoenae*, quae tamen scribendi ratio minus probanda) Romanis vocantur Musae a *canendo*, ut non insolita confusione literarum *n* et *m* (de qua vid. Schneid. Gr. I. 1. p. 314.) *Canenarum* nomen in *Camenarum* mutatum videatur. (Cf. Festus s. v., Serv. ad h. l. et Macrob. Somn. Scip. 2, 3.) Alia tamen est Doederleinii opinio, qui Synon. P. 3. p. 36., ut Adi. *amoenus* ex *animoenus*, ita nomen *Camoenae* ex *Canimoenae* per syncopen ortum putat. Voss. denique per aliam syncopen ex *Carmena* factum censet, cui opinioni favere videtur comparatio nominis *Carmentae.* Ceterum hunc locum sic imitatur Calpurn. Ecl. IV, 80. *Dicite, ne mora sit, vicibusque reducite carmen: Tuque prior, Corydon, tu proximus ibis, Amynta.* — 60. Esse hunc versum ex principio Phaenomenorum Arati translatum, iam Serv. observavit; Heyn. autem praeterea docet, Vergilium colorem ex Theocr. V, 80—83. mutuatum esse, simulque respexisse ad eiusd. Idyll. XVII, 1. Cf. etiam Gebauer I. p. 211. *Ab Iove principium, Musae.* Ita distinguendum esse, ut *Musae* sit Vocativus, non: *Ab Iove principium Musae*, i. e. carminis (ut infra v. 84. et Ecl. I, 2., ubi vid. adnott.), docet Theocriti locus XVII, 1., ex quo hic fluxit: *Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ ἐς Δία λήγετε, Μοῖσαι.* (Cf. etiam Ovid. Met. X, 148. *Ab Iove, Musa parens, — cedunt Iovis omnia regno — Carmina nostra move*); neque video, cur Wagn. hanc rationem non nisi „cunctabundus" sequatur. Cf. etiam Alcman. Fr. 31. *ἐγὼ δ' ἀείσομαι ἐκ Διὸς ἀρχόμενος.* Pind. Nem. V, 25. (Musae) *πρώτιστον μὲν ὕμνησαν Διὸς ἀρχόμεναι σεμνὰν Θέτιν Πηλέα τε.* Strat. in Anthol. Gr. XII, 1, 1. *Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καθὼς εἴρηκεν Ἄρατος.* Cic. in Arateis (de Legg. II, 3, 7.). *Ab Iove Musarum primordia.* Ovid. Fast. X, 111. *Ab Iove surgat opus.* Calpurn. Ecl. IV, 82. *Ab Iove principium, si quis canit aethera, sumat* etc. Ceterum non *A Iove*, sed *Ab Iove* scribendum esse, praeter alios pluribus exemplis docuerunt Wagn. Qu. Virg. I, 1. et Hand. Turs. I. p. 5. Cf. Geo. III, 35. Aen. I, 380. VI, 123. — *Iovis omnia plena* dixerat Aratus Phaen. 2. *μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί, πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα καὶ λιμένες.* (Cf: Geo. VI, 220 sqq.). Heyn. putat, Aratum spectasse Stoicorum dogma de anima mundi, quae universum hoc permearet. Sed quid iubet his verbis Stoicorum illud dogma subiici? quae hic quidem nihil aliud significare possunt, quam: omnia (rus quoque) sunt plena documentis divinae maiestatis et providentiae, et explicantur sequentibus: *Ille colit terras.* Etiam hic noli cum Heynio de recondita philosophorum doctrina cogitare in eiusmodi levi idyllio; quamquam omne hoc principium carminis magnificum et elatum ad argumentum tractatum minus quadrare, quis negare possit? *Colere* autem hic quidem non explicuerim cum Servio per *frequentare* (de qua signif. cf. not. ad Ecl. II, 61.), sed propter verba, quae sequuntur *illi mea carmina curae*, pro *curare* positum dixerim. Sententia haec est: Quia Iupiter terrarum curam gerit, propterea eidem grati et accepti ruricolae, pastores eorumque carmina; quod iam Wagn. vidit, cui tamen in

MENALCAS.

Et me Phoebus amat; Phoebo sua semper apud me
Munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.

DAMOETAS.

Malo me Galatea petit, lasciva puella,
Et fugit ad salices, et se cupit ante videri. 65

---

seqq. non possum adsentiri. V. 62. enim verba *Et me Phoebus amat* ita explicat, ut sibi non opponantur Iupiter et Apollo, sed sensus sit: non tibi favet Apollo soli, sed etiam mihi; cum omnis canendi peritus a Phoebo ametur necesse sit, atque haec modestius respondeat Damoetas, quod superbius Menalcas dixerit, Iovi grata esse, quae ipse canat. Sed, nisi omnia me fallunt, locus Theocriteus, quem Vergilius ante oculos habuit, V, 80 sqq. *Ταὶ Μῶσαί με φιλεῦντι - - καὶ γὰρ ἔμ' Ἀπόλλων φιλέει* (pro quo mihi potius alios Theocriti locos, V, 106. 122. IX, 15. et IV, 9. afferendos fuisse, monet Gebauer. de poët. I. p. 30., ceterum mecum consentiens) coll. cum Calpurn. Ecl. II, 28. *Me Silvanus amat - - Et mihi Flora comas spargit*, (ubi Glaeserum perperam edidisse *At mihi*, Gebauer ibid. recte memorat,) luce clarius demonstrat, quomodo noster intelligendus sit, et falsam esse Wagneri explicationem, qui quomodo haec inter se conciliare velit: Mea carmina *Iovi* grata sunt — et *Mihi quoque* favet *Apollo*, equidem non perspicio. Haud dubie sibi opponuntur Iupiter et Apollo, copula *et* autem non per *auch*, verum, pariter atque in locis illis Theocriti et Calpurnii, per *und* reddenda est, ut hic sensus prodeat: *Te* iuvet per me *Iupiter* tuus, *me* amat Apollo; et in carminibus pangendis profecto maius quid est, ab Apolline iuvari, quam ab Iove. [Non tamen reticendum, in minore edit. Wagnerum, mutata sententia, mecum videri consentire, cum adnotet: „Modestius respondet Dam., cum Men. superbius iactasset Iovi placere sua carmina"; neque aliter, atque ego, locum explicant Ladew., Bryce et Conington.] — *sua*, i. e. propria, quae ipsi conveniunt, quae ipse sua esse voluit. Vid. not. ad Ecl. I, 37. et Ecl. VII, 62. — 63. *lauri, et*. Vid. supra ad v. 6. Et hyacinthum et laurum in dei gratiam et honorem se colere ait. Haec autem Phoebo grata erat ob Daphnen, ille ob Hyacinthum. Daphne enim nympha, quam Apollo deperibat, sive ab Iove, sive a Peneo patre in laurum mutata (cf. Ovid. Met. I, 452. sqq., imprimis v. 548 sqq. Hyg. f. 203. Parthen. 15.), Hyacinthus autem, Amyclae, regis Spartani, et Diomedae filius, ab eodem Apolline et Zephyro uno tempore amatus, cum disco huius zelotypia in ipsius caput directo interfectus esset, ab illo in florem illum conversus est, de quo cf. not. ad Ecl. II, 18. et infra ad v. 106. (Vid. Ovid. Met. X, 162 sqq. Lucian. dial. deor. 6. et Serv. ad h. l.) — *suave rubens* redit Ecl. IV, 43. ut Cir. 95. et. Cop. 19. Calpurn. autem Ecl. IX, 45. 48. pro eo scripsit *dulce rubens hyacinthus*. Sic *suave* pro *suaviter* etiam Hor. Sat. I, 4, 76. *suave resonat locus*. Apulei. Met. II. p. 118. Elmenh. *lectum suave quatere* et alibi. Cf. etiam adnott. ad Ecl. III, 8. Respexit hunc locum poëta in Wernsd. Poët. L. min. IV, 325, 40. *Nunc laurus, nunc myrtus - - habent sua munera lauri.* — Voss. et Spohn. docent, sequi quina carmina amatoria, 64—83., quae non ad ipsos pastores eorumque amores referri debeant, sed quae ficta sint ipsis, aut audita ab aliis, ut IX, 32. — V. 64. 65. ex Theocr. V, 88 sq. et VI, 6 sqq. sumpti. Cf. Gebauer I. p. 212. — *malo - - petit*. Mala Veneri sacra; quare malo petere, mala mittere, mala dissecta una comedere amantium est. Cf. Isidor. XVII, 7, 3. p. 532 ed. Lindem. Burm. ad Lottich. p. 338. Iacobitz. ad Lucian. Tox. 13. p. 66. et Obbar. ad Hor. Ep. I. 1, 78. Vol. I. p. 86. — *et se cupit*. Burm. Anthol. Lat. p. 37. et Drakenb. ad Liv. Epit. l. XLVIII. legi volebant: *sed se cupit*. Sed recte defendit Codd. lectionem Wagn. Qu. Virg. XXXV. p. 559. Alacritatem enim et vigorem affert orationi. Adde, quod etiam in Anth. Lat. Burm. I, 147, 26., ubi haec verba iterantur, legimus *et se cupit ante videri*, quamquam in alia huius loci imitatione ap. Wernsd. Poët. L. min. VI, 282, 69. sane legitur *sed magis ex aliqua cupiebat parte videri*. — *ante videri*, antequam a saliceto occultetur. Delitescere autem esse amantium, Wagn.

MENALCAS.

At mihi sese offert ultro meus ignis, Amyntas,
Notior ut iam sit canibus non Delia nostris.

DAMOETAS.

Parta meae Veneri sunt munera: namque notavi
Ipse locum, aëriae quo congessere palumbes.

MENALCAS.

Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta

---

docet coll. Plaut. Rud. II, 5, 9. *Amat hercle me, ut opinor: delituit mala.* — 66. Damoetas puellae alicuius amore gloriatus erat. Menalcas respondet: Nihil dicis. Me et puer et puella amat. Ceterum maiora quidem iactare Menalcan, sed suaviorem esse Damoetae imaginem, vere sensit Wagn. — *sese offert ultro.* Cf. Tibull. I, 4, 55., ubi Huschk., nostro loco comparato, iure defendit lectionem (*oscula*) *Rapta dabit primo, mox offeret ipse roganti.* — *meus ignis*, i. e. cuius amore flagro, paullo insolentius dictum, cum alibi *ignis* (Aen IV, 2. Hor. Od. I, 13, 8. III, 7, 10. Ovid. Met. IX, 515.) et *flamma* (Geo. III, 271. Hor. Od. I, 27, 20. Catull. XLIV, 92 etc.) de ipso amore usurpetur. Sed ita etiam Calpurn. XI, 4. *Lycidae crinitus Iollas Ignis erat*, et Hor. Epod. XIV, 13. *pulchrior ignis.* Atque etiam nos dicimus *meine Flamme* pro: *der Gegenstand meiner Flammen.* Similis est locus Ecl. X, 36., ubi vid. adnott. — 67. Sententia haec est: Uterque tam saepe casam meam frequentat, ut a canibus meis non amplius allatretur. *Delia* nomen amicae, quae frequenter pastorem suum conveniebat more antiquo (cf. Ecl. VII, 40. Tibull. II, 5, 36. Ovid. Am. I, 5, 9. etc.); Burm. memorat, utrique animalia deabus, quarum nomina habent, sacra et cara tribui, Deliae, quod nomen Dianae est, canes, Veneri columbas. Rectius dixisset, canibus cum hac Delia, palumbibus cum hac Venere coniunctis alludi ad dearum cognominum delicias; nam Deliae certe hic non *tribuuntur* canes. — 68. 69. ex Theocr. V, 96 sq. Cf. Gebauer. I. p. 214. Haec munera imprimis commendantur difficultate, qua iuvenes amantes iis potiuntur ex arborum cacumine depromendis. *meae Veneri*, Galateae modo commemoratae. Cf. Plaut. Curc. I, 1, 36. *Tun' meam Venerem vituperas?* Lucr. IV, 1181, Cic. Coel. 21. etc. — *Ipse*, i. e. mea manu, incidens aliquod signum in arbore; ut recte explicat Wagn. Qu. Virg. XVIII, p. 466., comparans Aen. XII, 90. IX, 586. Cf. etiam adnott. ad Geo. III, 396. — *aëriae*, i. e. in alto nidificantes, (quo difficultas potiundi muneris indicatur), ut *aëriae volucres* ap. Lucr. I, 12. et V, 823. Sic Geo. I, 375. *aëriae grues*, Ovid. ex P. III, 3, 19. *aëria columba*, id. A. A. I, 26. *aëria avis*, Cic. Univ. 10. in. *animantium genus pennigerum et aërium*, Calpurn. XI, 28. *genus aërium volucres.* Cf. adnott. ad Ecl. I, 58. *Haec* autem *palumbes* pro *hic p.* notavit Quinct. I, 6, 2. Feminino enim genere non nisi a poëtis usurpatur hoc vocabulum. Cf. supra Ecl. I, 57. (ubi vid. adnott.) Hor. Od. III, 4, 9. et Schneid. Gramm. II, 1. p. 94 sq. Ceterum columbae, Veneri sacrae, usitatum erant amantium munusculum. — *congerere* absolute dictum pro vulgari *nidum congerere*. Prorsus similem locum non habeo in promptu; absolute certe usurpatur verbum a Mart. VIII, 44. *Rape, congere, aufer, posside*, i. e. divitias accumula. Plenam dictionem *nidum congerere* invenimus apud Samonicum c. 58. *Aut capit ex nido, vaga quem congessit hirundo*, cum quo loco cf. Hor. Od. III, 4, 19., ubi *collata myrtus* de palumbium nido dicitur. — 70. Quod Damoetas demum facturus est, iam fecit Menalcas, iam misit puero donum. — *Quod potui*, i. e. quantum summo labore consumpto contingere potui. (Cf. adnott. ad v. 71.) Sic Ovid. Her. VIII, 5. *quod potui, renui.* id Remed. 167. *quod potuit.* Ter. Eun. II, 1, 8. 9. *quod poteris.* Heaut. III, 1, 7. V, 4, 15. *quod potero* et Calpurn. IX, 68. (hunc locum imitatus) *Nuper, quae potui, silvarum praemia misi* etc. Omnino autem de Pron. *quod* pro *quantum* posito et in Codd. haud raro cum *quoad* permutato cf. Periz. ad Sanctii Min. III, 6, 1. et IV, 4, 84. Ruddim. Inst. II. p. 354 sq. Burm. ad Ovid. Her. l. l. Drak. ad Liv. XXVI, 32, 6. et

Aurea mala decem misi; cras altera mittam.

DAMOETAS.

O quotiens et quae nobis Galatea locuta est!
Partem aliquam, venti, divom referatis ad auris!

MENALCAS.

Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta,
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo? 75

XXXIX, 45, 7. — *puero*, Amyntae. Vid. v. 66. — V. 71. ex Theocrito III, 10. Cf. Gebauer I. p. 215. *Aurea mala* de malis Cydoniis (*Quitten*, vid. ad Ecl. II, 51.) melle condiri solitis, vel etiam cum Martino de pomis Punicis s. granatis accipi posse, Heynii est sententia. Immo *aurea mola* hic non alia esse, quam vulgaria (sed pulcherrima, *lecta* nimirum), praeter Theocriti l. l. (qui *μῆλα* simpliciter dicit, epitheto non addito) docet etiam Prop. II, 34, (III, 26,) 69. *Utque decem possint corrumpere mala puellam*, qui aperte hunc locum respexit, et Ecl. VIII, 52. Accedit, quod mala Cydonia magis in hortis, quam in silvis, et in humilioribus arboribus nascuntur; haec autem mala ex alta arbore decerpta esse, verba *quod potui* satis clare indicant. Ceterum hic locus etiam obversabatur Claudiano Epith. Pall. 8. *Scrutantur nidos avium, vel roscida laeti Mala legunt, donum Veneris* et poëtae Anth. Lat. Burm. III, 207, 1. *Aurea mala mihi -- mittis. — misi* pro donavi. *Mittere* enim proprie de muneribus dici testatur Donat. ad Ter. Phorm. I, 1, 16. — 72. Sequuntur querelae de voluptate amatoria adhuc denegata, quod Galatea blandis modo verbis Damoetam lactaverat et spe falsa produxerat. Certat poëta cum Theocr. V, 132—135. — *quotiens* nunc scripsimus cum Wagn. Vol. V. et recentissimis editoribus; formas enim *quotiens et totiens* constanter exhibere Codd. Med. et Rom., asseverat Wagn. Orthogr. Verg. p. 457. Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 434. Prisc. XVII, 5. extr. p. 1055. P. et Marius Vict. p. 2469. P. — *locuta est*. Ribbeck. et Haupt. in eiusmodi locis ubique scribunt *locutast* etc. Cf. Ribbeck. Proleg. p. 419. — 73. „*Partem aliquam* eorum, quae locuta est, *o venti* etc. Vota irrita et verba ac promissa, quae ad nihilum recidunt, noto loquendi more ferre venti dicuntur (vid. Tibull. I, 5, 35. III, 49, 96.), uti periuria amantium (ib. I, 4, 21. III, 6, 50.). Iam pastor ex omnibus iis blande dictis ac promissis partem saltem ratam esse et eventum habere precatur, dum addit: *divom referatis ad auris*. Variavit Theocriteum VII, 94. *τά που καὶ Ζανὸς ἐπὶ θρόνον ἤγαγε φάμα.*“ *Heyn.* Sed Theocriti locus minus huc quadrat; omnemque versum, in quo explicando Heyn. male confudit dictiones *venti referant* (*ad aures deorum*) et *venti ferant*, melius iam interpretatur Servius: „Ita mecum dulce locuta est Galatea, ut deorum auditu eius digna sint verba,“ rectissime autem Ladew. et Wagn. in min. edit. sensum sic constituunt: saltem *partem aliquam* (i. e. exiguam: cf. adnott. ad Ecl. II, 71.) istorum blandimentorum ad deorum aures referatis, ut hi testes sint et Galateam in fide contineant, non vero (quemadmodum alii interpretantur) ut puellae perfidiam ulciscantur, perfidiae enim nullum his verbis inest vestigium, sed tantum saevitiae, quod etiam Conington recte perspexit. Veteres autem hominum preces et vota per ventos diis adportari cogitasse, Voss. comprobat locis Ovid. Met. X, 642. et Quint. Smyrn. I, 681. Ceterum nescio, an iure Amcis Spicil. p. 6. *referatis* explicet per: „rursus feratis“, cum amantes soleant amoris testes facere deos. — 74. *ipse* sensu restrictivo de eo, qui per se spectatur. Rectissime enim Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 468. hunc locum ita explicat: „Scio equidem, si animum tuum solum per se specto, amari me a te; sed si fructum amoris specto, non eum inde capio, quem velim.“ Nam cupit Menalcas, ut Amyntas semper secum versetur. Ceterum respexit hunc locum Calpurn. Ecl. XI, 62. *Quid prodest, quod me pagani mater Amyntae* etc. — 75. Puer venationi intentus (quam a vita pastoricia non alienam esse, ad Ecl. II, 29. vidimus) non curat amatorem, sed amoris desiderio ardentem, dum ipse venatur, iubet retia

DAMOETAS.

Phyllida mitte mihi: meus est natalis, Iolla;
Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

MENALCAS.

Phyllida amo ante alias; nam me discedere flevit
Et longum „Formose, vale, vale", inquit, „Iolla."

---

observare. — *ego retia* (ad quae tu apros compellis) *servo* pro observo, ut saepe, v. c. Geo. I, 335. Aen. V, 25. VI, 198. Sil. Ital. VI, 384. *Servabam vultus ducis ac prodentia sensum Lumina.* Lucan. IV, 427. *Tunc freta servantur.* Val. Fl. I, 18. *Graiis Helice servanda magistris.* Hinc verbum proprium de Auguribus et de nautis aliisque, qui sidera observant. Vid. adnott. ad Geo. I, 335. Wagn. docet, inter eos, qui venatoribus adesse soleant, a Polluce V, 17, numerari λινόπτας his verbis: λινόπτης, ὁ τὰ ἐμπίπτοντα ἀποσκοπούμενος, Sic etiam Hesychius: λινόπτης, ὁ ἐν τοῖς κυνηγετικοῖς λίνοις ἑστώς, καὶ ἀποσκοπῶν τὰ ἐμπίπτοντα θηρία. *Retia* autem pueri venantis *servare* in amore fuit obsequii genus. Cf. Tibull. I, 4, 50. IV, 3, 12. Ovid. A. A. II, 189. — 76. Irrisio Iollae rivalis. Heyn. (quem prius errare temere iudicavi) recte haec adnotat: „Intelligenda est Phyllis fuisse sive serva sive amica Iollae; quem Damoetas quasi praesentem rogat, ut Phyllidem ad sacrum natalitium venire iubeat: alter, Menalcas, ut eius dictis obtrectet, se etiam amari ab ea dicit, quia se discedente fleverit, ac, tamquam ipsi comes adhaesura, Iollae amatori vale dixerit." — 77. De sacro ambarvali sermo est. Cf. Geo. I, 345. Tibull. I, 1, 21. II, 1. Festus p. 4 ed. Lindem.: *Ambarvalis hostia est, quae rei divinae causa circum arva ducitur ab iis, qui pro frugibus faciunt.* Tib. I, 5, 27 sqq. *deo pro vitibus uvam, Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.* Vitula autem ditiorum erat hostia; minus locupletes porcum vel agnam immolabant. (Cf. etiam adnott. ad Ecl. I, 8.) Ceterum Wagn., coll. Ovid. Am. III, 10, 1 sqq. et Tibull. II, 1, 11 sq., cum Vossio recte intellexit, cum irrisione haec dici a Damoeta; cum die quidem natali genio atque amoribus indulserint Romani, in sacris autem deorum, ad quae Iollam invitet, omnia debuerint esse casta. *Facere* autem et (apud poëtas maxime) *operari*, ut Graec. ἔρδειν et ῥέζειν, haud raro κατ' ἐξοχήν dicuntur de uno omnium gravissimo, quod homines obire possunt, negotio, de sacro faciendo. Cf. Colum. II, 22. *facere catulo.* Tibull. IV, 6, 14. *Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero.* Plaut. Stich. I, 3, 97. *quot agnis fecerat?* Cic. ad Brut. I, 15. *vos pontifices ad aram in Velabro facere soletis.* id. Att. I, 13, 3. *cum pro populo fieret.* Verg. Geo. I, 339. *laetis operatus in herbis.* Prop. II, 24, 1. *Cynthia iam noctes est operata decem* etc. Cf. praeter alios Boetticher Lex. Tac. p. 334. Heins. et Ruhnk. ad Ov. Her. IX, 35. Orell. ad Hor. Od. III, 14, 6. et de Ablativo adiecto Schiller ad Hor. Od. I, 3. p. 26. — 78. Cf. Heynii adnot. ad v. 76., unde patet, post verba *me discedere flevit* tale quid subintelligendum esse: et ut discessum meum impediret, potius Iollae valedixit, *formosum* autem Iollam per summam ludificationem dici. Sententia igitur, quae ex lege carminis amoebaei alterius verba debet exsuperare, haec est: Ego nunc solus Phyllida habeo, cuius tu, stulte, tantum una cum Iolla ab ea irriso compos fieri cupiebas. (Hinc apparebit, me non amplius posse adsentiri Wagnero, qui putat, aut ipsum Menalcam Iollae nomine appellari, quod ipsi verisimilius videtur, aut Menalcam suscepta Iollae persona haec pro illo respondere, quae prius etiam mea fuit sententia). — *longum* vulgo ad Phyllidis verba trahunt (*Et Longum, formose, vale* cett.) et explicant *in longum*, Graec. μακρὰ χαῖρε comparantes (cf. Claud. Rapt. Pros. II, 234. et Huschk. ad Tibull. III, 1, 21.) et sic sane intelligere videtur imitator in Anth. Lat. Burm. I, 178., qui tragoediam suam maxime e verbis Verg. conflatam sic finit: *Et longum, formose, vale, et quisquis amores Aut metuat dulces aut experietur amaros.* At vero cum hoc sensu longum valere iubeantur in remotas terras abeuntes, aut a nobis ipsis longinqua itinera suscepturis relinquendi, quos aut sero

DAMOETAS.

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.

MENALCAS.

Dulce satis humor, depulsis arbutus haedis,
Lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.

---

aut numquam nos revisuros putamus, ab hoc loco alienum videtur. Quare potius cum H. Stephano, Iahn. et Wagn. (cui etiam Conington adsentitur) *longum* pro Adiectivo habeo cum Imperativo *vale*, qui pro Subst. positus est, coniungendo, ut *longum vale* sit voce (miserabili) in longum ducta pronuntiatum (ut apud Apul. Met. VI. post in. (p. 384. Oud.) *et longum exclamat protinus: Ah, Psyche, miseranda!*), ac si Phyllis invita et reluctans modo abiret, quod et ipsum ad cavillandum Iollam spectare puto. Aliter tamen Ladew. qui „*longum* ut ὁμοιοτέλευτον vitaretur, pro *longe* („*weithin sc. rufend*"), ut discedens Menalcas ipsam audire posset, positum censet. Gebauer. denique Progr. p. 8. coll. Theocr. V, 120. et 122. probare studet, Vocativum Iolla non ad puellae, sed ad Menalcae orationem pertinere, quo sane omnia, quae modo disputavimus, infringerentur. Eadem autem Ameisii Spic. p. 7. videtur esse sententia, qui tamen, locum sic scribens: *Et longum „Formose, Vale!" Vale! inquit, — Iolla!* quid sibi velit, non satis liquet. Cf. etiam, quae contra eum et de toto loco Gebauer de poët. I. p. 45. disputat comparans Ovid. Met. III, 501. *dictoque „vale" „vale" inquit et Echo.* — De Imperativo *vale* propter hiatum correpto vid. adnott. ad Ecl. II, 53. Plane eadem ratione Ecl. VI, 44. *ut litus, Hylā, Hylă, omne clamaret.* — 80. Cf. Theocr. Id. VIII, 57 sqq. „*Triste lupus*, notissimus Graecismus vel ex Homerico illo Il. II, 204. *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.*" *Wagn.* Equidem Graecismum non dixerim hunc usum omnibus fere linguis communem, ex quo persona aliqua tamquam res cogitatur, vel abstracta, quam vocant, alicuius rei notio, neglecto grammatico vocabuli genere, per neutrum exprimitur, ut Aen. IV, 569. *Varium et mutabile semper femina*, vel Ovid. Am. I, 9, 4. *Turpe est senex miles* etc. Cf. praeter multos alios Ruddim. II. p. 3 sqq. et Zumpt. §. 368. *tristis* autem i. q. noxius, ut apud Hor. Od. II, 13, 11. *triste lignum*, ap. Stat. Achill. II, 409. *tristis ursa* etc. — *stabulis* pro pecori stabulis incluso dictum esse patet. — *maturis frugibus imbres* rem esse tristem, auctor est Plin. XVIII, 17, 44. *Maturescentia frumenta imbre laeduntur, et hordeum magis;* quem Voss. conferri iubet cum Geo. I, 316 sqq. — 81. Arboribus aut florum aut fructuum ubertate onustis ventos vehementiores, imprimis vero Austros, valde nocere, Voss. comprobat coll. Ecl. II, 58. et Geo. I, 443.; qui paullo post cum uno Cod. male scribit *Amaryllidos.* Cf. not. ad Aen. VIII, 344. — 82. Cf. similes loci Theocr. IX, 31 sq. et X, 30. — *satis humor*, i. e. agris satis, segetibus. Cf. Geo. I, 106. Aen. II, 306. etc. Ribbeck. et Haupt. secuti optimorum sane Codd. auctoritatem ediderunt *umor.* Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 478. et Ribbeck. Proleg. p. 422. Sed vide quae supra ad v. 8. et alibi adnotavimus. *Dulce satis humor*, ut in Anth. Lat. Burm. V, 117, 15. *Dulce sopor fessis.* Cf. quae modo ad v. 80. adnotavimus. Gebauer I. p. 218. comparat Theocr. VIII, 76. — *depulsis - - haedis*, i. e. a lacte et materno ubere remotis, ut apud Calpurn. II, 47. *Ne depulsa vagas quaerat foetura parentes.* Plerumque tamen *a matribus* (Varro R. R. II, 2, 17.), vel *ab ubere* (Geo. III, 187.), vel *a lacte* (Ecl. VII, 15.) solet adiici. Ceterum cf. adnott. ad Ecl. I, 21. — „*arbutus, Erdbeerbaum*, in Italia valde frequens arbor, fructum habet fragis similem, ut tenuiorum victus esse possit. Italis dici solent *Sorbole pelose* et Romae *Cerase marine.* Frondes eius ac folia grata capellis (Geo. III, 300. Hor. Carm. I, 17, 5.), quae iisdem a lactis materni desiderio levantur. (Calpurn. Ecl. II, 44 sqq.)" Haec *Heyn.* Graecis arbor *χόμαρος*, baccae *μιμαίκυλα* vocabantur. Cf. Dioscor. I, 175. ibique Sprengel. et Billerb. Flora class. p. 112. — 83. *Salicis* frondem gratum esse capris aliisque pecoribus pabulum, iam novimus ex Ecl. I, 78. Vid. etiam Calpurn. l. l. De voc. *fetus* cf. quae adnotavi-

DAMOETAS.

Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam;
Pierides, vitulam lectori pascite vestro. 85

MENALCAS.

Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,

---

mus ad Ecl. I, 49. — *solus.* Cf. Calpurn. II, 53. 57. Theocr. IV, 38. X, 27. et Gebauer I. p. 218. — V. 84. sqq. poëtam spectasse Theocr. V, 82 sq. et VIII, 33 — 39. idem Gebauer p. 219. docet. De C. Asinio *Pollione*, viro ut civitatis regendae peritissimo, ita literarum studio mirifice dedito, qui, ipse orator et poëta haud vulgaris (tragoediarum potissimum nobilis scriptor, cf. Ecl. VIII, 10 ibique adnott.), Vergilium et Horatium singulari favore amplexus est, primamque Romae bibliothecam publicam condidit, cf. Argum. Ecl. II. Interpp. ad Hor. Od. II, 1. Weichert. Poëtt. Latt. rell. p. 293 sqq. 327 sq. 395 etc., imprimis vero Thorbeckii Comm. de C. Asin. Pollionis vita et studiis. Lugd. Bat. 1820. Ceterum Ribbeck. et Haupt., antiquiorem orthographiam secuti, ediderunt *Polio;* et sane Serv. infra ad v. 86. adnotat, utramque scribendi rationem in Codd. inveniri. Cf. etiam Lachmann. ad Lucr. I, 313. p. 33. et Ribbeck. Proleg. p. 429. — *Musam.* Vid. atnott. ad Ecl. I, 2. — *quamvis est.* Ita Heins. e melioribus libris pro vulg. *quamvis sit.* Particulae autem *quamvis*, cum proprie significet *wenn auch noch so -*, a Cicerone non nisi Coniunctivum, ab aliis vero aureae aetatis scriptoribus (Celso maxime, Nepote et Livio), ubi pro simplici *quamquam* usurpetur, interdum etiam Indicativum adiungi, itaque factum esse, ut illa apud poëtas et posterioris temporis prosaicos haud raro hunc Modum adsciscat, res est satis nota. Cf. Aen. V, 542. VII, 492. et praeter libros gramm. Burm. ad Ovid. Her. VII, 29. XIII, 119. Baumg. Crus. ad Suet. Aug. 42. van Staveren et Daehne ad Nep. Milt. 2, 3. et quos laudat Stallbaum. ad Ruddim. Inst. II. p. 352. — 85. Mire hunc locum explicuit Heyn., qui cogitat de vitula et iuvenca Pollioni, tamquam iudici carminum, donanda. Multo melius Voss. et Spohn. haec ad sacrum pro salute Pollionis, cui poëta se commendare voluerit, instituendum referunt; et Voss. quidem comparat Hor. Od. IV, 2, 54. Cf. etiam Obbar. ad Hor. Epp. Vol. I. p. 221. Male autem Ruaeus de sacris in triumpho Pollionis de Parthinis faciendis cogitat, quem ille tribus demum post annis a. d. VIII. Kal. Nov. a. 715. habuit. — *Pierides* Musae vocantur a Pieria, Macedoniae regione ad Olympi radices sita, ubi a Mnemosyne in lucem editae primum divino honore colebantur. Cf. Hesiod. Th. 53. Anton. Liber. 9. et Müller *Orchomenos* p. 381. Alii minus probabiliter deducunt hoc nomen a Piero quodam, Macedone, qui primus Musarum cultum in Thespia instituerit. (Cf. Paus. IX, 29, 2. cum Eur. Med. 831. Ovid. Met. V, 294 sqq. Trist. V, 3, 10. et Cic. N. D. III, 21, 54.) — *vitulam lectori pascite vestro*, quam diis pro Pollionis, lectoris vestri, salute sacrificem. Heyn. non temere adnotat: „*Quod lectorem* carminum memoravit, parum apte fecisse et personam in hoc pastoris male sustinuisse videri debet Maro; pastor canit carmina et auditur eius cantus, non vero scribit carmina et legitur. Ferri poterat Ecl. VI, 12. in praefatione ipsius poëtae. Alius pastor in cortice fagi versus incidit V, 13. Multo minus comtum est, quod Pollionem *lectorem Pieridum* facit; etiamsi statuere malim, *lectorem esse* h. l. qui carmina recitat." Etiam Musae vitulam et taurum pascentes vix placere possunt. Ameis. Spic. expl. Verg. p. 8. locum allegorice sic intelligendum esse putat: „efficite, ut vitula, i. e. tenuis mea Musa rustica, laete crescat et bonum successum habeat in usum lectoris, h. e. ut Pollio hanc rusticam Musam in posterum quoque dignam habeat adspectu et lectione;" quod paullo inurbanius, sed vere „absurdum" esse censet Ribbeck., qui minus offenderet, si pro *lectori* legeretur *cultori*, quod sane aptius esset. Ceterum parum feliciter Maro imitatus est Theocr. V, 82., nominum Apollinis et Pollionis similitudine inductus. — 86. *Facere carmina* locutio non minus ingenua, quam Graec. ποιεῖν ἔπεα et nostrum *Gedichte schaffen, verfertigen.* Cf. Cic. in Pis. 29, 70. pro Arch. 10, 25. ad. Qu. fr. III, 5. de Or.

Iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.

DAMOETAS.

Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet;
Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

I, 14. extr., ubi *poëma, epigramma, versus, orationem facere*, et Ter. Andr. prol. 3., ubi *fabulas facere* legitur. Simili ratione apud Plaut. Asin. IV, 1, 22. et Iustin. XXVII, 2, 6. *literas facere*. Vid. etiam Ernestii Lex. technol. etc. p. 164. — *nova carmina* rectissime Heyn. explicat: praeclara, qualia numquam antea facta, comparans Hor. Od. I, 26, 10., ubi *fides novae* a nemine ante pulsatae inveniuntur. *Novum* enim inusitatum aliquid et insolens ideoque admirandum significare, satis constat. (Cf. quos laudat Kritz. ad Sall. Cat. 51, 8.) Minus probabiliter Voss. et Wund. *nova* carmina hic ea esse censent, quibus res novae tractentur; Burm. autem de heroicis s. epicis carminibus cogitat, cum Acron ad Hor. Epist. I, 3. ult. *Lyricos vitulam, Tragicos hircum, alios* (i. e. Epicos) *poëtas taurum immolasse* narret: „ut igitur Pollio iam post Lyrica ad Epica se conferre dicatur, ideoque ipsi taurum esse pascendum"; quod argute magis quam vere dictum puto. (Cf. etiam Obbar. ad h. l. Hor. p. 221.) Immo si haec interpretatio *novorum carminum* vera esset, potius de tragoediis Pollionis cogitandum esse dicerem. Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 6 sqq. et Weichert. de L. Varii et Cassii Parm. vita p. 51. et 149. — In iterando verbo *pascite* Gebauer I. p. 219. putat poëtam ante oculos habuisse Theocr. VIII, 39., ubi pro *πιαίνετε* e Codd. restituendum sit *ποιμαίνετε*. — Versum 87., qui redit Aen. IX, 629., utpote epico carmine digniorem, hoc loco abesse mavult Heyn.; cui recte adversatur Iahn, etiamsi tantum ornatus causa additus sit hic versus, tamen propter amoebaei carminis leges desiderari non posse, contendens. De eiusmodi autem versibus repetitis vid. adnott. ad Ecl. V, 37. De ipsa re cf. etiam locus simillimus Geo. III, 233 sq. Ceterum Codd. Med. et Rom. auctoritatem secuti cum Wagn. Vol. V. et recentissimis editoribus scripsimus *harenam*, non *arenam*. Cf. Grammatici veteres a Ribbeckio Proleg. p. 422. laud., Wagn. Orth. Verg. p. 441. Schneideri Gramm. Lat. I, 1. p. 185. Osann. ad Apul. de nota adspir. p. 88. et Fleckeisen. Tit. Lat. p. 18. — 88. *Qui te, Pollio, amat.* Peerlk. p. 15. sine iusta causa coni. *Quem tu, Pollio, amas.* — *veniat, quo te quoque gaudet*, scil. *pervenisse*, duplici modo potest intelligi, aut ut coll. v. 89. ad felicitatem omnino referamus, quam Damoetas apprecetur ei, qui Pollioni faveat, aut ut coll. Theocr. I, 20, *Καὶ τᾶς βωκολικᾶς ἐπὶ τὸ πλέον ἵκεο Μοίσας* de poëtica facultate cogitemus, et hunc sensum esse statuamus: ei contingat tam bonum poëtam esse, quam Pollio est; ut contra, qui Bavium non odit, i. e. carminibus eius delectatur, tam malus carminum iudex esto, ut Maevium, peiorem adeo Bavio poëtam, laudet. Illam rationem secuti sunt Spohn. Wagn. et Conington, hanc ego cum Heynio amplector; poëticae enim virtutis praeconium magis blandiretur Pollioni, quam felicitatis, necesse erat. Videtur igitur in his verbis latere blandiens fautori sententia: Utinam mihi quoque, qui te, Pollio, omnium maxime amo et colo, contingat aliquando eo pervenire gloriae poëticae, quo tu iam dudum pervenisti. Consentiunt mecum Ladew. et Gebauer de poët. I. p. 220. accurate de hoc loco disputans. — 89. Sequitur alterum votum: sit tam felix, ut ei omnia sponte obtingant, quemadmodum aurea aetate; nam aureum saeculum hic significari docent Ecl. IV, 25. et 30. inter se collati. [Sic nunc locum cum Ladew. intelligo, retractans priorem explicationem meam, Coningtoni non displicentem, quae arcessita videri poterat: Ex eius lingua fluant mella poëtica tantaque ei contingat canendi facultas, qua vel siccum et exile argumentum ita evehere possit, ut lectores mirificam inde capiant voluptatem.] Cf. autem similes loci Theocr. I, 130. V, 125 sq. et Gebauer l. l. *Mella fluant.* Vid. adnott. ad Ecl. IV, 30. — *rubus. βάτος* Graecorum, *der Brombeerstrauch*, cuius fructus *mora* vocabantur. Cf. Geo. III, 315. Dioscor. IV, 37. Theophr. h. pl. I, 5. II, 16. Plin. XVI, 37, 71. XXIV, 14, 74. Propter aculeos s. spinas, quibus consitus est, sepimentis hortorum aptus. Cf.

MENALCAS.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi,
Atque idem iungat vulpes et mulgeat hircos.

DAMOETAS.

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

MENALCAS.

Parcite, oves, nimium procedere; non bene ripae
Creditur; ipse aries etiam nunc vellera siccat.

Colum. XI, 3. Calpurn. Ecl. IV, 31. Ovid. Met. I, 105. Ut hic *asper* dicitur, sic Geo. III, 316. *horrens* et ap. Ovid. ex P. IV, 4, 4. *durus*. Cf. etiam *dura rubeta* Ovidii Met. I, 105. et *asperi sentes* Verg. Aen. II, 379. — *amomum* fruticis genus Indici fructum ferens uvae similem et laudatissimi odoris, unde unguentum pretiosissimum fiebat; illam tamen plantam fuisse, quam nos *Ingwer* vocamus, noli Billerbeckii (Flor. class. p. 1 sqq.) confidentiae temere credere, cum ne Sprengel. quidem ad Dioscor. I, 14. p. 351. seqq. certi quid definire audeat. Praeter h. Diosc. l. cf. etiam Theophr. h. pl. IX, 7. Strab. XVI. p. 747. Plin. XII, 13, 28. et XVI, 32, 50. et Bernard. ad Theophan. Nonn. 29. p. 181 sq. Poëtis tamen pro quovis aromate lautiore usurpatur. Cf. Ecl. IV, 25. Pers. III, 104. Ovid. ex P. I, 9, 51. Martial. V, 65. et Salmas. Exerc. Plin. p. 284. — **90**. De connexu sententiarum vid. adnott. ad v. 88., de *Bavio* et *Maevio* autem, obscurissimis pessimisque poëtis et Vergilii non minus quam Horatii osoribus et adversariis, Weicherti Diss. de Q. Horatii Flacci obtrectatoribus §. 6. et 7., Ribbeckii Proleg. p. 96. et quae ad Ecl. V, 36. adnotavimus. — **91**. Opponitur hoc votum versui 89. hoc sensu: Ut illi omnia felicissime procedant, sic huic omnia ad irritum cadant, nihil ad effectum adducat. Minus recte enim Wund. proverbiis *iungat vulpes* ad arandum (cf. adnott. ad Ecl. VIII, 27.) *et mulgeat hircos* hoc tantum votum expressum censet: mala ipse carmina faciat; rectius vero Wagn. has proverbiales locutiones omnino rem plane ineptam et absurdam denotare docet. Utraque autem ex Graeco sermone translata. Suidas enim T. I. p. 125. Kuster. adfert proverbium Ἀλώπηξ τὸν βοῦν ἐλαύνει, de quo cf. Erasmi Adagia p. 19; et Lucian. in vita Demon. §. 28. haec habet: *Οὐ δοκεῖ ὑμῖν, ὦ φίλοι, ὁ μὲν ἕτερος τούτων τράγον ἀμέλγειν, ὁ δὲ αὐτῷ κόσκινον ὑποτιθέναι*; cui similem locum Nazianzeni addit Erasm. l. l. p. 293: *ποιμὴν ἀμέλγει, εἰ θέλει, καὶ τοὺς τράγους, Ἀλλ' ἀντὶ γάλακτος αἱμάτων πηγὰς ὕσει*. Praeterea cf. Theocr. V, 27. — **92**. sqq. Sequuntur sententiae temere arreptae, prout se certanti Damoetae offerebant. — **93**. *frigidus anguis* ex natura serpentum, ut infra Ecl. VIII, 71. Sic iam Theogn. 602. et Theocr. XV, 58. (ad quem l. Kiessl. laudat Schol. Nicandri Ther. 291. *κοινῶς δὲ πάντα τὰ ἑρπετὰ ψυχρά*) *ψυχρὸν ὄφιν* commemorant. Ceterum perturbationem animi et numeris anapaesticis et ipsa verborum positura (praemisso Adi. *frigidus*) pingi, iam Voss. et Wund. monuerunt. — **94**. Menalcas imitatur pastorem aliquem, qui oves ab extrema torrentis ripa revocat, ne arenoso solo friato et praerupto eundem cum ariete casum experiantur, qui, paullo ante in undas praecipitatus, etiam nunc madeat. Cf. Theocr. V, 100. — *Parcite o. n. procedere*, cavete, ne procedatis, nolite procedere, oves. Cf. Aen. III, 42. *parce scelerare manus*. Hor. Od. III, 8, 26. *parce nimium cavere*. Ovid. Her. XVI, 279. *parce contemnere*. Liv. XXXIV, 32. extr. *parce fidem iactare* etc. cum Aen. I, 257. *parce metu*, i. e. noli metuere (ubi vid. adnott.) et similibus locis. Heindf. ad Hor. Sat. II, 2, 58. Dissen. ad Tibull. III, 5, 6. Orell. ad Hor. Od. III, 8, 26. Eodem modo Graeci utuntur verbo *φείδεσθαι*, (v. c. *φείδου προελθεῖν*). Cf. Iacobitz. ad Luc. Char. c. 5. — *non bene ripae creditur*. Sic Hor. Serm. II, 4, 21. *fungis - - aliis male creditur*. Ovid. Met. IV, 729. *Nec bibulis ultra Perseus talaribus ausus Credere* etc. Cf. etiam Aen. VII, 42. et IX, 92. — **95**. *ipse aries*, qui tamen prudentior est, quam vos, et

DAMOETAS.

Tityre, pascentis a flumine reice capellas:
Ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.

MENALCAS.

Cogite ovis, pueri; si lac praeceperit aestus,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

DAMOETAS.

Heu heu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo!
Idem amor exitium pecori pecorisque magistro.

MENALCAS.

His certe neque amor causa est; vix ossibus haerent.

---

tamquam dux gregis cautior esse debebat. — V. **96.** et **97.** ex Theocr. IV, 44. et V, 146. petiti. Cf. Gebauer I. p. 222. — *pascentes*, i. e. quae pascuntur. Cf. not. ad Ecl. IV, 45. — *reice* per synaeresin pro reiice, ut Stat. Theb. IV, 574 *reicit*, Lucr. III, 890. et IV, 1268. (ubi vid. adnot. mea) *eicit* pro eiicit, apud Ter. Andr. III, 3, 8. *eiciat* pro eiiciat etc., quae synaeresis eo minus offendere potest, si meminimus, ab antiquis haec composita verbi *iacere* uno tantum *i* fuisse scripta. Vid. supra ad v. 7. Omnino cf. Lennep. ad Ter. Maur. p. 227. Schneid. Gr. Lat. I, 1. p. 288. Grotef. Gramm. §. 80. p. 81. Lachmann. ad Lucr. II, 1061. p. 134 sq. et infra adnott. ad Ecl. VII, 7. Aen. I, 131. et alibi. *Reiicere* autem *capellas* Voss. interpretatur: pedo (de quo vid. adnott. ad Ecl. V, 88.) in eas coniecto repellere, coll. Hom. Il. XXIII, 845. Theocr. IV, 44. Plaut. Pers. II, 5, 18. *ut possim* (boves) *in bubilem reiicere*. — **98.** *cogite* ad umbram et frigus captandum. — *praecipit lac aestus*, siccato ubere, priusquam emulgeri possit. *Praecipere* enim i. q. ante capere, auferre. Cf. Lucr. VI, 1049. Caes. B. C. III, 31. ubi vid Davis. Liv. XXX, 8, 9. Broukh. ad Prop. IV, 2, 11. Oudend. ad Caes. B. C. III, 1. Boettich. Lex. Tac. p. 366. — **100.** Versus expressus ex Theocr. IV, 20., ut 102. ex IV, 15. Cf. etiam Gebauer l. l. *Heu, heu* Burm. ex nonnullis Codd. pro vulg. *Eheu* restituit; quod servat Hand. Tursell. II. p. 358. Cf. not. ad Ecl. II, 58. et simillimus versus Tibulli I, 4, 81. *Heu, heu, quam lento Marathus me torquet amore*, ubi vid. Huschk., qui de nostro loco adnotat: quamvis potior sententia sit *macer taurus*, consulto tamen Vergilium *pingui* ante voc. *macer* posuisse, ut querulae Particulae geminationem lugubrem exciperet tardigradus Spondeus; quod ne aliis quoque (ut Gebauero de poët. I. p. 223.) probare videar, diserte profiteor, me hunc locum non aliter intelligere atque Gebauerum, scil.: quam pingue est ervum, et quam macer tamen taurus meus, qui in eo pascitur! Idem vir doctus Particulae geminationem a Theocr. IV, 26. *φεῦ, φεῦ, βασεῦνται καὶ ταὶ βόες* etc. sumptum esse docet. — *ervum* Heyn. minus recte interpretatur per *Wicke* (quae Romanis *vicia* dicitur.) Est potius ea planta, quam Graeci *ὄροβον* vocant, frutex exiguus, foliis angustis, in siliquis parva et rotunda gerens semina. (Cf. Dioscor. II, 131. Theophr. h. pl. IX, 22. Plin. XVIII, 15, 38.) Bubus saluberrimum esse pabulum, testantur Diosc. l. l. Colum. II, 11. VI, 3. et Plaut. Most. I, 1, 59. Cf. Billerbeck. Flora class. p. 188. Ceterum pro *in ervo* olim male edebatur *in arvo*, quod ex Ecl. V, 33. huc translatum videtur. — **101.** *pecori* Rom. aliique Codd. *est pecori*, alii autem (ut Gud., in quo tamen *est* erasum, unus Bern. et Minoraug.) *pecori est*. (Cf. Ribbeck. Proleg. p. 345.) Sed ut omissio Verbi in optimis libris, sic incerta eius sedes, in quibus additur, subditicium esse docet. Nihilominus Ribbeck., Ladew. et Coningt. *exitium est pecori* ediderunt. Ceterum Ovid. Fast. IV, 747. hunc locum respiciens scripsit: *Consule, dic, pecori pariter pecorisque magistris*. — **102.** Sententia haec est: Taurus tuus amore macer est et morbidus, sed agnorum meorum maciem non nisi a fascinatione aliqua possum repetere: alia enim causa nulla apparet. Heinsii igitur coniectura: *Hi certe* (*neque*

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

DAMOETAS.

Dic, quibus in terris — et eris mihi magnus Apollo —
Tris pateat caeli spatium non amplius ulnas. 105

MENALCAS.

Dic, quibus in terris inscripti nomina regum

---

amor causa est) *vix ossibus haerent*, quam recepere Cuningh. et Brunck., facile supersedemus. Verissime enim contendit Voss., *neque* h. l. dictum esse pro *ne — quidem*, ut haec sit sententia: tuus quidem taurus malo laborat, cui tamen occurri potest; sed meis agnis neremedium quidem malorum exstat ullum. Ita autem *nec* ab optimis scriptoribus usurpari, res est satis nota. Cf. Wunderl. ad Tibull. I, 2, 95. Beier ad Cic. Off. I, 45, 159. Goerenz. ad Cic. Finn. II, 8, 25. et quos laudant Beneck. ad Cic. Cat. II, 4, 8. et Kritz. ad Sall. Iug. 44, 5. Spohn. locum ita explicat: Agnis meis *neque pabulum* — quod supplendum — *neque amor* causa est: quam explicationem nemo facile probabit. (Donatus ad Ter. Eun. II, 2, 38. verba *neque amor causa est* parenthesin et *his* Nom. Plur. esse male arbitratur. Cf. Ribbeck. Proleg. p. 184.) — *vix ossibus haerent*. Nos plane eodem modo: *kaum* s. *nur noch in den Knochen hangen*. Haec Gratius Cyn. 290. sic imitatus est: *teneris vix artubus haeret*. Ceterum cf. Theocr. II, 90. IV, 15. Plaut. Aul. III, 6, 28. et Capt. I, 2, 32. — 103. Oculorum in fascinando non infimae partes. Opinabantur enim veteres, solum adspectum hominis invidiosi et maligni aliis, infantibus potissimum et *teneris* pecoribus, nondum firmo et robusto corpore gaudentibus, noxium et pestiferum esse; imprimis autem qui duplices pupillas habebant, oculis fascinare putabantur. Cf. Plutarch. conviv. disp. V, 7. et XXIX, 4. Gellius XVI, 12. Hanc autem antiquam Graecorum et Romanorum superstitionem, quam etiam ad *malam linguam* pertinuisse, infra ad Ecl. VII, 28. videbimus, ne nunc quidem ex Italia esse depulsam, docet Nicol. Valettae libellus: *Circulata sul fascino*. Neap. 1812. Omnino autem de fascinatione veterum cf. loci ab Obbario in Exc. ad Hor. Epist. I, 14, 37. sq. Fasc. VI. p. 226 sqq. congesti. Gratius Cyneg. 406. commemorat *oculi venena maligni* et Gebauer I. p. 224. conferri iubet Theocr. VI, 39. Ceterum *Nescio quis* non positum pro *Nescio qui*, ut statuit Voss.; *nescio quis* enim valet *aliquis*, *nescio qui* idem fere quod *nescio qualis*. Cf. adnott. ad Ecl. I, 18. — 104. Damoetas intelligens, sic Menalcam vinci non posse, subito transit ad aliam rem, in qua eum sibi inferiorem mansurum esse sperat: aenigma proponit. Optimum videtur in hoc aenigmate solvendo cum Vossio (qui multus est ad h. l.) et aliis Servium sequi et Philargyrium, qui Asconium Pedianum et Cornificium ex ipso Vergilio audisse referunt, Coelium quendam, decoctorem Mantuanum, omnibus, quae possederat, divenditis, nihil nisi locum, quo sepeliretur, sibi reservasse; idque sepulcrum, spatium fere trium ulnarum capiens, designari a Damoeta, ut totum aenigma versetur in nomine *Coeli* s. *Caeli* (cf. adnott. ad Aen. IX, 151.); Vergilium autem de industria haec scripsisse, ut Grammatici torquerentur, de caelo cogitantes. Quare Ribbeck. *Caeli* grandi litera scripsit. (Cf. etiam Lachmann. ad Lucr. V, 993. p. 328.). Heynii explicationem, de cuiuslibet loci puteo cogitantis, in quem qui descenderit, tantum caeli prospiciat spatium, quantum puteus pateat, iam verbis *quibus in terris* repudiari, bene observat Wund. Verba *et eris mihi magnus Apollo* (quibuscum cf. Ecl. VII, 70. ibique adnott.) iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 172, 60. De hoc copulae usu post Imperativum vel Coniunctivum aliquid iubentem, ubi significatur, iusso effecto statim et certo aliquid esse eventurum, cf. Cort. ad Lucan. IV, 487. Hand. Tursell. II. p. 485. et Wagn. Qu. Virg. XXXV, 12. p. 562. — 105. De ellipsi Particulae *quam* post *amplius* cf. Verg. Geo. IV, 207. Aen. I, 683. Cic. Rosc. Com. 3, 8. Caes. B. G. III, 6. VIII, 4. B. C. III, 99. Sall. Iug. 58, 3. etc. Kritz. ad Sall. Cat. 56, 2. (et quos hic laudat) Ruddim. Inst. II. p. 106. et Hand. Turs. I. p. 228 sqq., qui eiusmodi locos, qualis hic est, ita distingui iubet: *tris pateat caeli spatium, non amplius, ulnas*. — 106. Hyacinthum (s. vaccinium:

Nascantur flores' et Phyllida solus habeto.

PALAEMON.

Non nostrum inter vos tantas conponere lites.
Et vitula tu dignus et hic. — Et quisquis amores
Haud metuet dulcis, haud experietur amaros. 110

---

vid. supra ad Ecl. II, 18.) intelligit (cf. γραπτὰ ὑάκινθος Theocr. X, 28.), in cuius foliis veteres literas AI inscriptas legere sibi videbantur, quas aut ita interpretabantur, ut Interiectione *Aī, Aī, heu! heu!* lamentationes Apollinis, Hyacinthum sibi ereptum complorantis, notarentur, aut ut *Αἴαντος* s. Aiacis nomen (quod apud Sophoclem Ai. 446. sqq. et ipsum ab *αἰ, αἰ* derivatur) expressum esset. Nam ex Aiacis quoque Telamonii sanguine hunc florem progerminasse fabulabantur. Alii in illis foliis literam Y conspicere et Hyacinthi nomen significari putabant. Cf. omnino Ovid. Met. XIII, 389. cum X, 206. Aenigma explicandum proponens, de industria ambigue loquitur Menalcas. Per *nomina regum* enim non minus ad Aiacem, ducem sive (ex Homerica sermonis consuetudine) regem Graecorum, quam ad Hyacinthum, Oebali aut Amyclae (vid. ad v. 63.), regis Lacedaemoniorum, filium, alludi potest. — De constructione *inscripti nomina*, i. e. nomina inscripta habentes, cf. adnott. ad Ecl. I, 54. — **107.** *et Phyllida solus habeto*, quam uterque amicam sibi vindicaverat v. 76. sqq. Damoetas autem cum Iolla simul possidere cupierat, dum Menalcas potius eam a se solo haberi iactaverat. Cf. adnott. ad v. 76. et 78. — **108.** *Non nostrum.* Durior hic est verbi substantivi ellipsis, quod in eiusmodi formulis, ut *meum est, aequum est, multum est, longum est* etc. raro omittitur. Cf. Wagn. Qu. Verg. XV, 5. p. 439. Eleg. ad Messal. 55. *Non nostrum est, inquam, tantas attingere laudes* et Anth. Lat. Burm. V, 143ª, 3. *Non nostrum, fateor, tantas discernere voces.* — **109.** Locus difficillimus et impeditissimus, in quo explicando multum desudarunt viri docti. Prima verba *Et vitula tu dignus et hic* nihil habent offensionis, ut Heynio visum est, qui censet, non utrumque vitula, sed alterum poculo remunerandum esse; nam etiam Menalcas ad vitulam ponendam paratus erat (cf. v. 49. ibique adnott.). Quare ne opus quidem, ut cum Vossio locum sic capiamus: Tu, Menalca, cui ad alterius strophas respondenti cum maioribus difficultatibus conflictandum erat, utique dignus es vitula; sed etiam Damoetas tanta inveniendi arte cecinit, ut qui, pocula quidem tua non accipiens, vitulam tamen suam retineat sit dignus. Sequentia autem, quae Codd. sic exhibent: *Aut metuet* (al. *metuat*) *dulces, aut experietur* (al. *experiatur*) *amaros* et quae, ut supra ad v. 78. vidimus, repetuntur in Anth. Lat. Burm., iure torserunt interpretes. Et Wiedeburg. quidem *Etwas zur Aufklärung einiger Stellen in Virgils Schäfergedichten.* Helmst. 1778. p. 16. *quisquis* ad ipsos pueros refert atque (ut multi alii) pro *quisque* dictum putat, ut loci sententia haec sit: „vos ambo aut Phyllida et Neaeram habebitis et dulci amore fruemini, aut illis privati amaritudinem experiemini." Sed numquam in enuntiati alicuius principio veteres Pron. relat. *quisquis* usi sunt pro *quisque*, et quos, ut hunc usum comprobent, locos afferunt Forcell. in Lexico, Manut. ad Cic. Ep. ad Div. VI, 1. Voss. in *Deutsches Museum* 1786. 1. p. 24. et Doering. ad Catull. XLVIII, 28., ii omnes sunt alius generis, utpote in quibus *quisquis* aut Pronominibus vel Particulis relativis (*quicunque, qui — ubi, ut*), aut Pronomini poss. *suus* ita subiiciatur, ut pro *quisque* positum videri possit. (Cf. Wagn. ad h. l. et in Philol. Supplem. I, 3. (a. 1859.) p. 365 sqq.) Quare etiam Vossii ratio (cf. *Deutsch. Mus.* l. l. p. 18.), qui ita exhibet hos versus: „*At quisquis amores Aut metuat dulces, aut experietur amaros,*" et Bothii explicatio reiicienda, qui in Virgilio Virgiliano p. 7. haec scripsit: „Palaemon -- dicit opus esse, ut quisque amori dulci diffidat, nisi amarum eum experiri velit. Simplex oratio, simplex homo; futura posita pro imperativis." (Cf. etiam Annal. Heidelb. 1824. fasc. III. p. 292.) Doering. in Programm. ad Ecl. I, 13. laud. sic scribendum censet: *ita quisquis amores Aut metuat dulces, aut experiatur amaros;* hac subiecta explicatione: „Vos ambo digni estis posito pignore; utinam *ita*, eadem sua-

Claudite iam rivos, pueri; sat prata biberunt.

---

vitate, quivis alius aut metum et sollicitudinem in amore felice etc. (cf. v. 74.), aut amaritiem et curas in amore infelice (cf. v. 80.) canendo exprimat." Spohn. reiectam iam ab Heynio et Vossio retractat explicationem: „Digni estis praemio; dignus hic, dignus alter; dignus, quicunque iam sapit et abstinet ab amore, aut alieno edoctus dolore, aut suo, aliquando resipiscens." Iahn. cum Servio sic interpretatur: „Summo praemio digni estis et tu, et ille, et omnis, qui amoris aut dulcedinem aut amaritudinem carmine celebrabit." Sed quam mira haec sit circumlocutio (*metuere dulces amores, experiri amaros* pro: canere dulcedinem et amaritudinem amoris), quisque videt; ad quam excusandam non sufficiunt, quae Iahn. in edit. II. adiunxit: „Eam vero amoris experientiam ad solum cantum referri, ex ipsis verbis per se non sequitur, sed ex cantantium conditione et totius carminis ratione colligitur." Quid? quod vel probata hac explicatione mira tamen restat sententia: praemio dignus est, *quisquis* amorem canit aut dulcem aut amarum: cum profecto hic non sufficiat, ut omnino canat aliquis, sed quaeratur, *quomodo* canat. Quare nisi versus iusto sensu destitutos (nam etiam, quae Naegelsbach. *Lat. Styl.* ed. II. p. 451. profert, ut vulg. lectionem defendat, non sufficiunt, multo minus autem quisquam probabit miram Ameisii Spic. p. 8. explicationem, quam repetere me pudet: cf. etiam Ribbeck. ad h. l. et Gebauer de poët. I. p. 25.) tamquam spurios plane reiicere velimus (id quod Heyn. suasit atque etiam Bryce probare videtur hos versus uncis includens) et ita carmen apta clausula privare, quod iam Arus. Messii auctoritas dissuadet, qui p. 232. priora v. 109. verba affert, ad coniecturam confugiendum esse videtur; et Wagn. quidem sane lenissima mutatione facta pro priore *aut* scripsit *haut*, cum haec negandi Particula in ipso Med. saepissime dempta adspiratione legatur; praeterea autem ita singula distinxit: -- *et hic. Et quisquis amores Haut metuet, dulces aut experietur amaros*, ut sententia haec sit: Quicunque amores non metuit, i. e. non fugit, non spernit, is eos aut dulces experietur, aut amaros, i. e. paratus esse debet, ut aut dulces experiatur, aut amaros; ideoque haec verba cum antecedentibus non arcte cohaereant, sed novam sententiam constituant, in qua verba *haut metuet* gravius pronuntianda sint, non *quisquis* aut *amores*. Ordinem vero verborum paullo impeditiorem *dulces aut experietur amaros* Wagn. excusare studet similium locorum comparatione, ut Geo. II, 447. Ne quis autem haereat in Particala *aut* semel posita pro *aut — aut*, adnotat, alteram Particulam haud raro omitti, v. c. apud Prop. II, 8, 8. *Vinceris, aut vincis; haec in amore rota est.* (Cf. tamen Hand. in Tursell. I. p. 535 sqq.) Equidem nunc praefero Wagneri coniecturae aliam similem, quam protulit Graser. in Ephem. lit. Halens. a. 1835. m. Oct. ch. 185. p. 256.: *Et quisquis amores Haut metuet dulces, haut experietur amaros*, qua non solum vitatur impeditior illa verborum collocatio, sed etiam sententia efficitur longe melior, haec nimirum: Qui non metuit dulcem amorem, i. e. non timidus est in amore, sed audacter puellam amatam aggreditur, is amorem non sentiet amarum, sed felici amore fruetur. Eadem fere ratione Ribbeck. coniecit *Et quisquis amores Haut temnet dulces, haut experietur amaros*, quam coniecturam etiam, a Gebauero l. l. Graserianae praelatam, ego quoque cum Ladew. recepissem, nisi illa Codd. lectioni magis responderet. Ceterum de scribendi ratione *haut*, vid. Wagn. Orth. Verg. p. 423. et Ribbeckii Proleg. p. 397. Cum his coniecturis comparatae iacent profecto Ebertiana, quam, a Wakef. iam receptam, huius immemor tamquam suam repetit Peerlk. l. l.: *et quisquis amaros aut metuet, dulces aut experietur amores.* et temeraria Kalmusii (Exerc. crit. p. 5. sqq. multa de h. l. disputantis) *et quisque canendo Haut metuat dulces magnosque exponere amores.* Ceterum non praetermittenda est similitudo soni in vocc. *amores, amaros*, de qua re vid. adnott. ad Ecl. VII, 5. et VIII, 79. — **111.** *Claudite iam rivos.* Palaemon qui existimandus est exisse servis imperatum, ut rivos seu canales ad irriganda prata aperirent, (nam secundum Digest. XLIII, 21, 1. 2., quem locum Coningtoni debeo, *Rivus est locus per longitudinem depressus, quo aqua decurrat*) nunc, finito certamine, cuius arbiter advocatus erat, ad servos suos iterum conversus rivos

rursus claudi iubet. Videtur poëta respexisse Catullum LXI, 231. *Claudite ostia, virgines: Lusimus satis.* Cf. Calpurn. II, 96. *primum reclude canalem Et sine iam dudum sitientes irriget hortos*, praeterea autem Geo. I, 106. et 269. — *biberunt.* Cf. not. ad Ecl. X, 13.

ECLOGA IV. POLLIO.

ARGUMENTUM.

Inter Sibyllina oracula fuit unum, quod congruebat cum Academicorum et Stoicorum dogmate de anno mundi (cf. adnot. ad v. 5.), canens scilicet, decem mensibus saecularibus exactis hunc annum denuo exorsurum esse (cf. Censorin. c. 17. Plut. in Sulla c. 7. et Serv. ad Ecl. IX, 47.). Iam vero cum primo horum mensium Saturno regnante aureum saeculum homines beasset, in Italia obtinebat opinio, hanc auream aetatem mox esse redituram, eamque stella illa crinita, quae a. 710. p. U. C. s. 44. a. Chr. n. apparuit (cf. Ecl. IX.), magis etiam confirmaverat. Pronuntiabant igitur aruspices, Iulii Caesaris morte nonum mensem saecularem et Dianae regnum finitum esse et decimum, Apolline regnante, iam incepisse. (Cf. Augustus in l. II. de memoria vitae suae ap. Serv. ad Ecl. IX, 47.) Cum autem spatium horum mensium saecularium non esset certis terminis circumscriptum, Romani, diuturnis bellorum civilium malis, imprimis bello Perusino auctumno a. 713. exorto atque insuper fame atrocissima, intercluso a Sexto Pompeio et L. Dom. Ahenobarbo omni commeatu, quam maxime afflicti illo tempore, quo haec Ecloga conscripta est (auctumno a. 714.: cf. v. 11. et 12.) nihil magis in votis habuerunt, quam ut hic decimus mensis saecularis quam primum finiretur et cum novo anno mundi aurea aetas reverteretur. Iam auctumnus a. 714. attulerat foedus Brundisinum, quo, restituta inter Antonium et Octavianum concordia, Italiae miseriae ad finem adductae videbantur, quare Vergilius in illo foedere decimi mensis saec. exitum et initium melioris rerum conditionis agnoscere sibi licitum putavit. Quod vero Antonius ad componendam illam pacem Asinium Pollionem adhibuerat*), Italia huius potissimum opera miseriis suis liberata videbatur, et cum idem vir meritissimus eiusdem anni Septembri m. exeunte aut ineunte Octobri Consulatum iniisset (quem quominus legitimo tempore ingrederetur, turbis publicis impeditus fuerat), Vergilius hac Ecloga non solum ei gratulatur hunc Consulatum, sed eum etiam tamquam auspicem et ducem novae aetatis aureae praedicat; cum autem eodem fere tempore, quo Consulatum iniit, Pollio filio nato auctus esset,**) non mirum videri potest, poëtam in eo quasi signum aliquod novae rerum conditionis adspicere ideoque hanc spem felicioris aetatis redituraе connectere cum Pollionis filiolo, ac si homines cum eo succrescente quasi gradatim ad maiorem felicitatem processuri eoque adulto summum eius fastigium assecuturi essent. Ita igitur omnia, quae de *nascente puero* poëta canit ad illum Asinium Gallum, Pollionis filium, referenda videntur, imprimis cum etiam Asconius Pedianus (sine dubio in libro de Vergilii obtrectatoribus) ab illo Asinio se audisse retulerit, hanc Eclogam in honorem suum esse factam (Serv. ad Ecl. IV, 11.) pariterque Macrob. Sat. III, 7. de eodem Pollionis filio eam agere asseveret.

Nihilominus alii, quibus nuper se adiunxit Kalmus. Exerc. crit. p. 9., potius de Marco Marcello cogitant, quo tunc Octavia, Antonio in matrimonium tradita, ex priore coniuge Caio Marcello gravida fuerit (coll. Dione

---

*) Qui agro Veneto relicto, quem cum VII legionibus diu retinuerat in potestate Antonii, cum hoc et Dom. Ahenobarbo Brundusium venit ibique cum Maecenate foedus Brundusinum composuit.

**) De hoc C. Asinio Gallo Saloniano (cf. Gruteri Thes. p. 196, 1 sqq. Mommsen Corp. Inscr. Lat. I. p. 179. Serv. ad huius Ecl. init. Acro ad Hor. Od. II, 1, 16.) vide imprimis Teuffel. in Pauly *Realencycl.* I. (ed. II.) p. 1865 sq. et Drumann. II. p. 12 sq.

[illegible] alii autem de exspectato Octaviani et Scriboniae filio.*) [illegible] suo compluries errans atque iam satis refutatus [illegible] hoc carmen non refert ad certum aliquem puerum, [illegible] qui primus in novi saeculi auspiciis erat nasciturus, [illegible] de rege sive heroë nascituro, quod sub Augusto et postea [illegible] sub Nerone increbruerit (Suet. Aug. 94. et Vesp. 4.**) Denique [illegible] potest, Theologos christianos (ut Augustinum Ep. 155. [illegible] Inst. VII, 24, 9. 10.) atque etiam Constantinum M. (in Or. [illegible] coetum Eusebii libris de vita Constantini adiuncta c. 19 sqq.) [illegible] invenisse vaticinium de Jesu Christo et totius mundi permu- [illegible] christiana effecta; magis mireris, eandem opinionem etiam [illegible] (Poët. Lat. min. T. IV. p. 767.) esse probatam atque adeo [illegible] a Renanio (*Rénan Vie de Jésus*. Berl. 1863. ch. 1. p. 12. et [illegible] sq.) et Michaëli in Progr. Gymn. Zittav. („Praestantissimum [illegible] oraculum. Brevissima de Virg. Ecl. IV. expositio.“ Zitt. 1864.) [illegible]

[illegible] magnam huius Eclogae partem imitatione expressit Calpurnius [illegible] sqq.

---

*) Sed absonum est cogitare de puero nondum nato et fortasse ne nascituro quidem, [illegible] cum apertum sit, poëtam loqui de puero vere iam nato (cf. adnot. ad v. 8.) [illegible] Pollioni dedicari carmen in laudem filii alius patris scriptum. Octaviano [illegible] non filiam, sed demum a. 715. Iuliam filiam natam esse scimus.

**) Qua opinione deceptus adeo *patrias virtutes* v. 17. commemoratas refert ad deum [illegible] filius heros ille *θεογεννής* sumendus esset.

Sicelides Musae, paullo maiora canamus!
Non omnis arbusta iuvant humilesque myricae;
Si canimus silvas, silvae sint Consule dignae.

---

1 sqq. Poëta pronuntiat, se maiora canturum, quam quae reliquis carminibus bucolicis soleat, cum hoc carmen Pollioni Consuli dedicet. — *Sicelides Musae*, *Μοῦσαι Σικελίδες*, pastoricii carminis praesides, Theocriteae omnimoque bucolicae. Nam Siciliae, Theocriti patriae, carminis bucolici [illegible] adscribitur. Heyn. confert *Σικελὸν μέλος* Bionis Id. VII, 1. et *Σικελικὰς Μοίσας* Moschi Id. III, 8., quem sic scribentem *Ἄρχετε, Σικελικαὶ - - Μοῖσαι* Verg. hic imitatur. (Cf. etiam Ecl. VI, 1. *Syracosius versus.*) *Sicelis* autem, quae proprie est Substantivi forma (cf. Ovid. Her. XV, 52. *Sicelis esse volo*), pro *Sicula* non nisi apud poëtas legitur, v. c. Ovid, Her. XV, 51. *puellae Sicelides*, Metam. V, 412. *Sicelides Nymphae*, et eodem modo cum altero Substantivo per appositionem coniungitur, quo Aen. V, 37. et VIII, 368. *Libystis ursa*, apud Ovid. Met. XIII, 412. *Dardanides matres*, ibid. I, 369. *Cephisides undae*, Heroid. II, 6. *Sithonis unda*, XV, 154. *Daulias ales* et similia. Cf. Ruddim. Inst. II. p. 4. et adnott. ad Ecl. VIII, 13. et Aen. I, 21. — 2. *Arbusta, myricae, silvae* bucolicum carminum genus exprimunt. *Myrica*, *μυρίκη*, i. q. tamarix, (tamaricum apud Scrib. Larg. 128., tamariscus apud Pallad. in Novembr. 8. in.) Tamarix Gallica *Linn.*, arbor satis nota, in regionibus australibus ad ripas fluminum paludumque crescens et fructum ferens gallae simillimum, quae etiam Ecl. VI, 10. VIII, 54. et X, 13. commemoratur. Cf. Diosc. I, 116. Theoph. h. pl. I, 16. Plin. XIII, 21, 37. XVI, 21, 33. XXIV, 9, 41. etc. Schreber. ad Theocr. I, 13. Sprengel. ad Diosc. l. l. et Billerb. Flor. class. p. 83 sq. Ut hic *humiles*, sic Ovidio Met. X, 97. *tenues* dicuntur. — 3. *Silvae sint Consule dignae*, respondeat hoc carmen bucolicum dignitati Pollionis Cos. Noli autem cum Vossio et Doeringio in Prog. aliquoties laud. humile et tenue genus bucolici carminis per arbusta et myricas, per silvas autem altas et proceras elatum et grandius intelligere; immo sensus hic est: Non omnes iuvat hoc bucolici carminis genus (*arbusta et myricae*), et si nihilo- [illegible] tale carmen (*silvas*) cano tantoque nomine inscribo, sit certe Consule

Ultima Cymaei venit iam carminis aetas;
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;

---

dignum et supra vulgarem modum elatum. Calpurn. Ecl. IV, 77. hunc versum respiciens canit: *Et preme, qui dignas cecinerunt consule silvas.* — 4. *Ultima Cymaei carminis aetas*, decima illa s. aurea aetas, quam oraculum aliquod Sibyllae Cumanae (de qua vid. adnott. ad Aen. VI, 10.) adventuram promiserat (cf. Argum. praemissum.). Recte enim Heyn. docet, *Cumaeum carmen* ut de *Hesiodeo*, a Dio, eius patre, Cuma oriundo (vid. O. et D. v. 636. sq.) secundum Valer. Probum intelligamus (cum Fabricio Bibl. Gr. I, 30. 14. et Graevio Lectt. Hesiod. c. 5.) non licere, cum ab illo revolventibus se ac redituris aetatibus melioribus nihil commemoratum sit. Ceterum cum Wagn. (Vol. V. et in min. edit.) *Cymaei* scripsimus pro vulg. *Cumaei*. Scilicet urbs ab initio dicebatur *Κύμη*, post *Κοῦμαι*, *Cumae* (vid. liber meus *Handb. d. alt. Geogr.* III. p. 731.); ab illa forma deducitur Adj. *Κυμαῖος*, *Cymaeus* (quod apud Verg. Med. praebet Aen. III, 441. et VI, 98.), ab hac *Cumanus*, non *Cumaeus*. Cf. Drak. ad Liv. XXXVIII, 39. et ad Sil. It. VIII, 533. et Wagn. Orth. Verg. p. 484. Ladew. tamen et Ribbeck. *Cumaei* ediderunt, cum Rom. praebeat *Cumei* (cf. Ribbeck. Proleg. p. 453.). Haupt autem et Conington (qui multus est in h. l.) Wagnero mihique adsentiuntur. — 5. *Magnus--ordo.* Agitur de *magno* illo Astrologorum anno mundano s. plurium millium annorum complexu, *qui*, ut Ciceronis N. D. II, 20, 51. verbis utar, *tum efficitur, cum solis et lunae et quinque errantium ad eandem inter se comparationem confectis omnium spatiis est facta conversio*, i. e. cum sidera omnia in ortus suos redeunt et omnium rerum fit *ἀναχύκλωσις* et *ἀποκατάστασις*. Cf. Macrob. Somnium Scipionis II, 17. Haec enim opinio, inter Graecos a Platonicis maxime et Stoicis philosophis exculta, etiam apud Romanos obtinebat, et in libris quidem Sibyllinis hic magnus annus in decem *menses* (i. e. saecula, vel potius plurium saeculorum series) incertae longitudinis descriptus erat, quorum quisque insignibus portentis indicari et sui dei imperio regi credebatur. (Cf. Censor. de die nat. c. 17. et 18. et infra ad v. 10. adnott.) Poëta igitur, hac opinione usus, mox novum annum mundanum exorsurum et cum eo auream aetatem redituram pronuntiat, eiusque initium confert cum pueri, quem canit, i. e. filii Pollionis, natalibus, progressum et incrementum cum eiusdem pueritia (v. 18—25.) et adolescentia (v. 26—36.), summum denique fastigium et plenam felicitatem cum eius virili aetate (v. 37—45.). Vide omnino Argum. huius Eclogae. — *ab integro nascitur*, incipit rursus ab initio; iterum procedent saecula, quae iam olim fuerunt. *Ab integro* (ut alibi *de integro* et *ex integro*) legitur etiam apud Cic. Verr. I, 56, 147. Cf. Hand. Turs. I. p. 24. De insolentiore autem in thesi productione *integro* cf. Lucr. I, 926. Hor. Sat. II, 2, 113. Schneid. Gramm. Lat. I, 2. p. 677 sq. Grotef. Gr. Lat. II. §. 9. (p. 10. ed. IV.) alii. — 6. *Iam redit*, ac si decima illa aetas iam exacta esset. Poëtae laetabundi animo tempus mox futurum se offert tamquam praesens. *Virgo*, *Δίκη*, s. Iustitia, etiam Erigone appellata, Iovis et Themidis filia, una trium Horarum, quae aurea mundi aetate inter homines vixit in terra, sed ferreo hominum genere orto et bella ciente in coelum avolavit, ubi Astraeae s. Virginis nomine inter sidera orbis signiferi recepta est. Cf. Hesiod. Th. 902. eiusd. O. et D. 200. et 256. Hygin. Astron. II, 25. Arat. Phaen. 96. sqq. Verg. Geo. I, 33. (ubi vid. adnott.) II, 474. Ovid. Met. I, 149. Fast. I, 249 sq. Iuven. VI, 19. Sen. Octav. 397 sqq. 422 sqq. — *Saturnia regna.* Ex antiquis enim Italorum fabulis aurea illa aetate Saturnus Italiam rexit eiusque incolas gubernatione sua beavit, quare omnis terra etiam Saturnia vocabatur, Saturnalibusque sollemniter celebratis felicium illorum temporum memoria quotannis recolebatur. Cf. Geo. I, 125 sqq. II, 536 sqq. Aen. VIII, 319 sqq. Tibull. I, 3, 35. Ovid. Am. III, 8, 35. Fast. I, 235 sqq. etc. — Wagn. pro Semicolo, quod vulgo post *Virgo* apparet, recte posuit Comma, cum hic Verbum repetitum vim habeat repetendae copulae: *et Virgo et Saturnia regna redeunt.* Amant autem imprimis poëtae hoc vividius dicendi genus. Sic apud Verg.,

Iam nova progenies caelo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo. 10

---

ut in nostro loco, Verbum repetitur v. c. Ecl. IV, 24. X, 19 sq. Aen. I, 709. VII, 75. 327. 516. VIII, 91. X, 429.; Adiectivum: Ecl. IV, 6. IX, 103. Geo. II, 294 sq. Aen. I, 222. IV, 169. VIII, 649. 718. X, 568. 708. XII, 549.; Adverbium: Ecl. VIII, 23. IX, 23. 40. Aen. IX, 127. X, 756.; Praepositiones et aliae Particulae: Aen. II, 358. 364. 527. 664. IX, 557. X, 313. XI, 497. 696. XII, 293. 682. etc. Ceterum hunc locum respexit Calpurn. Ecl. I, 64. *Saturni referet Latialia regna.* — 7. *nova progenies*, novum hominum genus, quod succedat, nascitur, h. e. meliores et iustiores. Eadem mox v. 9. *gens aurea.* — *caelo demittitur*, divinitus, deorum beneficio nascitur. Sic apud Graecos θεόθεν γεννᾶσθαι. Potest conferri Cic. Manil. 14, 41. *Cn. Pompeium sicut aliquem de caelo delapsum intuentur;* idem ad Qu. fr. I, 1, 2. *Nam Graeci sic te ita viventem intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria, aut etiam de caelo divinum hominem esse in provinciam delapsum putent*, et similes loci. *Caelo* autem pro *coelo* nunc scripsimus Cod. Med. et recentissimos editores secuti. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 419. et Ribbeck. Proleg. p. 393. — 8. *nascenti puero*, Gallo, Asinii Pollionis filio. (Cf. Argum. et Ribbeck. Proleg. p. 9.) *Nascens* autem vocatur, qui hoc ipso tempore nascitur vel recens natus est (cf. Geo. III, 389. I, 441. Hor. Od. III, 23, 2. et loci, ubi translate de rebus modo ortis dicitur, ut Cic. Cat. I, 12, 30. id. Brut. 7, 27. Hor. Sat. II, 4, 30.); de eo vero, cuius partus adhuc exspectatur, veteres usurpant *nascendus* vel *nasciturus.* — *quo*, cuius ortu. — 9. *surget*, procedet, ortum et initium habebit. Ut Geo. I, 161. *nec potuere seri nec surgere messes* et similia. — *gens aurea*, aurea aetate (vid. supra) vivens. Cf. Cic. N. D. II, 63, 159. *ab illo aureo genere, ut poëtae loquuntur.* Hesiod. Ἔργ. 109. χρύσεον γένος μερόπων ἀνθρώπων. Theocr. XII, 15. χρύσειοι ἄνδρες. Quare etiam Geo. II, 538. *aureus Saturnus.* Cf. v. 6. — *mundo.* Ita *mundus*, ut nostrum *Welt*, haud raro de orbe terrarum et hominum genere dicitur, v. c. Hor. Od. III, 3, 53. Ovid. Tr. IV, 4, 83. Lucan. I, 160. V, 469. Sil. Ital. III, 611., ubi vid. Drakenb.; quare etiam eodem sensu *Dii* et *mundus* sibi opponuntur: Sen. Herc. Oet. 541. Claud. in Rufin. I, 87. Saepe etiam de Romano imperio usurpatur, quod Romanorum arrogantia *orbem terrarum* vocare non verebatur. Cf. Weber. ad. Lucan. T. II. p. 578., qui laudat Lucan. IV, 393. V, 329. VI, 6. — 10. *Lucina*, Εἰλείθυια, parturientium dea, quae modo cum Iunone, modo (ut hic) cum Diana confunditur, cuiusque nomen vel a *luce*, in quam producit homines (Donat. ad Ter. Andr. III, 2, 15. Festus v. Supercilia p. 142 ed. Lindem. cf. Dion. Hal. Ant. IV, 12. Ἥρα φωσφόρος), vel a *luco*, in quo antiquitus Romae colebatur (Plin. XVI, 44, 85. Ovid. Fast. II, 449.) deducitur. Cf. Catull. XXXIV, 13 sqq. ibique interpp. Ovid. Fast. II, 449 sq. Brisson. de formulis I. p. 59. et Boettigeri Ilithyia. Vimar. 1799. — *fave* recens nato. Nam Lucina non solum adiuvabat parturientes, sed tuebatur etiam recens natos. Cf. Hor. Carm. saec. 14—17. *Ilithyia, tuere matres, - - diva, producas subolem.* — *tuus--Apollo*, i. e. frater tuus; nam *Diana* Lucina cogitatur, de qua cf. Hor. Od. III, 22, 1 sqq. ibique Orell., *Apollo* autem pro Phoebo, Sole positus. — *iam regnat.* Ultimum saeculum significat, quod Sibylla *Solis* (s. *Apollinis*) esse memoravit. (Cf. Nigid. ap. Serv. ad h. l.) Quatuor enim, quae vulgo statuuntur, mundi aetates, auream (sub Saturno), argenteam, aëneam et ferream (sub Iove; aut secundam modo sub Iove, tertiam Neptuno, quartam Plutone regnante,) Sibylla in decem saecula videtur divisisse, ita quidem ut decimo, i. e. sub finem aetatis ferreae, Solem (s. Apollinem) regnaturum, et post eius regnum auream aetatem sub Saturni imperio denuo exorsuram praediceret. Cf. Vossii ad v. 5 sqq. et 8 sqq. disputatio. Vulgo hunc locum de Octaviano Augusto interpretantur, quem sane et ipsum Apollinem vocatum et Apollinis filium habitum esse constat (cf. Dio Cass. XLV, 1. Suet. Octav. 94. ab Heynio laud.); quare etiam in num-

Teque adeo decus hoc aevi, te Consule, inibit,
Pollio et incipient magni procedere menses;
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Inrita perpetua solvent formidine terras.
Ille deum vitam accipiet divisque videbit 15

---

mis Octaviani Apollo s. Sol apparet. Recte tamen Heyn. adnotat, eo tempore, quo haec Ecloga scripta sit, honores illos in Caesarem nondum fuisse collatos. Cf. etiam Wagneri not. ad v. 13. — **11.** Ab hoc ipso anno consulatus tui procedet novum saeculum aureum, quod *decus hoc aevi*, aevum ceteris omnibus praestantius, vocatur. *Aevi decus* hinc repetitur in Wernsd. Poët. L. min. IV, 220, 10. — *Adeo* secundum Wagn. Qu. Virg. XXVI., ut alibi *iam adeo*, *nunc adeo* (cf. adnott. ad Aen. II, 567.), hic vel sine eiusmodi Adverbio de tempore dictum; rectius vero Hand. Turs. I. p. 145. hunc locum iis adnumerat, ubi *adeo* (eodem fere sensu, quo *autem*) Pronominibus personalibus additur, quando oratio ab alia persona ad aliam transit et in eam maxime animum convertit; v. c. Geo. I, 24. Cir. 198. Ennii Med. fr. 14. Plaut. Rud. III, 4, 25. etc. — *inibit* absolute positum videtur pro: exordium habebit, incipiet; ut alibi certe Participium huius Verbi haud raro usurpatur: *ineunte anno*, *mense*, *iniens aetas* etc., et Geo. I, 62. (ubi vid. adnott.) verbum *ingredi*. Consentit mecum Conington; Ladew. autem (qui etiam cf. in Progr. suo p. 9.) *ineundi* verbum non nisi Part. Praes. intransitive usurpari contendens rectius fortasse, *decus* pro Accus. habet et Subiectum (scil. *nascens puer*) ex connexu suppleri iubet (ut Aen. VII, 243. VIII, 271. alibi.). Ceterum Peerlk. p. 16. coni. *Tuque - - - inibis*. — **12.** *Pollio:* vid. adnott. ad Ecl. III, 84. Mira est Schaperi (in Nov. Annall. phil. Vol. LXXXIX. p. 792 sqq.) sententia, qui pro *Pollio* audacter coniiciens *orbis*, haec ad Augusti potius Consulatum anno 25. ante Christum natum refert, quo Iulia Marcello nupserit. (Cf. quae contra eum disputat Ribbeck. Proleg. p. 11 sq. et Diss. mea de Verg. vita etc. nota 19.) — *magni menses*, illustres, memorabiles, utpote saeculi aurei; quae explicatio sola convenit praegressis *decus hoc aevi*. Voss. proprie magnos, i. e. longos, nostris maiores, dictos accipit. Cogitat enim de *magno* illo *anno* mundano (vid. supra ad v. 5.). — *procedere*, i. q. oriri. Cf. Ecl. VI, 86. IX, 47. ibique adnott. — **13.** *Te duce*, auspice, a tuo inde consulatu, expiabitur omne scelus, quo contaminatum est hominum genus: scilicet ut sanctior et castior aetas succedere possit. Sic Heyn. Ceterum iam Voss. sensit, comparata inter se Octaviani ac Pollionis persona, videri posse Vergilium nimis magnifice de Pollione loqui. Cui rei occurrit ita, ut dicat, illo tempore Romanos minime existimasse, omnia in unius, Octaviani, potestatem cessura esse, sed pristinam sibi libertatem restitutum iri sperasse; quibus Wagn. adiungit, Consulatus dignitatem illis temporibus nondum ita imminutam fuisse, ut postea. Ladew. cum Peerlk. distinctionem loci sic mutavit: *- - procedere menses Te duce. Si qua* etc. — *Sceleris vestigia nostri*, i. e. reliquiae scelerum et belli civilis, quod nondum prorsus exstinctum et suppressum erat, cum etiam post Brundusinam pacem Sext. Pompeius adhuc maria Italiae infestaret et commeatu Romam intercluderet, donec sequente demum anno (715.) etiam cum eo apud Puteolos pax est facta. (Vid. Dio Cass. XLVIII, 36.) Ceterum bella civilia etiam Geo. I, 502. Hor. Od. I, 2, 29. et Epod. VII, 16. tamquam iustae priorum scelerum nondum expiatorum poenae proponuntur. — **14.** *inrita*, abolita, sublata, ut apud Tac. Ann. XIII, 14. *facinora inrita*. Sic autem pro *irrita* nunc scripsimus cum Cod. Med. et recentissimis editoribus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 410. et Ribbeck. Proleg. p. 433. Peerlk. p. 17. coni. *Obruta*. — *formido* de summo timore dicitur, ubi animus ingentis alicuius mali cogitatione plane pertubatur. (Cf. Doederl. Syn. Vol. II. p. 201. §. 23. et Kritz. ad Sall. Iug. 72, 2.); interdum vero etiam de ipsa illa re usurpatur, quae metum et formidinem excitat (cf. Geo. IV, 467. Aen. VII, 607. Sil. Ital. I, 82. Val. Fl. II, 267. Sall. Iug. 23, 1., ubi vid. Kritz., et 66, 1. 2.). — **15.** *Ille*, puer, quem hic Verg. canit, i. e. Asinius Gallus, Pollionis filius. Iahn. (qui etiam in Nov. Annall. phil. et paed. Supplem. Vol. II. p. 639 sq. de

Permixtos heroas et ipse videbitur illis
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
Errantis hederas passim cum bacchare tellus

---

h. l. disputavit,) minus recte de Octaviano, divi Caesaris filio, cogitat, cuius commemoratio quomodo quadret ad hunc sententiarum connexum, equidem fateor me non perspicere. Non enim opposita esse his verbis sequentia *At tibi prima, puer*, quod Iahn. censet, Particulamque *at* hic non esse alterum alteri opponentis, sed transeuntis ad novam rem (de quo Particulae usu, in carminibus potissimum conspicuo, cf. Hand. Tursell. I. p. 422 sq.), iam Wagn. docuerat, quamquam (quod recte observat Ladew.) hic non tam ad novam rem transit poëta, quam potius post deverticulum ad rem redit. — *deûm vitam accipiet*, aget vitam deorum et versabitur inter deos heroasque; qua de re Heyn. conferri iubet Hesiod. Ἔργ. 112 sq. *ὥς τε θεοὶ ἔζωον, ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες, Νόσφιν ἄτερ τε πόνων* etc. Ovid. Fast. I, 247. et Catull. LXIV. sub fin. — 16. *heroes* vocantur, qui ex altero parente Deo, altero homine nati, non solum ob originem divinam, sed magis etiam propter praeclara facinora sua post mortem inter deos relati sunt, ut Hercules, Castor et Pollux, Achilles, Aeneas, Romulus, alii (cf. Lucian. dial. mort. 3. et Serv. ad Aen. I, 196.), iidemque *ἡμίθεοι*, *semidei* appellantur. (Hesiod. Ἔργ. 159.) — *et ipse videbitur illis*, sc. permixtus, h. e. iis admixtus erit. Sic Aratus Phaen. 104. (quem Verg. ante oculos habuit) de Astraea aurea aetate inter homines versata cecinit: *οὐδὲ ποτ' ἀρχαίων ἠνήνατο φῦλα γυναικῶν, Ἀλλ' ἀναμὶξ ἐκάθητο, καὶ ἀθανάτη περ ἐοῦσα.* Ceterum de passivo verbi *videndi* usu vid. adnott. ad Aen. I, 494. — 17. Heynium aut de Marcello, Octaviae filio, aut de exspectato aliquo Octaviani et Scriboniae filio cogitantem, Pollionis vero prolem obstinate recusantem hoc versu ad incitas redactum videmus. Omnis autem difficultas evanescit, si per puerum illum Asinium Gallum intelligimus. Sententia haec est: Puer ille, in *pacata* (per patrem maxime et foedus Brundusinum) civitate ad summos honores evectus, iisdem, quae *patrem* ornant, *virtutibus reget orbem*, i. e. Consul factus administrabit imperium Romanum. Cf. adnott. ad v. 9—18. Ameis. Spicil. p. 9. coniungit verba *pacatum patriis virtutibus*, ut indicetur foedus Brundusinum Pollione suasore et adiutore ictum, de quo sane poëta videtur cogitasse; nihilominus verba *patriis virtutibus* rectius cum *reget* coniunguntur. — *At*. Vid. ad v. 15. — *prima munuscula*. Herbis et floribus sua sponte nascentibus primum quasi gradum, prima commoda aureae aetatis sensim adventantis describit poëta, quae incidunt in pueritiam Asinii Galli; ut infra v. 28. cum adolescentia eius fruges sponte provenientes et v. 37 sqq. cum virili aetate omnia aureae aetatis bona consummata coniungit. Heyn. suspicatur, Vergilio hic obversatos esse versus Hesiod. Ἔργ. 130 sqq. — *nullo cultu* (vid. ad Geo. I, 102.), uti omnia saeculo aureo nascebantur. Cf. Hesiod. l. l. v. 118. *καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον*. Heyn. praeterea adnotat, eodem sensu Ovid. Met. I, 108. *natos sine semine flores* dixisse. Ceterum cf. etiam Geo. I, 128. *tellus Omnia liberius, nullo poscente, ferebat*. — 19. *errantes hederas*, i. e. huc illuc vagantes, pro natura plantarum luxuriantium, vel, ut cum Cicerone Cat. Mai. 15, 52. loquar, *serpentes multiplici lapsu et erratico*. Cf. Catull. LXI, 34. (ibique Doering.) Hor. Od. I, 36, 20. et Epod. XV, 5. 6. Ovid. Met. X, 99. Vid. etiam Ecl. VIII, 12. et Gebauer Progr. p. 14., qui comparat Anth. Pal. VI, 154, 4. *κισσὸς πολυπλανής*. Eadem fere ratione flumina, flammae, capilli quoque soluti ac fluitantes, errare dicuntur. Cf. adnott. ad Geo. III, 14. — *baccharis* s. *baccaris*, *βάκχαρις* et *βάχχαρις* (cf. adnott. ad Hesych. T. I. p. 680.) describitur a Dioscor. III, 44. (vulgo 51.) et Plin. XXI, 6, 16. Parabatur inde nobile unguentum, cuius apud veteres saepe fit mentio (Athen. XV, 41. p. 690. Lucian. Lexiph. p. 187. Plin. XII, 12, 26. XXI, 6, 16.); et ex Ecl. VII, 27. discimus, herbam fuisse habitam, quae fascinum depelleret. Vocabatur etiam *nardum rusticum* (Plin. l. l.) et „in medicinae usu *perpressa*" (Plin. XXI, 19, 77.). Quaenam autem sit planta, inter recentiores nondum constat. (Cf. Sprengel. ad Diosc. l. l.)

Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho. 20
Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens et fallax herba veneni:

Secundum Billerb. Flor. class. p. 215. eadem est cum Gnaphalio sanguineo Linn. Ceterum formam *bacchare* cum Wagn. ex Med. (Gud. et duorum Bern.) auctoritate scripsimus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 418. Ex recentioribus editoribus unus Ribbeck. vulgarem lectionem *baccare* servavit. — 20. *colocasium*. Heyn. coll. Schneidero ad Pallad. III, 24, 14. habet plantam illam palustrem in Aegypto nascentem, quam Aegyptii etiam nunc Culcas (vel potius *Kulkaas*) appellant. Voss. tamen p. 197. censet, hanc non esse colocasiam (s. --um) veterum, sed *Arum Colocasiam* Linn., illam vero non diversam esse ab Indorum Nelumbio (Nymphaea Nelumbo Linn.), atque etiam Sprengel. ad Dioscor. II, 128. Arum Colocasiam inde a Plinii temporibus (ex cuius XXI, 15, 51. colligendum videtur, colocasium tum demum in Italia seri coeptum esse) saepissime cum Nelumbio commutatam esse affirmat. Cf. etiam Billerb. l. l. p. 139. et 189. — *fundet*, magna copia proferet. Cf. Cic. N. D. II, 62, 156. Plin. XVII, 22, 35. XVIII, 10, 21. Eodem modo de hominum et animalium procreatione: Aen. VIII, 139. Geo. I, 13. Plin. VIII, 30, 46. Lucr. V, 821. (ubi vid. Wak.) et 915. — *acanthus* cum hic colocasio, Aegypti plantae, iungatur, de arbore illa Aegyptia intelligendum, quae Geo. II, 119. commemoratur, ubi vid. adnott. De herba huius nominis diximus ad Ecl. III, 45. — *ridens* est pulchritudine sua oculos delectans; dicitur enim hoc verbum de omnibus, quae iucundum, hilarem adspectum praebent. Cf. Ecl. VII, 55. Cir. 103. Lucr. II, 502. III, 22. IV, 1125. Hor. Od. IV, 11, 6. Ovid. Met. XV, 284. etc. Gebauer Progr. p. 13. comparat Meleagr. in Anth. Pal. V, 147, 2. τὰ γελῶντα χρῖνα, Hom. Il. XIX, 362. γέλασσε δὲ πᾶσα περὶ χθών, alios. Cf. idem de poët. etc. I. p. 246. — Ceterum auctor carm. in Anth. Lat. Burm. II, 186, 26. hunc locum sic imitatur: *Terra ministravit flores et munere verno Herbida supposuit puero fulmenta virescens.* — 21. *Ipsae*, sponte, nullo ducente. Sic *αὐτάι* pro *αὐτόματοι* ap. Theocr. Id. XI, 12. (Cf. Gebauer I. p. 233.) Cf. infra v. 23. Ecl. VII, 11. Geo. I, 127. II, 10. 251. III, 316. Aen. VII, 492. etc. Wagn. Qu. Virg. XVIII. m. p. 466 sqq. et adnott. ad Ecl. VIII, 106. — Voss., versum sequentem respiciens et Sybillae Erythraeae versus graece scriptos, e quibus hos Vergilii sumptos censet Lactant. Inst. VII, 24., paullo artificiosius explicat: quia nullas a lupis metus, capellae nemine ducente domum redeunt. Cf. potius simillimus Horatii locus Epod. XVI, 49. sqq. — *distenta ubera*, plena, turgentia. Cf. Ecl. VII, 3. IX, 31. Geo. III, 396. Lucret. I, 259. *lacteus humor Uberibus manat distentis* (unde hic fluxit). Hor. Epod. II, 46. XVI, 50. id. Sat. I, 1, 110. Anth. Lat. Burm. I, 147, 9. *distentae lacte capellae ubera.* Praeivit Theocr. VIII, 42. 69. Cf. Gebauer de poët. I. p. 229. — 22. *nec magnos m. a. leones.* Praeter Lactantii l. l. cf. Ecl. V, 60. Senec. Herc. Oet. 1056. *Iuxtaque impavidum pecus Sedit Marmaricus leo, Nec damae trepidant lupos, Et serpens latebras fugit Tunc oblita veneni.* Claud. rapt. Pros. II. praef. 25. sqq. *Securum blandi leporem fovere Molossi Vicinumque lupo praebuit agna latus. Concordes varia ludunt cum tigride damae, Massylam cervi non timuere iubam.* Ceterum ut hic *magni leones*, sic Aen. VII, 18. *magni lupi.* — 23. Similes blanditiae dicuntur Anthemio Augusto ab Sidon. Apoll. in Pan. 105. sqq. et Serenae a Claudiano laud. Ser. 70. sqq. — *Ipsa*, nemine serente. Vid. supra ad v. 21. — *blandos* imprimis de odore videtur capiendum, quo flores pueri naribus quasi blandiantur. Cf. Lucr. II, 846. (ibique Wakef.) et Prop. IV, (V) 6, 5. ibique Broukh. Quamquam verum est, etiam rebus, quae oculis blandiantur, interdum hoc epitheton adiungi, ut ap. Plin. XXXV, 10, 37. XXXVII, 9, 40. Stat. Silv. III, 5, 96. etc. Possumus igitur hic de utroque sensu cogitare et simpliciter cum Vossio vertere *schmeichelnde Blumen.* Omnino autem hic conf. Hom. Il. XIV, 347. — 24. Prius, ut omnes recentiores editores, locum ita distinximus, ut cohaererent verba *herba veneni Occidet* et ratio huius loci eadem

Occidet, Assyrium vulgo nascetur amomum. 25
At simul heroum laudes et facta parentis
Iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus:
Molli paulatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva

---

esset, de qua ad v. 6. diximus; si enim cum Vossio post *veneni* interpungeretur, alienam ab hoc loco gravitatem induci Wagnero credidimus; nunc tamen, Gebauero suasore de poët. I. p. 49., qui strophicam carminis rationem hoc flagitare docet, Vossianam distinctionem secuti sumus. Quod autem ad hanc Verbi repetitionem attinet, cf. infra v. 60 sqq. VI, 20 sqq. 55 sq. et quos Gebauer l. l. comparat Theocriti locos. Praeterea vide adnott. ad Ecl. I, 74. et X, 54. — *herba veneni*, i. e. herba venenata, quasi continens venenum; ut Solin. c. 43. *poculum veneni*, Tibull. III, 5, 34. *poculum lactis*, id. I, 3, 46. *lactis ubera*, Verg. Ecl. V, 68. *crateres olivi*, Aen. III, 67. *sanguinis paterae* et similia. Eodem modo Graecos dicere constat. Cf. praeter Bernhardy Syntax. p. 163 sq. Krüger. ad Xen. Anab. IV, 3, 11. (*μάρσιππος ἱματίων*) et Iacobitz. ad Lucian. Char. c. 13. (*ἐν ἀσκῷ αἵματος*). Epitheton *fallax* illustratur loco Geo. II, 152. *nec miseros fallunt aconita legentes.* Ita enim dicuntur illae herbae, quia facile cum aliis innoxiis confunduntur et una cum iis evelluntur a legentibus. — 25. Amomum, planta nunc tantum in oriente proveniens, ubique nascetur. De *amomo* cf. not. ad Ecl. III, 89. Optimum in Armenia, vilius in Media et Ponto nascebatur; hic autem *Assyrium* vocatur ex notissimo poëtarum usu, qui terras vicinas inter se permutantes, Assyriam, Mediam, Arabiam, Indiam latiori sensu pro orientalibus regionibus in universum dicere solent; ut Lucan. VIII, 292. *Et polus Assyrias alter noctesque diesque Vertit*, i. e. Orientem. Cf. Voss. ad h. l. et quae ad Geo. II, 116. adnotavimus. — 26. Sententia est: ubi adoleveris, ita ut iam historias et carmina legere possis (cf. not. ad v. 6.), non solum flores, sed etiam fructus sponte terra proferet. — *simul* pro simul atque. Vid. ad Aen. XI, 908. — *heroum laudes* sunt facta laude digna, ut *κλέα ἀνδρῶν ἡρώων* apud Hom. Il. IX, 524. XXII, 520. — *facta parentis.* Heynio, qui *parentem* falso aut de ipso Octaviano, aut de C. Marcello intelligendum esse putat, amplectanda videtur lectio *facta parentum*, i. e. maiorum. Sed nihil est mutandum; *parens* est Pollio (vid. ad v. 17.); paucorum autem Codd. (Rom., Gud.) lectio *parentum* accommodata est antecedenti voc. *heroum.* — V. 26. significatur poësis et historia, utraque clarorum virorum egregia facinora celebrans et ita certissimam viam virtutis aemulatione illorum assequendae demonstrans. Vulgo de virtute sive sapientia ex philosophorum praeceptis haurienda cogitant; tum vero non *quae* (i. e. qualis, quanta) *sit virtus* (scil. heroum et parentis) scribendum fuisse, sed *quid sit virtus*, iam Wagn. docuit. Accedit, quod homini adolescentulo carminum et historiarum lectio multo magis convenit, quam philosophicarum disquisitionum perscrutatio. — 28—30. Ubi puer adoleverit, maior iam terrae cultus et felicitas erit (cf. ad v. 18.); nascentur sponte frumenta, uvae, mel. Heyn. conferri iubet Hor. Epod. XVI, 43. *Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis Et imputata floret usque vinea.* Adde Geo. I, 127. Ovid. Met. I, 101. sqq. et similes locos. — Quomodo *mollis arista* intelligenda sit, ambigit Heyn., nesciens, utrum aristam, quae adhuc in herba sit, an, cum diserte dicatur *flavescere*, levem, acutis acubus non obsitam, an denique teneram, flexilem significet, (ut alibi *mollis acanthus*, *mollis iuncus* et similia dicantur; quae Schirachii p. 494. et Coningtonis est sententia); quibus explicandi rationibus quartam addo, Cerdae probatam, qui, *pomum molle* comparans, temere maturam aristam cogitat; sed harum omnium interpretationum unice vera est altera, ex qua haec prodit sententia: novo miraculo aristae, quae nunc horrent acutis acubus tamquam vallis obsitae, tunc leves et glabrae erunt. Cf. Voss. et Wagn. ad h. l., qui docet, iam ex Adiectivo in principio versus posito apparere, novum quid poëtam afferre voluisse. Ceterum vi[illegible] locum respexisse Colum. X, 311. *Sed cum maturis flavebit* - 29. *Incultis sentibus*, ut Hor. Ep. I, 2, 45. *incultae sil-*

Et durae quercus sudabunt roscida mella. 30
Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
Quae temptare Thetim ratibus, quae cingere muris
Oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys et altera quae vehat Argo

---

vae, ubi vid. Obbar. p. 174. — *rubens uva*, ut apud Catull. XIX, 14.; neque aliter Hor. Epod. II, 20. *uva certans purpurae*. Cf. etiam Geo. II, 95. Gebauer Progr. p. 9. confert Theocr. I, 46. ex Ahrensii coni. *πυρραίαις σταφυλαῖσι*. Fortasse hunc locum respexit Calpurn. XI, 48. *dependent vitibus uvae*. — **30**. Vossius temere coniecit *Edurae quercus*, ut Geo. IV, 145. *Eduramque pyram*. Vid. etiam not. ad Geo. II, 65. Ceterum *durae quercus* satis crebro commemorantur. Vid. Ecl. VIII, 52. Ovid. Fast. IV, 400. etc. Sic Aen. VIII, 315. *durum robur* et Ecl. VI, 28. *rigidae quercus*. — *sudabunt*, stillabunt, ut apud Ovid. Met. I, 112. *Flavaque de viridi stillabant ilice mella*. Cf. Ecl. VIII, 54. Geo. II, 118. et Calpurn. Ecl. VIII, 176. *dulcia mella Sudabunt taxi*. — Videntur autem antiqui (quod iam Heyn. adnotavit) hoc aetatis aureae bonum duplici modo cogitasse, aut ut mel ab apibus in quercubus factum tam copiosum esset, ut in terram defluueret, (cf. Hesiod. Ἔργ. 233. Ovid. Am. III, 8, 40. Hor. Od. II, 19, 11. Epod. XVI, 47. Lucil. Aetn. 13. Tibull. I, 3, 45. et Claud. in Ruf. I, 383.); aut ut folia ilignea mel eliquarent et sudarent pro glutine, (cf. Ovid. Met. l. l. Geo. I, 131. *mellaque decussit foliis*, de Iovis aetate, et Senec. Ep. 84. *Quibusdam placet, non faciendi mellis scientiam apibus esse, sed colligendi.*) *Roscida mella* igitur sunt quae roris more in foliis guttatim se colligunt. Cum autem folia arborum quarundam orientalium exsudent eiusmodi succum, non mirum videri potest, veterrimos Graecos et Romanos mel habuisse pro rore ex aethere delapso. Cf. Geo. IV, 1. Plin. H. N. XI, 12, 12. Schol. Nicandri Alexiph. 148. Bach. ad Ovid. Met. l. l. — **31**. „*vestigia fraudis*, sceleris, *πρωτέρας ἄτης*, ut v. 13. *sceleris vestigia nostri*, h. e. mala et vitia nonnulla, quae cum summa felicium temporum simplicitate et innocentia non satis conveniunt; ut navigatio, urbium munitio, aratio; quae omnia cum adulta pueri aetate cessabunt. v. 37." *Heyn.* — **32**. *temptare* (vid. ad Ecl. I, 49.) *Thetim*, i. e. mare adire, adiuncta tamen periculorum notione, quibus navigantes sunt obnoxii. Sic Geo. III, 8. *viam*, Aen. II, 38. *latebras*, IV, 293. et IX, 67. *aditus*, ib. XI, 912. *proelia*, Tibull. I, 2, 17. *nova limina*, Claud. I, 135. *Istrum*, Tac. Germ. 34. *Oceanum temptare*. Cf. Wunderl. ad Tibulli l. l. Burm. ad Val. Fl. I, 197. et 529. Mitscherl. et Orell. ad Hor. Od. I, 28, 5. Eodem fere sensu Geo. II, 503. legimus *sollicitare freta*. *Thetis* pro mari eodem modo legitur apud Ovid. Met. I, 94. Tibull. I, 3, 37. Martial. X, 30, 31. et Claud. de rapt. Pros. I, 148., ut *Neptunus* Geo. IV, 29. Ovid. Am. II, 26, 27. Lucr. II, 470. alibi. Eadem ratione *Vulcanus* et *Vesta* pro igne (vid. ad Geo. I, 295. et IV, 384.) *Iupiter* pro caelo et aëre (vid. ad Ecl. VII, 60.), *Ceres* pro frumento et pane, *Bacchus* pro vino (vid. ad Ecl. V, 69.), *Minerva* pro tela (vid. ad Aen. VIII, 409.), *Lucina* pro partu (vid. Geo. III, 60.) etc. Temere autem Wund. praefert paucorum Codd. lectionem *Thetin*, quam Accusativi formam Vergilius nusquam videtur admisisse. Vid. adnott. ad Ecl. V, 52. Ceterum cf. loci eiusdem argumenti, Ovid. Met. I, 94. sqq. et Tibull. I, 3, 37. sqq. — **33**. *infindere sulcos*, i. e. arare; (arationem autem argentea demum aetate incepisse, discimus etiam ex Geo. I, 122 sqq.) Simili ratione dicitur Aen. V, 142. *sulcos infindere mari* pro navigare. Quare non opus est, ut ex uno Cod. Rom. cum Voss. scribamus *tellurem infindere sulco*, aut Wakefieldum sequamur, qui pariter ex uno tantum libro Vat. recepit *tellurem infindere sulcis*. Ceterum memorabilis est hic locus, qui offerat verbum *iubendi* cum Infin. Activi constructum Accusativo Obiecti non adiuncto; de qua re diximus ad Ecl. VI, 85. — **34**. Locum ex Hesiodi v. Ἔργ. 161 sqq. adumbratum esse, iam Heyn. memorat. Sermo est de expeditionibus bellicis, heroicorum temporum, quibuscum poëta adolescentiam pueri confert, celeberrimis bellis, Argonautarum navigationi et Troiae oppugnationi, gravitate et gloria simillimis. *Tiphys*, Argus navis gubernator, qui in ipsa illa ex-

Delectos heroas; erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,
Cedet et ipse mari vector nec nautica pinus
Mutabit merces; omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem;
Robustus quoque iam tauris iuga solvet arator;

---

peditione apud Mariandynos morbo absumptus est. Cf. Orph. Argon. 120. 721. Apollon. I, 105. Apollod. I, 9, 16. 23. Paus. IX, 92. Hygin. f. 14. Ovid. Her. VI, 48. Trist. IV, 3, 77. et multi alii. — 35. *Delectos heroas*, Herculem, Peleum, Iasonem, Telamonem, Lynceum etc., quorum Argonautarum catalogum a se confectum Petr. Burmannus editioni Valerii Flacci praemisit. Videtur poëta ante oculos habuisse Ennii Med. fr. I. p. 125. Vahl. *Argo, quia Argivi in ea delecti viri Vecti.* Praeterea cf. Theocr. XIII, 16 sqq. — 36. *magnus Achilles*, ut Aen. VI, 122. *magnus Theseus*, Aen. V, 371. *maximus Hector* etc. Cf. de hoc usitatissimo deorum et heroum epitheto Thiel. ad Aen. IX, 208. p. 340. et Gebauer Progr. p. 10. — 37. „Cum virili aetate perfectum ab omni parte succedet saeculum Saturnium, aurea aetas. Ab hac itaque aberunt omnes pestes et mala vitae, quae per cupiditates hominum inferuntur. Contra omnium rerum ubique per terrarum orbem copia erit summa, ut navigatione externa bona petere necesse non sit. Ita ornat poëta illud, quod simpliciter erat: tolletur navigatio." *Heyn.* Cf. Hesiod. *Ἔργ.* 236. *οὐδ' ἐπὶ νηῶν Νίσσονται, καρπὸν δὲ φέρει ζείδωρος ἄρουρα* et Arat. 110. — *firmata aetas.* Cf. Silius III, 84. *Inde ubi flore novo pubescet firmior aetas.* Omnino *firmus* et *firmare* haud raro dicitur de corporis viribus. Cf. Geo. III, 209. Cic. ad Div. XI, 27. XVI, 5. 8. Nep. Eum. 11. Cic. Tusc. II, 15, 36. etc. — 38. *Vector*, nauta, *ipse*, i. e. sponte (cf. supra ad v. 21.) *cedet mari*, relinquet mare, quia omnibus domi nascentibus non amplius opus erit navigatione, qua merces peregrinae importentur. — *nec nautica pinus m. m.* Eandem sententiam proferunt Tibull. I, 3, 37. Ovid. Met. I, 94. sq. id. Am. III, 8, 43. atque Verg. ipse Geo. I, 130. et 136. De *pinu* autem pro nave posita praeterea cf. Aen. X, 206. Hor. Od. I, 14, 11. Epod. XVI, 59. Catull. LXIV, 1. Tibull. I, 3, 37. Ovid. Met. II, 185. Her. XVIII, 158. A. A. II, 9. — 39. *mutare merces* legitur etiam apud Hor. Serm. I, 4, 29. — *omnis feret omnia tellus.* Cf. Geo. II, 109. Lucr. I, 167. *ferre omneis omnia possent* (de arboribus.). — 40. Nulla opera humana indigebunt nec agri nec vineae. Heyn. conferri iubet Arat. Phaen. 110. 111. neque eum fugit, ut poëta noster Catullum LXIII, 39 sqq. respexerit, sic nostrum ante oculos fuisse Ovidio Met. I, 101. — *Rastrum*, instrumentum rusticum dentatum, plerumque ferreum, interdum etiam ligneum, sarculo et ligoni simile, quo glebae confringebantur et terra eruebatur (*der Karst*). Est autem hoc vocabulum inter Substantiva abundantia, quae Pluralem duplici ratione formant, ita quidem ut *rastra* rarius inveniantur (v. c. Stat. Theb. III, 589. Iuven. XV, 166. Isidor. Origg. XX, 14, 6. p. 632. ed. Lindem.), saepius vero *rastri* (Varro L. L. IV, 31. Geo. I, 164. Ovid. Met. XI, 36. Ter. Heaut. I, 1, 36. V, 1, 58. Plin. XV, 1, 2. XVII, 5. in.). Cf. Schneid. Gramm. II, 1. p. 475. et Ruddim. I. p. 110. — *falcem* (*Hippe*), qua vites amputantur, quamque Colum. V, 25. *falcem vinitoriam*, Cato R. R. 11. *falcem vineaticam* vocat. Cf. etiam Plin. XVII, 22, 35. §. 10. *vitem falce curare* et Hor. Od. I, 31, 9. *falce vitem premere.* Amputatio autem in vitium cura imprimis spectanda. Quod attinet ad numeri varietatem (*rastros — falcem*), tenendum est, Vergilium aliosque poëtas, ut gratior existat sonus, saepissime duo Substantiva ita coniungere, ut alterum Plurali, alterum Singulari numero ponatur. Cf. Wagn. Qu. Virg. IX. p. 407., qui collegit hos locos: Ecl. IV, 40. Geo. I, 157. II, 443. III, 82. 410. 560. Aen. I, 455. 562. 673. IV, 269. 427. VI, 724. VII, 571. VIII, 60. 98. XI, 99. 911. — 41. Non amplius aratione opus erit. *Robustus arator*, ut ap. Lucr. V, 931. *Nec robustus erat curvi moderator aratri* et VI, 1252. *Et robu-*

Nec varios discet mentiri lana colores,
Ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto;
Sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos. 45

---

stus item curvi moderator aratri. [Prius deteriores quosdam Codd. secutus male edidi *robustis*, quia tauris magis convenire hoc epitheton, quam aratori putabam. Sed optimos potius Codd. audiendos esse, iam Lucretii illi loci debebant me docere.] — *tauris* autem est Casus tertius, non sextus, ut censent Wunderl. ad Tibull. II, 1, 7. et Spohn. Nam *solvere* tum tantum construitur cum Ablat., ubi est i. q. *liberare*, ubi vero significat *solvendo demere*, cum Dativo; ut Prop. II, 9, 39. *Figite certantes atque hanc mihi solvite vitam*, i. e. vitam mihi eripite, ubi *solvite me vita* significaret: liberate me vita (tamquam onere). Quamquam negari nequit, interdum per negligentiam aliquam utramque constructionem ita confundi, ut pro *solvere cor, pectus, mentem aliqua re* aut *solvere cordi* etc. *aliquid* dicatur *solvere corde aliquid* (ut Aen. I, 562. *Solvite corde metum*), in quibus locis Wagn. Ablativum non a verbo pendere, sed ita solvendum esse censet: quod est in corde, pectore. Ceterum respicitur hic locus in Anth. Lat. Burm. I, 173, 63. *fessus iuga solvit arator.* — 42. „Novum ac mirum phantasma in vaticinio! pecudis color nativus erit purpureus, croceus ac roseus, ita ut etiam tingendi necessitatem abfore dicat poëta. *Mentiri lana* dicitur, dum fucum imbibit, alieno colore tingitur." *Heyn.* Simulat enim speciem virtutis, quae ipsi non nativa est, sed insiticia. Sic Plin. XXXV, 6, 29. *Color, qui chrysocollam mentitur*, et poëta apud Wernsd. Poët. L. min. IV, 561, 2. *auri mentita colorem.* Cf. etiam Spalding. ad Quinct. VIII, 3, 6. et adnott. ad Aen. II, 422. — 43. Oves, felicioribus herbis vescentes, inter pascendum sponte trahent eos colores, qui summo in pretio habentur, neque amplius opus erit, ut demum lana detonsa variis coloribus fucetur. Pro coloribus autem poëtae materias, unde conficiuntur, placuit commemorare; ut Hor. Od. III, 10, 14. canit: *tinctus viola pallor amantium*, i. e. colore violaceo, subpallido. — *in pratis* i. q. v. 45. *pascentes.* — *Suave rubens* iam adfuit Ecl. III, 63., ubi vid. adnott. — 44. *murex*, concha purpurea, (de qua cf. Plin. IX, 33, 52. et 36, 60.) pro ipsa purpura, colore vel pigmento purpureo legitur etiam Aen. IV, 462. IX, 614. et Ovid. Met. VI, 6. — „*mutabit vellera murice, luto*, permutabit naturalem velleris colorem, *ipse*, sponte, naturae beneficio, non opera hominum, purpura et luto, ut naturalis lanae color iam purpureus sit et aureus." *Heyn.* „Ita apud Tibull. I, 8, 43. *coma mutatur* pro: color comae mutatur. Ad constructionem facit Tac. Ann. II, 6. *Rhenus id vocabulum mutat Mosa flumine.*" *Wund. Luteum s. lutum* ac lutea, herbae genus, qua tincta lana flavo et croceo colore inficitur. (Reseda luteola, Linn., vulgo *Wau, Waude.*) Cf. Titius ad Nemes. Cyneg. 319. Beckmann *Beitr. z. Gesch. d. Erfind.* IV, 1. p. 44. et Heyn. ad Tibull. I, 8, 52. Victorius Var. Lect. XIX, 3. *luteum*, quod cum *vitro*, Caesari B. G. V, 14. commemorato, confundit, minus recte pro Isatide Graecorum habet; ex hac enim planta, a nobis *Waid* vocata (cf. Sprengel. ad Diosc. II, 215.) *caeruleum*, non croceum, pigmentum conficiebatur. Secundum Billerb. autem Flor. class. p. 181. *lutum* Plinii XXXIII, 5, 26. et Vitruvii VII, 14. eadem est planta, quam Colum. IV, 31. *genistam* vocat (*die gelbe Scharte*). Ceterum imitatus est hunc locum Claud. in laud. Serenae 71. *roseis formosus Duria ripis Vellera purpureo passim mutavit ovili.* — 45. Hic totus versus iteratur in Anth. Lat. Burm. I, 147, 12. *Sandycem* cum murice et luto coniunctam Vergilius pro herbae tinctoriae genere videtur habuisse, quae Plinii XXXV, 6, 23. quoque est opinio; cf. etiam Sosib. ap. Hesych. v. *σάνδυξ*; qua de causa etiam apud Grat. Cyneg. 86. et Vopisc. in Aurel. 29. quidam interpp. sandycem de planta huius nominis intelligunt. Alias *sandyx* est facticium illud pigmenti genus rubri coloris, quod nos *Mennig, Mennige* vocamus, quia cum *minio* veterum (nostro *Zinnober*) confundimus. Cf. potissimum Groskurd. ad Strab. XII, 2, 10. Vol. II. p. 457. praeterea autem Turnebi Advers. XV, 20. Salmas. ad Solin. p. 180. et interpp. ad Prop. II, 25, (III, 20), 45. — *pascentis.* Bentl. ad Lucan.

„Talia saecla", suis dixerunt, „currite", fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcae.
Adgredere o magnos — aderit iam tempus — honores,

IV, 125. et in Bibl. Angl. I. p. 186., contra quem iam Burm. disputavit ad h. l., ad Ovid. A. A. III, 25. et ad Calpurn. Ecl. II, 37., proposuit coniecturam *nascentes*, cui cum omnis sententia, tum verba *in pratis* adversantur. *Pascentes* autem pro se pascentes. Notum est enim, plura verba transitiva, omisso Pronomine reflexivo, Medii, quod dicitur, Graecorum s. neutrali significatione usurpari. Ita Particip. *pascentes* legitur etiam Ecl. III, 96. V, 12. Geo. III, 467. Aen. VI, 199.; num vero verbum finitum eadem ratione usurpatum fuerit, valde dubium: quare praestare videtur, ut hoc Participium potius ad Deponens verbum *pasci* referamus. (Vid. adnott. ad Geo. III, 143.) Ceterum cf. adnot. mea ad Lucr. I, 398. et ad Aen. I, 234. — 46. „Tale saeculum fato decretum succedet. Hoc ornate: *Dixerunt Parcae suis fusis: O talia saecla, currite!* pro vulgari: O fila, currite fusis devoluta, talia, i. e., tam felicia, saecula ducentes. Habuit autem, quod iam Macrob. VI, 1. vidit, Maro ante oculos Catull. LX, 320 sqq. *Sed vos, quae fata sequuntur, Currite ducentes subtemina; currite fusi.*" Ita fere *Heyn.*, qui, sic distinguens: *talia saecla, currite* et Interiectionem praemittens, *talia saecla* pro Vocativo videtur habere (ut etiam Conington, qui comparans usum Pron. οὗτος, e. g. apud Soph. Oed. Col. 1627., *talia* explicat: cum talia sitis.). Sed ut nihil dicam de insolentiore Vocativo *talia* (cf. Ruddim. I. p. 135.), illa opinio iam eo redarguitur, quod Parcae sermonem ad fusos suos, non ad saecula, dirigunt, quodque in parallelo Catulli loco (cum quo cf. Silius VII, 479. *currit immobile filum*, i. e. series fatorum non movetur, mutatur) etiam fusi ipsi currere dicuntur. Quare prius cum Cerda et Vossio interpretatus sum: O fusi, currite *per* talia saecla! ut insit non interrupti cursus ideoque numquam turbatae et interceptae felicitatis notio, et *currere saecla* eadem ratione dictum habeatur, qua Aen. III, 191. et V, 235. *currere aequora* et ap. Cic. Off. III, 10, 42. *cùrrere stadium*. Nescio tamen, an rectius statuant Steinmetz. et Dietsch., quorum ille in Progr. Merseb. a. 1846. p. 4., comparans dictionem *societatem coire*, Geo. II, 39. *decurrere laborem* et similia, coll. Madvigii Gramm. Lat. §. 223., *currere saecla* interpretatur per: saecla efficere currendo, ut *currere* fere transitivam vim adsciscat; hic autem Theol. Verg. p. 14., cum fila currentia Parcarum sint labentium temporum imagines, *currite saecla* idem esse putat, quod *currite fila*, i. e. currendo fila ducite; ut in illo Ciceronis loco *stadium currere* non sit per stadium currere, sed currendo genus certaminis, quod stadium appelletur, exercere. — *fusus* secundum Isidor. Orig. XIX, 292. p. 608. Lindem. a *fundendi* vocabulo deductum, „quod per ipsum funditur, quod netur." Ceterum cf. Anth. Lat. Burm. V, 69, 21. *tunc fila recurrite fusis*. — 47. *Fata* sunt *stabilia*, immutabilia, iisque *numen*, h. e. potestas ac voluntas divina tribuitur. *Parcae concordes fatis*, non tam in fatis hominum rerumque definiendis et constituendis, ut Heyn. explicat, quam potius propter stabilem certamque fati voluntatem, ut causa concordiae in fatorum stabili numine inesse dicatur. Vid. Dietsch. l. l. De Parcis autem, Erebi et Noctis (Cic. N. D. III, 17, 44. Hygin. praef.), aut ex alio mytho minus vulgari (Hesiod. Theog. 904. Apollod. I, 3, 1.) Iovis et Themidos filiabus, quarum Graeca nomina sunt Clotho, Lachesis, Atropos (Hyg. f. 171.), Romana Nona, Decima, Morta (Caesell. Vindex ap. Gellium III, 16.) earumque officiis vario modo constitutis cf. Klopferi Lex. myth. II. p. 412 sqq. et Preller in Pauly *Realencycl.* v. Fatum. Vol. III. p. 435 sq. Dici eas κατ' ἀντίφρασιν a *parcendo*, quod nemini parcant, omnes fere grammatici contendunt; qui non errantes in ipsa vocis etymologia eruenda, veram tamen appellationis causam non pesrpexerunt. Non enim κατ' ἀντίφρασιν, sed propterea Parcae nominatae videntur, quod ab hominibus invocantur, ut vitae ipsorum velint parcere. Varro autem apud Gell. III, 16. a *partu* et *pariendo* appellatas esse censet, cui adsentitur Preller loco modo laud. Ceterum hic totus versus repetitur in Anth. Lat. Burm. I, 172, 108. et paucis mutatis legitur in Ciri 123. *regnumque futurum Concordes stabili firmarunt numine Parcae*. — 48. „Dicere haec

Cara deum suboles, magnum Iovis incrementum!
Aspice convexo nutantem pondere mundum 50

ἐνθουσιῶν de puero, iam ad virilem aetatem adulto, existimandus est poëta, impatienter ferens moram, et iam animo praevidens praesagia ac prodigia, quae magnam rerum mutationem portendunt." *Heyn.* Cf. etiam adnott. ad v. 6. — **49.** Hic quoque versus in Cirin translatus, ubi v. 397. legitur: *Cara Iovis suboles, magnum Iovis incrementum.* — *deûm*, i. e. dei alicuius, ut Aen. VI, 322. de Aenea canitur: *Anchisa generate, deûm* (i. e. Veneris) *certissima proles.* Sic etiam alibi Pluralis pro Singulari de aliquo incerto ponitur. Cf. Ecl. VI, 42. Aen. VII, 98. VIII, 503. X, 79. XII, 60. etc. Quaeritur autem: cuius dei? „Iovis" respondendum videtur, si sequentia respicimus et comparamus locos Aen. I, 4. *vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram* et Aen. XI, 784 sq. *superos Arruns sic voce precatur: Summe deûm, sancti custos Soractis, Apollo.* Non prorsus tamen negligendum videtur, quod Pomponius supra ad v. 10. adnotat, Polliones ob nominis similitudinem genere ab Apolline repetendo gloriatos esse, quare Vergilium ad hanc ipsam divinam gentis originem alludere, non temere fortasse suspiceris; quae opinio moribus et superbiae Romanorum minime repugnat. Aliis fortasse de certo aliquo deo omnino non cogitare et *deûm subolem* cum Ameisio Spic. p. 9. simpliciter per *Göttersprössling* reddere placebit. Auctorem Ciris, qui de Tyndaridis loquitur, ex *deûm subole* fecisse *Iovis subolem*, iam vidimus. — *magnum Iovis incrementum* Heyn. interpretatur per alumnum, qui quasi increvit Iovis cura, θρέμμα Διὸς, διοτρεφῆ, Spohn. autem minus recte per *donum*, *munus Iovis*, laud. Casaub. ad Ael. Spartiani Hadr. 7.; at non simpliciter pro munere dici incrementum, sed ita, ut addendi augendique notio involvatur, recte contendit Wagn., cui *incrementum Iovis* est, qui per Iovem incrementum capit, cui favet Iupiter. Sed simplicior videtur haec explicatio v. 7. respiciens; nova proles, qua numerus filiorum Iovis egregia accessione augetur; quam etiam Wagn. mutata sententia in edit. minore secutus est, coll. loco Curt. V, 1, 39., quo *incrementum* de novorum militum accessione dicitur. (Munro in *Journ. of Philol.* IV. p. 292 sq., a Coningt. laud., coll. Curt. V, 1, 42. *magnorum praefectorum et ducum incrementa et rudimenta* explicat per *„the germ of a future Iupiter"*, et Meinek. ad Soph. Ecl. 1146. expressum putat Graec. Διὸς μέγα ὄφελος vel Διὸς μέγ' ὄνειαρ.). Vocis autem quadrisyllabae, duplicem spondeum efficientes, a Vergilio non nisi cum singulari vi et gravitate in fine versuum ponuntur, ut Geo. I, 221. Aen. II, 68. VIII, 167. Cf. Bach. ad Ovid. Met. I, 62. — **50.** *Mundus nutans convexo pondere* i. e. caelo convexo, quod camera sua omnia complectitur; pondus autem vel moles bene tribuitur immenso caelo. Cf. Lucret. V, 97. *ruet moles et machina mundi.* Eo ipso autem, quod *nutat*, movetur, concutitur, mundus laetitiam suam prodit, quemadmodum in dei alicuius adventu terra moveri et quasi exsultans tripudiare solet. De locutione *mundus nutat* conferri potest Lucan. IV, 493. *Felix, qui potuit, mundi nutante ruina, quo iaceat, iam scire, loco*, ubi tamen, ut apud eundem VI, 136., *quassae nutant turres* et in similibus locis, *nutare* de vehementiore motu et concussione dicitur, quam hic videtur cogitanda. Quare Voss. non inepte comparat *nutantem platanum* apud Catull. LXIV, 201., *nutantia* (i. e. coruscantia) *sidera* ap. Calpurn. I, 79. et in Ciri 218., *et calathos nutanti lacte coactos* ap. eundem Calp. II, 77., quibus adde locum Ovidii A. A. II, 136. *rami pondere nutant.* Praeterea non adsentior Heynio, Wunderl. et Wagnero, qui verba sic coniungunt: *Adspice mundum nutantem terrasque* etc. --*ut laetantur* (sic enim legendum esse statim videbimus), ac si per attractionem illam Graecis imprimis frequentatam dicta essent pro: *Adspice, ut mundus nutans terraeque* etc. *laetantur.* Immo et anaphora verbi *Adspice* (de qua vid. ad Ecl. I, 74. et alibi) et iteratum Subiectum sententiae *omnia*, et Indicativus *laetantur* mihi videntur demonstrare, locum sic esse intelligendum: *Adspice nutantem mundum*, i. e. *adspice, ut nutat mundus*, quibus quae adduntur *terrasque - - - profundum* pertinent ad solam voc. *mundi* explicationem; *Adspice, ut omnia* (i. e. totus mundus) *laetantur*,

Terrasque tractusque maris caelumque profundum,
Aspice, venturo laetantur ut omnia saeclo!
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae

---

quam nimirum laetitiam nutando significant; ut igitur v. 52. accuratius explicet duo antecedentes versus. Ita igitur, si summam rei spectamus, sensus loci sane eodem redit, quo viri illi docti volunt; sed grammatica ratio aliter se habet. Diserte mihi adsentitur Conington, neque aliter locum intelligere videntur Ladew. et Haupt., quorum ille post *profundum* semicolo, hic adeo puncto distinguit. Ceterum de forma *Aspice* vid. supra ad Ecl. II, 66. — V. 51. iteratur Geo. IV, 222. Quod attinet ad *πολυσύνδετον* (*-que-que-que*) poëtis satis usitatum, cf. Ecl. V, 59. 78. Geo. I, 130. 152. 163 sq. etc. Ceterum animadvertas geminatam Particulam *que*, in altero hexametri pede non consona muta cum liquida, quae sequitur, sed sola arseos vi productam. Nam praeter locos Geo. I, 153. 164. 352. Aen. IV, 146. VII, 186. IX, 767. XII, 89. 181. et alios, ubi copulam sequitur muta cum liquida, legimus etiam Aen. III, 91. *Liminaque laurusque*, XII, 363. *Chloreaque Sybarimque*. Ovid. Met. I, 193. *Faunique Satyrique*. V, 484. *Sideraque ventique*. V, 225. *Othryasque Pindusque* etc. Praeterea vid. Ecl. IX, 66. X, 69. Geo. III, 76. 118. IV, 92. al. et cf. Wagn. Qu. Virg. XII. p. 423 sq. Schneid. Gr. Lat. I, 2. p. 691. et 752 sq., a quibus multa collecta videbis exempla, Lachm. ad Lucr. II, 27. p. 75. et Gebauer de poët. I. p. 141., qui docet Paldamo Praef. p. XIII. auctore in producenda Particula praeivisse Vergilio Attium (v. 612. ed. Ribbeck.). — *tractus maris*, i. e. mare longe tractum, s. amplum, latum. Eadem ratione de caelo: Aen. III, 138. *corrupto caeli tractu*, Hor. Od. IV, 2, 26. *cygnus tendit in ultimos nubium tractus*, et de terrae regionibus Lucan. II, 630. *cum mediae iacent immensis tractibus Alpes*. — *caelum profundum*, i. e. altum, habes etiam apud Manil. V, 720. et apud Val. Fl. VII, 478. — 52. *laetantur*. Hanc Cod. Rom. lectionem utpote difficiliorem et aptiorem cum Heyn. et sequentibus editoribus praeter Spohn., Iahn. (qui tamen in edit. II. et ipse Indicativum recepit) Ladew. et Ribbeck. praetuli vulgatae *laetentur*. Scilicet cum praecedant verba: *Aspice nutantem mundum*, sequi etiam debebat: *Aspice, ut omnia laetantur*, i. e. Adspice omnia laetantia (*Siehe! wie freut sich Alles!*), non: *Aspice, ut omnia laetentur*, i. e. reputa, quomodo omnia laetentur (*Siehe, wie sich Alles freuet!*) In eiusmodi enim locis, quamvis natura orationis indirectae proprie Coniunctivum postulet, haud raro etiam post *Adspice ut* vel *Viden' ut* emphatica quadam dicendi ratione sequitur Indicativus, ubi scriptor rem, quam ipse non addubitat, non ad cogitationem aliquam vult relatam, sed tamquam porsus certam ideoque quasi praesentem et revera accidentem ipsoque adspectu testificatam proponit; quo fit, ut etiam *Viden' ut* cum Indicativo constructum magis admonitionis et exhortationis, quam interrogationis naturam induat. Cf. hac de re praeter Wagn. ad h. l. et quos Stallbaum. ad Ruddim. II. p. 347. not. 14. laudavit, Sillig ad Catull. LXI, 77. Beier. ad Cic. Off. I, 7, 23. Lachm. ad Prop. I, 2, 9., Löhrs. ad Ovid. Her. X, 86. Bach. ad Ovid. Met. X, 637. Ochsner. ad Cic. Ecl. p. 28. Haas. ad Reisig. Inst. Gramm. §. 329. adnot. 504. Iahn. et Orell. ad Hor. Od. I, 14, 6. alii. Ex Vergilio huc pertinent Ecl. V, 7. Geo. I, 57. (ubi tamen Cod. Med. *mittat*) III, 250 sq. Aen. II, 738. VI, 779. VIII, 190 sqq., fortasse etiam X, 20., ubi vid. adnott. Coniunctivus autem legitur Geo. III, 250. et Aen. VIII, 385. Ameis. Spicil. p. 10. non longe recedens a nostra explicatione et comparans Ecl. II, 66. et IX, 58. (ubi tamen non sequitur *ut*) *aspice* (pro *ecce* positum) habet praemissam exhortationem animi attendendi et *ut* per *quam*, *quantopere* interpretatur. — 53. Locus adumbratus ex Hesiod. Ἔργ. 174. sqq. Sensus est: Sit mihi tam longa vita! quae sententia per abundantiam quandam poëticam effertur. Simile est illud Ovid. Met. VI, 675.: *Hic dolor ante diem longaeque extrema senectae Tempora Tartareas Pandiona misit ad umbras*. Cf. Lachm. ad Prop. p. 146. — *tam longae* Iahn. recte explicat: „quae usque ad tuam aetatem virilem perveniat." Vergilius autem, tunc 30. annos natus, senem demum sexagenarium illorum temporum felicitatem

Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta:
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.

---

se visurum poterat sperare. Ceterum editt. quaedam antiquiores praebent lectionem *longe maneat*, quam, a Spohnio temere defensam, recte impugnat Wagn., cum Positivus huius Adverbii nusquam habeat temporalem potestatem. — 54. *Spiritus*, ingenii vis vigorque poëticus. Quare Ciceronem pr. Arch. 8, 18. dicentem videmus *poëtas quasi divino quodam spiritu inflari*. Cf. etiam Hor. Od. IV, 6, 29. Prop. III, (IV) 16, 40. et Vell. I, 16. — De copula *et* postposita vid. adnott. ad Ecl. I, 34. — Male autem Spohn. coniungi iubet *Spiritus, facta tua dicere;* ut *quantum sat erit* pro *iusto modo* sit positum; immo *Sat est* cum Infinitivo more Graecorum constructum. De quo Infinitivi usu, consilio alicui significando adhibiti et ab Adiectivis pendentis, pro quo pedestris orationis scriptores, aureae certe aetatis, plerumque *ad* cum Gerund., aut Dativum Gerund., aut *ut* vel *qui* c. Coni. ponunt, cf. Heins. ad Ovid. Met. V, 660. Drak. ad Sil. IV, 795. Ruhnk. ad Ter. Eun. III, 3, 22. Bentl. ad Hor. Od. I, 1, 18. Herzog. ad Sall. Cat. 52, 3. Kritz. ad Sall. Cat. 52, 24. et Iug. 46, 5. Beneck. ad Iustin. XXXVII, 2, 8. et Ruddim. II. p. 225. Vid. etiam infra adnott. ad Ecl. V, 1. Geo. I, 280. Aen. I, 11. et 527. — *dicere*, cf. not. ad Ecl. III, 55. Ceterum signum exclamandi, quod vulgo in fine huius versus ponitur, recte sustulit Wagn., qui v. 55. tamquam apodosin ad v. 53 sq. referendum esse docens, quod genus orationis ne a pedestri quidem scribendi genere alienum sit, comparat Liv. VI, 18, 7. *Ostendite modo bellum: pacem habebitis. Videant vos paratos ad vim: ius ipsi remittent.* — 55. Tam magnifica erit materia tuae laudis, ut ingenium meum quamquam senis grandaevi ab ea inflammatum celebratissimos vates atque adeo deos canendo vincere possit. — *vincet.* Ribbeck. ex Cod. Pal. (qui tamen E superscriptum habet) recepit *vincat*, quod dubitationem aliquam proderet ab hoc loco alienam. Alia res est infra v. 59., ubi de deo eiusque iudicio agitur. Recte ceteri recentiores editores Futurum retinent. — *nec — nec.* Cf. not. ad Ecl. V, 25. — 56. *huic--huic.* Eadem licentia poëtica pro *hic — ille* s. *alter — alter* geminatur pron. *hic* Geo. IV, 84. Aen. VII, 472 sqq. 506 sqq. VIII, 357. IX, 572. X, 9 sqq. XII, 510 sq. Stat. Th. VIII, 454. *hunc laudat ab alto Iuppiter, hunc tardus frustra miseratur Apollo* et alibi. Cf. Burm. ad Anthol. Lat. I. p. 255. Bach. *Geist d. Röm. Eleg.* p. 117. idemque ad Ovid. Met. XI, 539. Löhrs ad Ovid. Her. II, 148. Goerenz. ad Cic. Acad. I, 4, 16. Rigler ad Tibull. (Potsd. 1844.) p. XV. Bötticher in Lex. Tacit. p. 387. Thiel. ad Verg. Aen. IX, 572. p. 396. et Wagn. Qu. Virg. XX, 9. — *adsit*, ut invocati dii adsunt, operam ferunt poëtis. Cf. Geo. I, 18. Aen. IV, 578. Hor. Epod. V, 5. Ovid. Met. III, 613. Tibull. I, 7, 49. et innumeri alii loci, quos Lexica praebent. — 57. *Orphei* (Dativi graeci forma) quamquam per versum liceret pro dactylo habere, rectius tamen *διασυλλάβως* pronuntiatur, cum poëtae Latini, nominum syllaba *eus* terminatorum Dativo Graeco utentes, non Ionicam formam *εῖ*, sed Atticam *εῖ* secuti videantur; quare Prisc. VII, 2, 8. (p. 732. P.) et VII, 4, 14. (p. 736. P.) diserte dicit, hoc loco *Orphei* spondeum efficere. Cf. Macrob. Sat. V, 17. extr. Ruddim. I. p. 72. Schneid. Gr. Lat. II, 1. p. 289. Eodem modo *Orphei* legitur Geo. IV, 545. 553. et Claud. Epist. II, 33. — *Calliopea* Musa, quae Orpheum peperit aut ex Apolline, aut ex Oeagro, Thraciae rege et fluvio. Cf. Apollon. I, 24. ibique Schol. Orph. Argon. 76. Apollod. I, 3, 2. ibique Heyn. p. 13. Schol. Pind. Pyth. IV, 313. et Cic. N. D. III, 18, 45. *Calliopeae, Καλλιοπείας* (pro Calliopes) nomen legitur etiam Ovid. Fast. V, 80. et Prop. I, 2, 28. Ribbeck. cum Cod. Pal. (qui tamen alterum L superscriptum exhibet) et uno Prisciani p. 732. P. scripsit *Caliopea*. (Vid. ad Ecl. III, 84.) — *Linus*, celeberrimus ille et antiquissimus Graecorum vates ab Hercule, quem, ut Orpheum ipsum (Diod. III, 67.) et Thamyrin, musicam docuit, iracundia abrepto interfectus, modo Apollinis et Uraniae (Hyg. f. 161.), modo Oeagri illius et Calliopes filius, Orphei frater natu maior (Apollod. I, 3, 2.) per

Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve puer: cui non risere parentes,

---

hibetur. — *formosus Apollo.* Vid. ad Aen. III, 119. Ceterum hunc locum respexit Calpurn. VIII, 24. sq. — 58. De Pane, Arcadiae deo, cf. adnott. ad Ecl. X, 26. — *Arcadia iudice*, i. e. pastoribus Arcadicis iudicibus. Vid. adnott. ad Ecl. I, 62. — 59. De iisdem verbis in versibus se excipientibus cum singulari vi et robore iteratis cf. Weicherti Diss. de verss. aliquot Virg. et Val. Flacci etc. p. 93 sqq. Gebauer de poët. I. p. 62 sqq. et quae adnotavimus ad Ecl. VI, 20. Macrob. Sat. V, 14. locum nostrum in *amoenis repetitionibus* refert et confert Hom. Il. XXII, 127 sq. — *dicat.* Voss., qui comparat Ecl. VI, 9. *si legat - - canet* (ubi tamen vid. adnott.), e nonnullis Heinsii Cod. recepit *dicet.* Sed fortius *dicat*, i. e. non poterit non victum se fateri. — 60. *„Incipe p. p. risu cognoscere matrem*, h. e. ex eo, quod tibi arridet, matrem agnoscere. Poëta ἐνθουσιῶν, exoptati saeculi fausta initia nondum videns, morae impatiens haec dicit pro vulgari: nascere puer! nam decimus iam mensis agitur, iustumque matri uterum gerenti tempus expletum, ut satis iam magna oneris sui taedia ei sint. Exprimit rem valde iucundo signo, voluptate et laetitia matris, cum qua recens natum infantem intuetur, ut eo risu se quasi matrem probare videri possit. - - - Vult igitur poëta: Incipe in dias auras prodire, et oculos in matrem coniicere, eamque quasi ex hoc, quod tibi arridet, agnoscere.“ Ita fere *Heyn.*, neque aliter Voss., quorum explicationem amplexus Wund. constructionem *risu cognoscere* pro e risu cogn. probare studet nonnullis Taciti locis, ubi similia verba, ut Ann. I, 61. *intelligere*, I, 12. *coniectare*, Germ. 3. *augurari*, cum simplici Ablativo iuncta inveniantur. Equidem potius cum Servio et Wagn. *risu* ad puerum refero matri arridentem. Nam cum omnia in toto carmine ad puerum istum retulerit poëta, extrema pars non debet a summa argumenti aberrare, ne apta desit Elegiae clausula. Porro si de matris risu cogitamus, cum otiosa sunt verba: *Matri longa decem tulerunt fastidia menses*, tum maxime languent ultima: *cui non risere parentes* et offendunt verba: *Incipe, parve puer*, magna cum vi iterata. Sensus igitur hic est: Incipe matrem risu agnoscere, i. e. ridendo matri significare, eam a te cognosci. Digna est enim, quam risu tuo exhilares, quippe cui decem menses longa tulerint fastidia. (Consentiunt mecum Ladew., Brye et Conington, quorum ille in appendice causis a me prolatis hanc adiungit, quod, si *risus* ad matrem referretur, primaria notio, pueri risus, tantam ex connexu coniectanda esset), neque in summa re differt Ameis. Spicil. p. 10., qui verba sic cohaerere putat: Incipe modo, puer, risu significare matrem a te amabiliter cognosci, tum etiam sequentur parentes et tibi mutuo risu suo amorem prodent. Quod vero *cognoscere* scriptum est, non *agnoscere*, id in carmine eo minus potest offendere, cum vel pedestris orationis scriptores haud raro *cognoscendi* vocabulo utantur, ubi *agnoscendi* exspectaveris. Cf. Cic. Cat. III, 5, 10. 12. (ubi vid. Beneck.) Sall. Cat. 47, 3. et 61, 8. (cum Kritzii adnot.) Liv. II, 40, 4. (ubi vid. Drak.) Gernh. ad Cic. Lael. 2, 5. Goerenz. ad Cic. Acad. II, 26, 86. Hotting. ad Cic. Ecl. p. 48. Daehne ad Nep. Dat. 3, 3. aliique. — 61. *decem menses* tempus indicant, quo exacto gravidae parere solent. — *tulĕrunt*, correpta penultima, ut saepissime. Cf. Geo II, 129. III, 283. IV, 393. Aen. II, 774. III, 48. 681. X, 334. et alia exempla a Burmanno ad Anthol. Lat. I. p. 538., Drak. ad Sil. V, 264., Wagnero ad Geo. IV, 393., Ochsnero ad Ovid. Met. X, 55. ed. Bach., Schmid. et Obbario ad Hor. Ep. I, 4, 7. et me ipso ad Lucr. V, 876. collata. Non tamen mirandum, ex vulgari in eiusmodi locis corruptione et hic Codd. fluctuare inter *tulerant*, *tulerint* et *tulerunt*. (Cf. adnott. ad Geo. IV, 393. et Aen. II, 774.) Veram lectionem tuentur etiam Probus I. p. 93. Lind. (p. 1434. P.) Donat. ad Ter. Eun. prol. — 62. *fastidia*, molestiae graviditatis, quidem fastidit mulier praegnans. Cf. not. ad v. 60. De locutione

Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

---

fastidia ferre Coningt. conferri iubet Quinct. V, 14. et Cic. Mur. 9, 21. — *Incipe, parve puer.* Cf. supra ad v. 60. ad Ecl. I, 28. et VI, 60. sqq. Eandem vocis *Incipe* repetitionem habes Ecl. V, 10. et 12. — *cui non risere parentes*, i. e. arrisere, (ut apud Avien. Descr. 1121. *nascenti Baccho risit pater*) et quidem ipsius risu provocati. Vid. supra ad v. 60. Sententia igitur haec est: Qui non iam primis vitae mensibus dulci et blanda amabilitate parentum amorem sibi conciliat, is ipsis diis invisus est, itaque ad deorum vitam et consortium admitti non poterit, quod tamen poëta puero promiserat v. 15 et v. 49. Designari autem ab antiquis recepti inter deos herois vitam duabus rebus, convictu cum Iove et deae alicuius coniugio, Heyn. docet coll. locis Hor. Od. IV, 8, 29. *Iovis interest optatis epulis*, et Verg. Geo. I, 31. *Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.* Ceterum non prorsus reticere possum miram diversitatem lectionis, iam Vossio rectissime explosam. Quinct. enim Inst. IX, 3, 8. legit: *qui non risere*, hac addita explicatione: *ex illis, qui non risere, hunc non dignatus deus, nec dea dignata*; quam, licet satis duram et contortam, ut probaveris, quid facies voci *parentes*? quae nec Nominativus esse potest cum *qui* coniungendus, nec Accusativus, cum *ridere aliquem* non significet *anlächeln*, sed *auslachen.* Nihil igitur superest, nisi ut pro Vocativo habeamus, qui tamen quam ineptus sit hoc loco, quisque videt. Quibus de causis Voss. admodum probabiliter censet, Quinctilianum libro usum esse, qui antiquam Dativi formam *quoi* in *qui* corruptam exhiberet, quamquam de corruptela sermo esse vix potest, cum *quoi*, *qui*, *cui* variae tantum sint scribendi rationes, quod Quinctilianum non intellexisse, sane mirum est. (Cf. autem Schneid. Gramm. I. p. 324. Wagn. Orth. Verg. p. 452. et Ribbeck. Proleg. p. 442. idemque ibid. p. 201. contra Quinctil. disputans.) His autem cadit etiam Schraderi coni. *qui non risere parenti.* Kalmus l. l. p. 11., qua est audacia in coniectando, locum sic vult suppletum: *Incipe, parve puer, ridere, ut laeta vicissim Rideat ipsa parens: cui non risere parentes* etc.; quid autem Naekius Spicil. phil. p. 6. de hoc loco statuat, qui Ribbeckio teste et ipse legi vult *qui non risere parentes*, dicere non possum, cum eius libellus mihi non sit ad manus. — 63. Verborum collocatione *dea nec* pro *nec dea* magna vocabulo *dea* vis additur. Sic Iuven. XIV, 43. *Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam* et Aen. IV, 696. *Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.* Omnino autem de Particulis *et, atque, nec, neque, sed, vel, aut* aliisque a poëtis haud raro postpositis cf. Ruddim. I. p. 324. Cort. ad Lucan. VI, 12. Wunderl. ad Tibull. I, 3, 18. Bach. ad Ovid. Met. VI, 701. E Vergilio huc pertinent v. c. Geo. I, 274 sq. Geo. II, 321. III, 204. Aen. I, 369. II, 164. IV, 187. 317. 619. Vid. etiam ad Ecl. I, 34. et quae de Praepositionibus Casui suo postpositis ad Ecl. VI, 19. adnotavimus. Ceterum Wagn. Vol. V. et Haupt. edunt *cubilist* et Ribbeck. *cubileist.* Vid. supra ad Ecl. II, 70., ubi adde Ribbeck. Proleg. p. 419.

ECLOGA V. DAPHNIS.

ARGUMENTUM.

In principio huius Eclogae, in qua conscribenda auctor Theocriti Id. I. ante oculos habuit, magna suavitate describitur locus (antrum scil. vitis agrestis palmitibus obductum), quo se conferunt Mopsus et Menalcas, duo pastores, et ille quidem fistula, hic cantu excellens, qui fortuito inter se congressi ad canendum mutuo se invitant (v. 1—19.), et ut Ecloga III. duos pastores a conviciis mutuis ad cantum progressos vidimus, sic hic con-

tra multo elegantius et carminis argumento aptius a mutuis laudibus ad canendum procedunt. Carminis autem amoebaei*) argumentum sunt Daphnidis laudes, quem Mercurii et Nymphae alicuius filium antiquissima fabula inter pastores herois loco habitum, cantu celebrem et a Nympha quadam amatum fuisse, sed praematuram occubuisse mortem refert, ut non mirum sit, eum vetustissimis carminibus pastoriciis saepe esse celebratum. (Cf. Theocriti Id. I. et VII, 73 sqq.) Primum autem Mopsus luget Daphnidis in ipso iuventutis flore defuncti mortem (v. 20—44.), deinde post mutuas utriusque pastoris laudes (v. 45—55.) Menalcas celebrat Daphnidem inter divos relatum (v. 56—80.). Denique mutuis muneribus sibi datis pastores discedunt (v. 81—90.). Hoc simplex est carminis argumentum, quod tamen et ipsum allegorice interpretandum esse, vix potest dubitari. Si enim tempus, quo scriptum videtur (i. e. aestatem a. 712. p. U. C.: cf. Diss. de vita et carm. Verg. nota 19.),**) et eventus nuperrimos nec non epicum fere totius carminis ornatum et naturam respicimus, admodum probabilis est vulgaris fere opinio, Daphnidis nomine C. Iulium Caesarem a poëta celebrari. Exeunte enim m. Quinctili (nunc Iulio appellato) a. 712. instabant feriae maxima sollemnitate celebrandae, quas Triumviri in honorem Iulii Caesaris, iam inde ab a. 710., cum non multo post eius necem stella illa crinita apparuiset, quam populus animam esse Caesaris inter deos recepti sibi persuasit***), pro deo haberi coepti decreverant, ita ut, statua Caesaris cum stella crinita super capite et titulo *Καίσαρι ἡμιθέῳ* in Veneris templo ab Octaviano iam posita et sacello eius in eo fori loco, ubi crematus fuerat, extrui coepto, omnes diem natalem divi Caesaris summa cum laetitia celebrare iuberentur, et quidem iam d. IV. Non. Iulii, cum illo ipso anno in verum Caesaris natalem (III. Id. Quinctil.) ludi Apollinares inciderent, libris autem Sibyllinis vetitum esset, ne alii deo praeter Apollinem eo die sacra fierent. Haec autem sacra in Gallia Cisalpina laetius etiam acta fuisse, quam alibi, mirum videri non potest, cum Caesar diu praefuisset illi provinciae et incolarum animos variis beneficiis sibi devinxisset. Quid igitur Vergilio inter populares suos viventi propius fuit, quam ut hanc opportunitatem arripiens carmen aliquod in Caesaris laudem conscriberet, quo etiam Octaviano gratum facere eumque magis sibi conciliare posset? Quod si voluit poëta, sane vix ullum aptiorem deligere potuit, cuius nomine Iul. Caesarem celebraret, quam Daphnidem illum, pastorem nobilissimum, qui non minus quam Caesar (Veneris filius habitus) et ipse dei filius atque inter deos receptus fuerat. Admodum ingeniose autem ita instituit, ut necem Caesaris ab alio (Mopso) lugeri faceret, apotheosin autem ispe celebraret, nam sub Menalcae persona se ipsum latere, prioribus carminibus suis v. 86 sq. commemoratis satis clare significat. Non tamen in eiusmodi allegoria singula ad amussim exigenda esse, iam in Argum. Ecl. I. vidimus, quod imprimis de hoc carmine valet, in quo consulto poëta omnia involucro aliquo velasse censendus est†).

Nihilominus fuerunt etiam, qui in Daphnide alium potius quaererent, aut Flaccum, Maronis fratrem praemature mortuum (Don. §. 25.)††), aut Quinctilium Cremonensem (a. demum 730. defunctum), aut adeo Quinctilium Varum (qui demum a. 762. ideoque a. 27. post ipsius Vergilii mortem interiit) aut denique Saloninum, Pollionis filium.†††)

---

*) De cuius ratione cf. nota Argum. Ecl. III. adiecta.

**) Quamquam Ribbeck. Proleg. p. 2 sq. de veritate huius coniecturae Spohnianae (de qua cf. etiam Klausen. de Aenea et penatibus I. p. 530 sqq.) quam maxime dubitat.

***) Cf. adnott. ad Ecl. IX, 47.

†) Cf. Spohnii Prolegg. p. 29 sqq., quem hic potissimum secutus sum.

††) Cui opinioni iam verba Menalcae (i. e. Vergilii ipsius) v. 51 sqq. adversantur.

†††) Quem non diversum fuisse ab Asinio Gallo, a. demum 786. mortuo, iam in Argum. Ecl. IV. vidimus.

MENALCAS. MOPSUS.

MENALCAS.

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare levis, ego dicere versus,
Hic corylis mixtas inter considimus ulmos?

MOPSUS.

Tu maior; tibi me est aequum parere, Menalca,
Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras, 5

1. Sub Menalcae persona ipse latet Vergilius (cf. v. 86.), qui aliis quoque locis (Ecl. IX, 10. 18.) eodem nomine se loquentem inducit omninoque haud raro pastoribus se inserit, cum iis versatur et canendo certat. (Ecl. III, 84. X, 8.) Cf. Voss. — *Cur non - - considimus*, pro: considamus, si tibi placet. Ladew. (qui comparat Graec. τί οὐ cum Indic. Aoristi) et Ribbeck. ediderunt *consedimus*, quae lectio non nisi Schol. Bern. auctoritate niti videtur. (Cf. Ribbeck. Proleg. p. 195.) Conington, Praesens recte defendens, confert Plaut. Amph. I, 1, 253. *Cur non introeo in nostram domum?* et Cic. ad Fam. II, 7. *Cur ego non adsum? — boni*, i. e. periti, docti; ut Aen. IX, 572. *Hic iaculo bonus, hic longe fallente sagitta*, Val. Fl. 1, 438. *gladio bonus ire per hostes*, et Sil. XIV, 453. *bonus ille per artem Crudo luctari pelago atque exire procellas*, ubi eandem habes constructionem. Cf. etiam Tac. Ann. I, 3. *bonus militia* etc. De ipsa autem constructione Graeca *boni — inflare — dicere*, cum qua Heyn. comparat ἀγαθοὶ, ἐσθλοὶ συρίζειν, ἀείδειν et Theocr. VIII, 3. Ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδειν, cf. Ruddim. II. p. 229. Iani Ars poët. p. 150 sqq. Vechn. Hellenol. p. 311. Iahn. ad Ovid. Trist. V, 3, 44. alii. Ita apud Verg. *bonus, felix, peritus, paratus, coniuratus* etc. haud raro cum Infin. construuntur. (Vid. Ecl. VII, 5. X, 32. Geo. I, 284. Aen. IX, 772. etc.) Cf. etiam Stat. Silv. II, 3, 69. *optimus Condere divitias*. Eleg. ad Messal. 7. *expromere cantus Maximus* etc. Iahn. adnotat, sic etiam apud historicos Adiectivis *paratus, aptus, ferox* et similibus, praeterea autem apud pedestres scriptores non nisi Adiectivis cum Praep. *ad* compositis, Infinitivum adiungi. Cf. Kritz. ad Sall. Iug. 46, 5. 49, 3. et 52, 4. — *convenimus*, in unum locum. Burm. comparat Aen. I, 707. et II, 799. — 2. Cf. Theocr. I, 1. „*Calamos levis*, fistulam tenui arundine compactam [quare etiam poëta Plurali utitur *calamos*. cf. adnot. ad Ecl. II, 36.]; ita iunge, quia huic voci epitheton convenientius. [Alii enim, commate post *inflare* posito, male coniungunt *leves versus*.] Arundini *calamus levis* Moret. 62. tribuitur. In v. 3. 6. 12. color ductus ex Theocr. Id. I, 12 sqq." *Heyn.* Ceterum cf. Culpurn. Ecl. VIII, 4. *Te calamos inflare labello Pan docuit. — dicere versus.* Cf. adnott. ad Ecl. III, 55. — 3. *corylis*. Vid. ad Ecl. I, 14. Ceterum cf. similes loci Theocr. I, 21. et V, 32. — 4. *maior*, scil. natu. Ita *maior* non addito *natu* vel *natus* legitur v. c. apud Hor. Od. IV, 4, 14. et A. P. 366. Caes B. C. III, 108, 3. Bell. Alex. 33, 2. Suet. Aug. 17. Tit. 13. Vit. 3. Liv. XLV, 15, 1., *maximus* autem Aen. VII, 532. Liv. XXIII, 30, 11. (et fortasse etiam Hor. Ep. I, 2, 1., ubi vid. Obbar.) Cf. Bremi ad Nep. Reg. 2, 3. Matth. ad Cic. Rosc. Am. 14, 39. — *aequum*. Wagn. Vol. V. (quem sequuntur Ribbeck. et Haupt.) ubique edidit *aecus, anticus, propincus, oblicus, ecus* etc. Cf. eius Orth. Verg. p. 449 sq., (ubi laudat de hac re disserentes Maium et Creuz. ad Cic. Rep. I, 21. et Beier. ad Cic. pro Tull. §. 6.) et Ribbeck. Proleg. p. 392. — 5. *Heyn.*, qui cum Burm. retinet vulgatam lectionem *mutantibus*, haec adnotat: „*Mutantibus* (eas) Zephyris reddit ratio-

Sive antro potius succedimus. Aspice, ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

MENALCAS.

Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas.

MOPSUS.

Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?

---

nem adiecti *incertas*, quod non pro vituperio umbrae haberi debebat, cum sit longe elegantissima rerum imago. Sic *umbrae tremulae* apud Calpurn. Ecl. V, 101." Neque aliter apud Rutil. Itin. I, 283. *fluctuat umbra.* Sensus igitur esset: Cum foliis vento agitatis umbrae quoque locum mutant, non immotae manent, sed fluitant. *Incertus* autem eadem fere ratione intelligendum apud Ovid. Am. I, 11, 1. *colligere incertos* (i. e. fluitantes) *et in ordine ponere crines*, et apud Martial. II, 66. *comarum Annulus incerta non bene fixus acu*, i. e. non stabili. Pro *mutantibus* autem (quod Lachmann. ad Prop. II, 10 (9), 33. tueri videtur), quae lectio multo facilius in alteram mutari potuit a librariis, quam illa, et saepe mutata est (cf. Ecl. VI, 28. Aen. III, 581. Ovid. Met. XI, 674.), recentiores editores omnes cum Wakef. ad Lucr. IV, 78. et Schirach. p. 497. sq. ex plurimis Codd. et Servio restituerunt lectionem *motantibus*, quod frequentativum verbi *movendi* indicat motum saepius repetitum. De utriusque vocis permutatione agunt etiam Gronov. Obss. III, 1. Heins. ad Ovid. Met. XIII, 937. et Cort. ad Lucan. VIII, 217. Ceterum non opus est, ut cum Wakef. *motantibus* neutrali sensu accipiamus pro *se moventibus*; facilius enim supplemus *eas*. — 6. *antro succedimus.* Cf. Geo. III, 418. 464. Calpurn I, 6. *cur non succedimus umbrae?* ibid. v. 19. *captatae — successimus umbrae.* — *Aspice, ut--sparsit.* Cf. not. ad Ecl. II, 66. et IV, 52. — 7. Antrum vitibus silvestribus obductum est, ut apud Hom. Od. V, 68. antrum Calypsus, quod auget loci amoenitatem. *Labrusca* enim est vitis silvestris, ἀγριάμπελος. Cf. Plin. XXIII, 1, 14. XIV, 16, 18. Billerb. Flor. class. p. 57. et Voss. ad h. l. — *raris* autem, quod aliter in vitibus vitiosum esset, hic satis aptum, ut racemis passim modo antri ostio impendentibus dies per intervalla intrare possit, quod iam Heyn. adnotavit. Ita Ecl. VII, 46. *Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra;* eademque ratione Lenz. aliique interpretantur Ovid. Met. VII, 622. *patulis rarissima ramis--quercus*, ubi tamen vid. Bach. — *Spargere* autem, quod optime convenit raris racemis, hic significat sparsis racemis obducere et circumvestire. Cf. infra v. 40. II, 41. IX, 19. Aen. IV, 584. et VII, 191. — 8. *Montibus in nostris.* Cf. Ecl. VII, 56 et X, 51 sq. Gebauer de poët. I. p. 154. comparat Theocr. III, 1 sq. 46. XX, 35. VII, 87. imprimis autem VII, 91 sq. et VIII, 1 sq. — *certat.* Ita antiquiores libri fere omnes et Servius Dresd., quos (ut omnes recentiores editores) cum Wagn. secuti sumus, cum Coniunctivus *certet*, quem a Palat., Gud. aliisque Codd., Arus. Messio p. 218., Rufin. p. 259. et Schol. Crucq. ad Hor. Epod. XI. et Sat. II, 5. exhibitum Iahn defendit, e versu sequ. huc translatus videatur. Per se autem utraque lectio ferri potest; *certat* enim est simpliciter affirmantis et significat: certare audet, *certet* autem iudicantis et valet: meo iudicio solus Amyntas certamen tecum inire audeat (*es dürfte kämpfen,*); neutrum vero ab hoc loco alienum. De constructione *certare alicui*, *μάχεσθαί τινι*, cf. Ruddim. II. p. 149. Burm. ad Aen. XI, 600. Bach. ad Ovid. Met. I, 19. Obbar. in Seebodii *Archiv* etc. 1825. II. p. 374. alii. Sic *certare* c. Dat. etiam Ecl. VIII, 55. Geo. II, 99. Hor. Od. II, 6, 15. Epod. II, 20. eademque ratione ap. Ovid. Her. XVII, 189. *pugnare amori*, Prop. I, 14, 7. *contendere amori*, Stat. Theb. VIII, 505. *bellare parenti*, Sil. X, 296. *luctari morti* etc. *Certare* de certamine poëtico (Ecl. VII, 16.) legitur etiam Ecl. VIII, 3. Calpurn. II, 19. VI, 2. 31. 90. VII, 12., eodemque sensu *contendere* Ecl. VII, 18. 69. et Calpurn. II, 6. VI, 60. Cf. Gebauer de poët. I. p. 177. not. 1. — *Amyntae* nomen in bucolicis carmi- frequentatum. Fingit poëta pastorem aliquem fistula canendi qui solus cum Mopso de palma certare audeat. — 9. *lem* etc. Sensus. iam a Burm. recte expositus, hic est:

MENALCAS.

Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignes
Aut Alconis habes laudes aut iurgia Codri.
Incipe; pascentis servabit Tityrus haedos.

„tam temeraria est haec provocatio Amyntae, ac si Phoebum provocaret: tantum enim ego praestantior illo sum, ut nihil inde mihi laudis accedat, si cum eo comparer, non magis ac Phoebus ideo excellere diceretur, quod Amyntas se illi contulerit." Cum irrisione enim et cavillatione haec dici, iam ex Coniunctivo *certet* manifestum est. Verissime enim Wagn. adnotat, si haec confirmantis essent, (ut alii cum Heynio putant,) scribendum fuisse: *Quid, si certat?* i. e. immo certat. Ceterum idem Wagn., quem posteriores omnes secuti sunt, iure praefert vulg. verborum ordinem alteri *Phoebum certet*, cum post *πενθημιμερῆ* fortior sit sedes, coll. Geo. I, 287. 289. IV, 174. 439. etc. Poterat etiam provovare ad Vergilii imitatorem in Anth. Lat. Burm. I, 178, 137. *Phoebum superare canendo.* — **10.** Sumptus hic locus ex Theocr. I, 19. sq. et respexit eum Ovid. Trist. II, 537. *Phyllidis hic idem teneraeque Amaryllidis ignes* (cf. Ecl. II, 14. et III, 81.) *Bucolicis iuvenis luserat ante modis.* Heynius, ut Phyllidis, ita etiam Alconis et Codri nomine vulgares pastores significare censet; quod alii iure addubitant. Et secundum Weicherti quidem (de Iarbita Timagenis aemulo §. 4. Poëtt. Latt. Rell. p. 402. sqq.) coniecturam hic *Codrus* Vergilianus non differt ab ipso illo Iarbita Horatiano (Epist. I, 18, 15.), quo nomine *Cordum* quendam Maurum significari Schol. Crucq. et Porphyrion asseverant (cf. Weichert. l. l. §. 3. p. 399.); ut verisimillimum videatur, hunc hominem non minus quam Bavium istum et Maevium (Ecl. III, 90.) et Vergilii et Horatii obtrectatorem fuisse, verum autem *Codri* nomen in Scholiastarum Horatianorum commentariis corruptum apparere. Quae si vera essent, hic Codrus vix unus idemque esse posset cum Codro Ecl. VII, 22. 26. commemorato, poëta praestantissimo, quem Corydon ipsius Vergilii personam sustinens suum dicit et quem adversarius vult invidia rumpi; nihilominus autem non est verisimile, poëtam, si de diversis hominibus cogitari voluisset, nihil additurum fuisse, quo uterque distingueretur; atque etiam Calpurn., qui Ecl. VI, 80. utrumque Vergilii locum sic coniungit: *Rumpor enim merito: nihil hic nisi iurgia quaerit*, veteres de uno eodemque homine cogitasse luce clarius ostendit. Quare nunc prorsus adsentior Ungero de Valgii Rufi poëm. p. 93 sqq. Weicherti et scholiastarum commentum reiicienti et Codrum verum nomen esse Graeci poëtae bucolici illa aetate haud ignobilis, censenti qui Iuvenali quoque I, 2. III, 207. et Valgio (Serv. ad Ecl. VII, 22. p. 143. Lion. et Unger l. l. p. 235.), fortasse etiam Martiali II, 57, 3. III, 15, 1. et V, 27, 1. (cf. Unger. p. 112.) commemoretur (cf. Unger. p. 66. 78. 98. 107 sq. 114. 119. 234. 303. 414.) *iurgia* autem non significare puto convicia in Vergilium prolata, sed certamina bucolica et rixas hominis (fortasse paullo iracundioris) cum aliis quibuscunque poëtis institutas. Cf. etiam adnott. ad Ecl. VII, 26. Si autem *Codrus* verum est poëtae alicuius nomen, nihil obstat, quominus nec *Alconem* pastorem aliquem, sed artificem illum (statuarium et caelatorem) intelligendum censeamus, qui in Culice 66., apud Athen. XI. p. 469. A., Ovid. Met. XIII, 68 3. et Plin. XXXIV, 14, 40. commemoratur. (Cf. Sillig. Cat. artif. p. 37. et Brunn *Gesch. d. griech. Künstl.* I. p. 466. II. p. 402.) Wagn. tamen et Ladew. Alconem fictum habent nomen. — *Incipe*, scil. canere, ut Ecl. IX, 32. *Incipe, si quid habes*, et Iuven. IV, 34. *Incipe, Calliope.* — *Phyllidis ignes*, i. e. amorem. Vid. adnott. ad Ecl. III, 66. Phyllis iam Ecl. III, 76. commemorata redit Ecl. VII, 59. — **11.** *habes.* Vid. not. ad Ecl. III, 52. — **12.** *Incipe.* De hac repetitionis figura vid. ad Ecl. IV, 62. — *servabit*, observabit, custodiet. Vid. adnott. ad Ecl. III, 75. et cf. Theocr. I, 14. — *Tityrus*, qui interea pro Mopso haedos pascere iubetur, servus patris eius est habendus. Filios autem iuniores dominorum et ipsos greges pavisse, Spohn. comprobat locis Tib. I, 10, 41. *Ipse suas sectatur oves, at filius agnos* et Eurip. Cycl. 27. *Παῖδες μὲν οὖν μοι κλειτύων ἐν ἐσχάτοις Νέμουσι μῆλα νέα νέοι πεφυκότες.* Voss con-

MOPSUS.

Immo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
Carmina descripsi et modulans alterna notavi,
Experiar; tu deinde iubeto ut certet Amyntas.

MENALCAS.

Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis,
Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

---

ferri iubet Ecl. II, 30. — 13. *Immo haec*, non illa, quae tu me canere iubes; ut etiam hic Pronomen demonstr. inserviat oppositioni. Cf. Wagn. Qu. Virg. XX, 7. — *in cortice fagi*. Cf. Calpurn. Ecl. I, 20. *Sed quaenam sacra descripta est pagina fago?* et v. 24. *tu potes alto Cortice descriptos citius percurrere versus*. id. VIII, 29. *Continet inciso servans mea carmina libro*. — 14. *alterna notavi*, alternatim canens et fistula modulans versiculum, eundemque mox incidens in corticem (ut Schirach. p. 329. et Heyn. recte h. l. explicant.); nemo enim simul voce canere et fistulam inflare potest. Cf. autem adnot ad Ecl. I, 2. Heynio quidem non levis opera videtur totum hoc, quod sequitur a v. 20., carmen incidere cortici, quare etiam Voss. haec in deducto cortice scripta putat. Sed apud Calpurn. I, 33. sqq. versus LVI properanti falce notati in cortice leguntur. Cf. etiam Verg. Ecl. X, 53. *tenerisque meos incidere amores Arboribus*, et Tit. ad Calp. III, 43., a Spohnio laud. Ladew. tamen *alterna* tantum ad carmen amoebaeum refert coll. Ecl. III, 59. et VII, 19. et putat Plurali *carmina* singulas eius strophas indicari, quae hic in unum coniunctae infra v. 45. *Carmen* Singulari numero dicantur, ut etiam v. 55. et 81. Numerus varietur. Similiter Ameis Spicil. p. 11.: „Periculum se facturum dicit, an ipsi contingat, ut carmina *alterna* ex tempore convertat in carmen *perpetuum* Et id ipsi contigisse, monstrat responsum Menalcae: *tale* tuum nobis *carmen* etc.“; quam tamen sententiam ex Verg. verbis erui posse dubito. — *modulans*, modos s. numeros musicos faciens, unde *modulatores* sunt *Componisten*, *Tonsetzer*. Cf. Ecl. X, 51. Cul. 1. et 99 Calpurn. I, 92. *carmina - - Dicamus teretique sonum modulabor avena*. Val. Fl. IV, 386. *leni modulatur carmen avena*. — 15. Haec cum irrisione arrogantis Amyntae dicuntur. Nam sensus est: Meum cum audiveris carmen, ipse iudicabis, utrum Amyntas iste, qui mecum certet, dignus sit, nec ne. — Vulgo legitur *iubeto certet Amyntas;* et quamvis Bacchius uno vocabulo comprehensus (*iubeto*) in hac sede versus et graviore interpunctione non sequente defendi possit aliis quibusdam locis, ut Prop. III, 31, (II, 33,) 9. *Cum te iussit habere puellam cornua Iuno*, praestat tamen optimorum Codd. lectio *iubeto, ut*, quam, suadente etiam Lachmanno ad Prop. III, 6, (II, 15.) 43., cum Wagn. recepi, quem etiam ceteri recentiores editores secuti sunt. Sic autem *iubere, ut* - - legitur etiam ap. Hor. Sat. I, 4, 122. Lucan. IX, 896. Apulei. Flor. IV. extr. p. 364. Elmenh. Suet. Vesp. 23. (ubi tamen alii legunt *iussit ponere*,) alibi. — 16. Cf. Theocr. V, 92—95. et XII, 3 sqq. Postremis Mopsi verbis commotus, fatetur Menalcas, non serio, sed per ludibrium se dixisse illa: *Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas* v. 8. — *pallenti--olivae*, frondem subviridem habenti. Vid. not. ad Ecl. III, 39. Idem sibi vult *canens oliva* ap. Ovid. Met. VI, 81. — 17. *saliuncam* Voss. docet esse nardum Celticam (Valerianam Celticam Linn.). Est autem ea herba, auctore Plinio XXI, 7, 21. (cui adde Scrib. Larg. 195. 258.), odore quidem suavi, tanta autem brevitate, ut necti non possit. Ceterum in hac comparatione magis species pulchra, quam usus spectatur, nam etiam ex nardo oleum odoratum conconstat. Cf. Plin. XII, 12, 26. Voss. ad h. l. et Mitscherl. T, 11, 16. — 18. Peerlk. cui *iudicio nostro* nimis pedestre oni. *Iudice me noster---Amyntas*, ut v. 51. *Daphnim tuum*. —

MOPSUS.

Sed tu desine plura, puer; successimus antro.
Extinctum Nymphae crudeli funere Daphnim
Flebant — vos coryli testes et flumina Nymphis —
Cum complexa sui corpus miserabile nati

19. Mopsus, modestiam quandam affectans iis, quae v. 9. et 15. dixerat, minus utique convenientem, interpellat Menalcam, ne ille in sua laude celebranda pergat. Ribbeck. et Ladew. vero hunc versum adscribunt Menalcae, cum aptius maior natu iuniorem tamquam puerum appellet et cum verba *successimus antro* et ipsa magis conveniant Menalcae, cui Mopsus loci eligendi optionem dederit. Sed nonne mirum esset, si, qui modo ipse dixerat, alterum tacere iuberet? et nonne Mopsus fuit, qui Menalcae antrum ostendit, in quo considere possent? Recte igitur ceteri recentiores editores a vulgari ratione non discedunt. — *desine plura*, sc. dicere. Quamquam ne opus quidem est, ut ellipsin statuamus, cum verbum *desinere*, apud poëtas maxime, haud raro cum simplici Accus. Obiecti construatur (*ablassen von etwas, aufhören mit etwas.*). Cf. Ecl. VIII, 61. *desine, tibia, versus.* Silius XII, 725. *desine bella.* Anth. Lat. Burm. V, 70, 45. *desine plura tuens.* Beda Ven. in Wernsd. Poët, L. min. II, 243, 45. *desine plura, hiems.* Ita Cicero ipse ad Fam. VII, 1, 4. et cum eo Suet. Tit. 36. *artem desinere*, Gell. II, 12. *seditionem desinere* etc. Cf. Heins. ad Ovid. A. A. II, 725. — *successimus antro.* Cf. Calpurn. Ecl. I, 6. et 19. *succedimus umbris* et *successimus umbrae.* — 20. „Lusus ingenii, non verus affectus ex funere vero carminis argumentum facit: luctus ex Daphnidis morte, quem et armenta et ferae (v. 25—29.) et ipsi agri ac prata sentire dicuntur." Ita fere *Heyn.*, qui in Argum. huius Eclogae de Daphnide, celeberrimo illo Siciliae pastore, Mercurii et Nymphae cuiusdam filio, ab ipsis Nymphis educato et a Pane fistulae cantum edocto conferri iubet Serv. ad Ecl. VIII, 68. Diod. IV, 84. Aelian. V. H. X, 18. h. anim. XI, 13. Schol. Theocr. Id. VIII. f. Parthen. c. 29. Sil. Ital. XIV, 466. Ovid. Met. IV, 276. sqq. aliosque. Vossius, quem sequitur Spohn. in Prolegg. (cf. Argum. p. 80. haec satis probabiliter ad interitum Caesaris referenda esse docet; ut igitur sub Daphnidis persona, pastoris in ipso iuventae flore mortui, lateat Iul. Caesar, Nymphae autem (v. 21.) et mater (v. 23.) deos tutelares Romanorum et Venerem, parentem gentis Iuliae, pastores porro cum gregibus (v. 24 sqq.) magistratus populumque Romanum, ferae denique bestiae (v. 27 sqq.) domitas nationes significent, qui omnes mortem eius lugeant. Sic autem iam Acron ad Hor. Od. I, 2. hunc locum intellexit. Ceterum Wagn. in edit. min. adnotat, esse quaedam in hoc carmine, quae magis pastoris conditioni conveniant, quam eius, qui sub illius specie lateat, imprimis v. 48., ubi tamen vid. adnott. — *crudeli funere*, i. q. acerba morte, nil amplius. Sic etiam Aen. IV, 308. *moritura--crudeli funere Dido.* Anthol. Lat. Burm. IV, 129, 5. *crudeli funere rapti*, et verba *crudeli funere* redeunt ibid. 61, 3. 162, 1. 184, 2. 266, 3., ut *crudeli morte* Aen. X, 386., *funere acerbo* Aen. VI, 429. — *Daphnim.* Cf. not. ad Ecl. IV, 32. et infra ad v. 52. — 21. *Flebant.* Observes vocem bisyllabam eamque spondeum efficientem in principio versus cum singulari vi et gravitate positam. Cf. Wagn. Qu. Virg. XIII. p. 539., qui comparat v. c. Aen. III, 635. VI, 590. VII, 80. IX, 728. X, 879. Geo. I, 477. aliosque locos; imprimis autem conferendus erat locus Aen. VI, 213. Vid. etiam adnott. ad Ecl. VII, 50. — *testēs.* Vid. de hac productione adnott. ad Ecl. I, 38. — 22. *nati.* Ita pro vulg. *gnati* scribendum esse, docet Wagn. Qu. Virg. XXXVIII., qui antiquiorem et graviorem formam *gnatus.* non nisi substantive dictam, commotiori tantum et affectus plenae orationi convenientem censet (ut Aen. II, 663. VI, 116. 869. VII, 360. X, 470. 525. XI, 167. 178. 181. etc., in quibus locis omnibus Vir doct. ex Med. auctoritate edidit *gnatus*), ideoque a Bucolicis et Georgicis prorsus exsulare iubet. Equidem tamen in utriusque formae usu non tam varia poësis genera, quam unius cuiusque carminis argumentum et naturam respiciendam duco; quare hoc loco, sublime aliquid et tragicum spirante magisque ad epici, quam buco-

Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina, nulla nec amnem
Libavit quadrupes nec graminis attigit herbam.

---

lici, carminis indolem accedente, dummodo Codd. addicerent, in forma *gnati* non offenderem. Sed omnes Codd., de quorum lectionibus certi quid constat, et Serv. Dresd. communem et vulgarem formam *nati* exhibent. — 23. *atque - - atque* aperte pro *et - - et* maiore tamen emphasi positum, quemadmodum Geo. I, 182. III, 434. et Aen. VIII, 486. *que - - atque* leguntur. Non enim adsentior Wunderlichio Praef. p. IV. sq., Wagnero ad Geo. III, 257. et Qu. Virg. XXXV, 23. p. 567., Lachmanno ad Prop. I, 8, 11. p. 39. et Iahnio ad h. l., (quibuscum etiam Naek. ad Cat. carm. p. 299. et Ribbeck. facere videntur) hunc usum geminati *atque* Vergilianum esse negantibus nostrumque locum ita intelligentibus, ut, Commate post Coniunctionem *cum* sublato, coniungant: *cum complexa* (est) *atque vocat deos atque astra.* Nam ut verbum substantivum in priore membro commode omitti potuisse (cf. adnott. ad Ecl. I, 52. et Wagn. Qu. Virg. XXV.), contra vero Latinos, ubi Participio posito copulam evitare possent, illam non semper vitasse concedam; quem non offenderet eiusmodi verborum coniunctio, qua non sine maxima ambiguitate duo Verba (quorum alterum pro Participio haberi potest) et duo Accusativi Obiecti ab altero eorum pendentes prorsus eodem modo per *atque* copularentur? Cum autem v. c. Silius I, 93. sq. canat: *Hic crine effuso atque Hennaeae numina divae Atque Acheronta vocat Stygia cum veste sacerdos*, ubi de polysyndeto, quod Wagn. Geo. III, 257. (cuius loci alia ac nostri est ratio) IV, 343. 463. Tibull. II, 5, 73., procul dubio etiam Catull. LXVIII, 152. et alibi statuit, profecto cogitari nequit; cur, quod alii poëtae sibi indulserunt, id Vergilio strenue abiudicemus? Quare cum Gronovio ad Gell. VII, 14. Drakenb. ad Silii l. l. Dissenio ad Tibull. l. l. et Handio Tursell. I. p. 510. etiam hoc loco *atque - - atque* pro *et - - et* usurpatum censeo. Consentiunt mecum Ladew., Bryce et Conington. — *vocat crudelia*, Heyn. per invocat interpretatur. Sed invocandi notionem ab hoc loco alienam esse, quisque videt; incusandi autem vim inesse verbo *vocare*, exemplis est probandum, quae num usquam inveniantur dubito. Quare cum Wagn. subsisto in vulgari explicatione: astra crudelia esse dicit, (ut Geo. IV, 356. legimus *crudelem nomine dicit.*) Provocat Wagn. ad Ter. Ad. V, 7, 13. *Placet, pater lepidissime. - - Euge! iam lepidus vocor.* Quod autem astra vocat crudelia, hoc ex Chaldaeorum doctrina explicandum, de qua Wagn. conferri iubet Interpp. ad Hor. Od. I, 11, 2. Astra enim in fatis hominum, imprimis nascentium, magnam vim habere veteres censebant. Unde Hor. Od. II, 17, 21. *Utrumque nostrum incredibili modo Consentit astrum*, Petron. Sat. 44. *malo astro natum esse*, Prop. I, 6, 36. *duro sidere vivere*, Ovid. Trist. V, 10, 45. *grave sidus habere* et similia. Hic igitur mater accusat deos atque astra, quod fata filii acceleraverint. Mater autem Daphnidis (cuius nomen ignoramus) in hac allegoria est Venus, parens gentis Iuliae: cf. Ecl. IX, 47. — 24. Pastores prae luctu neque armenta ad pascendum, neque post pastum ad flumina egerunt. Heyn. conferri iubet Mosch. III, 23. 24. et Nemes. II, 29. (= Calpurn. IX, 29.) Vid. etiam infra Ecl. IX, 24. — 25. *Frigida flumina.* Vid. ad Ecl. X, 42. — *nulla nec amnem Libavit quadrupes* etc. Cf. quae Suet. Caes. 81. de prodigiis Caesaris necem praegressis narrat. Ceterum cf. similes loci Theocr. IV, 14. et Moschi III, 24. — *nulla nec - - nec*, ut apud Graecos οὐδεὶς οὔτε - - οὔτε. Cf. Ecl. IV, 55. Geo. II, 83. sq. Aen. IX, 428. XI, 801. Drakenb. ad Liv. III, 26, 5. Heusing. ad Cic. Off. I, 20, 1. Duker. ad Flor. III, 17. extr. Schwarz. ad Plin. Pan. 3. p. 579. Dähne ad Nep. Iphicr. 2, 1. alii. *nec* autem pro vulgari *neque* Wagn. recepit, et plurimos Codd. et rationem secutus, cum, „ubi ad augendam negationis vim pleonastice praecedenti negationi altera subiiciatur, etiam priore loco *nec*, non *neque*, scribendum videatur." Cf. doctissima eius disp. de copula *nec*, *neque* in Qu. Virg. XXXII, 11. p. 535 sq. Recentiorum editorum unus Ribbeck. *neque amnem* ad — 26. *libare amnem*, i. q. gustare, a quo tamen ita differt,

Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
Interitum montesque feri silvaeque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subiungere tigris

---

ut *libare* simpliciter significet rem aliquam ore leviter attingere, *gustare* autem saporis notionem simul involvat. (Vid. Doederl. Syn. III. p. 127.) Cf. Geo. IV, 54. Aen. III, 354. etc. Prosaici scriptores *gustu* solent addere, ut Tac. Ann. XIII, 16, 2. *libata gustu potio.* — De Adiectivo *quadrupes*, quod, a genere subauditi Substantivi pendens, triplici genere usurpatur, cf. Ruddim. I. p. 22. — *graminis herbam* i. e. recentia et tenera germina graminis. Cf. Ovid. Met. X, 87. et Liv. I, 24, 5. Sic Geo. I, 134. *frumenti herbae*, Colum. VIII, 17. *herbae algae* et similia. Ceterum Calpurn. IX, 29. huius loci memor scripsit: *nulla meae--tetigerunt gramina vaccae.* — 27. *Leones* adeo pastorem exstinctum deflere, quam grave sit, quisque videt. Cum autem leones numquam fuerint in Sicilia, Daphnidis patria, Voss. non dubitat, quin ipsa Africa his verbis designetur: Africam quoque ingemuisse Caesaris desiderio, qui Carthaginem colonia a. 708. eo deducta reficere voluerit. Spohn. vero, hanc explicationem iure vituperans, leonum mentionem ex Theocr. I, 72., qui et ipse leones Daphnidis mortem deplorantes fingit, a Vergilio translatam censet. Tenendum autem, his bestiis saepe in fabulis et carminibus veterum (cf. Geo. IV, 510. ibique adnott.) sedes assignari, quas aut numquam, aut iis certe temporibus non habuerunt, quorum nobis est accuratior cognitio, unde tamen non sequitur, prioribus temporibus, ubi terrae minus erant cultae et incolis frequentatae, eiusmodi fera animalia in iis non fuisse. Ut enim patria nostra olim ursis abundabat, qui nunc nusquam fere in ea inveniuntur, ita etiam Siciliam, Graeciam (Nemeaeum leonem specto) aliasque Europae regiones antiquissimis temporibus leones continuisse, non omnino est improbabile; quamquam etiam nil obstat, quominus cum Heynio *Poenos*, i. e. Afros, (non minus quam *Armenias* v. 29.) pro simplici epitheto ornante habeamus (ut Ecl. X, 59., ubi *libet Partho torquere Cydonia cornu Spicula*), imprimis si cum Wagn. in min. edit. sumimus, poëtam Daphnidi suo certam sedem assignare noluisse, ut perinde sit, utrum in Sicilia, an in Africa vel Asia res gesserit. Ut autem hic, in Ciri 135. et ap. Ovid. Tr. IV, 6, 5. *Poeni leones*, sic Aen. V, 351. et Hor. Od. I, 23, 10. *Gaetulus leo* et Ovid. A. A. II, 183. *Numidae leones* commemorantur. Cf. Gebauer Progr. p. 18. Ceterum Vergilius in hoc loco scribendo ante oculos habuit Moschum in epicedio Bionis, ipsum autem Vergilium Calpurn. Ecl. VIII, 72—74. — *ingemuisse interitum.* Rarior haec constructio invenitur etiam Aen. IV, 692. Stat. Theb. IX, 2. Senec. Herc. Oet. 1785. Val. Max. V, 10, 2. Apul. Met. IX. p. 235. Elmenh. Cf. Ruddim. II. p. 141 sq. Ceterum Peerlk. p. 17. coni. *Poeni etiam ingemuere leones*, ut hiatus corruptelam *Poenos* peperisse sumendus sit. — 28. Cf. Bion I, 32. et Moschus III, 23 sq. *montesque feri silvaeque.* Alii libri *ferae.* Nihil interest, utrum *montes feri* an *silvae ferae*, i. e. incultae, dicantur; cum plurimis tamen Codd. *feri* retinendum. Markl. ad Stat. Silv. II, 5, 13. legi iubet *montesque, feras, silvasque loquuntur*, scil. homines; *man sagt, dass* etc.; quam coniecturam merito reiiciunt Burm. et Heyn. — *loquuntur*, aut simpliciter testantur, ut saepe (cf. v. c. Cic. pro Dom. 32. *Ut annales populi R. et monumenta vetustatis loquuntur*), aut potius quasi lugentes memorant. Cf. Calpurn. VIII, 74. *Respondent silvae. Te nostra armenta loquuntur.* Ceterum montibus et silvis omninoque rebus inanimatis sensum et vocem dari, satis notum est. Cf. infra v. 62 sq. Ecl. VIII, 22. Geo. II, 59. 215. 350. Catull. IV, 11. *Cytorium iugum loquens.* Petron. c. 120. *Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur* etc. Ribbeck. et Haupt. ediderunt *locuntur.* Cf. adnot. ad. v. 4. — 29. Si Daphnis vitium culturam, quam cum Bacchi cultu coniunctam fuisse constat, i. e. omnem agriculturam, cuius haec tantum pars commemoratur (cf. v. 35 sqq.), apud suos instituisse dicitur, hoc, Wagnero iudice, „ita spectat Caesarem, ut ipsa natura per eius numen — nam numen habuisse putandus est, per quem talia possunt fieri — laetiorem induisse vultum, sed eundem, illo exstincto, mutasse dicatur." — *Daphnis et* (etiam) *Armenias* etc., i. e. praeter alia merita, quae reticentur. — *curru subiungere tigres.* Bacchum curru tigribus iuncto

Instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
Tu decus omne tuis. Postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.

---

vehi, ex monumentis antiquis satis notum. Cf. Montfaucon Ant. expl. Vol. I. tab. 158., ab Heynio laud. *Curru* autem antiquior Dativi forma pro *currui*, quam optimi quique scriptores vulgari haud raro praetulerunt. Cf. Priscian. VII, 18, 88. (p. 778. P.) Gellius N. A. IV, 19. Ruddim. Inst. I. p. 103. not. 47. Ramsh. §. 30. 2. Schneid. Gr. Lat. II. p. 332. sq. et qui hic laudantur. E Vergilio cf. v. c. Geo. IV, 158. 198. Aen. I, 156. 257. 261. III, 541. 692. IV, 369. — **30.** *thiasos inducere Bacchi* Heyn. male et contra usum loquendi accipit pro simplici *ducere* choros bacchantium. (Cf. quae ad Ecl. II, 57. adnotavimus.). Immo *inducere* (ut Graec. εἰσάγειν) dicitur de iis, qui novum morem introducunt, primi aliquid faciunt. Cf. Schwarz. ad Plin. Pan. c. 11. Heins. temere coni. *thiasos indicere Bacchi*. — *Thiasus* (θίασος), quae vox apud Graecos ad cuiuscunque dei cultum refertur, a Romanis (v. c. Aen. VII, 581. Catull. LXIII, 27. LXIV, 251. Stat. Silv. III, 1, 41.) non nisi de saltatione s. chorea in honorem Bacchi instituta dicitur; quo decepti quidam male scribunt *thyasus*, quasi a *thyade* (θυάς) s. Baccha descenderet. — *Bacchi:* Brunck. alteram recepit lectionem *Baccho*, quam exquisitiorem dicit. Immo Dativus significaret, thiasos antea nondum inventos fuisse, Genitivus autem indicat, thiasorum iam inventorum usum aliquo introductum esse, quod hic aptius est. — **31.** Thyrsum describit, s. hastam aculeatam, hederis et pampinis cinctam, quam bacchantes gestabant. — *foliis* igitur viteis et hederaceis; *mollibus*, ut Aen. VII, 390. *molles thyrsi*. Cf. adnott. ad Ecl. II, 72. — *lentas hastas*, stipites teretes et flexiles. Vid. adnott. ad Ecl. III, 38. et Geo. IV, 170. — **32.** „Ex Theocr. VIII, 79. Poëta de ulmis et populis cogitavit, quibus iunctae sunt vites. Ornat ulmum vitis, vitem uva." *Heyn.* Cf. not. ad Ecl. II, 70. et III, 10. — **33.** *Ut gregibus tauri.* Cf. Ovid. A. A. I, 290. *armenti gloria taurus* et Tibull. IV, 1, 208. *seu tardi pecoris sim gloria taurus.* — *pinguibus arvis.* Cf. Hom. Il. XXIII, 832. Od. IV, 757. Theocr. XXV, 97. 153. *Πίονες ἀγροί.* Lucr. V, 1248. *pingues agri.* Ovid. A. A. I, 360. *pinguis humus* etc. Vid. Gebaueri Progr. p. 6. idemque de poët. I. p. 223., ubi Maro Theocr. XVIII, 29. spectasse perhibetur. — **34.** Incipit hoc versu apodosis: Ut vitibus arbor etc. decori est, sic tu decus omne tuis. Male enim Wakef. ad Soph. Philoct. p. 255. Erf. etiam ad verba *Tu decus omne tuis* subintelligit *ut*, et a voce *postquam* apodosin incipit. Immo ante *postquam* gravius distinguatur necesse est. Ceterum hunc locum ante oculos habuit Auson. Prof. XXIV, 11. *tam decus omne tuis, quam mox dolor.* — „*fata tulerunt*, abstulerunt. Apollon. IV, 1485. *Σὲ δ' οὐλόμεναι κῆρες ἕλοντο.* Hom. Il. II, 302. *οὓς μὴ κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρουσαι.*" *Heyn.* Eadem ratione Ecl. IX, 51. *Omnia fert aetas.* Nostrum imitatus est auctor carm. in Anth. Lat. Burm. IV, 123, 8. *invida Domitium fata tulere sibi.* Pro *tulerunt* tres Codd. deterioris notae *tulere*. Vid. adnott. ad Ecl. X, 13. Ceterum Pronomen *te* gravius pronuntiandum, quia Daphnis opponitur diis agrestibus, ut patet ex Pron. *ipsa — ipse*. Sensus est enim: Tu reliquisti agros, ideo etiam Pales et Apollo. Cf. Wagn. Qu. Virg. XVIII, 2. p. 457. — **35.** „*Pales et Apollo* Nomius *agros reliquerunt*, deliciis suis, Daphnide inquam, sibi ereptis et ablatis, ut solitudinem agrorum fugerent. [Deos cum iis, quos fovent, venire et abire, poëtae fingere solent. Tibull. II, 3, 3. 4. et II, 6, 2. 4. *Wund.*] Cum ea morte inque deorum agrestium discessu agros summa sterilitas occupare debuit; ita versuum sequentium sententia exoritur." *Heyn. Pales* autem, dea domestica Italorum, reique pecuariae praeposita, cui a. d. XII. Cal. Maias, quo die Roma condita esse ferebatur, quotannis solemnia celebrabantur, Palilia dicta, a mythographis male cum Vesta aut Cybele Graecorum confundebatur. Cf. Serv. ad Geo. III, 1. Ovid. Fast. IV, 723. Tibull.

Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles nascuntur avenae;

I, 1, 14. II, 5, 28. Flor. I, 20. Gell. XIII, 22. Colebatur etiam deus huius nominis. Varro ap. Serv. ad Geo. III, 1. Arnob. III, 23. 40. Mart. Cap. I. p. 27. De *Apolline* ab eo inde tempore, quo Admeto regi pavit armenta, *Νομίου* cognomine a pastoribus culto cf. Hom. Il. II, 766. Hes. Th. 347. Apollod. III, 40. 4. Hom. h. in Apoll. 412 sq. Callim. h. in Apoll. 47. ibique Spanh. Geo. III, 2. cum adnott. nostra et Serv. ad h. l., qui putat, Palis commemorationem ad pabuli, Apollinis ad pecorum defectum spectare. Eadem ratione Calpurn. Ecl. VII, 22. coniungit *fecundam Palem* et *pastoralem Apollinem*. Ceterum Gebauer I. p. 248. putat, Maronem hic imitatum esse Moschum III, 11 sq. et 65 sq. — 36. 37. „In iis sulcis, quibus *hordea*, quod hic omnino pro quovis frumenti genere dictum, serebamus, *lolium infelix* (infecundum) *Lolch*, et *avenae*, vani culmi vitiosi frumenti, *Flughafer*, nascuntur.“ *Heyn.* Hordeum enim in lolium et avenam fatuam degenerare, veteres putabant. Cf. Geo. I, 154. et Plin. XVIII, 44, 1. *grandia hordea*, ad serendum selecta. Cf. Geo. I, 197., ibique adnott. Insolentiorem Pluralem *hordea* obtrectatores isti Vergilii, Bavius et Maevius (de quibus vid. not. ad Ecl. III, 90.), Servio auctore ad Geo. I, 210. hoc versu perstrinxerunt: *Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat*, (cuius tamen auctor potius Cornificius Gallus fuit. Cf. Cledonius p. 1898. et Ribbeck. Proleg. p. 96.) Utuntur autem hoc Plurali, quem sane Quinct. Inst. I, 5, 16. (ubi vid. Spald.) vitiosum dicit, praeter Vergilium (Geo. I, 210. 317.) etiam Plin. XVIII, 7, 10. et Rutil. Itin. I, 149. — 37. De ipsa re cf. Theophr. de pl. VIII, 7. et Plin. XVIII, 17, 44. *Lolium*, i. e. Lolium temulentum *Linn.*, *αἶρα* Graecorum, nobis *Taumellolch*, *Tollkorn*, etiam *Trespe* vocatum. Cf. Dioscor. II, 122. Theophr. I, 7, 14. Plaut. Mil. II, 3, 50. ibique Lindem. Ovid. Fast. I, 691. (ubi, ut hic, cum *avena* coniungitur) cum Gierigii adnot. Serv. ad h. l. et Geo. I, 154. (ubi idem fere legitur versus), Harduin. ad Plin. XXII, 25, 77. Billerb. Flora class. p. 26. — Id *infelix* dici Voss. et Sp. putant, quod titubantes et trementes reddat, qui manducarint, aut caecos, teste Servio, Plauto et Ovidio ll. ll.; rectius autem Heyn. et Wagn. censent hoc epitheton esse i. q. *infecundum*, ad vescendum inutile. Ut enim *felix*, quod descendere videtur ab obsoleto *feo*, i. e. gigno, procreo, haud raro pro fecundus diciter (v. c. Aen. VI, 230. *oliva felix*, Geo. II, 81. *rami felices*, Liv. V, 24, 2. *arbor felix*, Mart. XIII, 20. *horti felices* etc., unde etiam *Arabiae felicis* nomen repetendum videtur), ita *infelix* interdum i. q. infecundus (e. g. Geo. II, 239. *tellus frugilus infelix*, ibid. 314. *oleaster infelix*, Plin. XXIV, 9, 41. *arbor infelix*.) Eo sensu Calpurn. IV, 115. *lolium* videtur *malignum* dicere. — *sterilis avena*, i. e. avena fatua Linnaeo dicta, *wilder Hafer*, eadem ratione ab Ovidio Fast. l. l. cum *lolio* coniungitur. — Pro *nascuntur*, optimorum librorum lectione, vulgo edebatur *dominantur*, quod e Geo. I, 154. huc translatum, ubi hic totus versus iteratur; ut etiam alibi librarii in talibus versuum repetitionibus alterum locum ex altero interdum correxerunt. (Cf. adnott. ad Geo. III, 426. IV, 173. Aen. I, 100. IX, 613. etc.) Solet autem Vergilius in eiusmodi versibus ad Lucretii exemplum, cuius perpetuum fere imitatorem sese praebet, alio loco repetitis unam alteramque vocem immutare; (cf. Geo I, 294. cum Aen. VII, 14., Geo. I, 494. cum Geo. II, 513., Geo. II, 158. cum Aen. VIII, 149., Geo. II, 535. cum Aen. VI. 784., Geo. III, 103. cum Aen. V, 144., Geo. III, 220. cum Aen. XII, 720., Geo. III, 421. cum Aen. II, 381., Geo. III, 426. cum Aen. II, 474., Geo. III, 437. cum Aen. II, 473., Geo. III, 439. cum Aen. II, 475., Geo. IV, 162 sq. cum Aen. I, 438 sq., Geo. IV, 173. cum Aen. VIII, 451., Aen. I, 101. cum VIII, 539., Aen. I, 310. cum III, 229., I, 482. cum VI, 469., III, 65. cum XI, 35., III, 192—195. cum V, 8—11., III, 390—393. cum IX, 43—46., III, 393. cum VI, 46., III, 467. cum V, 259., III, 471. cum VIII, 80., III, 557. cum IX, 713., IV, 219. cum VI, 124., IV, 232 sqq. cum IV, 271 sq., IV, 528. cum IX, 225., IV, 587. cum IX, 650. IV, 701., cum V, 89., V, 432. cum IX, 814., V, 665. cum IX, 49., V, 657. sq. cum IX, 14 sq., VI, 403. cum VI, 769., VII, 749. cum IX, 613., IX, 126. cum X, 276., IX, 294. cum

Pro molli viola, pro purpureo narcisso
Carduus et spinis surgit paliurus acutis;
Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Pastores — mandat fieri sibi talia Daphnis —

X, 824. etc.); quamquam verum est, interdum etiam integros versus sine ulla mutatione iterari. (Cf. Ecl. III, 87. cum Aen. IX, 629., Geo. I, 304. cum Aen. IV. 418., Geo. II, 43. cum Aen. VI, 625., Geo. II, 291 sq. cum Aen. IV, 445 sq., Geo. III, 233 sqq. cum Aen. XII, 105 sq., Geo. III, 391. cum Aen. VI, 173., Geo. IV, 167 sqq. cum Aen. I, 434 sqq., Geo. IV, 171—175. cum Aen. VIII, 449—453., Geo. IV, 338. cum Aen. V, 826., Geo. IV, 475—477. cum Aen. VI, 306—308., Aen. I, 73. cum IV, 126., II, 76. cum III, 612., II, 774. cum III, 48., II, 775. cum III, 153., II, 792—794. cum VI, 700—702., Aen. III, 390—93. cum VIII, 43—46., III, 725. cum VIII, 680., III, 589. cum IV, 7., IV, 177. cum X. 767., IV, 285. 86. cum VIII, 20. 21., IV, 482. cum VI, 798., VI, 429. cum XI, 28., VII, 641. cum X, 163., VII, 645. cum IX, 529., VII, 804. cum IX, 433., IX, 122. cum X, 223., XI, 832. cum XII, 952.) Alii versus etiam invito auctore a librariis videntur repetiti, ut Geo. IV, 338. ex Aen. V, 826., Aen. IV, 285 sq. ex VIII, 20 sq., IX, 29. ex VII, 784., IX, 122. ex X, 223., X, 278. ex IX, 127., X, 872. ex XII, 668. XII, 612. sq. ex XI, 471 sq. etc., ad quos locos vide adnott. Praeter ea, quae ipse de hoc poëtarum usu disputavi in Comm. mea de Lucretii carm. p. 10 sqq. cf. Heins. ad h. ipsum l., Weichert. de verss. aliquot Virg. et Val. Fl. p. 65 sqq. Weber. ad Lucan. Voll. II. p. 604 sqq., Iahn. ad Geo. II, 129. Obbar. ad. Hor. Ep. I, 1, 56. p. 73. et I, 6, 28. p. 276. et qui ibi laudantur viri docti. — 38. Cf. Theocr. I, 132 sq. Iteratur hic versus in Anth. Lat. Burm. I, 170, 26. et ibid. 178, 330. sic variatur: *Pro molli viola casiaque crocoque rubenti. — mollis viola* Wagnero est, „quae coloris teneritate sensum molliter afficit." Scilicet *mollia* omnino dicuntur, quae nobis sunt grata, iucunda, cum efficiant, ut nobis sit molliter. Sic Geo. III, 464. *mollis umbra*, ap. Gellium I, 2. *ambulacra mollia* etc. *Viola* autem etiam hic, ut Ecl. II, 47., videtur esse τὸ λευκὸν ἴον s. *Λευκόϊον*. — *purpureus narcissus*, propter purpureum calycem. Cf. Plin. XXI, 5, 12. *Narcissi alterum genus flore candido, calyce purpureo.* id. XXI, 19, 75. *Narcissi duo genera in usu medici recipiunt. Unum purpureo flore* etc, (nam calycem et florem confundebant veteres.) Dioscor. IV, 158. Spr. (vulgo 161.) Theophr. h. pl. V, 6. VII, 12. Billerb. Flora class. p. 86 sq. Hoc autem genus narcissi, quod purpureo calyce ornatum est, aequinoctii auctumnalis tempore florere, Voss. docct ad h. l. et ad Ecl. II, 47. Ceterum qui hoc loco *purpureus*, in Cir. 95. *suave rubens narcissus* dicitur. Ribbeck. recte fortasse ex Diomede p. 449. P. recepit *purpurea narcisso*, quod etiam Gebauer. Progr. p. 1. defendit coll. Theocr. I, 131. ἁ δὲ καλὰ νάρκισσος, quem hic poëtae nostro obversatum fuisse pateat. — 39. „*paliurus* fruticis spinei et rubi seu rhamni genus, *Christdorn* [*Judendorn, Wegedorn*], Rhamnus Paliurus Linn. Vid. Martin. ad h. l. et Schreber. ad Theocr. XXIV, 87." *Heym.* Sprengel. ad Dioscor. II. p. 397. παλίουρον et βάμνον, a Diosc. I, 121. et 119. descriptas, unam eandemque plantam habet. Cf. etiam Theophr. h. pl. I, 6. 17. Plin. XVI, 30, 53. XXIV, 13, 71. Billerb. p. 53. et 55. Ceterum respexerunt hunc locum Colum. X, 22. *spinisque ferat paliuron acutis* et Sedul. carm. pasch. I, 262. *Carduus et spinis surgat paliurus acutis.* — 40—41. Funebrem honorem et tumulum Daphnidis indicit. *Spargite* (i. e. conspergite, ut etiam Ecl. IX, 19. et alibi) *humum* (circa tumulum) *foliis* (frondibus et floribus.) — *inducite fontibus umbras*, i. e. obducite fontes umbra arborum circum positarum, eadem fere ratione dictum, qua metaph. apud Vellei. II, 36, 1. *Omnibus omnium gentium viris magnitudine sua caliginem inducere*, (ubi vid. Ruhnk.) et proprie apud Plin. XXXV, 10. 35. *inducere picturae colorem*, XXXIII, 7, 40. *inducere parieti ceram liquefactam* et similia. Paullo aliter Ecl. IX, 20. *viridi fontes induceret umbra*, ubi non solum constructionem, sed etiam numerum mutatum videmus. Nostro enim loco Pluralis *umbrae* multam, densam umbram complurium arborum videtur significare, qualis decet

Et tumulum facite et tumulo superaddite carmen:
Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,
Formosi pecoris custos, formosior ipse.

MENALCAS.

Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum

---

tumulum. Cf. quae ad Ecl. X, 76. adnotavimus. Ceterum de tumulo iuxta fontem condito cogitandum. Circa tumulos autem arbores seri, iam Homerica aetate usitatum fuit (cf. Il. VI, 419.). Rusticos vero homines sibi carissimos ad fontes valde frequentatos arboribusque circumdatos sepelire solitos fuisse, ut omnes viatores ibi quiescentes vel bibentes, cum titulum legerent, defuncti recordarentur, Voss. probat Niciae Miles. epigr. in Anthol. Gr. I. p. 248. (s. I. p. 182. Iacobs.) Cf. etiam Culicis v. 387 sqq., Spohn. laudat Goënsium de Cenotaph. p. 170 sq. et Interpp. ad Suet. Aug. c. 18. — *mandat fieri sibi* pro vulgari mandat sibi facienda, vel ut sibi fiant. Cf. Ruddim. II. p. 230. Zumpt. § 617. alii. Ceterum haec verba parenthetice interiecta etiam ad sequentia pertinere, in promptu est. — 42. Repetitur hic versus, qui fluxit ex Theocr. XXIII, 43. et 46., in Anth. Lat. Burm. I, 178, 440. — *supperaddite.* Ribbeck. divisim scripsit *super qddite.* Cf. adnott. ad. Ecl. VI, 81. De iterato voc. *tumulo* pro *ei* cf. adnott. ad Ecl. II, 33. et Aen. I, 554. — *carmen*, i. q. titulum, inscriptionem carmine conceptam. Cf. Aen. III, 287. Ovid. Her. II, 146. VII, 194. Met. II, 326. XIV, 442. — 43. Etiam haec inscriptio ex Theocr. I, 120 sq. petita: *Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος ὁ τὰς βόας ὧδε νομεύων, Δάφνις ὁ τὼς ταύρως καὶ πόρτιας ὧδε ποτίσδων.* — *in silvis.* Vid. ad Ecl. I, 2. — *hinc usque ad sidera notus* utpote epicum Heynio in carmine bucolico non placet; et sane color huius loci non differt a celeberrimi illius versus Aen. I, 378. *Sum pius Aeneas - - fama super aethera notus.* Cf. tamen not. ad v. 22. et similem Theocriti locum VII, 92. 93. *ἐσθλὰ, τά που καὶ Ζανὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα* cum Hom. Od. IX, 20. *καὶ μεν κλέος οὐρανὸν ἵκει.* — 44. Iteratur hic versus in Anth. Lat. Burm. I, 147, 29. — *Formosum pecus.* Cf. Hom. Od. XII, 402. XIII, 129. 262. 355. Theocr. Id. V, 82. VII, 87. Ep. IV, 15. VI, 3. a Gebauero Progr. p. 11. laud. Sic Geo. III, 219. et Calpurn. XI, 26. *formosa iuvenca*, Ovid. A. A. I, 296. *formosae boves* cett. — *formosior ipse.* Alludit poëta ad Iulii Caesaris formositatem, cui, cum excelsa statura, colore candido, teretibus membris, nigris vegetisque oculis esset (cf. Suet. Caes. 45.), Venus ipsa, stirpis auctor, formae quandam gratiam tribuisse credebatur. Cf. Voss. ad h. l. Imitati sunt hunc locum Cato Dir. 32. *formosaeque cadent umbrae, formosior ipsa Cades* et Colum. X, 299. *Formoso Nais puero formosior ipsa.* Similes autem locos, ubi idem vocabulum cum vi quadam vel in gradatione iteratur (ut Ecl. IV, 15. Aen. VII, 706 sq. IX, 462. Sall. Iug. 44, 1. 70, 1. Ovid. Met. XII, 236. Am. I, 2, 42. III, 2, 32. cett.) collegit Gebauer l. l. — 45. Menalcas laudat Mopsi carmen tamquam perfectissimum artis opusculum suoque cum illo committendo modeste praefatur. Vid. Theocr. I, 7. sqq. VIII, 78—83. — *Tale--quale*, i. e. tam gratum - - quam. — *carmen nobis.* Voss. ex Probo I, 6, 3. et Cod. Hafn. edidit *nobis carmen*, quam verborum posituram etiam Heynius auribus suaviorem censet et Lachmann. ad Prop. I, 6, 25. atque Ribbeck. cum Wunderl. praeferunt, ne ex vulgari ratione voc. *nobis* per metrum peculiaris vis addatur. Sed quamquam sane maxima sententiae vis inest vocc. *carmen* et *sopor*, tamen, cum hoc lector per se intelligat, quidni etiam poëtae licuerit sibi opponere vocc. *nobis* et *fessis*? Cur igitur simplicissimum verborum ordinem deseramus, quem ceteri Codd. omnes cum Prisc. p. 761. P. et Rufin. p. 266. tuentur? Ceteri recentiores editores nobiscum faciunt. — *divine poëta.* Cf. Ecl. X, 17. VI, 67. et Lucr. I, 731. *carmina divini pectoris.* Sic etiam de artifice Ecl. III, 37. *divini opus Alcimedontis.* — 46. Cf. Theocr. VIII, 77. *quale sopor.* Cf. not. ad Ecl. III, 80. Sic in Anth. Lat. Burm. V, 117, 15. *dulce sopor fessis.* Rom. et unus Bern. pro *fessis* exhibent *lassis*

Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum.
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim
Dicemus Daphnimque tuum tollemus ad astra;
Daphnim ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.

— 47. *restinguere.* Infin. Graecorum ratione loco Nomin. Subiecti positus et per copulam (pro qua Pron relat. iteratur: vid. adnott. ad Ecl. IV, 6.) cum antecedente *sopor* coniunctus. Hic autem transitus a Substantivo ad Infinitivum Vergilio satis usitatus. Cf. Geo. I, 25. III, 180. Aen. I, 124. VI, 60. VII, 421. X, 759. XI, 180 etc. et quae de simili ratione permutatae structurae disputavimus ad Ecl. VI, 74. — *aquae--rivo*, per pleonasmum poëtis satis frequentatum. Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 87. De *dulci aqua* salsae opposita vid. Geo. IV, 61. Aen. I, 167. etc. et cf. Reines. Var. Lect. III, 4. cum Athen. II, 5. I. p. 160. Schweigh. — 48. *sed voce*, i. e. *sed*, quod maius est, *voce*. Nimirum *Non solum - - sed etiam* est simpliciter enumerantis nec discernentis inter utriusque membri vim et gravitatem, *Non solum - - sed* autem comparantis et posteriori membro maiorem quandam vim tribuentis, quam priori. Cf. Goerenz. ad Cic. Legg. I, 14, 41. et III, 11, 25. Matth. et Beneck. ad Cic. Cat. III, 10, 24. Bremi et Daehne ad Nep. Cim. 4, 1. Passov. ad Tac. Germ. 15. extr. Kritz. ad Sall. Cat. 18, 7. alii. — Per *magistrum* Wagn. in edit. min. ipsum Daphnidem significari putat, coll. v. 51 sq. (neque aliter Ladew. et Conington.) Sed si vera sunt, quae supra vidimus, Daphnidis nomine ipsum Iul. Caesarem celebrari, quomodo huic explicationi conveniunt verba adiecta, imprimis illa: *tu nunc eris alter ab illo?* ad quae excusanda profecto non sufficiunt, quae Vir doct. v. 20. adscripsit. Quare mihi *magister* alius quis pastor videtur, a quo Mopsum canendi artem didicisse Menalcas sciebat. Consentiunt mecum Bryce et Ameis. p. 11. Gebauer. I. p. 126 sq. autem, probans quidem ea, quae contra Wagn. disputaverim, cum nihil perversius cogitari possit, quam personato Caesari humilem pastorem comparari, tamen meam quoque explicationem reiiciens, quae tum demum probari possit, si poëta in superioribus commemorasset, quis Mopsum canendi artem docuisset, potius totum versum tamquam spurium eiiciendum et sequente versu pro *alter ab illo* cum Cod. Rom. et uno Bern. a m. pr. scribendum censet *alter Apollo.* — 49. Cf. Theocr. I, 3—5. — *alter ab illo*, i. e. post illum. Vid. Hand. in Tursell. I. p. 43., qui comparat v. c. Cic, Acad. I, 12, 46. (Carneades) *qui quartus ab Arcesila fuit.* Liv. VII, 1, 10. *dignus habitus, quem secundum a Romulo conditorem urbis Romanae ferrent.* Hor. Sat. II, 3, 193. *Aias heros ab Achille secundus* etc. *Alter ab illo* legitur etiam in Anth. Lat. Burm. III, 81, 51. Interdum *a* et *post* in uno eodemque loco coniunguntur, ut Curt. V, 2, 5. *post hos Antigonus et ab eo Lyncestes Amyntas fuit.* Ceterum Ribbeck. hunc versum exsulare iussit, quem ad exemplum Ecl. II, 38. interpolatum censet, quod invitis omnibus libris paullo audacius videtur, imprimis si probantur, quae de strophica huius Eclogae ratione contra Ribbeckium disputat Gebauer de poët. I. p. 126. — 50. *nostra*, scil. carmina. — *vicissim.* Vid. adnott. ad Ecl. III, 28. — 51. *Dicemus.* Vid. ad Ecl. III, 55. et supra v. 2. — *Daphnim tuum*, i. e. carmine tuo celebratum. (Wagn. et Ladew. potius explicare videntur per magistrum tuum.) — *tollemus ad astra*, i. e. summis laudibus celebrabimus, ut Ecl. IX, 29. *Vare, tuum nomen - - Cantantes sublime ferent ad sidera cygni*, et supra v. 43. *hinc usque ad sidera notus.* Wagn. Qu. Virg. X, 2. *ferre, evehere, tollere ad aethera* s. *ad astra* et *in astra* ita differre docet, ut illud improprie dicatur et significet *laudibus extollere, celebrare* (v. c. Ecl. IX, 29. Aen. III, 462. VI, 130.), hoc proprie valeatque *in Deorum numerum referre* (e. g. Aen. III, 158. VII, 99. 272.), quamquam etiam *ad* interdum ponatur, ubi *in* propriam habeat sedem (ut Aen. I, 259. XII, 794.). Peerlk. p. 18. locum sic distinguit: *D. tuum tollemus. Ad astra, Daphnim ad astra feremus.* — 52. Vulgo *Daphnin.* Cum autem non credibile sit, poëtam, qui alias semper atque adeo antecedente versu *Daphnim* scripserit, hoc uno loco,

MOPSUS.

An quicquam nobis tali sit munere maius?
Et puer ipse fuit cantari dignus et ista
Iam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.

MENALCAS.

Candidus insuetum miratur limen Olympi
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.

---

quasi metri necessitate coactum, posuisse *Daphnin*, Wagnero Qu. Virg. III, 2. suasore, qui provocat ad Herm. Elem. doctr. metr. p. 61 sq. et comparat Aen. VI, 334. *Leucaspim et Lyciae ductorem classis Oronten*, et VII, 242. *da Thybrim et fontis vada sacra Numici*, etiam hic edidimus *Daphnim*. (Cf. etiam Lachmann. ad Lucr. II. 991. p. 130 sq. docte disputans de litera finali *m* in eiusmodi locis non pronuntiata.) Peerlk. contra, et ipse haerens in duplici Accus. forma, sed „Quaestiones istas se inspicere non posse" profitens (!) in utroque versu *Daphnin* scribi voluit. Ceterum de epanaphora, quam hic invenimus, cf. Gebauer de poët. I. p. 51. et 62. — *amavit nos quoque Daphnis.* Daphnidis amorem, ad Menalcam adeo pertinentem, nihil aliud esse, quam Iul. Caesaris erga Galliam citeriorem benevolentiam, qua factum sit, ut omnes eius incolae civitate donarentur (cf. not. ad v. 34.), docet Voss. — 53 sqq. Cum hoc loco Gebauer de poët. I. p. 15. conferri iubet Theocr. I, 19 sq. VII, 27 sqq. et X, 23. — 54. Daphnis tamquam iuvenis pastor *puer* vocatur, ut Menalcas v. 19. et Mopsus v. 49., quamquam ille certe iam aetate maior erat (cf. v. 4.) — *ipse*, per se spectatus, *an sich*. (Cf. not. ad Ecl. III, 74.) Sententia haec est: Cupidissime exspecto carmen tuum, quo mihi nihil acceptius potest contingere. Daphnis enim cum iam per se dignus sit, cuius laudes a poëtis celebrentur, carmen in eius honorem compositum eo pluris faciendum, si tale est, quale tuum esse iam ab aliis audivi. — *cantari dignus*, Graeca constructione, qua poëtae Rom. haud raro, pedestres aureae aetatis scriptores numquam utuntur. Sic *dignus* infra v. 89. ap. Val. Fl. II, 241. Quinct. X, 1, 96. Plin. Pan. 7. Ovid. Met. I, 241. Tib. II, 6, 43., *indignus* ap. Ovid. Met. I, 508. A. A. I, 681. Hor. Ep. I, 3, 35. alibi construitur. Cf. Wunderl. ad Tib. IV, 5, 10. Frotscher. ad Quinctil. l. l. Bach. ad Ovid. Met. ll. cc. Ruddim. II. p. 230. alii. — 55. *Iam pridem* Voss. ita capit, ut sensus sit: iam tum, cum carmen recens compositum amicis nonnullis recitares, laude dignissimum erat; quanto igitur maiore nunc erit, tam diu elimatum et perpolitum. — *Stimicon*, fictum pastoris alicuius nomen. Ladew. et Ribbeck cum Pal., Rom. aliisque Codd. scribunt *Stimichon;* sed etiam apud Calpurn. VI, 84. VII, 9. et 13. Codd. praebent *Stimicon*. — 56. Iam Daphnis inter deos receptus celebratur. „Daphnis nunc in Olympum receptus est (55—57.); quo eventu laetatur omnis rerum natura (58—64.) eique, tamquam deo, sacrum indicitur (62—80.)." *Heyn.* — *Candidus* Servius per *benignus*, *bonus* explicat, quod non probandum, cum in eiusmodi locis, ut Hor. Ep. I, 6, 62. *si quid novisti rectius istis, Candidus imperti* et similibus, non tam benignum, quam sincerum, apertum significet, quod in hunc locum non quadrat. Heyn. et Schirach. p. 351. interpretantur: „splendens et micans, ut sidus," Spohn: „serenus, ut ne levissima quidem nubecula moestitiae dolorisve adsit;" ut alibi *candidi dies, candida fata, candida Pax* et similia. Significat potius splendentem, eximiam pulchritudinem in universum, quare saepe est deorum et hominum inter deos relatorum epitheton, quod Ladew. docet coll. locis Aen. VIII, 138. (*c. Maia*), Ovid. Met. XV, 30. (*c. Sol*), Tibull. III, 6, 1. (*c. Bacchus*) et Ecl. II, 46. (*c. Nais*), ubi vide adnot. Adde Aen. V, 571. *candida Dido*. Ceterum de re ipsa cf. Argum. huius Ecl. p. 80. — *Olympus* h. l. arx caeli, ubi Dii habitare putabantur. Cf. Voss. ad h. l. Olympum autem et caelum a poëtis saepissime confundi, res est notissima. Cf. Ecl. V, 86. Geo. I, 450. Aen. I, 374. VI, 579. IX, 106. Ovid. Met. II, 60. *vasti rector Olympi*. Sen. Herc. Oet. 1907. *stelligeri vector Olympi* — *Atlas*.

Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.
Nec lupus insidias pecori nec retia cervis
Ulla dolum meditantur; amat bonus otia Daphnis.
Ipsi laetitia voces ad sidera iactant
Intonsi montes; ipsae iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: „deus, deus ille, Menalca!“

Cic. Div. I, 12, 19. etc. — 58. *Ergo* pro *igitur* h. l. positum esse, probat Lachm. ad Prop. p. 236., cui Wagn. adsentiri videtur. Accuratius dixeris causam efficientem indicare et sensum esse: *inde factum est, ut; qua ex re, qua de causa; daher, desshalb.* Cf. Perizon. ad Sanct. Min. IV, 14. p. 431. Hand. Tursell. II. p. 443. et Dietsch Theol. Verg. p. 4. nota 21. Vid. simillimus locus Geo. II, 393. et praeter multos alios Ecl. I, 46. 59. Geo. II, 293. III, 229. 318. IV, 139. etc. — *Alacris voluptas* dicitur, quia laetitia affectos non sinit quiescere, sed ipsam laetitiam suam voce et gestu prodere cogit. Quare apud Phaedr. II, 5, 21. (ubi vid. Burm.) legimus *alacer gaudio*, et interdum *alacer* idem fere est, quod *laetus*, ut Ter. Eun. II, 3, 12, *quid tu es tristis? quidve es alacris?* cf. etiam Aen. VI, 685. et Tac. Ann. XI, 17. Coniungit *alacer atque laetus* Cic. Mur. 24, 49. — *cetera* bene adiectum, quia *rus* etiam silvas et pascua complectitur. Cf. etiam adnott. ad Ecl. I, 2. Schrader. tamen haerens in voce *cetera* legi voluit *secretaque* vel *securaque*, neque minus Peerlk. p. 19. hanc proposuit coniecturam *silvas, ecce, et per rura voluptas*, quod dictum sit pro *per silvas et rura*, ut Aen. VI, 692. *Quas ego te terras et quanta per aequora vectum.* Vocem autem *ecce* cum Servio ad Aen. II, 270. pro subito positam censet. — 59. *Dryades*, arborum Nymphae, quae, simul cum arbore sua et viventes et pereuntes, etiam *Hamadryades* vocantur. Cf. Schol. Apollonii II, 479. et Voss. ad Ecl. X, 62. Dryades etiam Geo. I, 11. III, 40. IV, 460. commemorantur. Ceterum in his nominibus Graecis ex Med. Cod. auctoritate Vergilius constanter secutus est Graecam Accusativi formam, ut Geo. I, 138. *Pleiadas, Hyadas*, Aen. I, 744. III, 516. *pluviasque Hyadas*, Ecl. VI, 62. *Phaethontiadas* etc. Wagn. simul adnotat, Nominativum quoque horum nominum ultimam ubique habere brevem, ut Ecl. VII, 21. X, 40. Geo. IV, 341. Aen. I, 500. V, 613. — V. 60., quo significatur, cum illa silvarum et agrorum laetitia etiam summam securitatem esse coniunctam, Heynio, ex Theocr. XXIV, 84. 85. petitus videtur, ubi, Hercule inter deos recepto, lupus non amplius insidiatur hinnulo. Voss. de *lupis* conferri iubet Geo. III, 537., de *retibus cervorum* autem eiusd. libri v. 371. — 61. *bonus*, i. q. benignus, ut saepe de diis; infra v. 65. *Sis bonus o felixque tuis.* Aen. XII, 647. *Vos o mihi, Manes, este boni.* Hor. Od. IV, 2, 38. *Fata donavere boni divi.* id. IV, 5, 1. *Divis orte bonis* etc. — *otia.* Cf. Ecl. I, 6.— 62. *ipsi*, i. e. etiam, adeo, *ja auch, sogar.* Cf. Wagn. Qu. Virg. XVIII. 2. g. — Verba *vocesque ad sidera iactant* ex hoc loco sumpsit auctor carm. in Anth. Lat. Burm. I, 170, 135. Vergilio obversatus videtur Lucr. II, 327. *clamoreque montes Icti reiectant voces ad sidera mundi.* Cf. etiam Ecl. VII, 84. — 63. *Intonsi montes* sunt silvosi, incaedui. Simili ratione de arboribus frondosis: cf. Aen. IX, 681. *quercus intonsa caelo Attollunt capita.* Stat. Silv. IV, 7, 10. *Nunc ab intonsa capienda myrto Serta.* — *sonant carmina*, h. e. edunt cantus, quibus Daphnidem venerentur et laetitiam suam prodant, ut v. 62. *montes laetitia voces iactare* dicuntur. Cf. Hor. Epod. IX, 5. *sonante mixtis tibiis carmen lyra.* Prop. III, 29, (II, 31), 16. *Pythius in longa carmina veste sonat*, et Tibull. I, 3, 60. *Dulce sonant tenui gutture carmen aves.* Aliter apud Ovid. Met. X, 205. *te carmina nostra sonabunt;* significat enim hoc verbum, ut ipsum *canere*, non minus *besingen*, quam *singen* (*ertönen lassen.*). Ceterum cf. supra ad. v. 28. adscripta. Peerlk. tamen l. l. coni. *carmine*, cum pauca, quae sequantur, verba *deus--Menalca!* non *carmina*, sed *carmen* constituant. — 64. Heyn. hunc locum ita intelligit, ut Mopsum Vocativo *Menalca* sodalem suum alloqui putet: O Menalca, ipsa arbusta resonant: Deus, deus ille! Sed rectius, Wagnero quoque iudice, *Wund.:* „Laetitiam illam animadvertit Menalcas;

Sis bonus o felixque tuis! en quattuor aras: 65
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.

---

ei igitur rupes et arbusta acclamare finguntur; *deus, deus ille, Menalca!*“ quam rationem poëta longe digniorem esse, quisque videt. Poterat quidem Heyn. provocare ad Lucr. V, 8. *deus ille fuit, deus, inclute Memmi,* ex quo loco nostrum fluxisse suspicor; neque tamen diversa utriusque loci natura Vergiliique ingenium, qui non pertinebat ad imitatorum illud servum pecus, nullius est momenti. Ceterum cf. similes loci Cic. Tusc. I, 21, 48. post red. in Sen. 4. in. Colum. I, 1, 30. Grat. Cyneg. 96. et Arnob. I. p. 24., in quibus omnibus rerum saluberrimarum inventores et principes *dei* nuncupantur. — 65. *felix* est propitius, qui facit felices, ut Aen. I, 330. *Sis felix nostrumque leves quaecunque laborem.* Respexit hunc locum poëta Anth. Lat. Burm. I, 126, 15. *ut sis felixque bonusque.* — *en* cum *ecce* coniunctum habes etiam in fragm. Plauti apud Varr. L. L. VI, 3, 92. *ubi rorarii estis? en sunt. ubi sunt accensi? ecce;* quod affert Hand. Turs. II. p. 367. — *quattuor* (ut nunc cum Med., Vat. et Rom. ac recentissimis editt. scripsimus: cf. Wagn. Orth. Verg. p. 467. et Ribbeck. Proleg. p. 443.) *aras* etc. Iulio Caesari in deorum numerum relato sacra annua decreta sunt, quae, cum dies eius natalis (a. d. III. Id. Iul. a. 653.) in ipsos ludos Apollinares incideret, quo die alii numini praeter Apollinem sacra institui in libris Sibyllinis vetitum erat, pridie eius diei, quo ludi Apoll. initium capiebant, s. IV. Non. Iul. celebrabantur (cf. Liv. XXVII, 23. Voss. ad h. l. et Wolfg. Lazii Resp. Rom. X, 8., a Wagn. laud.). Quare poëta, qui Daphnidis inter Lares recepti nomine Caesarem canit (vid. supra ad v. 20.), et hunc a se pro Lare cultum iri significat, (cf. etiam Ecl. I, 6. 42 sq.) ibique adnott. h. l. eius festum cum Phoebi sacris ita coniungit, ut utrique duas aras positas esse dicat; *duas* scilicet, quo plura sacrificia ibi fieri possent. Cf. Geo. IV, 538 sqq. et Aen. III, 305. Lersch. tamen Antiqq. Verg. p. 210. de numeris sacris agens docet, omnino duplices res poni, quae ad mortem pertineant. Distinguit tamen Vergilius inter *aras* Daphnidi, ut heroi, positas et *altaria* Phoebo, tamquam deo, exstructa; in aris enim thus, fruges et libationes diis offerebantur, in altaribus victimae cremabantur; de quo discrimine (quod hic a poëta factum temere vituperant Heyn. et Schirach. p. 335.) cf. etiam Bach. ad Ovid. Met. V, 36. *Arae* et *altaria* eadem ratione coniunguntur a Lucr. IV, 1230. et Plin. X, 13, 17. XV, 30, 40.; altaria autem in aris exstructa commemorant Lucan. III, 404. et Solin. c. 14. (non 9.), quos locos Voss. affert. Daphnidi igitur, ut heroi, sacrum fit lacte, oleo, vino, i. e. λοιβῇ σπονδῇ, non victima caesa; idemque Nymphis et Pani fieri apud Theocr. V, 53. 54. et 58. 59., unde haec expressa sunt, iam Heyn. adnotavit. (Cf. etiam, quae Gebauer de poët. I. p. 128 sq. de hoc loco disputavit, recte reiiciens miram Lerschii Ant. Verg. p. 161. opinionem, ac si „Daphnis quasi Daphne quaedam exsistat cum Apolline coniunctior.“) Ceterum iam alii bene intellexerunt, Daphnidi hic praeter libationes singulis mensibus domi instituendas (v. 70. sqq.) bina quotannis sacra publica promitti, altera verno tempore, quod *lac novum* indicet, fortasse inter sacra Ambarvalia celebranda, quae m. Aprili extremo fiebant (vid. ad Geo. I, 338.), altera auctumno, ad quem *oleum* spectet, fortasse inter *Ληναία*. Hoc enim nomine Voss, Wagn. et Iahn uti debebant pro *Liberalibus.* Nam *Liberalia,* a. d. XVI. Cal. April. celebrata (cf. Ovid. Fast. III, 713 sqq. et Cic. ad Fam. XII, 25, 1.), ab his sollemnibus vindemia facta institutis (*ληναίοις* Graecorum, de quibus vide Baumstark. in Pauly *Realencycl.* IV. p. 913.) probe discernenda. De variis autem festis in Bacchi honorem celebratis cf. praeter alios Boeckh. Diss. de Lenaeis in Commentt. Acad. Berol. cl. phil. 1816. 17. p. 70. et Preller in Pauly *Realencycl.* II. p. 1056 sqq. et IV. p. 1024. Laribus autem suas in utraque sollemnitate fuisse partes, intelligitur ex Tib. I, 1, 19 sqq. et II, 1, 17., ubi vid. Wunderl. Cf. etiam Heyn. Obss. ad Tibull. II, 1, 21. et Suet. Aug. 31. *Compitales Lares ornari bis anno instituit, vernis floribus et aestivis,* cum quo loco comparari potest eiusd. Ner. 57. *Et tamen non defuerunt, qui longum per tempus vernis aestivisque floribus tumulum eius ornarent.* Ne quis autem verbis *lac novum* ad vernum modo tempus

Pocula bina novo spumantia lacte quot annis
Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi;
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.

---

relatis opponat locum Ecl. II, 21. *Lac mihi non aestate novum, non frigore defit*, Spohn. verissime adnotat, ibi in Sicilia rem agi, hic sub frigidiore Galliae Cisalpinae caelo. — *duas altaria Phoebo*, i. e. duas aras, quae sint altaria Phoebo, i. e. Apollini *Νομίῳ*. Codd. quidam et edit. deteriores *duo altaria*. De iteratione voc. *duas* vid. adnott. ad Ecl. II, 16. — 67. Cf. Theocr. V, 53 sqq. *Pocula bina novo spum. lacte*. De novo lacte cf. not. ad. Ecl. II, 22. Voss. interpretatur de lacte pecudum post partum primo mulctarum, ut sint primitiae aliquae, quales Daphnidis et Chloës in Longi III. p. 82. Schaef. *Bina* in singulis aris, ut in epulis solebant singulis convivis bina poni (vid. adnott. ad Ecl. III, 36.); *duos* autem *crateras*, i. e. in singulis aris singulos. *Crater* enim (*κρατήρ* a *κεράω*, *κεράννυμι*) propr. vocabatur vas, in quo vinum cum aqua miscebatur, ut inde diffundi posset in pocula, deinde omnino genus poculi maioris, ex quo in minora pocula diffundebant non modo vinum (cf. Aen. I, 728. II, 765. IX, 165.), verum etiam oleum (vid. Aen. VI, 225. et Martial XII, 32, 12.). Ceterum Vergilius ex Cod. Med. auctoritate in huius voc. Accus. Sing. et Plur. ubivis Graecam formam servavit *cratera*, *crateras* (cf. Geo. II, 528. Aen. III, 525. V, 536. IX, 266. 346. — Aen. I, 724. VII, 147. IX, 165. 358. XII, 285.) atque etiam Nom. Plur. Aen. VI, 225. ultimam syllabam corripit. — *duos*, quod Heins. in *duo* mutaverat, Wagn. ex plurimis libris revocavit. Cf. eius Quaest. Virg. XII, 12. et adnott. ad Aen. XI, 285. Nihilominus etiam Ribbeck. *duo* rursus edidit. (Cf. eius Proleg. p. 175.) Ceteri recentiores editores nobiscum faciunt. De voce *quot annis* divisim scripta vid. ad Ecl. I, 42. *Crateres olivi* autem eadem ratione dictum, qua locis ad Ecl. IV, 24. allatis *poculum lactis*, *veneni* et similia. — *pinguis olivi*. Cf. Geo. II, 425. Aen. VI, 254. Ovid. Met. X, 176. etc. Videtur esse Theocriti XV, 117. *ὑγρὸν ἔλαιον*. Cf. etiam Gebaueri Progr. p. 4. Maiorem autem distinguendi notam pro Commate, quod ceteri recentiores editores posuerunt, in fine versus me retinuisse probat Gebauer de poët I. p. 129. ob strophicam huius carminis rationem, quam hic comparat cum Theocr. VII, 63—72. *Olivum* pro oleo olivis expresso vox est poëtica (cf. Lucr. II, 391. Hor. Sat. II, 4, 50. Ovid. Met. X, 176. Pers. II, 64 etc.), quam prosaicorum scriptorum nemo videtur usurpare praeter Apulei. Met. IX. p. 232. Elm. — V. 69—73. ex Theocr. VII, 63 sqq. fluxerunt. De sensu vid. ad v. 65. adnott. — *convivia* intellige de epulis post sacrificia apparandis. — *multo Baccho*. Conington parum probabiliter suspicatur, pro *multo*, quod ex Geo. II, 190. huc translatum videatur, fortasse legendum esse *mulso*. — *Bacchus* pro vino, ut saepe (Cf. Geo. I, 344. IV, 279. Aen. I, 215. Hor. Od. III, 16, 34. Ter. Eun. IV, 5, 6. Ovid. Met. XIII, 637. Tibull. III, 6, 5.) Sic *Ceres* pro frumento (Geo. I, 397. Aen. I, 177. Ovid. Am. III. 7, 31. Hor. Od. III, 24, 13. Epod. XVI, 43. Tibull. II, 5, 84.) et pane (Ter. l. l. Verg. Aen. I, 802. VII, 113.). Cf. not. ad Ecl. IV, 32. — 70. *Ante focum*. Cf. Theocr. VII, 66. *παρ πυρὶ κεχλιμένος*. — *Si--si* pro *sive--sive*, ut ap. Plaut. Capt. I, 2, 5. Gellium II, 28. et alibi. — *si frigus erit*, hieme (vid. not. ad Ecl. II, 22.), *si messis*, aestate. *Messis* vocabulum aestivo (messis) tempori significando adhibet etiam Plin. XXIV, 14, 74. *flos mori per messes colligitur*. et XXII, 13, 15. *semen colligi messibus oportet*. Cf. etiam Geo. I, 314 sqq. Ceterum haec spectare ad bina illa sacra vario anni tempore celebranda (v. 67 sq.) manifestum est. — 71. *fundam*, effundam, ut Aen. II, 532. III, 348. IV, 61. V, 78. 98. et sexcentis aliis locis. *Vinum Ariusium* ex regione Ariusia in Chio insula pretiosissimum erat et optimum omnium Graecorum vinorum; de quo cf. Strabo XIV. p. (637.) 645. (et 657.) Cas. Athen. I, 20. p. 32. Plutarch. (non posse suav. vivi sec. Epic. 17.) T. XIV. p. 113. Hutten. Clem. Alex. Paedag. II, 2. Galenus de meth. med. XII, 4. p. 280. Chart.

Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon;
Saltantis Satyros imitabitur Alphesiboeus.
Haec tibi semper erunt, et cum sollemnia vota
Reddemus Nymphis et cum lustrabimus agros.
Dum iuga montis aper, fluvios dum piscis amabit,

---

s. p. 832. Kühn. et saepius, Plin. XIV, 7, 6. Hor. Sat. I, 10, 25. Sil. VII, 210. Vid. Heins. ad h. l. Victor. Varr. lectt. XV, 24. Harduin. ad Plin. l. l. et liber meus geogr. II. p. 198. not. 55. Idem vinum etiam Geo. II, 98. (ubi vid. adnott.) significatur *Phanaei regis* nomine. Vosa. docet, vini peregrini usum apud Romanos ab a. 700. U. C. increbruisse, eiusmodi autem vinum generosius in mensis secundis libatum esse, coll. Geo. II, 101 sq. — *novum nectar* videtur esse Romanis antea non notum, et Iahn. suspicatur, vites Ariusias fortasse nuper demum in Italiam translatas ibique seri coeptas esse. *Nectar* autem per translationem de quoque vino dulciore (Stat. Silv. II, 2, 99.), quin etiam de melle (Geo. IV, 164. Aen. I, 433.) et lacte (Ovid. Met. XV, 116.) usurpatur; et Tournefort. voyage du Levant T. II. p. 63 sqq. refert, etiam nunc, quod in regione Ariusia ex uvis mediocriter siccatis prematur vinum, ab eius incolis nectar vocari. Ceterum praeter Cerdam ad h. l. cf. Ouwens. Noct. Hag. III, 2. p. 362. Goens. ad Porphyr. de antr. Nymph. p. 105 sq. Burmann. ad Anth. Lat. II, 260, 3. p. 447. et ad III, 211, 12. p. 646. et, qui hos laudat, Unger de Valg. Rufo p. 58. — *calathum* hic non fiscellam seu vas ex viminibus contextum, sed vasorum vinariorum s. calicum quoddam genus significare (de quo etiam Mart. IX, 60, 15. et XIV, 107. usurpatur), quisque videt. Etiam apud Graecos secundum Hesych. κάλαθος interdum eodem sensu dicebatur, quo ψυκτήρ. — 72. Cf. Theocr. VII, 71. *mihi*, sc. sacra facienti. Inter sacra a me instituta (cf. v. 68. 71.) in honorem tuum carmina canent pastores illi ad hanc ipsam sollemnitatem mihi vocati; mea sacra carminibus suis concelebrabunt. Recte igitur Iahn. vulgatam defendit contra Frenzel. in Seebodii Tabul. phil. et paed. Vol. I. p. 139. *tibi* corrigentem. *Lyctius* autem Aegon vocatur a Lycto, Cretae oppido ad Dicten montem sito (Hom. Il. II, 647. Strab. X. p. 476. Cas. Mela II, 7, 12. Plin. IV, 12, 20.), unde etiam Idomeneus Aen. III, 401. *Lyctius*, et apud Ovid. Met. VII, 490. classis Cretensis *Lyctia* appellatur. — 73. *Saltantis Satyros imitabitur*: simpliciter pro saltabit Satyrorum more, h. e. incondite, ut Geo. I, 350. *Det motus incompositos et carmina dicat.* Inter epulas enim saltationes rusticae habebantur. Commode autem Satyrorum mentionem fieri in sacris ad deos agrestes, imprimis vero ad Bacchum (cf. v. 79.) pertinentibus, docet Voss., qui conferri iubet Nonnum XV, 70. Plut. Symp. VII, 8. et Anacr. 37. Ceterum Ribbeck. cum Cod. Rom. scripsit *saturos*. Sed vide Wagn. Orth. Verg. p. 482. — 74. 75. *Haec tibi semper erunt:* ita memoriam tui sollemniter celebrabimus, et cum Nymphis vota reddemus, et cum lustrabimus agros; haec sollemnia peragentes, te simul quantis maximis honoribus ornabimus. Haec verba iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 147, 11. additis verbis Ecl. I, 51. et Ecl. IV, 45. *Sollemnia vota Nymphis reddere* quid hic significet, dubium; cum singulare quoddam festum Nymphis Romae institutum fuisse, aliunde non constet, ut recte docet Heyn., qui ex v. 70. concludit, fortasse messe facta id peractum esse. Sed si vera sunt, quae Wagn. ad v. 67. adnotavit, Dionysia post vindemiam celebrata hic sunt intelligenda, in quibus, ut omnibus diis agrestibus, ita etiam Nymphis, quae et ipsae pertinebant ad Bacchi comitatum, sacra facta esse satis est probabile. De Nympharum cultu agunt Theocr. V, 12. 53. 149. Hor. Od. III, 13. Ovid. Fast. III, 300. a Voss. laudati. — *vota reddere*, pro usitatiore vota solvere, persolvere, exsolvere, legitur etiam Cic. Legg. II, 7, 22. et Ovid. Trist. III, 12, 40. — *lustrabimus agros. Lustrare*, proprie i. q. ambire, circumire, aptissimum huic rei vocabulum, quia sollemnis pompa circum agros ducebatur. De ipsa autem lustratione agrorum s. ambarvalibus cf. adnott. ad Geo. I, 338 sqq. — 76. 77. *Dum iuga* etc. Sensus est: dum rerum natura eadem erit, h. e. semper. Vid. similes locos Ecl. I, 59 sqq. Aen. I,

Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quot annis.
Agricolae facient; damnabis tu quoque votis.

MOPSUS.

Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis sibilus Austri
Nec percussa iuvant fluctu tam litora nec quae
Saxosas inter decurrunt flumina valles.

MENALCAS.

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.
Haec nos „Formosum Corydon ardebat Alexim,“

---

607 sqq. Hor. Epod. XV, 7 sqq. et Tibull. I, 4, 65. — *amabit*, tamquam sedem, domicilium, ideoque: dum apri in saltibus, pisces in fluviis versabuntur, vivent. — 77. *thymus*, planta notissima, de qua cf. Dioscor. III, 44. Theophr. h. pl. IV, 7. et VI, 2. Apibus gratum esse pabulum, discimus etiam ex Geo. IV, 112. Plutarcho de audit. c. 6. Plin. XI, 15, 15. Colum. IX, 4. XI, 3. Pallad. I, 37. Sidon. Ep. VIII, 4. Hor. Ep. I, 3, 21. etc.; quare apud Colum. VI, 33. *mel thyminum* commemoratur. Neque oves eam sprevisse, auctor est Plaut. Bacch. V, 3, 11., qui *oves thymiamas* vocat. — *pasci*, pro vesci, ali, de quibuscunque animalibus dicitur, etiam iis, quae non in pascua aguntur, v. c. de corvis aliisque avibus Hor. Ep. I, 17, 50. Cic. N. D. II, 3, 7. de Div. II, 34, 72. Liv. VI, 41, 8.; de apibus etiam Geo. IV, 181. — *rore cicadas pasci*, antiqua erat opinio. Vid. Hesiod. sc. Herc. 395. Anacr. XLIII, 3. et Theocr. Id. IV, 17. Ceterum Wund. observat, *dum--dumque--dum* eodem modo dictum esse, quo Ecl. VII, 65 sqq. *ut--utque--ut*. Ceterum Calpurn. Ecl. IX, 50. hunc locum sic imitatur: *Nam dum Pallas amat turgentes unguine bacas, Dum Bacchus vites, Deo sata poma Priapus, Pascua laeta Pales, Idas te diliget unam.* — V. 78. iteratur Aen. I, 609. Cf. etiam Gratius Cyn. 251 sq. huius loci non immemor: *Ergo semper eris, dum carmina dumque manebunt Silvarum dotes* etc. — 79. 80. Daphnis in deorum agrestium numerum referetur, quorum hic principes commemorantur, ut Geo. I, 7. Tibull. II, 1, 3 sq. et alibi. — 80. *damnabis tu quoque votis*, h. e. si agricolis contigerit, quod a te precati sunt, obligabis eos ad vota, quae ea conditione tibi fecerant, solvenda. Formula sollemnis est *damnatus voti* (v. c. Nep. Timol. 5, 3., ubi vid. Dähne. Liv. V, 25, 4. VII, 28, 4. X, 37.); quamquam etiam *damn. voto* dicitur (ut in fragm. Sisennae ap. Nonium 277, 11. et ap. Liv. XXVII, 45, 8.). Cf. adnott. ad Aen. V, 237. — 82. *sibilus Austri*, ut apud Lucr. V, 1381. *sibila Zephyri*, ubi vid. Wakef. Nam duplici forma dicitur *sibilus* et *sibilum;* Pluralis tamen *sibila* poëtis usitatior. Cf. Schneideri Gr. Lat. II, 1. p. 475. Coningt. confert Theocr. I, 1. *ψιθύρισμα*. — *veniens Auster* est oriens, flare incipiens. Cf. Aen. X, 99. *venturi venti*. Ovid. Met. VII, 837. *Aurā veni, dixi, nostroque medere labori*, et A. A. III, 698. *Accipienda sinu, mobilis aura, veni.* Eodem sensu Aen. III, 481. *surgentes Austri* et Hor. Od. III, 27, 22. *oriens Auster.* — 83. 84. Cf. Theocr. I, 7 sq. *Ἅδιον, ὦ ποιμάν, τὸ τεὸν μέλος, ἢ τὸ κατασχὲς Τᾶν' ἀπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ.* — *litora* hic non maris, sed, cum Mantuani confabulentur pastores, Benaci lacus intelligenda esse, docet Voss. comparans Plin. Ep. IX, 7., ubi de Larii lacus *litore* sermo sit. — 85. Cf. Theocr. VI, 43. et VII, 43., ex quo hunc locum adumbratum esse docet Gebauer de post. I. p. 77. — *ante*, quam tu me dono ornes. Cf. v. 81. Pro *ante* Schrader. temere coni. *ecce*, laudans Ecl. VI, 69. *Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae;* quam coniecturam vel propter ingratum verborum sonum *ecce cicuta* merito vituperat Wagn. — De *cicuta* cf. not. ad Ecl. II, 36. — 86. Ut fistulam commendet, se ad eam modulatum esse dicit Ecl. II. et III., quorum exordia hic ponit; unde apparet, Vergilium

Haec eadem docuit „Cuium pecus? an Meliboei?“

MOPSUS.

At tu sume pedum, quod, me cum saepe rogaret,
Non tulit Antigenes — et erat tum dignus amari —
Formosum paribus notis atque aere, Menalca. 90

---

ipsum sub Menalcae persona latere. Ceterum Heyn. eadem ratione Aeneidem a Martiale VIII, 56, 19. exordio *Arma virumque* posito laudari commemorat. (Cf. etiam adnott. ad Ecl. I, 1. et Ecl. IX, 10.) — 87. *docuit* videtur significare: sonis et modis suis in praeludio, quod nunc dicitur, editis (cf. adnott. v. 14.) nos deduxit quasi in illa carmina; quod, si summa rei spectatur, nihil aliud est, quam: nos adiuvit in canendis carminibus, vel ad eam illa carmina modulati sumus. Cf. Ecl. X, 34. 51. Simili quadam ratione *docere carmina* pro praecinere legimus apud Hor. Od. II, 19, 2. *Vidi Bacchum carmina docentem Nymphasque discentes.* — 88. Vid. similem donorum permutationem ap. Theocr. VI, 43. (*τάν τοι, ξφα, κορύναν δωρύττομαι*) et VII, 43. et cf. eiusdem VII, 128. *Pedum* erat pastorum baculum nodosum et recurvum (*καλαῦροψ* Graecorum) plerumque ex iuniperi vel olivae ligno confectum et ferrea cuspide annulo aereo ligno affixa instructum. Cf. Schol. Veron. p. 72. Keil. — 89. *tulit*, i. q. secum abstulit, consecutus est, accepit; ut apud Ter. Eun. V, 9, 27. Hor. Sat. II, 1, 11. Ep. I, 3, 25. *praemium ferre.* Cic. Att. IV, 15. med. *palmam ferre.* Plaut. Merc. II, 3, 106. *Quod posces, feres* etc. Cf. Westerh. ad Ter. l. l. Brouckh. ad Tibull. I, 1, 24. Drak. ad Liv. XXVI, 2, 4. aliique. — *et erat*, i. q. et tamen s. quamquam erat; de qua simplicis copulae potestate cf. Walch. ad Tac. Agr. 15. p. 225. et quos laudat Hand. Turs. II. p. 496. — *tum.* Ribbeck. Codd. deterioris notae et Serv. Dresd. secutus edidit *tunc.* (Cf. adnott. ad Ecl. III, 10.) Voss. *tam dignus* vel *condignus* scribi mavult, perperam; sensus enim est: tunc, in primo iuventutis flore, dignus erat; nunc fortasse non amplius. *dignus amari*, ut v. 54. *cantari dignus*, ubi vid. adnott. — Cum v. 90. cf. Theocr. XVII, 31. *σιδάρειον ἀχύταλον χιχαραγμένον ὄζοις.*

ECLOGA VI. VARUS.*)

ARGUMENTUM.

Etiam huius Eclogae, ut primae, conscribendae causam intulit agrorum Mantuanorum divisio. Alfenus Varus**) m. Aprili a. U. C. 714. post finitum bellum Perusinum in Pollionis fugati locum ab Octaviano Galliae Cisalpinae et agrorum divisioni praefectus erat, eique Vergilius, si Mantuam servaret, carmen aliquod promiserat (cf. Ecl. IX, 26. cum huius Ecl. v. 3. et Servio ad utrumque locum). Iam Mantuanis quidem Varus non pepercerat, Vergilio tamen praedium suum erat redditum, quare poëta coactus promisso satisfacere, aestate a. 715. hanc Eclogam scripsit, satis astute autem rem ita

---

*) Sic suadente v. 12. cum Vossio et recentissimis editoribus hanc Eclogam inscripsimus. Prius vulgo *Sileni* nomen ferebat, quod sane argumento carminis magis convenit.

**) Ex pluribus enim Varis ab Heynio in Excursu II. p. 252. ed. Wagn. et Vossio ad hanc Ecl. p. 291 sq. commemoratis neminem nisi hunc intelligendum esse, quisque facile sibi persuadebit, ut satis mirum sit, Heynio non constitisse, quid iudicandum esset. Ceterum cf. Ribbeckii Proleg. p. 5 sq. et p. 8. et Teuffel. in Pauly *Realencycl.* I. p. 768 sq. ed. II.

instituit, ut Varo quidem inscriberet carmen, in eo tamen non ipsum resque ab eo in bello civili gestas celebraret, sed potius Silenum de mundi origine et antiquissimis quibusdam fabulis canentem induceret, sic callide praecavens, ne Varus, quamquam vere se frustratum videbat, poëtae succensere posset, imprimis cum ille Sileni persona usus Syronis communis magistri memoriam veteri sodali resuscitaret (cf. Donat. Vita §. 79. Serv. ad Ecl. VI, 13. et Schol. Veron. p. 74, 5. Keil.) et Epicuri philosophiam, Varo haud dubie unice probatam, sequi videretur (cf. v. 31 sqq.)***). Fuit autem antiquissima aliqua fabula de arcana Sileni philosophia et divinatione†) qua usus Vergilius hoc carmen ita disposuit, ut inciperet a sententia illa: Periculum quidem feci te, Vare, et facta tua canendi, sed statim intellexi, tenuia tantum me posse ludere, quare alii potius te digno modo praedicent, me hoc tamen tibi dedicasse satis habeas (v. 1—12.). Tum narrat, duos Satyros una cum Aegle Nympha Silenum dormientem adgressos coëgisse, ut carmen diu promissum sibi caneret (v. 13—30.). Hoc ipsum autem, quod sequitur, carmen primum agit de rerum omnium origine secundum Epicuri disciplinam (v. 31—40.), deinde breviter commemorat antiquissimas fabulas Deucalionis et Promethei (v. 41. 42.) et transiens ad heroum aetatem canit Argonautarum expeditionem (v. 43. 44.), Pasiphaës infelicem amorem (45—60.), Hesperidum poma et Phaëthontem (v. 61—63), Grynei lucis originem et Galli poëtae laudem (v. 64—73.), Scyllam (v. 74—77.), denique Tereum et Philomelam (v. 78—81.). Vespera iam ingruente Silenus canendi finem facit (v. 82—86.).

Hinc apparet, neque hoc carmen, pulcherrimis sane rerum imaginibus distinctum et poëtico ornatu splendidissimum, vere esse bucolicum, quamvis eius argumentum a poësi bucolica non prorsus deflectat.

***) Cf. imprimis Spohnii Proleg. p. 46 sqq. — Vergilius cum Varo eiusdem philosophi Epicurei, Syronis, disciplina usus et postea agris suis expulsus in eius villa versatus erat (cf. Diss. de Verg. vita et carm. p. XIII. et XVIII.), unde tamen non sequitur, eum ipsum fuisse purum putum Epicureum, etiamsi fortasse singula quaedam Epicuri dogmata probavit, quod certe qui Cirin ab eo scriptam esse censent, in dubium vocare nequeunt.

†) Vid. Aelian. V. H. III, 18. Pind. fr. 15. ed. Dissen. Cic. Tusc. I, 48, 114. Creuzer *Stud.* II. p. 234 sqq. 238 sqq. et *Symbol.* III. p. 215. Propterea fuerunt adeo, qui eum Apollinis vel patrem vel filium esse fingerent. (Cf. Clem. Alex. Coh. ad g. p. 24. Porphyr. p. 18 sq. Creuzer ad Cic. N. D. III, 23. et ad Herod. I. p. 258 sqq. et (qui hos laudat) Scheiffele in Pauly *Realencycl.* VI, 1. p. 1186.

Prima Syracosio dignata est ludere versu
Nostra neque erubuit silvas habitare Thalia.

---

1. *Prima* omnes fere interpretes ita explicant, ac si Vergilius dicere voluerit, se primum inter Romanos carmina bucolica fecisse, quemadmodum Hor. Ep. I, 19, 23. de se praedicet: *Parios ego primos iambos Ostendi Latio.* (Cf. Unger de Valgio Rufo p. 297. et 326.) Sed Wagn., quem secutus et Iahn., bene perspexit, hunc potius esse sensum: Primum (ab initio) mea Musa, natura ipsa ducente, haud infeliciter in carmine bucolico versata est; cum vero (a Varo excitatus? cf. v. 9 sqq.) epica carmina facere inciperem, Phoebus admonuit et ad bucolica, naturae meae aptiora, me revocavit; nunc igitur ad hos lusus bucolicos revertor. Adiectivum *primus* autem pro Adverbio *primum* vel *primo* legitur etiam Ecl. I, 44. Geo. I, 12. Aen. I, 442. 613. VI, 811. VIII, 59. alibi. *Syracosius* (Συρακόσιος), pro Syracusius, forma poëtis epico et elegiaco metro utentibus acceptissima. Cf. Ovid. Fast. VI, 277. (ubi vid. Conrad.) id. ex Pont. IV, 3, 39. et in Ibide 549. Auson. Mos. 304. Claud. Epigr. XVIII, 6. *Syracosia* autem carmina sunt Theocritea sive bucolica. (Cf. etiam *Sicelides Musae* Ecl. IV, 1. ibique adnott.) Ceterum respexit hunc locum poëta in Wernsd. Poët. L. min. V, 514, 127. *Prima Syracosii mens prodidit alta magistri.* — 2. *silvas habitare*, silvas et rura canere; bucolicis carminibus studere. Vid. ad

Cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
Vellit et admonuit: „Pastorem, Tityre, pinguis
Pascere oportet ovis, deductum dicere carmen.“
Nunc ego — namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant et tristia condere bella —
Agrestem tenui meditabor harundine Musam.

Ecl. I, 2. et IV, 2. — *neque*. Wagn., Haupt. et Coningt. *nec*. Sed vide Lachm. ad Lucr. III, 853. p. 187. coll. cum Wagn. Qu. Verg. XXXII, 2. p. 654. — *Thalia* non omnino pro Musa, sed tamquam praeses carminis bucolici commemoratur. Cf. Schol. Apoll. Rhod. III, 1. *Θάλεια δὲ* (*λέγεται εὑρηκέναι*) *γεωργίαν καὶ τὴν περὶ τὰ φυτὰ πραγματείαν*. (ab Heyn. laud.) et Culicis v. 1. Ribbeck. scripsit *Thalea* coll. Servio et Prisc. p. 563. 587. P. (cf. eius Proleg. p. 418.) — 3. Cf. loci simillimi Hor. Od. IV, 15, 1. et Prop. IV, 2, (III, 3,) 13. Ovidium contra Apollo ad perficiendum opus exhortatur A. A. II, 493. *reges et proelia*, i. e. carmen epicum. Heins. ad Ovid. ex P. IV 2, 1. minus recte de tragoedia vult intelligi. Noli tamen ita omnia ad vivum resecare, ut *reges* cum Vossio de Pompeianarum partium viris principibus interpreteris, adversus quos Varus in bello civili militaverit, vel cum Iahnio (qui conferri iubet Weichert. de L. Varii vita p. 150.) per *proelia* bella civilia, per *reges* principes civitatis significari censeas, immo *reges et proelia* omnino carmen heroicum indicant, quemadmodum apud Hor. A. P. 73. et Aen. VII, 41., quos locos Coningt. comparat. — *Cynthius* vocatur Apollo a Cyntho, Deli insulae monte (Hom. hymn. I, 18. 26. 141. Callim. in Del. 205. Plin. II, 103. 106. IV, 12, 22., nunc *Castro* appellato), in quo cum Diana natus perhibebatur. Cf. Hor. Od. I, 21, 2. — *aurem vellit*, notus admonendi mos, nos aliquid neglexisse, alicuius rei oblitos esse, (cf. Verg. Copa 38. et Calpurn. Ecl. IV, 155.); nam secundum Plin. N. H. XI, 45, 103. in ima aure sedes erat memoriae; oblitus autem erat poëta, quid sibi bucolico poëtae conveniret. — *pinguis oves*, *πίονα μῆλα* Theocriti XXV, 86. et Hom. Od. X, 217. 237. 312. etc. Cf. etiam Hor. Od. IV, 12, 9. — 5. *deductum carmen*, imagine a lana, quae in filum deducitur, sumpta, bene dicitur carmen tenue, i. e. pastoricium, quod grandiori, epico, opponitur; nam deducendo et extendendo fila attenuantur. (Cf. Colum. X, 228. Calpurn. Ecl. IX, 11. Auson. Mosella 396.) Poterat etiam *tenui filo* adiungi, ut apud Hor. Ep. II, 1, 225. *tenui deducta poëmata filo*, quocum cf. Calpurn. X, 40. *Pierides tenui deducite carmine Musae* et Anth. Lat. Burm. II, 139, 4. *pastorumque melos facili deduxit avena*. Ex Pomponio, Afranio et Cornificio illustrat usum huius voc. Macrob. VI, 4. p. 595 sq. Vid. etiam Quinct. Inst. VIII, 2, 9. Eodem sensu *tenuatum carmen* ap. Prop. VI, (III,) 1, 5. et Stat. Silv. IV, 7, 9. dici videtur. (Cf. Hertzberg. Quaest. Prop. II, 7. et qui hunc laudat, Coningt. ad h. l.) Ameis tamen Spic. p. 12., cum hic non, ut ap. Hor., *tenui filo* adiiciatur, reiicit opinionem de imagine a filis tenuibus de colo deductis petenda et potius cogitat de carmine voce deducta cantato (*ein herabgestimmtes Lied*), quae sententia iuvatur quodammodo Propertii loco III, 31, (II, 33,) 38. (a Ladew. collato), ubi *deducta voce* i. q. voce depressa et attenuata (*mit gedämpfter Stimme*). Ceterum cum omni loco compares simillimum Horatii Od. IV, 15. ab initio et Anacreontis Od. I. principium. — 6. *super--erunt* (i. e. numquam deficient) per tmesin. Cf. Geo. II, 351. Aen. II, 567. VI, 254. VII, 559. cett. et adnott. ad Geo. III, 381. Aen. II, 567. al. — *qui dicere laudes tuas cupiant*, qui carmen epicum de rebus a te gestis condant. — 7. *et condere bella*, canere de bellis a te gestis. Eadem ratione apud Ovid. Trist. II, 336. *acta Caesaris condere* et apud Plin. XII, 13, 15. *laudes alicuius condere* legitur. *Carmen, poëma condere* satis notum. (Ceterum cf. Argum.) — 8. *Agrestis Musa* ex Lucr. V, 1398. petita. Sic Ecl. I, 2. *silvestris Musa*. Cf. omnino hic locus nostro simillimus. — Med. Vat. et Rom. auctoritatem secuti cum Wagn. Vol. V., Ribbeckio et Hauptio edidimus *harundo* (ut alibi *harena* et *holus*). Vid. Wagn. Orthogr. Verg. p. 441., (ubi conferre iubemur Schneid. Gramm. Lat. I, 1. p. 186. et Osann. ad Apulei. de Nota

Non iniussa cano. Si quis tamen haec quoque, si quis
Captus amore leget: te nostrae, Vare, myricae,
Te nemus omne canet; nec Phoebo gratior ulla est,
Quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis et Mnasylos in antro
Silenum pueri somno videre iacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho;
Serta procul, tantum capiti delapsa, iacebant,

Adnot. p. 91.) et Ribbeck. Proleg. p. 421. — 9. Non iniussa cano, sed ab Apolline iussa (cf. supra v. 4. et Ecl. VIII, 11.). — Si quis tamen etc. i. e. Sed si quis eiusmodi tenuioribus carminibus delectatus haec leget, inveniet vel hoc bucolico carmine te, cui dedicatum est, celebratum. De repetitis verbis Si quis cf. adnott. ad Ecl. IV, 58. et infra ad v. 28. — 10. captus amore (cf. Gen. III, 285.) leget, tali carminum genere delectabitur. Voss. (qui comparat Ecl. II, 27. IV, 58. et X, 33.) et Spohn. praetulerunt [illegible] et Prisciani VIII, 11, 67. lectionem legit, qui tamen Coniunctivus non convenit verbis captus amore, quae poëtam non dubitare fore, ut carmina sua lectores inveniant, immo hoc certissime sperare, satis clare significant. Wagn. conferri iubet Eleg. ad Messal. p. 39 sq. — myricae — nemus pro rure et pastoribus, qui carmen repetunt. Cf. Ecl. IV, 2. et adnott. ad Ecl. I, 2. — 12. pagina pro carmine, ut charta Horatio Epist. II, 1, 161. Cf. v. c. Culicis v. 26. Ciris v. 41. et Martial. I, 5, 8. lasciva est nobis pagina, vita proba. — Pagina autem quae sibi praescripsit pro vulgari: pagina, cui praescriptum est. — 13. Pergite, Pierides, i. e. agite; vox hortantis. Nam secundum Wolf. ad Suet. Aug. I, 20, 1. (ubi legitur: properare coeptum, quae perpetrari [illegible]) [illegible] in re molienda et persequenda cum [illegible] occupati. Cf. etiam Wopkens. Lectt. Tull. III, 2. De Pieridibus ad Ecl. III, 85. dictum. — Hunc de Sileno locum a Theopompo translatum refert Servius. Chromis et Mnasylos Satyri aut Fauni habendi sunt. Ribbeck. cum Rom., Pal. (in quo tamen alterum l inductum) et aliis quibusdam libris scribit Mnasyllos. Ceterum rarae apud Vergilium in hominum nominibus Graecae formae. Wagn. Qu. Virg. IV. praeter hunc locum, ubi etiam Val. Probus I, 4, 16. Graecam terminationem tuetur, non nisi duo affert exempla, Aen. II, 264. et VI, 106.; nam Accusativum Talon Aen. XII, 513. in suspicionem vocandum censet. Addere autem debebat Aen. V, 265. et VIII, 506. [illegible] terrarum (Gen. I, 59. IV, 210.), montium (Ecl. VIII, 44. Gen. III, 96.), fluminum (Aen. VI, 132. X, 142.) et siderum (Gen. I, 35. 138.) nomina Graece terminantur; et insulas quidem Graecas ubique fere Graeco nomine dicere solet Vergilius. Cf. Gen. II, 90. III, 6. Aen. II, 21. III, 325. 271. VII, 209. (quos locos omnes congessit Wagn. l. l.) — 14. iacentem. Peerlk. offensus in iacentem ante iacebant (v. 16.), p. 20. audacter coni. sepultum, ut verat sequente transpositis verbis Hesterno inflatum et v. 17. 18. Serta procul..., Et procul attrita; cum gravi (vino) capite comparans verba Ovid. Met. III, 608. Illa mero somnoque gravis titubare videtur et Calpurn. X, 61 sq. imitationem loci nostri Ex illo venas inflatus nectare dulci Hesternoque gravis semper videtur Iaccho. Praeterea hunc locum respexit auctor carm. in Anth. Lat. Burm. II, 193, 3. Silenumque simem sertisque meroque ligavit. — 15. Iaccho, vino. Cf. adnott. ad v. 69. et Ecl. IV, 32. Imitatus est Vergilium etiam Colum. X, 309. Et titubante gradu multo madefactus Iaccho. Graecum hoc Bacchi nomen, in mysteriis maxime usurpatum, et ab ἰάχειν, laetos clamores tollere, derivatum (de quo cf. Valck. ad Herod. VIII, 65. et Interpp. ad Ovid. Met. IV, 15.) redit Ecl. VII, 61. — **16.** Multum desudarunt viri docti in explicando voc. *tantum;* ita ut Heynius, quo se vertat omnino nesciens, totum versum in suspicionem vocet. Omissis explicationibus quibusdam plane non ferendis, commemoro tantum eas, quae habent aliquam probabilitatis speciem. Doering. in Progr. saepe laud. ita explicat locum: „Non ita procul a Sileno serta, sed capiti tantummodo delapsa, non discissa et discerpta, ideoque adhuc integra." Vossius *tantum*

Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.
Adgressi — nam saepe senex spe carminis ambo

---

ad tempus referens reddit: *nur eben dem Haupt entglitten;* quem Particulae significatum probant utique loci Cic. ad Div. VII, 23. *Tantum ex Arpinati veneram, cum mihi a te literae redditae sunt,* et Val. Fl. VIII, 288. *Quaeque die fuerat raptim formata sub uno, Et tantum dejecta suis e montibus arbor.* Sed cum lectoris nihil intersit scire, utrum tempore longo an brevi ante serta capite deciderint (quod bene perspexit Weichert. Epist. crit. p. 39., qui tamen propterea non debebat locum hac coniectura sollicitare: *tacitum capiti delapsa*), non adsentiri possum Iahnio, eandem explicationem repetenti. Immo cum Silenus cogitetur sedens vel iacens bibisse et inter bibendum obdormivisse, cum Wagn. verba *tantum capiti delapsa* tamquam epexegesin Adverbii *procul* adiecta puto, ut locus sic vertendus sit: *Neben ihm lag, nur dem Haupt entglitten, der Laubkranz.* Sertum non iam haerebat quidem in ipso capite, iacebat tamen prope caput, non subito praecipitatum, sed sensim delapsum. *Procul* enim, quod iam Serv. recte per *iuxta* explicat, interdum etiam parvam distantiam significare, patet v. c. ex Geo. IV, 424. Aen. VI, 10. X, 835. Ovid. Met. V, 114. *Quem procul adstantem - - - Pettalus irridet,* et Ter. Hec. IV, 3, 1. *Quem cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi.* Cf. Orell. ad Hor. Serm. II, 6, 105. et Epist. I, 7, 32. Consentit mecum Conington, qui comparans Theocr. I, 45. *Τυτθὸν δ' ὅσσον ἄποθεν* verba *tantum capiti delapsa* explicat per: tantum capiti non haerentia et poëtae statuam aliquam obversatam esse non male suspicatur. Ameis. tamen, cui haec non satisfaciunt, Spic. p. 12. hanc profert explicationem, quam nemo facile probabit: „Non amplius conspiciebatur vinum, quod integrum hauserat: tantummodo vestigia hesternae potionis (serta et cantharus) supererant. Vocula autem *procul* indicari videtur, Silenum eo quod praeceps ruerit longe provolutum esse ab eo loco, ubi ebrius humi procubuerat et serta iacebant." — *capiti,* pro a capite, Graece dictum, ut Sil. XVI, 468. *veluti delapsa corona Victoris capiti foret.* Ita Ovid. Met. VI, 592. *lateri vellera dependent.* id. Am. III, 10, 36. *Deciderant longae spicea serta comae.* — *iacebant,* quod Heynio post verba v. 14. *videre iacentem* admodum ieiunum videtur, multis locis similibus potest defendi, ubi idem vocabulum per negligentiam quandam scriptoris post breve intervallum redit. Cf. infra v. 84 sq. Aen. II, 360 sq. 470. III, 344 sqq. IV, 151. 155. 159. V, 780 sqq. VI, 613. 17. 23. 26. (ubi *ingens* quater repetitum legitur,) VIII, 282. 284. IX, 216 sq. XI, 35 sqq. XII, 853 sqq. et praeter Verg. ipsius interpretes imprimis Iahn. in Novis Annal. phil. et paed. XVIII. p. 343 sqq. Weichert. de verss. iniuria susp. p. 97 sqq. idemque in Epist. crit. p. 45. Wunderl. ad Tibull. I, 9, 67. Bach. ad Tib. I, 1, 6. Corte ad Lucan. I, 24. Hand. ad Stat. I. p. 269 sq. et de prosaicis scriptoribus Drak. ad Liv. I, 3, 9. Wolf. ad Suet. Octav. 72. Heind. ad Cic. N. D. p. 89. Bremi ad Nep. Them. 3, 3. Kritz. ad Sall. Cat. 9, 4. etc. omnino autem Paldami Diss. de repetitione vocum in sermone Gr. et Lat. Gryphisvald. 1836. Ceterum hic non agi de eiusmodi locis, ubi idem vocabulum consulto et cum vi quadam iteratur (ut Ecl. I, 28. 29. *respexit,* VI, 61. 64. *Tum canit,* X, 16. 18. *oves,* Aen. V, 136 sq. *intenta brachia - - intenti,* X, 705. *Parim; Paris,* XII, 853. et 855. *celerem - - celeri* etc.), per se patet, quamquam etiam ex locis supra laudatis unum alterumve fortasse haud temere huc revocaveris. — 17. *gravis cantharus* Burmanno videtur vino plenus; sed si adhuc plenus esset cantharus, non crapulam edormiret Silenus; immo *gravis* solam magnitudinem et capacitatem canthari spectat. *Cantharus* autem (*κάνθαρος*) genus est poculi capacis et ansati, quod dictum putant a Cantharo quodam Sicyonio opifice eiusque inventore. (Pollux Onom. VI, 96. Athen. II, 6. et Plin. XXXIV, 8, 19. Cf. Wagn. ad Val. Fl. II, 270.) — *pendebat.* Silenus enim procumbens cantharum e manu non dimiserat, ut ille ansa retentus semisupinus penderet. Sic poëta hunc locum imitatus in Anth. Lat. Burm. VI, 89, 41. (et Wernsd. Poët. L. min. T. IV. p. 481.) *recubans Silenus asello, Cui lacer a summo pendebat cantharus armo.* Perperam Burm. ad Prop.

Luserat — iniciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam timidisque supervenit Aegle,
Aegle, Naïadum pulcherrima, iamque videnti
Sanguineis frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens „Quo vincula nectitis?“ inquit.
„Solvite me, pueri; satis est potuisse videri.

III, 2, 28. de cantharo in antro pendente cogitavit. — *attrita ansa*, frequenti usu. Minus recte Schirach. p. 321. explicat *fracta, mutilata.* Cf. etiam Geo. I, 46. — 18. *spe luserat.* Cf. Aen. I, 352. et praeterea ibid. v. 408. XI, 427. similesque loci. — *ambo.* Ita plurimi optimique libri: alii *ambos*, quod Ribbeck. Proleg. p. 175. videtur praeferre. Cf. ibid. p. 196. De utraque forma Accus. vid. Charis. p. 96. P. Heins. ad h. l. Corte ad Cic. Epp. IX, 13, 3. Drak. ad Liv. XXXV, 21, 5. Goerenz. ad Cic. Legg. III, 13, 30. Gernh. ad eiusd. Lael. 5, 20. alii. — 19. *iniciunt* pro iniiciunt cum Wagn. Vol. V. et recentissimis editt. scripsimus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 445. Lachm. ad Lucr. II, 1061. p. 136. et III, 863. p. 188. Ribbeck. Proleg. p. 174. alii. — *ipsis ex vincula sertis.* Eodem modo Praepos. collocatam vides Ecl. IX, 36. *argutos inter strepere anser olores*, Lucr. III, 10. *tuis ex, inclute, chartis*, Prop. III, 1, (II, 10,) 26. *Ponitur hic imos ante corona pedes*, Ovid. ex P. I, 2, 150. *Iure venit cultos ad sibi quisque deos* et alibi haud raro. Praepositionis Casui tantum suo postpositae multa exempla collegerunt Ruddim. II. p. 335 sq. et Ramsh. §. 151. 3. et 4. Cf. adnott. ad Geo. I, 161. — *ipsis ex sertis*, scil. quae ille gesserat. Cf. v. 16. Quod attinet ad notam antiquitatis opinionem, vates, qui canere recusent, per vincula ad id cogi posse, Heyn. conferri iubet Proteum a Menelao vinctum (Hom. Od. IV, 414 sqq. et Geo. IV, 396.) et hunc ipsum Silenum ita ad Midam olim perductum (Plut. Cons. ad Apollon. T. II. p. 115. D. et Aelian. V. H. III, 18.). Prorsus eadem ratione Silenus a pastoribus Phrygiis apud Ovid. Met. XI, 91. sertis vincitur. — 20. *Aegle, Aegle, Naïadum pulcherrima.* Haec *ἀναδίπλωσις* imprimis in nominibus propriis locum habet optimisque poëtis usitata est; solet autem iterato nomini plerumque aliquid adiici, quod vel gratiam vel robur inferat orationi. Cf. infra v. 56. Ecl. VII, 2. VIII, 55. X, 31 sqq. 72. Geo. I, 245. Aen. IV, 247. V, 493. 568. VI, 162 sqq. IX, 774. X, 180. 200. 778. XII, 857. Vide etiam, quae supra adnotavimus ad Ecl. IV, 59. et cf., qui optime de hac *ἀναδιπλώσει* variisque eius causis egit, Weichert. de verss. iniur. susp. p. 93. sqq. et quos ibi laudatos videbis, praeterea autem Gebauer de poët. I. p. 41. Ceterum recentiores editores recte omittunt Comma, vulgo post *sociam* additum, nam verbum finitum *supervenit*, per copulam praegresso verbo iunctum, positum est pro simplici Participio *superveniens;* qua de re cf. Wagn. Qu. Virg. XXXIV, 3. — 21. *iamque videnti*, expergefacto. Causa pingendi in sola Nymphae petulantia quaerenda. — 22. *Sanguineis moris.* Vid. ad Ecl. X, 27. — 23. *Quo.* Deteriores quidam libri *Quid.* Cf. Corte ad Lucan. I, 681., qui utramque voculam haud raro confusam esse docet. — 24. *satis est potuisse videri*, satis est, ut videamini me vincire potuisse, quod *vinciendi* verbum ex antecedente *solvite* facile potest subintelligi. (Cf. Aen. V, 231. *possunt, quia posse videntur.* Minus enim probabile est, *videri* passive usurpatum esse pro: satis est, quod potui videri, quemadmodum Ecl. IV, 16. Aen. II, 461. VIII, 604. alibi.) Sententia haec est: Canere paratus sum etiam vinculis solutus, si vero putatis. vinculis me cogi posse, in errore versamini. Wund. conferri iubet locum similiter conformatum Ovid. Her. XII, 76. *Perdere posse sat est, si quem iuvet ipsa potestas.* Peerlk. autem p. 22. ingeniose quidem, sed tamen praeter necessitatem coni. *viere*, provocans ad Varr. de L. L. V. p. 68. ed. Speng. *Viere est vincire, a quo est in Sota Ennii* [fr. I. p. 164. ed. Vahlen.] „*Ibant malaci viere Veneriam corollam*“ et eundem de R. R. I, 23, 5. --*ut habeas vimina, unde viendo aliquid facias, ut sirpeas, vallos, crates.* Mirum tamen est, in eandem coniecturam etiam Coningtonem incidisse, quem omnes Peerlkampii coniecturae in Mnemosyne prolatae viden-

Carmina, quae voltis, cognoscite; carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit.“ Simul incipit ipse.
Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus;
Nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,
Nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea.

---

tur fugisse. Ceterum de h. l. cf. Ladew. Progr. p. 10., contra Peerlk. disputans. — 25. 26. *Carmina, --cognoscite.* Cf. Argum. ibique notam***). *voltis* Wagn. Vol. V. et recentissimos editt. secuti scripsimus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 445 sqq. (et Ribbeck. Proleg. p. 437 sqq.) — *vobis* (Chromidi et Mnasylo) mercedis loco, quam me vinciendo meriti estis, carmina, quae poscitis, canam; *huic*, Aeglae, quae me pinxit, aliam mercedem — nam „vis non ingrata puellis“ — paratam habeo; quam tamen honestatis causa singnificat tantum, non aperte indicat. — *Simul incipit*, i. e. haec dicens simul incipit. Post verba enim dicendi *simul* idem fere significat, quod *extemplo*. Vid. Geo. IV, 359. 381. Aen. IX, 221. 303. 324. 423. 561. 644. X, 856. et cf. Wagn. ad Aen. VIII, 3. et in Quaest. Virg. XXIX, 5. — *ipse* distinguendis personis inservit: *vobis - - huic - - ipse.* Cf. Aen. X, 5. *Considunt* (Dei) *tectis bipatentibus. Incipit ipse*, et quae ad Ecl. I, 38. adnotavimus. — 27. *in numerum ludere*, ad rhythmum quendam saltare. Cf. Lucr. II, 630. de Curetibus: *inter se --Ludunt in numerumque exsultant.* Similiter Verg. Geo. IV, 174. de Cyclopibus: *Illi inter sese magna vi brachia tollunt In numerum.* — *Fauni*, Romanorum dii agrestes, qui cum Satyris et Panibus Graecorum saepe confunduntur. (Cf. Orell. ad Hor. Od. I, 17, 1.) Artifices tamen posteriorum temporum Faunorum corpora humanae formae similiora fingebant, quam Satyrorum, ita ut brevi tantum cauda caprina, auribus acuminatis et simis naribus ab humana specie differrent. Cf. Heyne *Antiquar. Aufs.* T. II. p. 53. et Voss. *Mythol. Briefe* T. II. p. 252. — „*Faunis saltantibus* adiungit *feras saltantes*, et subiicit *quercus moventes cacumina*, aut omnino, aut moventes in numerum. Tanta scilicet e cantu audito est voluptas, tanta carminis dulcedo: non autem haec in modorum concentu quaerenda, sed in argumenti mythici novitate et fabularum suavitate.“ *Heyn.* — *motare.* Cf. adnott. ad Ecl. V, 5. Pauci quidam Codd. *nutare*, ut sit Graecismus, *nutare cacumina* pro cacuminibus, quemadmodum Aen. II, 627. Cf. etiam Aen. IX, 681. — 29. *Nec tantum*, quantum Fauni, ferae, quercus cantu Sileni. In nonnullis Codd. hunc versum sequitur hicce suppositicius, ex Servii verbis consarcinatus: *Quantum omnis mundus gaudet cantante Sileno*, qui in uno ita mutatus legitur: *Quantum Sileno silvae laetantur ovante.* Sed recte Heyn., comparans Ecl. V, 82 sq., docet, non semper voc. *tantum* subiici *quantum* et contra. Burm., idem comprobaturus, confert Geo. I, 103. et Aen. VI, 877., et Wagn. laudat Lachmann. ad Prop. II, 6, 6. (Cf. etiam, quae de hoc additamentodis putavit Kalmus l. l. p. 11.) — *gaudet - - mirantur.* De Praesente pro Perfecto in comparationibus usurpato vid. adnott. ad Aen. I, 316. — *Parnasia rupes.* Ita celeberrimi huius montis Phocensis nomen rectius scribitur, quam litera sibila geminata. Cf. Quinct. Inst. I, 7. Schaef. Melet. p. 1. Boeckh. ad Pind. Ol. IX, 66. Blomf. ad Aesch. Choëph. 555. Heins. ad Ovid. Met. I, 467. Broukh. ad Prop. II, 23, 13. Drakenb. ad Silv. XV, 311. idemque ad Liv. XLII, 16, 1. Bach. ad Ovid. Met. I, 317. et Schneid. Gr. Lat. I. p. 441. In Vergilio nostro Cod. Med. ubique (Ecl. X, 11. Geo. II, 18. III, 291.) tuetur formam *Parnasus.* Ceterum de ipso monte, qui etiamnum antiquo nomine appellatur, cf. liber meus geogr. III. p. 859 sq. — 30. *Rhodope*, altissimus Thraciae mons, ab Apollonia urbe usque ad Pontum Euxinum pertinens, in quo Orpheus Eurydices mortem deplorabat. Vid. Ovid. Met. II, 222. X, 77. Cf. de eo, qui etiam Ecl. VIII, 44. Geo. I, 332. III, 351. 462. IV, 461. commemoratur et nunc *Despoto s. Turgan Dagh* vocatur, liber meus modo comm. III. p. 1052. — *miratur.* Spreta Cod. Rom. aliorumque et Iulii Rufiniani p. 245. auctoritate Cod. Med. optemperans cum recentissimis editt. revocavi hanc lectionem, cui in

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animaeque marisque fuissent
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
Omnia et ipse tener mundi concreverit orbis;

---

edit. II. alteram *mirantur* praetuleram, qua in re Bryce me secutus est. (Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 207.) Nihil autem hic tribuo discrimini illi, quod Iahn. in edit. II. ad Aen. V, 825. statuit, contendens in eiusmodi locis Plurali opus esse, ubi plura nomina (s. Subiecta) coniuncta opera eam rem, quae Verbo significetur, egisse existimanda sint, Singulari autem, ubi plures eandem rem diversi singulique, suo quisque loco et tempore suisque tantum viribus egisse cogitentur; id enim pedestris quidem orationis scriptores meliores servare solent, Vergilius autem cum aliis poëtis haud raro neglexit. — *Ismarus* (s. *Ismara*), alius mons Thraciae, haud procul ab Hebri ostiis et Maronea urbe situs. Cf. Geo. II, 37. (ibique adnott.) Lucr. V, 30. Prop. III, 4, (II, 13,) 6. IV, 11, (III, 12,) 25. De urbe eiusdem nominis ad eius radices sita cf. Aen. X, 351. ibique adnott. De *Orpheo* vid. not. ad Ecl. IV, 57. et de forma Accus. *Orphea* duabus syllabis proferenda ad Geo. I, 279. — 31. „Primum canit Silenus, quomodo atomi coniunctae fuerint in magno inani et ex quatuor elementis omnia exstiterint. Ex Apollonii Arg. I, 490 sqq. adumbratum hoc exordium, ut iam notavit Ursinus. Macrob. VI, 2. p. 586. laudat locum Lucretii V, 453 sqq., quem Maroni ante oculos fuisse manifestum est." *Heyn.* Nimirum ad Epicureorum doctrinam, cui addictum fuisse Vergilium, iam Grammatici veteres non improbabiliter contenderunt (cf. Argum. huius Ecl. p. 100. cum nota***), haec omnia exigenda sunt. *Semina* igitur *coacta* sunt atomi ita coniunctae et collectae, ut quatuor illa rerum elementa efficerent, *inane* vero vacuum illud spatium, quod Epicurus ante mundi originem fuisse statuebat. Ceterum de rerum primordiis in quatuor, quae vocantur, elementa discretis praeter Lucretii l. l. cf. Ovid. Met. I, 21 sqq. id. Fast. V, 11 sqq. Manil. I, 149 sqq. Eleg. ad Messal. 19—23. Claud. Rapt. Pros. I, 246 sqq. et plures alii iis similes, quos collegit Obbar. ad Hor. Ep. I, 12, 16 sqq. Omnes autem, quibus hic Verg. utitur, dictiones ex Lucretio petitae; *magnum inane* legitur Lucr. I, 1017. 1096. II, 121., *semina* rerum I, 177. 502. 894. et sexcenties, *animae* pro aëre I, 716. V, 237. etc., *liquidus ignis* (i. e. diffusilis, *ὑγρὸν πῦρ* Arati utpote ex tenerrimis atomis ortus), VI, 205. et *prima* pro elementis I, 53 sqq. IV, 187. Imprimis vero cf. Lucr. I, 715. *Et qui quattuor ex rebus posse omnia rentur, Ex igni, terra, atque anima procrescere et imbri* et Cic. Univ. 5. *inter ignem et terram aquam Deus animamque posuit.* De Adiectivo *inane* pro Substantivo posito cf. adnott. ad Geo. I, 393. — Restat, ut commemorem, Peerlk. p. 23. pro *terrarum* scribi velle *terrai*, cum hic de terra tamquam elemento agatur, quod non possit Plurali exprimi. — 33. *exordia omnia* sunt singulae res ex atomorum concursu post elementorum discretionem natae. Cf. Lucr. II, 333. III, 31. IV, 26. 113. V, 431. 472. Ladew. tamen, qui putat *exordia* etiam atomos ipsas posse significare (?), recepit Peerlkampii coni. *uti his ex omnia primis*, cui sane favet unius cod. Pal. auctoritas et quod ad verborum collocationem attinet, supra v. 19. *iniciunt ipsis ex vincula sertis.* — 34. *tener mundi orbis* ex Vossii sententia est caelum, ex tenerrimis scilicet atomis conflatum; secundum Wagn. vero totum universitatis corpus s. universus mundus, qui tamquam novus et quasi nondum adultus *tener* appelletur (cf. adnott. ad Geo. II, 343.). Equidem Vossii interpretationem praefero (qua in re mecum consentit Ladew.). Quomodo enim notio universi mundi, quem ipsa *exordia omnia* coniunctione sua efficiunt, cum illis per vocc. *et ipse* apte coniungi potuerit, non perspicio; contra vero erat utique, cur caelum (quod iam Ecl. IV, 50. *mundum* appellatum vidimus) diserte commemoraretur et e ceteris eximeretur, cum vel hoc, tam tenerum, ut vix ad res corporeas referri posse videatur, ex eiusmodi elementis concrevisse, mira sane sententia censeri posset. [Quibus pensitatis etiam Wagnerum in edit. min. *mundum orbis* nobiscum de caelo interpre-

Tum durare solum et discludere Nerea ponto
Coeperit et rerum paullatim sumere formas;
Iamque novum terrae stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant submotis nubibus imbres;

---

tatum esse video.] — 35. Tum cecinit, terram coepisse condensari et indurescere, aquas autem a se discretas maris litore inclusisse et paullatim herbis arboribusque vestitam esse. (Cf. Lucr. V, 439 sqq. imprimis v. 448. 481 sqq. 498 sqq.) — *durare* neutrali sensu pro se durare s. durescere positum (cf. adnott. ad Aen. I, 234. et Heins. ad Stat. Silv. II, 463.), quo quidem sensu me alibi legere hoc vocabulum non memini. Nihilominus Heynii rationem, qui verba sic coniungi malit: orbis mundi coepit durare solum, nullo pacto probare possum. — *discludere Nerea ponto.* Solum duratum coepit *Nerea*, i. e. aquas marinas tamquam elementum cogitatas (vid. ad v. 15. et Ovid. Her. IX, 14. *Qua latam Nereus caerulus ambit humum*, coll. cum Metam. I, 187. Tibull. IV, 1, 58. Val. Fl. I, 450. aliisque locis), discludere a terra continente et concludere ponto certis finibus circumscripto. *Ponto* enim est Ablativus, quem dicunt, instrumenti. (Cf. etiam Ladew. Progr. 10.) Kalmus tamen l. l. p. 12., cui haec explicatio non satisfacit, simpliciter coni. *discludere Nerea terris* (!) atque etiam Peerlk. p. 24. pro *Nerea ponto* coni. *caerula ponti*, vulgari lectioni sanum sensum inesse negans. Nereus autem, Ponti et Terrae filius, Doridis coniux Nereidumque pater, post Neptunum deorum marinorum fuit celeberrimus. Cf. Hesiod. Theog. 233 sqq. Orphei h. XXII. Apollod. II, 5, 11. *Discludendi* verbum, quod Voss. poëticum dicit, Vergilius ex Lucr. V, 439. sumpsit, Macrobio teste Sat. VI, 4. Sed etiam Cicero Tusc. I, 10, 20. et I, 33, 80. Varro L. L. IV, 7. et Caes. B. G. VII, 8. eo utuntur. — 36. *rerum sumere formas*, quae, aquis exclusis, in superficie telluris apparuerunt. Cf. Lucr. V, 781 sqq. — 37 sqq. Cf. Lucr. V, 472 sqq. *novum solem*, qui antea, elementis nondum discretis mundoque nondum creato, lucere non poterat, immo ne aderat quidem. „*stupeant - - cadant - - incipiant.* Tempus praesens pro praeterito: canebat, ut stupuerint, ceciderint etc.; sed valet hoc ad vividiorem orationem, ut quasi in rem praesentem adducamur." *Heyn.* — *novum.* Haupt. cum Wagn. Vol. V. scripsit *novom;* (cf. Wagn. Orth. Verg. p. 447.) Vide tamen adnot. ad Ecl. III, 8. — 38. Sensus est: canebat, quomodo vapores et nebulae levitate sua a terra sursum versus elatae atmosphaeram effecerint, unde in pluvias mutatae mox iterum in terram decciderent. Wagn., qui prius rectius, puto, coniunxerat verba *altius cadant*, i. e. *ex alto cadant*, postea ad Aen. III, 250., mutans sententiam suam, *altius* cum versu praecedente coniungendum et ante *atque* incidendum statuit, cum alibi nusquam Vergilius copulam *atque* uni vel pluribus vocibus postponere soleat, eandemque rationem etiam in edit. min. secutus est. Mihi prior ratio praeferenda videtur, qua in re, ut fere de toto loco mecum consentit Ameis. Spic. p. 12 sq.; languet enim *altius* prioribus verbis adiectum, quorum vis inest vocabulo *novum*, ita ut nulla prorsus causa appareat, cur cum summa vocis sublatione addatur illud *altius*. (Cf. ad Ecl. IV, 24. et V, 21.) Quod autem ad copulam postpositam attinet, etsi locos Aen. II, 419. III, 250. et X, 104. nihil probare concedam, cur, quod optimi poëtae interdum sibi indulserunt (cf. Lucr. III, 530., quem quanti fecerit Vergilius, inter omnes constat, Hor. Epod. VIII, 11. XVII, 4. Sat. I, 5, 4. 6, 131. 7, 12. Prisc. p. 1034. Wopkens. Lect. Tull. p. 45. et Hand. Tursell. I. p. 194. et 512. et II. p. 538., quem sane refutat Lachm. p. 173., Lucretio coniectura succurrens et provocans ad Hauptii Observv. p. 45 sqq.), id uni Vergilio non concedamus? Vid. etiam quae ad Ecl. IV, 63. adnotavimus. (Bryce et Ladew. mecum faciunt, Coningt. cum Wagnero.) Unus Rom. praebet *utque*, de qua verborum permutatione cf. Voss. ad v. 66. huius Ecl., Burm. ad Aen. I, 298. et Prop. II, 2, 21. Broukh. ad Tibull. I, 8, 19. Heins. ad Sil. V, 592. X, 409. idemque ad Ovid. Tr. IV, 2, 69. Drak. ad Liv. I, 18, 9. Oudend. ad Apul. Met. IV. p. 218. Hild. Unger de Valg. p. 456. alii. — *cadere nubibus*, ut Ovid. Met. XI, 516. *cadunt nubibus imbres.* Alia Verborum, quae aliquid prodire ex aliqua re significant, cum Casu sexto a poëtis constructorum exempla vide apud Wunderl. ad Tibull.

Incipiant silvae cum primum surgere cumque
Rara per ignaros errent animalia montis.
Hinc lapides Pyrrhae iactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert volucres furtumque Promethei.

I, 6, 53. — **39.** Cf. Apoll. Rhod. I, 501. *surgere* haud raro de rebus e terra enascentibus. Cf. Geo. I, 161. Hor. Sat. II, 2, 124. Ovid. Met. I, 44. VII, 284. VIII, 192. XIII, 891. Colum. II, 8, 5. VI, 23, 2. etc. — **40.** *Rara* Coningtoni videtur indicare, animalia paullatim, aliud post aliud esse procreata, ne statim ab initio montes eorum nimia frequentia superfluerent. — *ignaros*, quod Rom. praebet, utpote aptiorem et difficiliorem lectionem cum Heinsio et Wagn. praetuli vulgari *ignotos*, quae facile a librariis illi potuerit substitui. Secuti sunt omnes recentiores editores. *Ignaros* autem active explicandum: montes, qui animalia modo recens creata antea non viderant ideoque adspectum eorum mirabantur; non sensu passivo: animalia pererrant montes sibi ignaros (s. ignotos, incognitos), quamquam *ignarus* ita interdum usurpari satis notum. (Cf. adnot. nostra ad Aen. X, 706. De confusione autem vv. *ignarus* et *ignotus* cf. Burm. ad h. l. et ad Quinct. Decl. VI, 2. p. 128.) Ceterum Voss. *animalia* non de bestiis tantum, verum etiam de hominibus recens creatis intelligit, quod propter sequentia minus probabile. Cf. etiam Conington, qui putat poëtae ante oculos fuisse Lucr. V, 822. *Terra--animal prope certo tempore fudit Omne, quod in magnis bacchatur montibus passim* et montes naturale ferarum domicilium esse probat locis Soph. Ant. 550. Lucr. I, 404. et II, 1081. (*montivagae ferae.*) — **41.** „Hominum originem iam enarrare debebat; sed, et poëticam rationem et vetustissimorum philosophorum morem secutus, fabulis eam involutam exponit. Delectare enim narratione pueros et Aeglen puellam instituerat." Sic fere *Heyn.* — *lapides Pyrrhae iactos.* Cf. Apollod. I, 7, 2. Apollon. III, 1087. Ovid. Met. I, 313 sqq. imprimis v. 348—415. — *„Saturnia regna* [cf. adnott. ad Ecl. IV, 6.] et Promethei poena pro igne surrepto sunt diluvio Deucalioneo priora; sed in tali enumeratione ordinem temporum servare necesse non erat." *Heyn.* Nec pedestres scriptores in factis breviter enumerandis ordinem accurate servasse docent Wund. et Spohn. (coll. Tac. Ann. I, 10. *Antonium Tarentino Brundisinoque foedere et nuptiis sororis illectum*, eiusd. Hist. I, 50. *Pharsaliam, Philippos, Perusiam, Mutinam*), Wolf. ad Suet. Caes. 44.) Lips. ad Tac. Ann. I. l. Wunderl. Obss. ad Tibull. I, 3, 47. Cf. etiam adnott. ad Aen. X, 36 sqq. Ceterum Wagn. in hoc versu temere haesit, quem, cum verba *Saturnia regna*, nulla copula a praegressis disiuncta, ex usu Vergiliano appositionis loco ad lapides a Pyrrha iactos pertinentis habenda sint, corruptum et coniectura emendandum censet, ut aut *Titania regna* (i. e. homines ex istis lapidibus, quos iecerant Deucalion et Pyrrha, Titania proles utraque, ortos), aut *Saturnjaque regna* (cf. adnott. ad Aen. I, 2. Geo. I, 397. IV, 243. etc.) legamus. Et sane, si qua opus esset medicina, hanc leniorem praeferrem illi satis violentae. Sed nihil omnino mutandum, omnium minime autem audax Kalmusii (p. 13.) coni. *fatis nova regna* amplectenda est; immo hic locus, quod iam Iahn. perspexit, non aliter conformatus est, atque Geo. I, 138. *Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton*, Aen. IX, 270. *ipsum illum, clypeum, cristasque rubentes excipiam* et alii, ubi ex tribus rebus coniunctis tertiae tantum copula additur; nam quae adiiciuntur verba *furtum Promethei*, ea non quartam continent rem, sed cum antecedentibus verbis *Caucasias volucres* unum Obiectum efficiunt. De *Prometheo* autem, qui ignem Iovi furatus dederat hominibus, Iovis iussu in *Caucaso* monte rupi alligato et a *vulture* cruciato (unde poëta, Plurali pro Singulari posito [cf. adnot. ad Ecl. I, 52.] *Caucasias volucres* commemorat; non enim cum Ameisio Spic. p. 13. puto, hausisse haec poëtam ex imaginibus, in quibus vere duae vel plures aquilae repraesentatae fuerint) cf. Hes. Theog. 521 sqq. Aesch. Prom. vinctus. Hyg. fab. 54. et 144. Apollon. II, 1253. ibique Schol. Ceterum Ribbeck. e Codd. Bern. recepit formam *Caucaseas*. Quod autem attinet ad synizesin *Promethei*, cf. infra v. 42. Aen. I, 41. 120. VII, 249. XII, 541. et adnott. ad Ecl. III,

His adiungit, Hylan nautae quo fonte relictum
Clamassent, ut litus „Hyla, Hyla“ omne sonaret;
Et fortunatam, si numquam armenta fuissent,
Pasiphaen nivei solatur amore iuvenci.
Ah, virgo infelix, quae te dementia cepit!
Proetides inplerunt falsis mugitibus agros:

---

96. — 43. Ex Argonauticis fabulis unam modo deligit poëta, Herculis luctum ex Hyla a Nymphis in Mysia sibi rapto perceptum. Cf. Apollon. II, 1207 sqq. Val. Fl. III, 522 sqq. ibique interpp. Hyg. f. 14. Theocr. Id. XIII. — *quo fonte*, ad quem fontem. Hylan autem, s. Ascanium, Bithyniae fluvium fuisse, mythographi tradunt. Cf. etiam Strab. XII. p. 388. Steph. Byz. p. 122. Plin. V, 32, 40. et Solin. c. 42. — 44. *clamassent*, nomine vocassent. Cf. Aen. IV, 674. Plaut. Asin. II, 3, 10. Pers. II, 23. Ovid. Met. III, 244. VI, 106. 525. id. A. A. I, 531. Prop. I, 17, 23. — *„Hylā, Hylā*. Vid. adnott. ad Ecl. III, 79. Ceterum Wund. comparat Soph. Electr. 148. Ἄ Ἴτυν, ἀὲν Ἴτυν ὀλοφύρεται et Val. Fl. III, 596. *Rursus Hylan et rursus Hylan reclamat Avia.* — 45. 46. Nota est fabula de Pasiphaë, Solis filia et Minois, regis Cretensis, coniuge, quae monstroso tauri amore capta Minotaurum peperit. Cf. Apollod. III, 1. ibique Heyn. p. 215. Diod. IV, 79. Hyg. f. 40. Ovid. Met. VIII, 136. et Verg. ipse Aen. VI, 24. — *fortunatam, si* etc. i. e. quae fortunata fuisset, si. Cf. Geo. II. 458. et Aen. IV, 657. — 46. *solatur amore iuvenci* poëtice pro simplici illa notione: canit amorem Pasiphaës. Hoc enim dum facit, commiserans eius fortunam, solatur quodammodo et levat eam propter insanum illum amorem; quamquam etiam cum Wagn. in edit. min. simplicius explicare possumus: canit Pasiphaën se amore tauri solantem, i. e. solatium ardoris sui ex amore tauri capientem; interdum enim poëtae ipsi facere dicuntur, quae facta canunt. Cf. v. 62 sq. et Ecl. IX, 19. Sic *solari amorem* legitur etiam Geo. IV, 464., ubi vid. adnott., et similiter Geo. I, 293. *longum cantu solari laborem*. Ladew. tamen, cui haec explicatio non satisfacit, probandam censet Peerlkampii coniecturam *Te fortunatam! --- Pasiphaë, in nivei miseratur amore iuvenci*, quam vir ille doct. multa de hoc loco acute disputans p. 26. protulit. Nomin. *Pasiphaë* sane exhibet Cod. Pal. — *nivei iuvenci*. Album colorem eidem tauro etiam Philostr. I, 16. Prop. III, 30, (II, 32,) 18. et Auson. Cup. cruc. 30. (*Pasiphaë nivei sequitur vestigia tauri*) tribuunt, idque imitator huius loci in Anth. Lat. Burm. I, 14, 3. transfert ad Europae taurum: *Europam nivei solatur amore iuvenci*. Ceterum cf. Theocr. IX, 16. λευκὰν δαμαλᾶν, Tibull. III, 4, 67. *niveae iuvencae*, Ovid. Met. V, 330. et Calpurn. XI, 34. *nivea vacca* et vid. Gebaueri Progr. p. 10. — *virgo* omnino pro femina; Pasiphaë enim uxor erat Minois, regis Cretensis. Ita etiam alibi *virgo* de feminis iuvenilibus, pudicitiae servatae nulla ratione habita, legitur. Cf. Ovid. Her. VI, 133., ubi Medea *virgo adultera*, et Sil. III, 435., ubi Pyrene, quam Hercules stupraverat, virgo vocatur. (Cf. Drak. ad h. l.) Aen. I, 493. Penthesilea, Amazonum regina, eadem appellatione ornatur; nec minus apud Iustin. I, 3, 2. et Curt. V, 3, 39. puellae corruptae *virgines* vocari videntur; quare etiam apud Hor. Od. II, 8, 22. *virgines nuper nuptae* apparent. Cf. etiam adnott. ad Geo. IV, 458. — 48. Proeti (qui Acrisii, Argivorum regis, frater erat et Tiryntha condidisse fertur) filiae, Iunonis, quam spreverant, ira ad insaniam adactae, videbantur sibi in vaccas mutatae esse, mugiebant et aratro se iungi putabant, donec Melampus sanitatem iis reddidit. Vid. Apollod. II, 2, 2. Ovid. Met XV, 325. Paus. VIII, 18, 3. et Strab. VIII. p. 346. Ad morbum hystericum hoc malum referendum putat Heyn. coll. *Kurt Sprengel, Beyträge zur Gesch. der Medicin* I, 2. p. 37. — *agros*. Duo Codd. *auras*; sed *agros*, quod etiam tuetur Macrobii Sat. IV, 6. et Schol. Stat. Theb. V, 590. auctoritas, longe significantius dictum; involvit enim notionem furoris, quo correptae Proetides, in vaccas mutatae, agros pererrant. Non tamen reticendum, Calpurnium in suo exemplo *auras* videri invenisse, cum hunc locum imitatus Ecl. IX, 32. scripserit *Stant vituli et teneris mugitibus aëra complent*,

At non tam turpis pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum
Et saepe in levi quaesisset cornua fronte.
Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille latus niveum molli fultus hyacintho
Ilice sub nigra pallentis ruminat herbas,
Aut aliquam in magno sequitur grege. Claudite, Nymphae,
Dictaeae Nymphae, nemorum iam claudite saltus,

---

quocum etiam conf. Epit. Iliad. 299. *vastisque replent mugitibus auras.* — 49. *secuta est*, i. e. appetiit; nostrum *nachgehen*. Cf. Aen. III, 327. IV, 361. VI, 457. IX, 490. 492. Ita Ter. Hec. III, 5, 31. *commodum matris*, Cic. Mur. 27, 55. *otium et tranquillitatem vitae*, id. Legg. II, 1, 3. *amoenitatem et salubritatem*, Hor. Sat. I, 6, 87. *mercedes*, Nep. Epam. 6. *alicuius amicitiam sequi* etc. Sensus est: Ne Proetides quidem, quamvis in vaccas mutatae (hoc enim sibi vult *collo timere aratrum*, cf. Geo. III, 166 sqq.) umquam cum tauro coire concupiverunt. *Collo* autem est Dativus. Cf. Aen. II, 130. 729. Ter. Andr. II, 5, 8. Heaut. III, 2, 20. Caes. B. C. III, 27. Sall. Iug. 39. etc. — 51. *quaesisset cornua*, miraus contrectasset nova et insueta cornua. Ribbeck. ex Cod. Pal. recepit *quaesissent*. — 52. „*erras*, vagaris per montes tauri amati inveniendi causa. At ille, spreto tuo amore tamquam superbus aliquis puer, *inter herbas ac flores* recubans etc.“ *Heyn.* — 53. *latus niveum fultus*. Cf. adnott. ad Ecl. I, 54. Ceterum observa brevem syllabam arsis vi in quinto hexametri pede productam, ubi haec productio, in tertio pede et post brevem syllabam frequentatissima (cf. v. c. Ecl. I, 38. III, 97. VII, 23. IX, 66. X, 69. etc.), rarius invenitur. Cf. tamen Geo. II, 5. et Aen. XI, 69. Brevis syllabae post praegressam longam arsis vi productae (qua de re, quod attinet ad Particulam *que*, iam diximus ad Ecl. IV, 51.) Wagn. Qu. Virg. XII, 8. praeter Aen. l. l. haec contulit exempla: Geo. IV, 137. 453. Aen. I, 478. IX, 610. XI, 111. XII, 772. (quibus adde Aen. VII, 398. et X, 720.); acutissime docens, hanc rationem Vergilium e Graecis poëtis assumpsisse, vel ex eo probari, quod omnes fere hi versus vocc. *hyacinthus* et *hymenaeus* claudantur. (Cf. etiam Catull. LXIV, 20. *Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos.* id. LXVI, 11. *Qua rex tempestate novo auctus hymenaeo.* Val. Fl. VIII, 259. *Quis novus inceptos timor impediit hymenaeos.* Schneid. Gramm. Lat. I, 2. p. 747 sqq. Corssen de pronunt. p. 363. et Gebauer de poët. I. p. 141.) Ceterum Schrader., quaerens, an *in silvis hyacintho* locus sit, et an *tam parvo* flore *fulciatur* bos? temere coniecit *suffultus acantho*. Sed rectissime Wagn. ait, stultum profecto fuisse bovem, qui adeo durum cubile molliori praetulerit. Ceterum cf. locus similis Aen. VIII, 368. *Aeneam stratis - - locavit Effultum foliis.* — *molli hyacintho*. Cf. Geo. IV, 137. Sic Ecl. II, 50. *mollia vaccinia*, Ecl. V, 38. et Aen. XI, 69. *mollis viola*. Cf. etiam adnott. ad Ecl. III, 55. et X, 42. — 54. *pallentes - - herbas*, χλωράς, subvirides (*blassgrün*), quae suaviter confligunt cum *nigra* (acriter viridi) ilice, ut etiam Ecl. III, 39. (ubi vid. adnot.) *hederam pallentem* cum vite perviridi coniunctam vidimus. Ladew. paullo artificiosius explicat: quibus umbra ilicis impertit colorem e viridi nigricantem. („*Die Gräser haben die gelblichgraue Farbe nicht an sich, sondern nur im dichten Schatten der Eiche,*“) et Peerlk. adeo p. 27. (coll. Geo. III, 126.) coni. *pubentes*. — *ilex* vero *nigra* a nigricante virore. Vid. Geo. II, 258. *nigrae hederae*. Ovid. A. A. III, 690. *nigra myrtus*. Hor. Od. I, 21, 7. *nigrae silvae*. id. IV, 12, 11. *Nigri colles Arcadiae*, i. e. silvosi. Cf. etiam Geo. III, 333. IV, 126. Aen. VI, 238. IX, 381. Hor. Od. IV, 4, 58. Silius V, 484. etc. — *ruminat herbas*, ut ap. Ovid. Amor. III, 5, 17. — 55. „*Claudite Nymphae.* Ut concitatior et acrior reddatur narratio, ingeniosa orationis conversione Pasiphaë exclamans inducitur. Observari illa iubet silvae exitus, ne taurus, quem quaerit, ad stabulum armentorum elabatur.“ *Heyn.* — 56. *Dictaeae Nymphae*, i. e. Cretenses, a Dicte, Cretae monte. Cf. Geo. II, 536. (ibique adnott.) IV, 152. Aen. III, 171. IV,

Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia; forsitan illum,
Aut herba captum viridi aut armenta secutum
Perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam;
Tum Phaëthontiadas musco circumdat amarae
Corticis atque solo proceras erigit alnos.

---

73. De iterata Nympharum appellatione vide quae supra ad v. 20. adnotavimus. Cf. etiam adnott. ad Ecl. VII, 2. — *nemorum saltus* Heynio sunt aditus ad silvas, angusti fere, asperi et confragosi. Cf. Aen. XI, 904. 905. Liv. XXII, 6, 8. XXXV, 11, 2. XXXVI, 15, 7. etc. — 57. *Si qua* etc., i. e. ut experiar, si (*ob etwa*) etc. Vid. adnot. ad Aen. I, 181. — 58. *Errabunda bovis vestigia*, h. e. gressus bovis errantis. Cf. Ecl. II, 12. Heyn. comparat πλανοδίας βοῦς hymni Homer. in Merc. 75. Miror, Coningtoni dubium esse, utrum *vestigia* sic capienda, an pro ipsis pedibus posita sint, ut Aen. V, 566. — 59. *herba captum viridi.* Cf. Theocr. XI, 13. XXV, 231. Ovid. Met. III, 502. Calpurn. VIII, 32. etc. — 60. *Gortynia stabula* a Gortyne s. Gortyna, Cretae urbe, de qua cf. Hom. Il. II, 53. 646. Strab. X. p. 478. Cas. Plin. IV, 12, 20. Mela II, 17. alii et liber meus geogr. III. p. 1041 sq. Servius autem ad h. l. tradit, apud hanc urbem aliquando Solis armenta fuisse; quare cogitate hoc potissimum epitheto ornante usus videtur Vergilius. *Gortynius* pro Cretensis legitur etiam Aen. XI, 773. in Ciri 114. Cic. Phil. V, 5, 13. Stat. Theb. IV, 530. et alibi. — 61. Atalantem canit, Schoenei filiam, quam Hippomenes malis aureis in stadium coniectis in cursus certamine vicit. Vid. Ovid. Met. X, 560. Apoll. Rhod. I, 769. coll. cum Hygin. fab. 185. Schol. Theocr. III, 40. et O. Müller *Gesch. hellen. Stämme* I. p. 214. (Ceterum haec Boeotica Atalante non confundenda videtur cum Arcadica, Iasonis filia. Cf. Stoll. in Pauly *Realencycl.* Vol. I. p. 1950 sq. ed. II.) — *Hesperidum mala* omnino pro aureis dicta videntur (cf. Ecl. III, 71.); nam vulgata fama est, mala illa ab Hippomene inter decursum proiecta ex agro Veneri in Cypro sacro (non ex Hesperidum hortis) fuisse allata. Cf. Ovid. l. l. v. 645. Hygin. f. 185. et Heyn. ad Apollod. p. 678. — Paullo negligentiorem esse horum versuum iuncturam per Part. *Tum* ter repetitam, nemo potest negare, quamquam apud optimos quosque scriptores eiusmodi locos inveniri, Particulam autem *tum* inservire plurium rerum enumerationi (vid. adnott. ad Ecl. III, 10.), me non fugit. Schraderi tamen rationi, qui v. 61. retrahit supra ante v. 45., adversari repetitum *canit*, recte sensit Iahn. coll. adnot. sua ad Hor. Od. I, 3, 38. et Aen. V, 281. — 62. Phaëthontis sorores, quae utpote Solis et Clymenes filiae, etiam Heliades vocantur, dum triste fratris fatum deflebant, sive in alnos, sive in populos (cf. Verg. Aen. X, 190., qui ipse sibi non constat, Apollon. Rhod. XIV, 604. Ovid. ex Pont. I, 2, 33.), sive in alias arbores conversae sunt, ex quibus quae lacrimarum instar profluunt guttae, in electrum durantur. Cf. Ovid. Met. II, 346 sqq. Haec forma nominis *Phaëthontiades* legitur etiam Sen. Herc. Oet. 185.; neque opus est, ut ad latiorem patronymicorum usum confugientes (de quo cf. Ruddim. Inst. I. p. 188 sq.) puellas illas a fratre ita vocatas esse dicamus, quemadmodum v. c. Ovidius Fast. V, 81. *Tethyn*, Titanis sororem, *Titanida* appellat, cum Phaëthon apud posterioris aetatis scriptores ipsius Solis cognomen fuerit, qua de re Voss. conferri iubet Orph. fr. VII. Verg. Aen. V, 105. Sil. XI, 371. et Val. Fl. III, 213. — *musco circumdat* etc. poëtice pro: narrat, quomodo Phaëthontis sorores cortice circumdatae et in alnos mutatae fuerint; de quo poëtarum usu Wagn. conferri iubet Gronov. Diatr. p. 119. Vid. etiam supra v. 46. ibique adnott. — 63. *amarae corticis.* De duplici huius vocis genere cf. Ruddim. Inst. p. 39. Schneid. Gramm. II, 1. p. 112. et quae de simillimo *silicis* vocabulo ad Ecl. I, 15. adnotavimus. Femin. gen. usurpatur etiam in Culice 281. et in Moreto 93., ut apud Lucr. IV, 48. Ovid. Met. IV, 375. VIII, 762. Phaedr. II, 6, 12. et saepius; mascul. autem, ut vulgo, Geo. II, 74. et Aen.

Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montis ut duxerit una sororum,
Utque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis;
Ut Linus haec illi divino carmine pastor
Floribus atque apio crinis ornatus amaro

VII, 742. — *atque*. Unus Cod. Gud. *aque*, quam lectionem non improbat Heyn., et unice veram censet Wakef. ad Lucr. V, 1454., quod fugisse videtur Vergilii editores. Sed recte Wagn. contra Heyn. docet, non *a*, sed *in* supplendum esse; solo enim fixas cogitari in arbores mutatas Phaëthontiadas, quae antea libere incessissent, non a solo ad tantam proceritatem succrescentes. — 64. Corn. Gallum (de quo vid. Argum. Ecl. X.) ut celebret, poëta, cui obversabatur locus Hesiodi Theog. 22 sqq. (quocum cf. Nicand. Ther. 11. 12.), fingit cum a Musa in Heliconem duci, ubi totus Musarum chorus ei assurgit et Linus fistulam Hesiodi donat. Heynius, cui hoc Galli praeconium mediis antiquitatis fabulis insertum importunum et molestum videtur, suadet transpositionem, ut v. 74—81. retrahantur in aptiorem locum ante hunc v. 64.; et sane negari non potest, aliquam difficultatem inesse huic loco, quam Voss. ita removere studet, ut v. 74 sqq. ex ipsius Galli carminibus ornandi amici causa huc traductos esse putet; sed hanc ipsam Vossii opinionem ea, quae ad v. 74. disputabimus, minus probabilem reddent. Transpositioni autem versuum, quam Heyn. nobis suadet, ut iam Wagn. adnotavit, adversari videtur formula *Quid loquar* v. 74., qua utimur ad finem properantes. *Permessus* erat Boeotiae flumen, ex Helicone monte descendens et in Copaidem paludem influens, quod hodie *Kefalari* vocari videtur. (Cf. Hes. Th. 5. Strab. IX. p. 407. Cas. Paus. IX, 29, 3. et liber meus geogr. III. p. 917.) Ob eundem connexum cum Helicone, Musarum sede, commemoratur etiam Prop. III, 1, (II, 10,) 25. et Martiali I, 77, 11. et VIII, 70, 3. Si igitur Gallus per eius ripas errare perhibetur, iam eo ipso tamquam poëta inducitur. — 65. *Aonas* pro Aonios, quod etiam plures Codd. et Lutat. ad Stat. Theb. I, 314. (qui tamen ad II, 657. veram quoque lectionem affert) ex interpretamento praebent. Nomen habebant hi montes, qui ipsum Heliconem in se complectuntur, ab Aonibus, primis Boeotiae incolis (Strab. IX. p. 615.), unde etiam tota Boeotia, imprimis vero montuosa eius pars, quae Phocidi adiacebat, Aonia vocabatur. (Gell. XIV, 6. Serv. ad h. l. et quos Spohn. laudavit ad Niceph. Blemm. p. 22. Cf. etiam Ecl. X, 12.) — *una sororum*, i. e. Musarum, quae saepe sororum nomine appellantur. Cf. Prop. III, 28. (II, 30,) 27. et Ovid. Trist. V, 12, 45. Apud Tibull. III, 4, 45. (ubi vid. Huschk.) et Ovid. Met. V, 255. *doctae sorores* vocantur, quo epitheto distinguuntur a Parcis et a Furiis, quae et ipsae interdum *κατ' ἐξοχήν sorores* dicuntur. — 66. *Phoebi chorus*, Musae. Sic apud Ovid. Trist. V, 3, 10. *Pieridum chorus*, ex P. I, 5, 58. *chori Pierii*, et Fast. V, 80. *prima sui coepit Calliopea chori*. Saepius de Nympharum *choro* sermo est. Cf. Geo. IV, 460. Aen. V, 240. Hor. Od. I, 1, 31. IV, 7, 5. Ovid. Fast. I, 512. etc. — *adsurrexerit*, honoris causa, ut apud Hom. Il. I, 533 sqq. Iovi venienti assurgunt dii. Cf. etiam quae ad Geo. II, 98. adnotavimus. — 67. De coniunctione versuum per *Ut — Utque — Ut* cf. adnot. ad Ecl. V, 77., de *Lino* autem ad Ecl. IV, 57. — Verba *divino carmine pastor* prius, Wund. et Wagn. secuti, Commatis a ceteris seiunximus, ut sensus sit: pastor divini carminis; sed re accuratius pensitata, cum verisimile sit, Vergilium, ut ambiguitatem vitaret, hoc aliter dicturum fuisse, simplex autem vox pastor sequentibus verbis *floribus--ornatus* offendere non possit, imprimis si comparamus Ecl. VIII, 1., nunc potius cum Heynio coniungimus verba *divino carmine dixerit*. Ceterum respexit hunc locum poëta trag. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 132. *Recubans sub tegmine fagi Divino carmine pastor Vocat in certamina divos*. De constructione autem *crines ornatus* vid. adnott. ad Ecl. I, 54. — 68. „Cur Linum *apio* coronatum dixerit, causa non constat: nisi ad argumentum lugubris cantus in eius mortem spectat: de quo cantu multa vel apud Pausaniam inveniuntur." *Heyn.* Eadem est Vossii sententia; sed nihil reconditae causae quaerendum, cum apio (*σελίνῳ*, *Eppich*) ob pulchram vi-

Dixerit: „Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo,
Ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.“
Quid loquar, aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est

---

riditatem, quam diu conservat, haud raro in coronamentis, vel convivalibus, veteres usi videantur. Cf. Hor. Od. I, 36, 16. II, 7, 24. IV, 11, 3. et Athen. XIV, 7. XV, 4. Theocr. III, 22., a Voss. laudati, qui conf. etiam ad Geo. IV, 121. — 69. Fingit poëta, Gallum a Lino Musarum iussu fistulam, quae antea Hesiodi fuerat, accepisse, qua Gryneum nemus (vid. ad v. 72.) caneret. A Servio autem docemur, Gallum Euphorionis Chalcidensis carmen illius fani lucique originem celebrans in Latinum sermonem transtulisse (cf. etiam adnott. ad Ecl. X, 50.), quod videtur ad Hesiodi imitationem conscriptum fuisse. — *calamos*. Cf. Ecl. I, 10. et adnott. ad I, 2. — 70. *Ascraeus senex* (cf. Ovid. Am. I, 15, 11. et Verg. Geo. II, 176.) est Hesiodus, cuius patria fuit Ascra, Boeotiae vicus, non vero, ut Ephor. fr. p. 268. Marx. Strabo XIII. p. 622. et Steph. Byz. v. *Κύμη* p. 396. referunt, Cyme, Aeolidis oppidum. Cf. Hes. Op. et D. 648. et Paus. IX, 38, 9. Novum autem est, quod hic Hesiodo tribuit poëta, quae vulgo de Orpheo narrantur (cf. Ecl. III, 46 sqq.), silvas eius cantum esse secutas. Nescio, quo iure Conington *senem* non ad aetatem, sed ad antiquitatem referendum censeat, coll. Hor. Sat. II, 1, 34. Ep. II, 1, 56. et Pers. I, 124. — 71. Verba *deducere montibus ornos* repetit idem ille poëta trag. in Anth. Lat. Burm. v. 175. — 72. *Grynium*, *τὸ Γρύνειον*, seu *Grynia*, oppidum Aeolidis, fano et oraculo Apollinis, quod in luco amoenissimo situm erat, nobile. Vid. Strab. XIII. p. 622. Paus. I, 21. f. alios et libr. meum geogr. II. p. 154. Inde Apollo ipse *Gryneus* vocatur Aen. IV, 345., ad quem locum vid. Burm. Cf. etiam Silius IX, 57. XIII, 400. et alii. — 73. *quo se plus iactet Apollo*, quo magis glorietur, quem magis amet. — 74. Formula *Quid loquar*, quae est ad finem properantis et reliqua breviter modo attingentis, pergit poëta ad Scyllae fabulam, confundit autem, ut alii poëtae, duas Scyllas. (Cf. Perizon. Animadv. hist. c. 9. Heins. ad Ovid. Her. I, 13. et Kalmus Exerc. crit. p. 14.) Quae enim hic narrantur, spectant ad Phorci, non ad Nisi filiam (de qua Ovid. Met. VIII, 1 sqq. agit). De sociis autem Ulyssis a Scylla devoratis nota est fabula. Vid. Hom. Od. XII, 265 sqq. Ovid. Met. XIV, 1 sqq. Cirin 54 sqq. ibique Serv. Heins. ad Sabini Epist. I, 33. Muncker. ad Hygin. f. 199. Voss. *Myth. Br.* I. p. 219. Klopfer. Lex. myth. II. p. 532. alii. Ceterum in prima editione cum Heynio et Wagn. Cod. Rom. lectionem *Quid loquar, ut Scyllam* praetuli alteri *Quid loquar aut Scyllam*, quam a Cod. Med. ceterisque libris exhibitam Burm. et Iahn. defendunt, non videbam enim, quomodo Vergilius, qui non ipse hic canit Scyllam et Tereum, sed tantum carminis Silenii argumentum refert, scribere potuerit: *Quid loquar* (ego) *aut Scyllam - -, aut ut* (Silenus) *mutatos Terei narraverit artus;* quod ne tum quidem ei licebat, si vv. 74—77. vere erant ipsius Galli, quam esse Vossii sententiam supra ad v. 64. vidimus. Nunc vero, ab Hildebrando, Censore Vergilii primum a me editi in Iahnii Annal. l. l. p. 164. veriora edoctus, revocavi alteram lectionem, quam recentiores editores omnes amplectuntur, et Commate post *loquar* posito locum aliter, atque Iahnio placuit, constructum sic explico: *Quid loquar*, ut *aut Scyllam* mutatam narraverit, quae verba ex v. 78. supplenda sunt; neque aliter Ladew. atque nunc etiam Wagn. ipse in min. edit. locum capiunt. Non igitur erat, cur Doeringius (in Progr. aliquoties iam laud.) proponeret coniecturam neque novam (utpote dudum a Catroeo prolatam, atque adeo duorum Codd. et Lutatii ad Stat. Theb. I, 333. auctoritate quodammodo fultam, qui hunc versum sic exhibent: *Quid loquar, aut Scyllam Nisi, aut quam f. s. est*) neque admodum felicem: *ut Scyllam Nisi, aut quam* etc., licet Wagnero prius ceteris omnibus lectionibus praeferenda et huic loco aptissima visa sit. Peerlk. denique p. 27. servata Part. *ut* pro *fama* coni. *forma* et verba *quam - - - monstris* parenthesi includit, et Kal-

Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis,
Aut ut mutatos Terei narraverit artus,
Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit,
Quo cursu deserta petiverit et quibus ante

---

musio l. l. p. 15. omnes hunc locum expediendi conatus irriti videntur. Ipse autem in omni hoc loco emendando (?) tanta licentia versatus est, ut eius audacia incepta afferre supervacaneum videatur. — *quam fama secuta est*, i. e. quam fama fert, quam ferunt. — 75. „Formam monstrosam Scyllae illustrant numi, gemmae in Dactyl. Lippert. Mill. I, 1, 127. 128. et alia veterum monumenta. In verbis praecivit Lucr. V, 890. [*rabidis canibus succinctas semimarinis Corporibus Scyllas*]." *Heyn.* De constructione *succinctam inguina* vide supra v. 68. ibique adnott. Ceterum cf. Ovid. (?) Halieut. in Wernsd. Poët. L. min. I. p. 178. v. 51. *Atque obsessa gerat latitantibus inguina monstris.* — 76. *Dulichias rates*, Plur. pro Sing., ut apud Hor. Od. I, 14, 7. (ubi vid. Orell.) *carinae* etc.; nam una tantum navis Ulyssi tum supererat secundum Hom. Od. XII, 205. Dulichium autem s. Dulichia una erat Echinadum (vid. Aen. III, 271.), Ulyssis regno subiecta et saepe cum ipsa Ithaca confusa (cf. Strab. X. p. 458. Cas. Plin. IV, 12, 19. Mela II, 7. et liber meus geogr. III. p. 1013.), quare *Dulichius* saepe dicitur de rebus ad Ulyssem pertinentibus. Cf. Ovid. Met. XIII, 425. XIV, 226. Rem. am. 272. Stat. Silv. V, 1, 58. et imprimis Ovid. in Ibin 387. *Ut quos Scylla vorax Scyllaeque adversa Charybdis Dulichiae pavidos eripuere rati.* — „*vexasse.* Habuisse hoc vocabulum paullo maioris atrocitatis significatum apud veteres contendunt et defendunt Vergilium Gell. N. A. II, 6. Macrob. VI, 7. Serv. ex Probo h. l. Videtur poëtae animo insedisse Homericum *βλάπτειν*." *Heyn.* Ceterum v. 75—77. etiam in Ciri leguntur v. 59—61., verbis modo *Ah! timidos* (quibus Peerlk., cum *timidos* parum sit in re tam atroci, vult substitui *Attonitos*) in *Deprensos* mutatis. Kalmus l. l. p. 14. versus 75. et 76., quamvis in Cirin translati sint, tamen vindicat interpolatori, qui loci Ovid. Met. XIV, 60 et 71. memor fuerit. — 78 sqq. Nota vel ex Ovid. Met. VI, 424 sqq. fabula. Cf. etiam Muncker. ad Hygin. f. 45. Valcken. Diatr. p 16. Heyn. ad Apollod. p. 311. 331. et Klopfer. Lex. myth. s. v. Procne. Heynius censet, poëtam hic sequi eos, qui Philomelam in hirundinem mutatam esse memorent, v. c. Apollod. III, 14, 8.; sed nullam esse causam, cur Vergilium a vulgari Romanorum opinione, Philomelam in lusciniam (Procnen vero in hirundinem) mutatam esse, discessisse iudicemus, bene docuit Wagn., ostendens *deserta* multo magis convenire lusciniae in silvis degenti, quam hirundini sub tectis nidificanti. (Conington de ambiguitate loci conquestus confusionem lusciniae et hirundinis suspicatur, cum verba *tecta sua supervolitaverit* aptius conveniant ad hanc, quam ad illam.) — *Terei* per synizesin pronuntiandum. Vid. supra ad v. 42. — *dapes - - dona*, epulae Tereo ex Ityis filii membris paratae, quibus appositis Philomela cum Procne sorore statim profugit in silvas, insequente eum ferro Tereo; unde illud v. 80. *quo cursu deserta petiverit.* Ceterum Heynius *quo cursu* et *quibus alis* eleganter dictum putat pro *quomodo;* sed rectius Wagnerus verba *quo cursu*, i. e. quali cursu, vel quomodo cursu (qua de re vid. adnot. ad Aen. I, 8.), indicare dicit ipsam mutationem, quam subierit Philomela (Wagn. perperam Tereum commemorat), quae non iam solito cursu, sed novo, ut volucris, ferretur. *Cursus* autem interdum pro volatu dicitur, ut apud ipsum Verg. Aen. VI, 194. Cf. Heins. ad Ovid. Am. II, 6, 11. Langius in Vindic. Tragoediae Rom. p. 50. illud *quo, quibus* gravius interrogantis esse contendit, coll. Aen. III, 337. Sed praestare videtur simplicior ratio, ut haec verba a *narraverit* pendere statuamus. — 80. Heyn. male coniungit *ante tecta sua*, cui rationi iam locus adversatur, quem Particula *ante* obtinet; immo Philomela, in lusciniam mutata, tecta sua supervolitavit ante, quam deserta petiit. Tam egregia autem haec imago avis pristinae sedis desiderio aedes circumvolitantis et aegre tantum ab iis discedentis, ut ab aliis

Infelix sua tecta supervolitaverit alis?
Omnia, quae Phoebo quondam meditante beatus
Audiit Eurotas iussitque ediscere laurus,
Ille canit — pulsae referunt ad sidera valles —
Cogere donec ovis stabulis numerumque referri
Iussit et invito processit Vesper Olympo.

---

quoque poëtis eam servari non mirum videri possit. Cf. Stat. Silv. III, 5, 98. *Non sic Philomela penates Circuit amplectens animamque in pignora transfert*, Cirin v. 51., ubi de altera Scylla in avem mutata: *ut tenui conscendens sidera penna Caeruleis sua tecta supervolitaverit alis*, et Ovid. Met. II, 490. *Ah quoties* (ursa, in quam Callisto mutata) *sola non ausa quiescere silva, Ante domum quondamque suis erravit in agris.* — 81. Ladew., Müllerum de r. metr. p. 185 sq. secutus, et Ribbeck. divisim scripserunt *super volitaverit*. (Cf. ad Ecl. III, 38. et alibi adnott.) Ceterum Peerlk., qui (ut Wagn.) v. 80. de Tereo intelligit ideoque necessario haeret in voce *ante*, p. 29. totum locum ad libidinem sic vult mutatum: *et quibus alis Inf. --- supervolitaverit. Ante Omnia* etc. Sed verissime opponit Ladew., hanc collocationem Praepositionis, quam Lucretius quidem interdum sibi indulgeat, adversari usui Vergiliano. Ribbeck. denique et ipse haec de Tereo intelligenda esse ratus ideoque offendens in Adverbio *ante*, pro eo ex coniectura edidit *alte*. (Cf. eius Proleg. p. 363.) Kalmus denique l. l. p. 14. v. 78—81. post v. 63. vult transpositos. — 82. Silenus omnia canit, quae olim Phoebus Hyacintho suo, Spartano, (de quo vid. adnot. ad Ecl. III, 63.) ad Eurotae ripas cecinerat. *Eurotas* autem notissimus Laconicae fluvius, de quo vid. adnot. ad Aen. I, 498. — *meditante*. Cf. not. ad Ecl. I, 1. — 83. *laurus*, scil. in ripis suis positas. Regionem autem Amyclarum ad Eurotam optimis arboribus consitam fuisse, refert etiam Polyb. V, 19. a Wund. laud. Forma *laurus* nititur auctoritate Cod. Med. hic, Ecl. VIII, 82. et Aen. III, 363. Semel tantum Cod. Med. *lauros* exhibet, Ecl. VIII, 13., ubi tamen Charisius alteram formam agnoscit; unde videtur concludendum esse, Vergilium, qui in reliquis Casibus hoc vocabulum ad secundae Declinationis normam flexerit, in Accus. constanter quartam secutum esse. Causam vero, cur haec forma tam raro in Codd. appareat, Wagn. Qu. Virg. XVI, 4. quaerit in Servii aliquo loco, ad Ecl. II, 54. haec scribentis: „Licet Horatius dixerit: *Depone sub lauru mea*: melius tamen est, iuxta secundam formam inflectere, nam melius sonat;" qui sane librarios movere potuit, ut *laurus* saepe in *lauros* mutarent. Cf. etiam adnott. ad Ecl. VII, 6. Broukh. ad Tib. II, 5, 63. Huschk. ad Tib. II, 5, 117. et Schneid. Gr. Lat. II, 1. p. 471 sqq. Nihilominus Ribbeck. edidit *lauros*, quod sane Ecl. VIII, 13. (ubi tamen idem Ribb. *laurus* in contextu servavit) et 82. etiam in Pal., Gud. et tribus Bern. legitur. — 84. *pulsae* vocibus, sonis, (ut Aen. VII, 702.) — *valles*, quas perfluit Eurotas, *referunt* carmina *ad sidera*, i. e. resonant Siveni cantu. Wagn. laudat Huschk. ad Tibull. II, 1, 66. — 85. „Silenus usque ad noctem canit. Sed quam poëtice hoc expressum!" *Heyn.* — *cogere -- iussit*, sc. nos pastores. De Infinitivo Activi verbo *iubendi*, vel omisso Accusativo Obiecti, a poëtis maxime iuncto (cf. Ecl. IV, 32 sqq. Aen. I, 647. II, 3. III, 145. 472. V, 385. 772. VIII, 646.) vid Duker. ad Liv. XXIV, 15, 5. Drak. ad Sil. Ital. VI, 413. Oudend. ad Caes. B. G. V, 33. ad B. C. I, 61. et ad Lucan. X, 347. Ernesti ad Tac. Hist. I, 38. Sillig. Ep. crit. de Catull. p. 25. Benecke ad Cic. Cat. III, 8, 20. Kritz. ad Sall. Iug. 46, 4. Fabri ad Liv. XXII, 51, 7. — *numerum referri*. Cf. Ecl. III, 34. Optimi Codd. (Med. et Pal. a. m. sec. et Gud.) praebent lectionem *referri*, quam cum Wagn. praetuli vulgatae *referre*, a Med. et Pal. a. m. pr., Rom. unoque Bern. exhibitae et a Vossio Iahnioque, ut ab antiquis Grammaticis, Nonio p. 381. et Arus. Messio p. 218., defensae. Nam Infin. Activi a librariis accommodatus videtur praegresso *cogere*. Eandem constructionis conversionem invenimus Geo. I, 130. Aen. III, 61. V, 772 sq. et XI, 84. Consentiunt nobiscum omnes recentiores editores. — 86. *processit*. Cf. ad Ecl. IX, 47. — *Vesper* est Hesperus, Veneris stella. Cf. Geo. I, 251. Plin. II, 8, 6. Hor. Od. II, 9, 10. III, 19, 26. Varr. R. R. III, 5,

17. imprimis autem Culicis v. 201. *Et piger aurata procedit Vesper ab Oeta. — invito Olympo*, caelo (vid. adnott. ad Ecl. V, 56.) aegre ferente, quod nocte iam ingruente carmini finis esset imponendus. Voss. confert Hom. Il. XVIII, 239. Non igitur erat, cur Conington, comparans Ecl. VIII, 30. et Aen. II, 801., dubitaret, num *Olympus* de caelo, an de monte intelligendus esset.

ECLOGA VII. MELIBOEUS.

ARGUMENTUM.

Hac Ecloga vere bucolici generis, qua poëta imitatus est Theocriti Id. VI., Meliboeus pastor narrat, quomodo caprum aberrantem quaerens incideret in duos alios pastores, Corydonem caprarium et Thyrsin opilionem, Daphnide iudice assidente cantu certaturos, et Daphnidis precibus obtemperans ipse inter eos assederit, ut cantentes audiret (v. 1—20.) Inde Corydon primas et Thyrsis secundas partes carminis amoebaei suscipientes ita faciunt, ut, quemadmodum Ecl. III. distichis, sic hic tetrastichis sena carmina diversissimi argumenti, sed quae ex amoebaei carminis legibus sibi respondeant,*) decantent. Scena autem, in qua res agitur, est amoenissima; consederunt enim sub umbrosa quercu inter apum susurros a Favonio leniter agitata, in Mincii fluminis ripa haud procul ab eo loco, quo armenta aquatum ducebantur.

Scripta videtur haec Ecloga simplici suavitate se commendans eo tempore, quo Vergilius adhuc versabatur in Gallia Cisalpina, quod ex Mincio v. 13. commemorato concludere possumus, ideoque ineunte vere a. 716. (vere enim Eclogam conscriptam esse, v. 6. et 13. efficitur); nam paullo post, m. Aprili a. 716., poëta se comitem adiunxit Maecenati Brundisium proficiscenti et deinde Neapolin concessit, ubi septem annos commorans Georgica scripsit.**)

Ceterum non defuerunt, qui etiam in hac Ecloga, (quam mira arte expressit et variavit Gesnerus noster in *Lyca et Milone*) et quam respexit Propert. III, 32, (II, 34,) 67., allegorice interpretanda se torquerent.

---

*) Cf. adnot. ad Argum. Ecl. III.

**) Cf. Spohnii Proleg. p. 48 sq. et Diss. nostram de Verg. vita et carm. not. 19. Ribbeck. sane, qui Bucolica a. 715. absoluta putat, Proleg. p. 4. hanc Eclogam iam prius scriptam esse arbitratur, certum tempus indicare non ausus.

MELIBOEUS. CORYDON. THYRSIS.

MELIBOEUS.

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,

---

1. „*arguta — ilice*, levi cum susurro ac murmure, seu sibilo venti, agitata. Sic Graecis arbor ᾄδει, συρίζεται, μελίζεται, ψιθυρίζει. [Cf. Ecl. VIII, 22. *nemus argutum*, non tamen prorsus eodem sensu dictum, *garrula pinus* ap. Calpurn. VIII, 30. et similia.] Expressum vero hoc initium carminis ex Theocr. Id. VI, 1 sq. et VIII, 1 sqq." *Heyn.* Cf. Gebauer. de poët I. p. 226 sqq., qui etiam Theocr. I, 1. et Mosch. V, 8. comparat. — *consederat.* Duo Codd. *considerat*, ut etiam Medic. Aen. X, 780.; quod reprobandum. Cf.

Thyrsis ovis, Corydon distentas lacte capellas,
Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares et respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,

---

adnott. ad Aen. III, 565. Ceterum non debebant interpretes quidam hunc Daphnim confundere cum altero illo, mythico, Ecl. V. Respexit hunc versum Calpurn. Ecl. X, 67. — 3. Quod attinet ad nomina per epexegesin repetita cf. locum similiter formatum Ecl. VIII, 55 sq. et adnott. ad Ecl. VI, 55. — *distentas lacte*, scil. ubera. Sic Ecl. IV, 21. *distenta ubera*, ubi vid. adnott. Res igitur sub vesperum agi videtur. — 4. *Ambo*, quia eodem tempore in eundem locum convenerant et coniuncti spectantur. Vid. Ramsh. §. 156. not. 7. Grysar. *Theor. d. lat. Stils.* p. 132 sq. et librum meum: *Aufsätze zur Bild. d. lat. Stils* p. 4. ed. 6. De iterata voce *ambo* (ἄμφω) cf. Geo. IV, 342. Theocr. VIII, 3. et XXII, 23. — *florentes aetatibus*, ambo florente aetate. De nominum abstractorum Plurali Latinis usitatissimo cf. Ruddim. I. p. 140. Gronov. ad Senec. Cons. ad Polyb. 36. Heusing. ad Cic. Off. I, 22, 15. et 28, 7. Garat. ad Cic. Mil. 8. extr. Bremi ad Cic. Finn. I, 8, 27. Kritz. ad Sall. Cat. 14, 5. 15, 4. Wunderl. ad Aen. I, 463. alii. — Cum hi pastores greges suos in agro Mantuano pascere dicantur v. 12 sq., hic *Arcades* eos vocari, possit offendere. Vossio quidem Arcades servi post deletam Corinthum in Italiam venisse videntur, a quibus hos pastores ortos fuisse etiam Wagn. putat. Rectius tamen coll. Ecl. X, 31 sqq. cum Ladew. metaphorice interpreteris *veri, genuini Arcades*, i. e. Arcadibus non deteriores; quae etiam Fritzschii est sententia ab Ameisio Spic. p. 13 sq. proposita, impugnata autem a Gebauero I. p. 230., qui putat, libertate quadam poëtica Arcades in hanc Eclogam inferre Vergilio licuisse. Ceterum de Arcadibus cantus peritissimis cf. Ecl. X, 32. Athen. XIV, 5. Theocr. XXII, 157. Polyb. IV, 20. alii. — 5. *cantare pares*, poëtice et ex Graecorum more dictum pro pares cantando. Cf. not. ad Ecl. V, 1. et Calpurn. Ecl. IX, 16. *ambo aevo cantuque pares*, idemque XI, 2. *calamis et versu doctus uterque*. Peerlk. tamen p. 30. coni. *Et pariter cantare*. Ceterum *cantare* ad continuum, *respondere* ad amoebaeum carmen spectat. — *et respondere parati*, pro: ad respondendum, ut ap. Calpurn. V, 42. *nondum stare parati*. Vid. adnott. ad Geo. I, 280. *Respondere* autem in amoebaeo carmine significat alteram strophan adiicere, cuius sententia priori strophae, ab altero editae, respondeat; quod in eo genere difficillimum. Similes igitur sunt pastores amoebaeo carmine certantes iis poëtis, qui nunc ab Italis *Improvisatori* appellantur. Ceterum Schrader. coni. *respondere periti* (ut Ecl. X, 32. et ap. Theocr. VIII, 4. ἄμφω ἀνρίαδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδειν), sed praestat *parati*, quod promptam facultatem exprimit et cum voc. *pares* pulchram efficit alliterationem (de qua diximus ad Ecl. III, 110. et VIII, 79.). Ceterum, etsi Thyrsis tandem vincitur (v. 69 sq.), ambo tamen cantu aeque excellere, etiam ex v. 16. apparet. — 6. Occasio describitur, qui factum sit, ut Meliboeus ad illos pastores veniret. — *dum - - defendo*. Praesens pro praeterito usurpatum rem vividius depingit: dum adhuc occupatus sum in defendendo, ideoque gregem observare non possum, iam deerraverat caper. Cf. etiam Hand. Turs. II. p. 306 sqq., qui multa congessit exempla huic similia, et praeter viros doctos iam ab hoc laudatos Oudend. ad Suet. Aug. 99. Heindorf. ad Hor. Epist. II, 1, 7. et Sat. I, 5, 72. Beier. ad Cic. pr. Tullio 15. Frotscher. ad Quinct. Inst. X, 1, 125. Iahn. ad Ovid. Trist. IV, 1, 60. Beneck. ad Iustin. IX, 6, 3. Huc pertinent Geo. III, 487. IV, 349. 559. Aen. II, 737. III, 616. VI, 171. etc. — *defendo a frigore myrtos*, stramento eas circumvolvens vel tegens; in quo non haerebimus cogitantes, rem ineunte vere agi (cf. Argum.), quod etiam probare videntur *tenera harundo* v. 12. et *agni a lacte depulsi* v. 15.; si enim in ipso carmine amoebaeo v. 47. de *solstitio* sermo est, id non magis valet ad tempus definiendum, quo haec a pastoribus canuntur, quam hiemis commemoratio v. 49. sqq. Facile igitur supersedemus coniecturis Burmanni *dum teneros def. a fr. fetus*, i. e. haedos, qua plane nihil lucramur, Vossii *def. frigore m.* (omissa Praepos.), h. e. umbra, ne aestu urantur, et Schraderi *def. a sidere m.*, i. e. sole. Ce-

Vir gregis ipse caper deerraverat, atque ego Daphnim
Aspicio. Ille ubi me contra videt: „Ocius," inquit,
„Huc ades, o Meliboee! caper tibi salvus et haedi;
Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.
Huc ipsi potum venient per prata iuvenci,

---

terum Wakef. ad Lucr. V, 640. scribendum censet *ab frigore*, temere; cum Vergilius hanc formam Praepositionis (quae apud eum semper respondet Graecorum *ἀπό*, numquam autem Passivis iungitur, ut sit *ὑπό*,) non nisi ante consonas *i*, *l*, *r*, *s* et *t* usurpet, quod multis exemplis probat Wagn. Qu. Virg. I, 1. Cf. etiam quae ad Ecl. III, 60. adnotavimus. — *myrtos*. Hic et Geo. II, 64. pauci quidam Codd. *myrtus;* sed Geo. IV, 124. omnes tuentur formam *myrtos*, ut alibi *ornos*, *taxos*, *cupressos* etc. Uno tantum loco Aen. IX, 116. omnes libri *pinus* exhibent, quemadmodum etiam formam *laurus* Vergilio vindicavimus ad Ecl. VI, 83. Cf. etiam Wagn. ad Aen. XI, 135. — 7. *vir gregis ipse caper* ex Theocr. VIII, 49. Ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ. Cf. etiam Leonidae Tar. Ep. 61, 1. Ἶξαλος εὐπώγων αἰγὸς πόσις. Ovid. Fast. I, 334. *lanigerae coniuge ovis*. Hor. Od. I, 17, 7. *olentis uxores mariti*. Sever. in Wernsd. Poët. L. min. II, 225, 81. *Hinc taurus, solidi vir gregis et pater*. Cf. etiam Geo. III, 125. Calpurn. II, 37. Colum. VII, 6, 4. et Gebauer de poët. I. p. 183. — *ipse caper* deerraverat, ideoque etiam haedi totusque grex capellarum; quare v. 9. *caper tibi salvus et haedi*, ubi vid. adnott. Wagn. Qu. Virg. XVIII, 1. 6. huic loco comparat Ecl. I, 12., ubi vide adnott., Aen. VIII, 111. *volat obvius ipse*, i. e. cum aliis, ut e v. 110. intelligitur, similesque locos. — *deerraverat* eadem contractione, qua Lucr. I, 712. *longei deerrasse* (ubi vid. adnot. mea) et III, 873. *Deerrarunt passim* atque ipse Vergilius Geo. II, 200. *deerunt* et Aen. X, 378. *deest* scripsit. Alia exempla praebent Hor. Epist. I, 12, 24. Ovid. Met. I, 77. Silius VII, 186. etc. Cf. Barth. ad Stat. Theb. X, 230. Heins. ad Claud. R. Pros. II, 287. Axt. ad Spurinn. p. 45. et, qui hos laudat, Unger de Valg. Rufo. p. 29. cum iis, quae ad Ecl. III, 96. Aen. I, 131. X, 378. et alibi adnotavimus. — *atque*, caprum quaerens, *ego Daphnim aspicio*. Particulam *Atque*, cui singularis est gravitas, etiam in re inexspectata, necopinata, repente oculis subiecta, vel mira ac memorabili crebro usurpari, docet Wagn. Qu. Virg. XXXV, 22. coll. locis Aen. IV, 261. 663. VI, 162. 494. VII, 29. X, 219. Vid. etiam Hand. Turs. I. p. 504. coll. cum I. p. 484. Gebauer de poët. I. p. 31. eodem modo apud Theocr. VII, 11. *καί* legi memorat. — 8. Pecudes Meliboei devagatas animadverterat Daphnis et in tutum locum compulerat. Burm. putat fingendum esse, in primo congressu narrasse Meliboeum de capro Daphnidi et Corydoni, vel statim ut adspexerit eos rogasse, num caprum vidissent, Daphnim vero, videntem curam et sollicitudinem circa haedos, dixisse: *caper tibi salvus, ut haedi*, (sic enim vult legi) i. e. aeque tibi salvus est, ut haedi, quos tu a frigore tam sollicite defendis. (Burm. enim v. 6. coni. *fetus* pro myrtos.) Immo, vel nihil prorsus loquente Meliboeo, Daphnis coniectura facile potest assequi, cur ille veniat; omnisque loci color talis est, ut de supplenda aliqua Meliboei quaestione non cogitandum esse facile perspicias. — 9. *Huc ades*, pro: huc veni. Cf. not. ad Ecl. II, 45. et vid. etiam IX, 37. 43. Geo. II, 39. 44. — *haedi* (ita enim, non *hoedi* scribendum esse, diserte docet Varro L. L. IV, 19.) de capellis intelligendum, quae hircum aberrantem secutae erant. Cf. not. ad v. 7. et 11. Ceterum docet Voss., capras, postquam Novembri conceperint, Martio mense parere solere, et tribus post mensibus a lacte depellere fetus; sed quae bis conciperent, Geo. II, 150., auctumnali etiam tempore gignere, Ecl. I, 14, et eiusmodi haedos hic et Ecl. III, 34. commemorari. — 10. *si quid cessare potes*, si intermittens negotia tua paullulum temporis hic potes commorari otiosus. *Cessare* enim haud raro absolute dicitur pro otiari, nihil agere. Prop. IV, 23, (III, 22,) 15. *venias hodie: cessabimus una*. id. I, 11, 1. *Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Baiis - - Nostri cura subit*. Cic. N. D. III, 39, 93. *Cur tam multos Deos nihil agere et cessare patitur?* etc. — *requiesce sub umbra*. Sic etiam Copae v. 31. et Calpurn. Ecl. XI, 46. — 11. *Huc ipsi*

Hic viridis tenera praetexit harundine ripas
Mincius eque sacra resonant examina quercu."
Quid facerem? neque ego Alcippen nec Phyllida habebam,
Depulsos a lacte domi quae clauderet agnos;
Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Coepere, alternos Musae meminisse volebant.

(sua sponte: cf. adnott. ad Ecl. IV, 21. Daphnis enim a grege discesserat) *potum venient--iuvenci;* quod non poterat non suave et iucundum esse pastori spectaculum: quare hunc potissimum locum, ubi canendo certarent, Corydon et Thyrsis elegerunt. Ceterum ut per *haedos* etiam capellae intelligendae, sic *iuvenci* etiam pro vaccis positi. Cf. Huschk. ad Tib. III, 4, 67. Voss et Spohn Daphnidis, non Meliboei, iuvencos intelligunt, quod singuli pastores unius tantum generis gregem pascere soliti sint. Sed etiam Ecl. III, 3. 6. unus idemque pastor et ovium agnorumque et boum gregem pascit; et Meliboei iuvencos hic intelligendos esse, totus locus docere videtur. Ceterum Peerlk. l. l. coni. *Haec* prata.) — 12. Verba *tenera praetexit harundine ripas* de Mincio iterantur. Geo. III, 15. Cf. etiam Aen. X, 205. et adnott. ad Aen. VI, 5. et de forma *harundo* ad Ecl. VI, 8. — 13. *Mincius*, qui ex Alpibus ortus, haud procul a Mantua, quam circumfluit, lacum Benacum (*Lago di Garda*) efficit, et in Padum effunditur, lento cursu promovetur palustresque habet ripas. Cf. Ecl. I. 47. Geo. III, 13 sqq. Aen. X, 205. De ipso autem fluvio, qui etiam nunc *Mincio* vocatur, vid. librum meum geogr. III. p. 506. — *sacra--quercu*, quia Iovi Dodonaeo sacrata erat. Cf. Geo. II, 16. et III, 332. Heyn. ornamenta huius loci ex Theocr. I, 106. 107. (quocum cf. eiusd. V, 46.) petita esse docet. Ceterum cf. infra v. 24. *sacra pinus*, Ennii fr. Atham. p. 264. Hessel. et Hor. Od. I, 18, 1. *sacra vitis* etc. — *examen*, i. e. exagmen, id quod exigitur, proprie dicitur de fetibus animalium insectorum, qui a parentibus exiguntur, imprimis apum, sed etiam vesparum (Liv. XXXV, 9, 4.), locustarum (Liv. XLII, 10, 7.) etc. — 14. *quid facerem?* Vid. not. ad Ecl. I, 40. Curae domesticae urgebant; at duo praeclari pastores cantu certabant. — *neque ego Alcippen* etc. Sumendum est, haec nomina esse amicarum s. contubernalium (cf. not. ad Ecl. I, 5.) pastorum canentium, ut sententia sit haec: Sane non facile poteram domo abesse, quia mihi non erat amica, qualis Alcippe Corydoni vel Phyllis Thyrsidi, quae interea, dum hic auscultarem canentibus, negotia domestica obiret, et tamen non poteram Daphnidis invitationem recusare, quoniam certamen dulcissimum et iucundissimum erat exspectandum. *Nec Phyllida* optimorum Codd. auctoritate cum recentissimis editoribus, etiam Wagnero ipso (in min. edit.), qui prius ex fragm. Mor. et Serv. Dresd. ob numerorum elegantiam *neque* ediderat, restituimus. Illud tamen servandum esse censet Gebauer I. p. 77. et 235., ne caesura heroica evanescat. — 15. *depulsos a lacte* (cf. adnott. ad Ecl. III, 82.), i. e. a matrum ubere; quia modo depulsi erant et diligentiore cura egebant agni adhuc infirmi et teneri. Ceterum cf. quae supra ad v. 7. Voss. adnotavit. — *clauderet*, ne frigus vespertinum iis noceret. — 16. „*Et certamen erat*, h. e. certantes, qui contendebant inter se, ut Aen. V, 339. *tertia palma Diores*, i. e. victor." *Heyn.* Sed tum potius exspectaveris *erant*, quod sane Peerlk. p. 20. coniicit; melius nomina pastorum duobus includuntur Commatis, ut hic sensus prodeat: magnum certamen, quale a Corydone et Thyrside erat exspectandum. Nos ad verbum possumus reddere: *ein grosser Kampf, Corydon mit dem Thyrsis!* Respexit hunc locum Calpurn. Ecl. II, 9. *Et magnum certamen erat sub iudice Thyrsi.* — 17. *mea seria*, negotia rustica et domestica. Auson. Mos. v. 206. haec ita imitatur: *sua seria ludo Posthabet.* — 19. *alternos Musae meminisse volebant*, scil. *eos* (de quo Accusativo Subiecti saepius omisso cf. adnott. ad Aen. II, 25.); Musae (quae *amant alterna:* cf. Ecl. III, 59.) volebant, ut illis pastoribus alterni versus in mentem venirent, ut versibus alternis ca-

Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis. 20

CORYDON.

Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite — proxima Phoebi

---

nerent. Cum autem poëtae, quae canerent, se a Musis doceri profiterentur, canentes etiam meminisse ea, quae quasi didicerint, dici possunt. Sic cum plurimis editoribus etiam Scheller. Observv. in priscos script. quosdam p. 314. Schirach. p. 328. alii hunc locum intellexerunt. Wund. tantum *meminisse*, ut saepe Graec. μεμνῆσθαι, pro *aggredi, tractare* positum putat, coll. Hom. Od. III, 141. Spohn. vero, Wideburg. in Progr. ad Ecl. III, 110 laud. p. 10 sqq., Iahn. (in edit II.) et Gebauer I. p. 234. Pron. *me* supplentes, eum ita explicuerunt: Musae volebant, me recordari illorum versuum, i. e. efficiebant, ut illos versus memoria tenerem; cui tamen rationi vis, qua voc. *alternos* in principio sententiae iteratur, obstare videtur. Voss. lectioni *a. M. m. volebant*, quam praeter optimos Codd. etiam Nonii p. 499. et 524. et Arus. Messii p. 245. auctoritas tuetur, temere praetulit alteram *volebam* (quam etiam Iahn. in priore edit. receperat); nam hic Indicativus, quem Voss. antique (!) pro *vellem* positum opinatur, significaret: utinam meminerim (*ich wollte, dass ich mich erinnerte*)! revera enim non memini (cf. Iahn. ad Ovid. Trist. II, 97. idemque in Annal. phil. et paed. 1827. Vol. IV. p. 410. et quae supra ad Ecl. I, 79. adnotavimus); quod non cadere in Meliboeum, qui tam multa ex illorum carminibus referat, quisque videt. Ameis. Spicil. p. 14., (cui adsentitur Conington) comparans Theocr. VII, 93. cum Fritzschii adnot., locum sic explicat: „Musae *volebant*, i. e. decernebant, *meminisse*, h. e. memoria servare, alternos," ut sententia haec sit: „talia erant haec carmina amoebaea, ut Musae non illo tantum tempore iis delectarentur, sed etiam in posterum memoriam eorum retinere decernerent." Peerlk. et ad lectionem illam *volebam* et ad Calpurn. Ecl. II, 25. provocans, qui sic canens: *Et nunc alternos magis ut distinguere cantus Possitis*, hunc locum ante oculos habuisse videatur, coll. Ecl. IX, 57. pro *volebant* potius *valebam* legendum esse putat et Kalmus l. l. p. 17. coniicit *alternas Musas meminisse iuvabit*. Heynius denique omnem versum spurium esse suspicatur, quo quis voluerit supplere, quod provide Maro omisisset: *Alternis igitur contendere versibus ambo; Hos Corydon* etc., ut igitur *contendere* sit Infinitivus, qui dicitur, historicus. Sed hoc versu omisso quemque, qui Vergilii morem calleat, aliquid desideraturum esse, verissime monet Wagn. — 20. Cf. Theocr. IX, 14. — *in ordine*, deinceps, *der Reihe nach*, ut etiam Aen. VIII, 629., quod quomodo differat ab *ordine* et *ex ordine* Ladew. ad h. l. docet. — 21. „Quae sequuntur, parva sunt carmina quaternorum versuum (*Quatrains* dixeris), diversi singula argumenti. Cf. Argum. Ecl. III." *Heyn.* In hoc autem certamine „poëtam nimia fortasse diligentia curasse, ut Thyrsidis strophae fastus, arrogantiae, rusticitatis plenae essent, sed Corydonis cantus commendaretur modestia, suavitate, simplicitate," verissime observavit Gebauer de poët. I. p. 185., qui p. 235 sq. Maronem in sequentibus Theocr. VII, 91 sq. VIII, 33. 37. 39. X, 24. VII, 100 sq. ante oculos habuisse putat. *Nymphae, noster amor.* De eiusmodi appositionibus, in quibus numerus variat, cf. Ramsh. §. 96. 2. — *Libethrides*, *Libethrus* fons est cum antro in Helicone. Vid. Strab. IX. p. 410. Cas. τὸ τῶν Λειβηθρίδων νυμφῶν ἄντρον, eundemque X. p. 471. et de monte Libethrio, Heliconis parte, ex quo manabat fons ille, Paus. IX, 34, 4. Omnino cf. quae exposui in Pauly *Realencycl.* IV. p. 1034 sq. voc. *Libethrius*. „Videri possunt Musae h. l. inter Nymphas referri; ut vulgo statuunt. Possunt tamen deae loci, Nymphae, non minus a pastore h. l. invocari, quam Arethusa Ecl. X. pr." *Heyn.* Voss., qui comparat etiam Theocr. V, 149. et VII, 92., ubi pastores eadem ratione afflatum illum divinum, qui poëtas faciat, a Nymphis repetant, et Wagn., qui laudat Hermanni Diss. de Musis fluv. Epich. et Eumeli p. 6., docent, Musas quidem Nymphas esse, non omnes vero Nymphas Musas, et Nymphas fontium, ut quae mentes divino afflatu impleant, nonnumquam Musarum loco a poëtis invocari. Cf. Ecl. X. in. et Culicis v. 18 sq. — 22. *Codrus*. Vid. adnott.

Versibus ille facit — aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

THYRSIS.

Pastores, hedera nascentem ornate poëtam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro;

---

ad Ecl. V, 11. et infra ad v. 26. — *Proxima Phoebi* etc. Vid. Theocr. VII, 100 sq. Aen. VI, 662. et Silius XIII, 538 sq. a Gebauero I. p. 236. collati. Ex praecedentibus *mihi carmen concedite* ad *proxima* supplendum videtur *carmina*, quod Subst. omnino saepe omittitur. Cf. Doering. ad Catull. LX, 6. Similis est locus Aen. VIII, 427. *fulmen erat; toto Genitor quae plurima caelo Deiicit.* Saepe autem referri Pluralem ad praegressum Singularem, multis exemplis docet Burm. ad Quinct. Inst. IX, 2. p. 790.; Heyn. autem, Wund. et Wagn. absolute positum accipiunt (*etwas ganz nahe Kommendes*), ut supra Ecl. III, 80. 82. *Triste lupus stabulis* et *Dulce satis humor*. Ceterum *proximus* hic significat: pretio, praestantia, virtute fere aequans vel simillimus; ut Cic. Legg. II, 16, 40. *id deo proximum habendum*. Val. Max. II, 6. in. *proxima maiorum gravitati Spartanorum civitas*. Quinctil. X, 2, 16. *proxima virtutibus vitia*. Cf. Wunderl. Obss. ad Tibull. III, 5, 3. — 23. *facit*. Cf. adnott. ad Ecl. I, 38. — *si non possumus omnes*, eiusmodi versus facere. Cf. Ecl. VIII, 63. ibique adnott. — 24. *arguta fistula*, ut ap. Calpurn. VII, 12. *arguta cicuta* et ap. Silium VII, 439. *arguta canna*. Cf. Gebauer Progr. p. 17., qui praeterea comparat *λιγυρὰν* et *λίγειαν σύριγγα* ap. Hes. scut. 278. Callim. in Dian. 242. et Apoll. Rhod. I, 577., in libro de poët. I. p. 237. autem poëtae ante oculos fuisse Theocr. Ep. II, 1—3. docet. — *pendebit*. Nam qui ab aliqua arte discedebant, eius instrumenta Diis suspendebant sacrabantque; ut docet Cerda locis Tibull. II, 5, 29 sqq. Hor. Od. III, 26, 3 sq. Nemes. Ecl. I, 14. (vid. infra) aliisque ex Anthol. Graeca desumptis. *Pinus* autem non solum Cybelae (cf. Ovid. Met. X, 103. 104. ab Heyn. laud.), sed etiam Pani sacra (Prop. I, 18, 20.), quare hic Deus pinu coronatus inducitur (Ovid. Met. I, 699. XIV, 633. Sil. XIII, 331.). Cf. etiam Geopon. XI, 10. De Pane igitur hic cogitandum. Ceterum hunc locum ante oculos habuit Calpurn. Ecl. VIII, 14. *Iam mea ruricolae dependet fistula Fauno*. — 25. Cum Corydon de se dixisset, ex lege carminis amoebaei nunc etiam Thyrsidi de se dicendum est, et ut ille Codrum vult aequare, ita hic, qui ex eadem lege maius aliquid proferre debet, iactanter superare se Codrum pronuntiat, vel cum eius invidia. Verba igitur *nascentem poëtam* ut v. 28. *vati futuro* Thyrsin significare patet. Pro *nascentem*, i. e. prima carmina temptantem, quod cum Wagn. recepi, vulgo (ex plurimis sane Codd. et Schol. Hor. Od. I, 1.) editur *crescentem*, scil. facultate poëtica (ut alibi dignitate, gratia, fortuna crescere dicitur); ergo: qui incipit poëta esse. (Burm. confert Ter. Heaut. prol. 58. *date crescendi copiam*.) Sed *nascentem* (quod Iahnio nimis argutum videtur) est prior Medicei aliorumque bonorum Codd. lectio, quam etiam praestantissimae Servii editt. cum Serv. Dresd. exhibent, et optime respondet *vati futuro* v. 28. Praeterea etiam Wagn. verissime docet, maius hoc esse, quod vel nascens poëta tantam Codri invidiam in se convertere potuerit. Nihilominus omnes recentiores editores praeter nos et Haupt. retinuerunt lectionem *crescentem*. Ceterum cf. adnott. ad Ecl. IV, 8. — *hedera* non solum Bacchantes, sed etiam poëtas, Bacchi instinctu percitos, fuisse coronatos, patet ex locis Ecl. VIII, 13. Hor. Od. I, 1, 29. Ovid. Met. V, 338. Fast. V, 79. A. A. III, 411. Trist. I, 7, 2. Iuven. VII, 29. Stat. Silv. I, 2, 248. Cf. etiam Mitscherl. et Orell. ad Hor. l. l. et Iacobs. ad Delect. Epigr. I, 101, 4. Duplicem autem huius moris causam affert Servius, vel quod poëtae insaniant, ut Bacchantes, vel quod semper vivant et vireant hederae, sicut etiam carmina aeternitatem mereantur. — 26. *invidia rumpantur ilia*. Proverbialis fere locutio, cuius sensus est: invidia pereat. Nos prorsus eodem modo: *vor Neid zerplatzen, zerbersten*. Similiter alibi *cachinno, risu, laetitia, dolore rumpi* etc. (Cf. locos ab Ungero de Valg. Rufi poëm. p. 79 sq. et p. 90 sq. collectos, im-

Aut, si ultra placitum laudarit, bacchare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

CORYDON.

Saetosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Micon vivacis cornua cervi. 30

---

primis autem Martial. IX, 98, 12. *Rumpatur, quisquis rumpitur invidia.*) Gebauero de poët. I. p. 237. poëta videtur superare voluisse Theocriti V, 12. *ἐτάκεν βασκαίνων.* Weichert. loco ad Ecl. V, 11. allato putat, poëtam alludere ad Iarbitae Mauri, de quo ad l. l. diximus, fatum satis memorabile, qui et ipse invidia, vel potius nimia virium intentione, dum Timagenem imitaretur, ruptus esse perhibetur a Scholiastis Hor. Ep. I, 19, 15., Acrone et Porphyrione. Nititur autem eius opinio additamento aliquo, quod Schol. Crucquii in Auct. Comm. vet. p. 694. narrationi illi his verbis adiecit: *nam hic Iarbita Maurus regione fuit Cordus*, quare Vir doct. adeo de *Codri* nomine inter Mauros non minus quam inter Romanos prorsus inaudito dubitat idque fortasse cum *Cordi* nomine apud Romanos frequentissimo permutandum, invitis tamen Codd. iure nihil novandum esse censet. Sed non temere Unger de Valgii Ruf. poëm. p. 95 sqq. de veritate illius additamenti dubitat, quod quomodo ortum videatur, p. 104. ingeniose demonstrat, scil. his verbis margini adscriptis: *Similiter Cordus quidam invidia ruptus est* et postea Prophyrionis scholio ex parte insertis. Quae si probamus, ut mihi quidem probanda videntur, cadit omnis illa Weicherti coniectura. De confusis autem *Codri* et *Cordi* nominibus cf. Cortius ad Lucan. VIII, 715. et Unger l. l. p. 405 sq. Ceterum quod ad ipsam sententiam attinet, cf. similis locus Ecl. III, 15. — 27. „*ultra placitum*, si plus, quam ipsi placet, laudamur ab eo; si Codrus nos immodice et praeter veritatem laudat. Est autem fascini genus notum, ut immodica laude efferantur ea, quibus quis invideat." *Heyn.* — *De bacchare* vid. ad Ecl. IV, 19. Putabatur haec herba fascinum depellere. — 28. Cf. Theocr. VI, 39. *ὡς μὴ βασκανθῶ.* — *vati.* „Nomen *vatis* venerandum esse, et superare nomen *poëtae*, et hic locus, quo *vatem futurum* se iactat Thyrsis, nomine autem *poëtae* se nunc iam dignatur, demonstrat, et Voss. ad IX, 32. 34. recte notavit." *Wund.* Quibus Wagn. opponit, *vatem* hic non differre a poëta; si enim maius quiddam et sanctius significare voluisset Vergilius h. l., mutato verborum ordine scribendum ei fuisse: *ne noceat vati m. l. f.* Quae causa quamquam paullo subtilior videtur, in ipsa tamen re Wagnero adsentior; utrumque enim, et *poëta nascens* et *vates futurus*, significat poëtam nondum perfectum, sed se formantem adhuc et fingentem. — *mala lingua*, invida et fascinans (*beschreiend*). Cf. supra ad Ecl. III, 103. Sic apud Catull. VII, 12. (basia) *Quae nec pernumerare curiosi possint, nec mala fascinare lingua.* Omnino autem *malus*, ut Graec. *κακός*, saepe de rebus magicis et veneficis usurpatur. Cf. Broukh. ad Tib. I, 2, 51. Burm. ad Petron. 63. p. 318. Heins. et Drak. ad Sil. VIII, 500. Doering. ad Catull. V, 12. et adnott. ad Aen. II, 471. Ceterum Peerlk., non putans, Thyrsin hic de se loqui, p. 32. pro *vati--futuro* coni. *vatis--futuri*, scil. Corydonis. Sed vide, quae verissime contra eum disputat Ladew. Progr. p. 10 sq. — 29. Post breve exordium iam incipit ipsum carmen. Venator iuvenis Dianae dedicat venationis primitias et, si tam felici venatu perpetuo uti sibi contigerit, marmoream statuam vovet. „Mirantur, quod de alieno pastore agat Corydon, non de se. Sed fert carminis amoebaei ratio, ut etiam aliorum facta ac dicta exponantur. Cf. Ecl. III, 90 sq. 96 sqq." *Heyn.* — *Saetosi.* Sic (non *seta, setosus, setiger*) constanter Med. et Vat., quae scribendi ratio magis convenit etymologiae (a Graeco *χαίτη*). Cf. Schneideri Gr. Lat. I. 1. p. 55. — *tibi*, scil. dedicat, quod verbum in epigrammatis haud raro omittitur. Cf. Aen. III, 288. — *Delia*, Diana, in Delo insula nata (Hor. Od. IV, 6, 33. et Ovid. Met. VI, 332 sqq.); ut Apollo saepe *Delius deus*, *vates* (Aen. III, 161. VI, 12. Cic. Verr. II, 1, 18. §. 47.) vel etiam simpliciter *Delius* (Val. Fl. I, 445.) vocatur. — (Pro *parvus* (i. e. iuvenis) Ribbeck. et Haupt. ediderunt *parvos*. Sed vide ad-

Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.

THYRSIS.

Sinum lactis et haec te liba, Priape, quot annis

---

not. ad Ecl. III, 8.) *Micon.* Cod. Menag. *Mico*, de qua nominis forma cf. Heindorf. et Both. ad Hor. Sat. II, 3, 254. et Schneid. Gr. Lat. II, 1. p. 275. Sed Vergilius, uno *Apollinis* nomine excepto, utpote quod Genitivum Latinum habeat, Graecorum nominum in *on* exeuntium (*Laocoon, Machaon, Pluton, Sinon* etc.) Nominativum Graecum servare et Latinam formam *o* non nisi Latinis nominibus (*Almo, Rapo, Umbro* etc.) vindicare solet. Semel tantum, Aen. VIII, 603., metro cogente Graecum nomen *Tarchonis* (quod Aen. VIII, 506. *Tarchon* scribitur) in Romanum *Tarcho* mutavit. Cf. Serv. ad Aen. VIII, 603. et X, 153. imprimisque Wagn. ad Aen. VIII, 506. — *ramosa cornua.* Cf. Phaedr. I, 12, 5. *dum* (cervus) *ramosa mirans laudat cornua* et Verg. ipse Aen. I, 189 sq. Calpurn. VI, 42. *cornua et ramosa tempora* commemorat. — *vivacis.* Longissima enim cervi aetas saepe celebratur a poëtis. Cf. Inven. XIV, 251. *longa et cervina senectus*, quem locum affert Schirach. p. 641. Adde Cic. Tusc. III, 28, 69. Plin. VIII, 32, 50. imprimisque Ovid. Met. III, 194. et VII, 273., ubi eadem de causa *vivax* vocatur *cervus.* Ceterum de *protomis* ferarum Dianae consecratis et ex arbore suspensis res satis nota. Cf. Aen. IX, 407. 408. et Spanhem. ad Callim. in Dian. v. 104. — 31. *„si proprium hoc fuerit* incertam habet interpretationem, quia ex verbis non diserte apparet, quid sit illud, quod per *hoc* designetur. Cum dedicentur spolia ferae ex felici venatione, illud *hoc* antecedentibus annexum ad *felicem venatum* referas, qui prioribus versibus significatur, atque illa verba Miconi tributa interpreteris: si tam felici venatu perpetuo uti contigerit." *Heyn.* Ita plurimi interpretes locum rectissime explicant; haud raro enim Pronomina ad res referuntur in antecedentibus magis significatas, quam certis verbis nominatas. Alii apud Serv. *hoc* minus recte ad gregem, quem Corydon pascebat (cf. v. 36. *si fetura gregem suppleverit*), referunt; alii non magis probabiliter de voto cogitant, ut sibi carmen, quale Codro, contingeret, v. 21 sq. — *Proprium* perpetuum et stabile, (ita ut perpetuo mihi maneat) ut Aen. I, 73. VI, 872. Hor. Sat. II, 6, 5. Cic. Manil. 16, 48. Plaut. Merc. II, 3, 4. etc. Cf. imprimis Nep. Thras. 4, 2. *parva munera diutina, locupletia non propria esse consueverunt* et Daehne ad Nep. Lys. I, 5. — *levi de marmore stabis tota*, non herma (*Büste*) tantum; i. e. statua tua ponetur, dedicabitur marmorea. „Similis est usus Graeci verbi ἵστημί τινα χρυσοῦν, Plat. Phaedr. p. 215. σφυρήλατος ἐν Ὀλυμπίᾳ στάθητι, ubi vid. Heind." *Wund.* Cf. Hor. Sat. II, 3, 183. *aeneus ut stes.* — *de marmore*, i. e. ex materia facta, quae dempta est de rupe marmorea. Cf. Geo. III, 13. Aen. IV, 457. VI, 69. Ovid. Met. XIV, 313. *niveo factum de marmore signum.* Fast. III, 184. *aspice de canna staminibusque domum* et alia exempla ab Handio collecta Tursell. II. p. 199. — 32. *Puniceo evincta cothurno.* „Antiquissimo more in statuis etiam marmoreis vestitus coloribus pingi solitus; ita h. l. pedum indumentum. In Epigr. in Aeneidem: *Marmoreusque tibi, dea, versicoloribus alis In morem picta stabit Amor pharetra.*" Sic *Heyn.* qui errat, si *evincta* pro simplici *vincta* positum censet, quod in loco simillimo Aen. I, 337. *Purpureoque alte suras vincire cothurno* legatur. Significat potius bene, arcte vincta. Vid. adnott. ad Ecl. II, 57. Ceterum cf. Liv. Andron. ap. Terent. Maur. de metr. v. 1935. (p. 88. Lennep.) *Iam nunc purpureo suras include cothurno*, unde hic locus videtur sumptus. De constructione autem *suras evincta cothurno* vid. adnott. ad Ecl. III, 106. et de *cothurno*, calceamento venatorio, adnott. ad Ecl. VIII, 10. Ribbeck. cum Codd. Med., Pal., Veron. et Gud. scripsit *coturno.* (Cf. eius Proleg. p. 424.) Expresserunt hunc locum Statius Theb. II, 725 sqq. Nemes. Cyn. 90 *Candida puniceis aptentur crura cothurnis* et auctor carm. in Anth. Lat. Burm. VI, 89, 18. *purpureas croceo suras evincta cothurno.* — 33. Ut Corydon Miconis nomine Dianae, ita Thyrsis Priapo vota facit. Cf. locus huic simillimus Ecl. V, 67. — *Si-*

Exspectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
Si fetura gregem suppleverit, aureus esto

CORYDON.

Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,

---

nus vel *sinum* est vas amplum vino vel lacti recipiendo destinatum et secundum Varr. L. L. IV, 26. ita vocatum, „quod maiorem cavationem habet, quam pocula." *Sinus* autem primum quamcumque cavationem significat, ideoque etiam vas sinuosum (cf. Nonius XV, 34.), quo sensu forma *sinus* legitur v. c. in Anthol. Lat. Burm. II, 363, 2., ubi *sinus lactis*, ut hic, commemoratur, et Plaut. Curc. I, 1, 83. Rud. V, 2, 31., altera autem forma *sinum* Varronis l. l. et VIII, 16. Plaut. Curc. I, 2, 13. alibi. — *haec liba*, i. e. haec ipsa, quae tibi nunc offero, s. quae tibi offerre consuevi. Cf. Aen. I, 252 sq. II, 445 sqq. IV, 46. 237. 242. 419. 614. V, 417. VI, 142 etc. cum Wagn. Qu. Virg. XX, 1. *Liba* e farina siliginea, caseo vel lacte oleoque conficiebantur, et melle illinebantur (cf. Cato R. R. 75.); nomen autem habebant a *libando*, quia praecipuus eorum usus erat in sacris faciendis (cf. Varr. L. L. IV, 22.); aut secundum Ovid. Fast. III, 733. a Libero patre, cui primum offerri coepta sint (Geo. II, 394. Hor. Ep. I, 10, 10. Tibull. I, 8, 54. Iuven. XVI, 38.). De vario autem liborum usu cf. quos laudat Obbar. ad Hor. Ep. I, 10, 11. Fasc. V. p. 60. — Ceterum pro *haec te liba* multi Codd. etiam Prisciani p. 714. P. *haec tibi liba*, quod Burm. defendere videtur loco Prop. III, (IV,) 3, 22. *Mi sat erit sacra plaudere posse via*, ubi pariter lectio fluctuat inter *me* et *mi*. Sed recte Wagn. memorat, *tibi* ex Priapi, *te* ex loquentis persona dictum esse idque solum huic loco convenire. De *Priapo*, Veneris et Bacchi monstroso filio, hortorum et agrorum deo, vide, si de origine et natura quaeris, Paus. IX, 31, 2. Diod. IV, 6. Schol. Apollon. Rhod. I, 932. (a quibus tamen differunt Strab. XIII. p. 587. Schol. Theocr. I, 21. Hyg. fab. 160. alii), de forma Geo. IV, 110. Hor. Sat. I, 8. in. Ovid. Fast. I, 415. Tibull. I, 1, 22. I, 4, 1. 8. et Priapeia multis locis, de cultu Anthol. Pal. VI, 102. X, 14. Schol. Theocr. I, 21. Ovid. Fast. VI, 345. Calpurn. Ecl. II, 64. multosque alios, omninoque Voss. *Mythol. Briefe* II. p. 346 sqq. Hirt. *Myth. Bilderb.* p. 172. Hartung. *Rel. d. Röm.* II. p. 257 sqq. alii. — 34. *Exspectare sat est:* non potes maiora dona a me exspectare; satis est, haec tibi a me quotannis offerri. Heyn. comparat similem Tibulli locum I, 1, 19 sqq. Ceterum Ribbeck. et Haupt. contra Med., Veron. aliorumque librorum auctoritatem scribunt *expectare*. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 436. — 35. Cum ante de paupertate sua Thyrsis locutus sit, haec festiva tantum ironia dici in promptu est. Priapi enim statuae ligneae esse solebant. Eiusmodi igitur statuam, cavillans Corydonis marmoreum simulacrum, Thyrsis marmoream *pro tempore* (i. e. ut tempus et res ferebat, *ἐκ τῶν παρόντων, ὑπαρχόντων*) dicit. Rectissime enim Peerlk. p. 33. sic explicat: „Nos te nunc fecimus ex tali marmore, quale res nostrae et tempus ferebant, hoc est *ex ligno*; nostrum illud marmor est lignum." Cum autem iam Mico Dianae admodum magnum promiserit donum, flagitat lex carminis amoebaei, ut Thyrsis multa maiora et in ridiculum aucta Priapo voveat, quare adeo v. 36. *aureus esto*. Imitatus est hunc locum (quem etiam Silius VII, 82 sqq. respexit) Auson. Epigr. V. *Nunc te marmoreum pro sumptu fecimus, at cum Augustus frater remeaverit, aureus esto*. Gebauer I. p. 238. comparat Theocr. Id. X, 33. et Ep. XVII, 3. et XX, 6. — 37. sqq. Gebauer l. l. ex locis Theocr. XI, 19—21. 42. et 63. compositos arbitratur. „*Nerine Galatea*. Nerei et Doridis filia fuit Nympha illa marina, a Polyphemo adamata, quam tamen hic Corydon, Nympham pastor, tamquam suam amicam, ut vesperi ad se veniat, appellat. Scilicet poëta tantum in hoc elaboravit, ut Theocriteum carmen exprimeret Id. XI, 19 sq., ut etiam fecit Ecl. IX, 39 sq.". *Heyn.* Cf. Gebauer l. l. De Sicula Galateae fabula cf. Hesiod. Theog. 250. Ovid. Met. XIII, 738. (Hom Il. XVIII, 45.) et Serv. ad h. l. Graeca forma *Nerine* pro Nereide non nisi hoc loco vi-

Candidior cycnis, hedera formosior alba,
Cum primum pasti repetent praesaepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.

THYRSIS.

Immo ego Sardoniis videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco, proiecta vilior alga,
Si mihi non haec lux toto iam longior anno est.
Ite domum pasti, si quis pudor, ite iuvenci.

---

detur inveniri. — *thymo mihi dulcior Hyblae.* Probe tenendum est, pastores hic canere, quibus eiusmodi comparatio amicae cum plantis dulcibus et pulchris omnium aptissima. De *thymo* cf. not. ad Ecl. V, 77., de Hybla ad Ecl. I, 54. Gebauer I. p. 240. cum hoc loco comparat Theocr. IX, 34 sq. — 38. *candidior cycnis.* Vid. adnott. ad Ecl. II, 18. et 46. et imitationes huius loci ap. Ovid. Met. XIII, 789. *Candidior folio nivei Galatea ligustri* et Martial. I, 116, 2. *Loto candidior puella cycno, Argento, nive, lilio, ligustro. Cycnus* autem rectius scribitur, quam *cygnus*, licet Cod. Med. Ecl. VIII, 55. Aen. I, 393. et XII, 250. hanc scribendi rationem sequatur, quae Wagnero teste orta est ex molliore pronuntiatione, qua usos esse constat Romanos in iunctis literis *cn.* Vid. etiam Schneid. Gr. Lat. I, 1. p. 238. Grotef. Gr. Lat. Vol. II. p. 198. §. 182. et Ribbeck. Proleg. p. 391 sq. — *hedera alba.* Nam Plinio auctore N. H. XVI, 34, 62. duo hederae genera distinguebantur, *candida* et *nigra* (quibus etiam tertium, *helicen*, adiungit.) — 40. *habet te cura*, i. e. tenet. Cf. Aen. III, 147. IV, 581. V, 734. VI, 521. Ovid. Met. VII, 329. *custodes somnus habebat* etc. Gebauer I. p. 146. comparat Theocr. III, 52. XI, 29. XIV, 48. XXIX, 10. — 41. sqq. Corydonis sensus et cogitationes excipit Thyrsis et suos facit, sui quoque desiderii impatientiam declarans. „Per *Sardonias herbas* batrachii s. ranunculi (*Hahnenfuss*) genus intelligunt, cuius magnus in Sardinia erat proventus. Succus eius potus insanire facit, et inter alias membrorum contractiones eos oris spasmos efficit, ut ridere videantur. Hinc de risu Sardonio res notissima (cf. Tzetz. ad Hesiod. p. 26. ed. Heins.), quem male in ipsum Homerum intulerunt Od. XX, 302." Haec fere *Heyn.* Vid. Eustath. et interpp. ad Hom. l. l. Pausan. X, 17. Cic. Fam. VII, 25. Ilgen. Opusc. phil. T. I. p. 275. et Münter *Sendschreiben an Creuzer über einige sardische Idole.* (*Copenh.* 1822.) p. 9. De *herba Sardonia* s. *Sardoa*, quae videtur esse Ranunculus sceleratus *Linn.*, agunt Plin. XX, 11, 25. XXV, 13, 109. Calpurn. Ecl. XI, 52. Seren. Sam. 25. Solin. c. 4. Apulei. de herbis c. 8. — Ceterum qua auctoritate nitatur vulgaris lectio *Sardois*, si a Codd. Hafnienss. discesseris, non liquet. Plurimi libri Mss., praestantissimae Servii editt. et Serv. Dresd. consentiunt in scriptura *Sardoniis*, quam (haud dubie ex Theocr. XVI, 86. petitam) recte revocavit Wagn. De utraque Adiectivi forma in Codd. haud raro confusa cf. Heins. ad Claud. Bell. Gild 508. Burm. aliique ad Calpurn. l. l. et Rutil. I, 354. — 42. *ruscus*, iterum memoratus Geo. II, 413., est herba spinosa, cuius folia mures fugare perhibentur. Cf. Diosc. IV, 146. Theophr. h. pl. III, 17. Plin. XXI, 27, 100. XXIII, 9, 83. — *alga*, herba marina, quam botanici non audent accuratius definire, fortasse fucus vesiculosus *Linn.* Quia ex mari eiecta in litore solet putrescere, cum nec ad comburendum, nec ad stramen inde faciendum utilis sit, imago est rei vilis, nullius pretii; qua de causa apud Hor. Od. III, 17, 10. *alga inutilis* vocatur. Cf. etiam Hor. Sat. II, 5, 8. *Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est*, et Mülleri Spicil. Animadvv. ad Catull. p. 16. — 43. Cf. Theocr. XII, 2. *οἱ δὲ ποθεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσι*, et Ovid. Her. XI, 29. *Et nox erat annua nobis.* Sententia haec est: Summo cum desiderio exspecto tenebras, heu nimium cunctantes, quae me ex agro domum reducent, ubi amatam puellam revisam. — 44. *si quis pudor.* Increpat boves: pudeat vos bene pastos tam tarde domum procedere, ac si nondum satiati sitis, et me ab amicae amplexu distinere. Constat, hanc formulam interponi, si quem ad recte agendum incitandum

CORYDON.

Muscosi fontes et somno mollior herba
Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra,
Solstitium pecori defendite; iam venit aestas
Torrida, iam laeto turgent in palmite gemmae.

---

esse putamus. Vid. Iuven. III, 154. Val. Max. II, 9, 1. Martial. II, 37, 10. Ovid. Am. III, 2, 23. Prop. I, 9, 33. Ceterum cf. similis locus Ecl. X, 77. — *pasti iuvenci*. Cf. Calpurn. IX, 90. *pasti tauri* et adnott. ad Ecl. X, 77. — 45. Cf. Theocr. VIII, 37. sqq. et Gebauer I. p. 242. „Corydon umbrae ac frigoris iucunditatem aestivo tempore, alter hyemis lenimenta ex foco accenso praedicat." *Heyn.* — *muscosi fontes*, ut apud Varr. R. R. I, 9, 5. *muscosa prata*. Cf. etiam Catull. LXVIII, 58. *Rivus muscoso prosilit e lapide*. Hor. Ep. I, 10, 7. *ego laudo - - Rivos et musco circumlita saxa*. Calpurn. VI, 67. *Saxa, quibus viridis stillandi vellere muscus Dependet*. — „*somno mollior herba*, ex Theocr. expressum Id. V, 50. εἴρια ὕπνῳ μαλακώτερα. Adde XV, 125. τάπητες ὕπνῳ μαλακώτεροι [et Antip. Ep. 32. ἡ ταχεραῖς λεύσσουσα κόραις μαλακώτερον ὕπνου: cf. Gebauer l. l.] Cf. Valck. p. 405. 406. *mollis somnus* sollemni epitheto, Geo. II, 470., non minus ac *mollis herba* [cf. not. ad Ecl. III, 55.]; hinc comparatio ducta. Ceterum v. 45 — 60. cum Theocrito certavit Id. VIII, 38 sqq." *Heyn.* — 46. *Et quae vos rara* etc. pro: et o arbute, quae tegis etc., i. e. o arbuti, quae tegitis fontes etc. De Nominativo poëtice pro Vocativo posito vid. adnott. ad Aen. XI, 464. — *arbutus*. Vid. not. ad Ecl. III, 82. *viridis* etiam Horatio Od. I, 1, 21. dicitur. Cf. etiam Ecl. X, 74. *viridis alnus*. — *rara umbra*, quia rami huius arboris non densi et folia minuta sunt (cf. Schirach. p. 335. et Ecl. V, 7.); Vossii enim et Heynii explicatio „arbore nondum adulta pro anni tempore verno" non potest conciliari cum solstitio v. 47. commemorato. Wagn. etiam arbutos per intervalla positas raras igitur ipsas intelligi posse censet. Ladew. autem (rectissime fortasse) docet, arbutum solstitii tempore frondem mutare, quae tunc nondum ita densa sit, ut solis ardorem arcere queat. Peerlk. denique, cum rara umbra non faciat ad defendendum calorem, p. 33. coni. *grata* aut *gelida*. — 47. *solstitium pecori defendite*, calorem ac vim solis in solstitio constituti, h. e. simpliciter aestivi, a pecore prohibete. Sic Hor. Od. I, 17, 3. *Faunus igneam defendit aestatem capellis*. De constructione cf. etiam Sil. V, 490. *defendere nescia morti Dedecus*, et XVII, 431. *gloria Pellae Haud valuit misero defendere Daunia tela*, Heins. ad Ovid. Her. V, 16. et ad Claud. de laud. Stil. III, 171. Drak. ad Sil. V, 490. Ruddim. Inst. II. p. 150. et adnott. ad Geo. III, 155. et Aen. V, 727. Si autem quaeris, quomodo fontes muscosi et molles herbae vim solis aestivi a pecore prohibere possint, tenendum est, illos semper praebere frigidiusculam aquam, has autem utpote succo plenas refrigerare pastu et recreare, dum pecus eo sese prosternat. Cf. Schirach. p. 591 sq. — *aestas torrida*, Theocriti IV, 12. θέρος φρύγον. Cf. eiusd. VI, 16. XII, 9. atque Gebauer de poët. l. p. 243. (et Progr. p. 7.) — Vergilium imitatus videtur Calpurn. II, 80. *quos praetorrida munerat aestas*. — *venire* de anni tempore dictum, ut ἐλθεῖν ap. Theocr. XXV, 28. et Bion. III, 2. Cf. Gebauer l. l. — 48. *laeto in palmite*. Cum alibi frondentes quidem arbores *laetae* dicantur (cf. Huschk. ad Tibull. II, 3, 3., ut Geo. II, 363. rectissime scriptum sit: *dum prima novis adolescit frondibus aetas, - - et dum se laetus ad aures Palmes agit*), palmes autem gemmas agens nullisdum frondibus vestitus sit, Wagn. praeferendam censet alteram lectionem *lento in palmite*, quam praebeat Med. a manu sec., quam etiam Servius invenerit haec adnotans: „et bene *tarde* frondere vites commemorat in Venetia," quamque praeterea uterque Lips. et alii Codd. corrupta lectione *leto* comprobare videantur. Hanc tamen scripturam, quae et *laeto* et *lento* legi possit, nihil omnino probare manifestum est, quare, cum etiam Geo. II, 262. legamus: *ante quam laetum infodias vitis genus*, inter *laetum* autem *vitis genus* et *laetum palmitem* non tantum interesse putem, quantum Wagnero videtur, et *lento* facile a li-

THYRSIS.

Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis
Semper et adsidua postes fuligine nigri;
Hic tantum Boreae curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus aut torrentia flumina ripas.

CORYDON.

Stant et iuniperi et castaneae hirsutae,

---

brario aliquo ex Ecl. III, 38. substitui potuerit, a plurimorum Codd. lectione non recedendum esse duco. Video non solum Bryceum, qui fere semper me sequitur, sed etiam Haupt. et Coningtonem retinuisse lectionem *laeto*, dum Wagn. in edit. min., Ladew. et Ribbeck. *lento* ediderunt. — *turgere*, ὀργᾶν, dicitur de omnibus rebus, quae humore aliquo extenduntur et tument. Cf. Geo. I, 315. *Frumenta in viridi stipula lactentia turgent.* Plin. XII, 17, 37. *caules praedulci liquore turgentes.* Martial XIII, 68. *uva mero turgens.* ibid. 47. *accepta spongia turget aqua.* Plin. XX, 13, 51. *mammae turgentes* etc. Incipiebat autem Romanis aestas ab ortu Pleiadum sub Maium mensem, quo tempore etiam vites gemmas agere solebant. (Geo. II, 335. Ovid. Fast. IV, 128.) In Vergilii vero patria, ubi Alpes vicinae paullo frigidius reddebant caelum, serius etiam videntur gemmasse. — 49. *taedae*, ligna e picea seu pinu. Versus ex Theocr. XI, 51. sumptus, et *pingues taedae* ex Lucr. V, 296. Cum seqq. cf. Theocr. IX, 19 sqq. Ceterum haec non bene convenire videntur superioribus; sed in eiusmodi carminibus amoebaeis canentes non semper id ipsum anni tempus spectant, quo canunt. Etiam Gebauer I. p. 243. hanc antistropham, quae colorem duxerit ex Theocr. IX, 15—21. 12. 13. et XI, 51., cum stropha antecedente minore sententiarum aequabilitate et congruentia cohaerere iudicat, quam cantus amoebaei leges postulare videantur. — 50. *semper* cum magna vi in principio versus positum. Cf. adnott. ad Ecl. V, 21. Tibull. I, 5, 51. *Hanc volitent animae circum, sua fata querentes Semper*, et III, 6, 2. *sic sit tibi mystica vitis Semper* (ubi vid. Huschk.) Iahn. in adnot. ad Geo. I, 477. hunc locum iis adnumerat, ubi Adiectiva et Adverbia propterea in fine enuntiati et principio, hexametri ponuntur quod simul ad prius et sequens enuntiatum referenda sunt (velut Geo. I, 282. II, 258. 534. Aen. I, 165. III, 430. IV, 190. V, 587. VI, 172. 717. 751. etc.); cui tamen rationi obstare videtur, quod sequitur, epitheton *adsidua*. Cf. etiam Iacob. in Qu. Epic. p. 119 sqq. — *postes fuligine nigri*, utpote in paupere tugurio sine *καπνοδόχῃ*. Canales enim illos, fumo deducendo exstructos, quos Germani *Essen*, *Rauchfänge* vocamus, et qui nunc Latine scribunt male per *fumaria* solent reddere, Romani plane non noverunt; apud quos fumus vel per ostium, vel per fenestras, vel per foramen tecti (quod Graeci *καπνοδόκην* s. *καπνοδόχην* appellabant) exibat. — 51. Sententia haec est: Pastor ad focum sedens ita curat frigora, ut lupus numerum pecorum, i. e. ut lupus parcit numerato a domino pecori, sive deterretur eo, quod gregem scit numeratum; vel ut torrens, imbribus auctus et exundans, curat ripas, quibus coërceri debet; ideoque omnino non curat, spernit frigora. — 53 sqq. Pro natura carminis amoebaei, cuius singula tetrasticha singulas et inter se diversas sententias continent, a variis rebus et locis petitas, sequitur plane nova sententia, cui nihil cum superioribus commune est. Heynio enim interprete, „Corydon pastoricia imagine, petita ex Theocr. VIII, 41—49., [cf. Gebauer I. p. 245 sqq.] hoc tantum eloqui vult: esse quidem eius loci ac montis incundissimam naturam, cum sit arboribus consitus iisque fruguum plenus, at Alexidis discessu omnem istam rerum suavitatem tolli." (Cf. Ecl. V, 32 sqq.) — Quemadmodum iam Wakef. hic transpositionem versuum suaserat (ut post v. 52. ponerentur v. 57—60.), contra quem vere disputat Heynius, sic etiam Wagn. concinniorem fore ordinem censet, si tetrasticha 53—56. et 65—68., tum 57—60. et 61—64. sibi responderent, ne tamen vere transponenda iudicemus, vetare reliquam oppositorum rationem.

Strata iacent passim sua quaeque sub arbore poma,
Omnia nunc rident: at si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas et flumina sicca.

THYRSIS.

Aret ager, vitio moriens sitit aëris herba;
Liber pampineas invidit collibus umbras:

— *stant* non simpliciter i. q. sunt, ut Heynio videtur, sed: fructibus, baccis et echinis horrent. Sic *stare* saepe de rebus horridis aut rigidis. Aen. II, 333. 774. III, 48. VI, 652. Geo. III, 368. (Cf. etiam Orell. ad Hor. Od. I, 9, 1.) Videtur etiam poëta iuniperos et castaneas cum fructibus *stantes* opponere pomis sub arbore *stratis*. — *castaneae hirsutae* exteriore cortice seu echino. Vid. Calpurn. Ecl. II, 83. et Anth. Lat. Burm. III, 207, 2. et 211, 4. Gebauer I. p. 247. coll. Theocr. XXVI, 3. aliisque locis epitheton potius foliorum densitatem spectare arbitratur, quod probare non possum. — 54. Vid. Theocr. VII, 144. et Gebauer de poët. I. p. 246. Restitui nunc cum recentissimis editoribus (praeter Wagn.), suadente etiam Lachmanno ad Lucr. II, 371. p. 94., omnium Codd. et Nonii p. 326. et 389. lectionem *sua quaeque sub arbore poma*, pro qua prius (non tamen sine cunctatione) cum Heynio et Wagn. receperam emendationem ab Heinsio, Gronovio ad Liv. III, 22. et Bentleio ad Manil. II, 253. propositam, *sua quaque sub arbore poma*. Retractans simul omnia, quae de synizesi non prorsus improbabili *sua* (ut sit Ablativus) adscripseram, locum cum Grysare in *Zeitschr. f. d. Oestr. Gymn.* VI. (1855.) p. 926., quem etiam Ladew. sequitur, sic capio, ut *quaeque* adiectum putem, quia plures sunt arbores, quarum quaevis *sua*, i. e. sibi nativa, habet poma: „*es liegen jedesmal* (*quaeque*) *die zu einem Baume gehörigen* (*sua*) *Aepfel unter demselben.*“ Poterat Grysar praeter locum Cicer. de Finn. V, 17, 46. *quia cuiusque partis naturae et in corpore et in animo sua quaeque vis est*, ibid. III, 20, 67. *non adversatur ius, quo minus suum quidque cuiusque sit*, de N. D. III, 34. extr. *ut quod quisque a sacris haberet, id - - in suum quodque fanum referret* et similes in rem suam afferre. De Pron. autem *suus* illo sensu usurpato cf. adnott. ad Geo. II, 82. (*arbos Miratur - - non sua poma*) et Ecl. I, 37. Ceterum hunc locum respicere videtur Calpurn. II, 72. *Qui numerare velit quam multa sub arbore nostra Poma legam.* — 55. *Omnia nunc rident.* Cf. Theocr. VIII, 41. Anth. Lat. Burm. V, 62, 1. *vere omnia rident* et vid. adnott. ad Ecl. IV, 20. *Montibus his.* Vid. Ecl. V, 8. ibique adnott. X, 31 sq. Calpurn. IV, 63. 88. 127. 153. — 56. *videas et flumina sicca.* Unum tantum commemorat e multis, quae commemorari poterant: sensus enim est: tunc omnis naturae habitus mutetur, nihil rideat, omnia sint moesta et tristia. — 57. *moriens herba.* Cf. Ecl. X, 67. *moriens alta liber aret in ulmo.* Aen. IX, 435 sq. *Purpureus veluti cum flos succisus aratro Languescit moriens.* Ovid. Met. V, 482. *primis segetes moriuntur in herbis.* Senec. Oed. 50. *arente culmo sterilis emoritur seges* etc. Gebauer I. p. 248. comparat Bion. I, 11 sq. 31. et Mosch. III, 11 sq. 33 sq. et 65 sq. et de verbo θνήσκειν etiam Hermann. et Pflugk. ad Eur. Hec. 244. conferri iubet. — *vitio aëris*, propter aestum et nimium calorem. Cf. adnott. ad Ecl. II, 58. *vitium* i. q. vitiositas, vitiosa natura, ut Geo. I, 88. Suspicor Vergilio obversatum fuisse Lucretii locum de pestis causa et origine VI, 1089 sqq., ubi de *morbido aëre*, de *corrupto caelo*, de *mortifero aestu* etc. sermo est. Cf. etiam Geo. III, 478. *morbo caeli* et Aen. III, 138. *corrupto caeli tractu.* — 58. *Liber p. i. c. umbras* Serv. recte explicat: „aret vinea: exsiccatae sunt nimio aestu vites, et folia amiserunt;“ *invidere* enim alicui aliquid (ut apud Graecos φθονεῖν) interdum idem est, quod habere non sinere. Prorsus eodem modo loquitur Plin. XV, 2, 3. *Africae solo oleum et vinum natura invidit.* Cf. etiam adnott. ad Aen. IV, 349. et VIII, 509. Ceterum *Liber* vocatur vini inventor et praeses aut, quod verisimillimum est, a *liberando*, ut sit Graecorum Λύσιος s. Ἐλευθερεύς, quod vinum liberat servitio curarum animum (Sen. Tranqu.

Phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit,
Iuppiter et laeto descendet plurimus imbri.

CORYDON.

Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,
Formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo:

---

an. 15, 15., coll. cum Paulo Diac. p. 115.), vel (secundum Festum s. v. Liber p. 86. ed. Lindem.) quod vino nimio usi omnia libere loquuntur (cf. Sen. l. l.), vel etiam quod ille pro Boeotiae libertate pugnasse fertur, vel quod liber et vagus est (Macrob. Sat. I, 18.): aut a *libando* (λείβειν, λοιβή, cf. Plut. Quaest. Rom. §. 101. et, qui cum eo consentire videntur, August. C. D. VI, 9., et Serv. ad Geo. I, 7.), ut significet antiquum Italiae deum, qui succum vitalem per omnem naturam effundens omnia foecundet; quam alteram etymologiam sequuntur Voss. ad h. l. et Creuzer. Symb. III. p. 379 sqq. 483 sqq. 514 sqq. Miram proponit Cicero N. D. II, 24, 63. huius appellationis causam. — 59. *Phyllidis adventu.* Cf. Ecl. III, 76. et V, 10. — *nemus omne virebit.* Cf. Theocr. VIII, 41. et Gebauer I. p. 247. — 60. Sensus est: Tunc omnia ridebunt et virebunt per pluviam. „*Iuppiter* de aëre, ut Geo. II, 325., ex mythis physicis, in quibus Iuppiter et Iuno aërem superiorem et inferiorem designant; quod et ipsum vereor ut pastoris ingenio accommodatum sit." *Heyn.* Sed Iuppiter Pluvius cuique pastori satis notus erat; quidni igitur poëtae, pastoris personam induenti, licuerit de Iove loqui per pluviam descendente? De Iove, aëris tempestatisque rectore et moderatore, cf. etiam Geo. I, 418. II, 419. Quod autem Voss. adnotat, adveniente Phyllide Iovem, quasi Danaë aliqua conspecta, per imbrem se demittere, hoc mihi magis ingeniose quam vere dictum videtur. Ceterum Iovem omnino pro caelo et aëre dici, notissimum. Cf. Ennius apud Cic. N. D. II, 25, 65. Hor. Od. I, 1, 25. I, 22, 19. Epod. XIII, 1. Ovid. Met. IV, 260. Fast. II, 297. III, 527. IV, 505. Iuven. V, 78. Stat. Theb. III, 26. Cic. N. D. I, 15, 40. Theocr. IV, 23. etc. Vid. etiam adnott. ad Geo. II, 325. et Ecl. IV, 32. *Iuppiter plurimus* dictum est, ut Geo. I, 187. *nux plurima*, IV, 419. *plurima unda*, Aen. VI, 659. *plurimus amnis* et similia. Vid. Geo. II, 166. 182. Aen. II, 369. V, 250. multosque alios locos. Conf. etiam Orell. ad Hor. Od. I, 7, 8. et quae de eodem Positivi *multus* usu supra ad Ecl. I, 33. adnotavimus. Ceterum imitatus videtur hunc locum Calpurn. Ecl. III, 51 sqq. et Ecl. IX, 44 sqq., ut ipse Vergilius Theocritum Id. VIII, 41 sqq. — 61. *Populum* Herculi *gratissimam*, i. e. sacram fuisse, testantur etiam Theocr. II, 121. Verg. ipse Geo. II, 66. Aen. VIII, 276. Ovid. Her. IX, 64. Sen. Herc. Fur. 914. id Herc. Oet. 579. Plin. XII, 1, 2. et, qui imprimis conferendus, Phaedr. III, 17, 4. Causam refert Serv. ad h. l., ita fere narrans: Leucen Nympham a Plutone amatam et raptam fuisse, eaque mortua illius iussu natam esse in Elysiis campis, vel secundum Homerum (Il. XIII, 389. ubi vid. Scholl.) in Acherontis ripa, arborem illam cognominem (Graecis enim populus alba, *die Silberpappel*, ἡ λεύκη vocatur), ex qua Hercules ab Inferis rediens coronam sibi fecerit, duplici foliorum colore geminos labores superorum inferorumque testatus. Praeterea cf. idem Serv. ad Aen. VIII, 276. et Macrob. Sat. III, 12. *Alcides* autem (vel *Alcaeus:* Diod. IV, 10.) hic heros vocabatur, priusquam ab Apolline Pythio Herculis nomen accepit (cf. Apollod. II, 4, 12. Eustath. ad Hom. Il. XIV, 324. p. 989, 43. Tzetz. ad Lycophr. 662.) vel ab avo Alceo, vel a fortitudine (ἀλκῇ). — *Iaccho.* Vid. adnott. ad Ecl. VI, 15. — 62. *Formosae Veneri.* Cf. Theocr. III, 46. τὰν καλὰν Κυθέρειαν. Ovid. Fast. IV, 129. etc. Vid. etiam adott. ad Ecl. IV, 57. — *Myrtum* secundum Servium ideo dicatam Veneri volunt, quia, cum a mari exisset, latuit pone myrtum, (quae planta est maritima et aquarum amans) ne nuda conspiceretur; vel etiam quia fragilis est, ut amor inconstans; vel quia iucundi odoris. Vid. etiam Voss. ad h. l. et in Epist. myth. II, 28. atque interpp. ad Phaedri l. l. et cf. Geo. I, 28. II, 64. Aen. V, 72. etc. *Laurum* ob Daphnen, in eam mutatam, Apollini gratissimam fuisse, omnes noverunt. — *sua laurea.* Vid. ad Ecl. III, 62. Ceterum Peerlk. p. 33. coni. *For-*

Phyllis amat corylos; illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corylos nec laurea Phoebi.

THYRSIS.

Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis:
Saepius at si me, Lycida formose, revisas,
Fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.

MELIBOEUS.

Haec memini, et victum frustra contendere Thyrsim.
Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.

---

mosa est, ut *myrtus Veneri formosa* idem sit quod grata, cum, quemadmodum Graeci poëtae εὔμορφος vel καλὸς ἐμοί, etiam Latini dicant *formosus* vel *pulcher mihi* i. e., meo iudicio, oculis meis, ut Tibull. IV, 13, 3. *Tu mihi sola places nec iam te praeter in urbe Formosa est oculis ulla puella meis.* — 64. Pro *corylos* (vid. ad Ecl. I, 14.) Serv. habet *Veneris*, „quod, Heynio iudice, et ipsum habet suavitatem ex paritate eius, quod respondet: *laurea Phoebi.*“ Sed recte Wagn. hanc lectionem reiicit, qua ambitiosius Phyllidis et Veneris nomina sibi opponerentur. Ceterum Gebauer I. p. 77. vehementer gauderet, si propter responsionis concinnitatem e Codd. *neque* restitui posset. (Cf. supra ad. v. 14.) — 65. Gebauer I. p. 249. comparat Theocr. XVIII, 29 sq. *pinus in hortis*, pinus hortensis, πίτυς ἥμερος, quae Ovidio A. A. III, 692. *pinus culta* et Vegetio IV, 34. *pinus domestica* vocatur, et a *silvestri* (Colum. IV, 26.), s. pinastro (Plin. XVI, 10, 17.) distinguitur, quare etiam Theophr. h. pl. XII, 10. πεύκης τὸ μὲν ἥμερον, τὸ δὲ ἄγριον discernit; nobis *Föhre*, *Zirbelbaum*. Cf. Heins. ad h. l. et Cerda ad Geo. IV, 112. — 66. *in fluviis*, i. e. in ripis fluviorum s. ad fluvios, ut Geo. II, 110. *Fluminibus salices crassisque paludibus alni Nascuntur*, et Aen. VII, 714. *qui colunt flumen Himellae.* Vid. Spohn. ad Niceph. Blemm. p. 29—31. Cerda ad Aen. XI, 659. Broukh. ad Prop. I, 2, 11. Burm. ad Grat. Cyneg. 314. et ad Claud. p. 658. Jaeger et Arntzen. ad Mamert. Grat. act. Iul. Aug. 7, 3. Conington conferri iubet Hom. Il. IV, 482. — 68. Praeferam te fraxino et pino. — *cedat*, pro vulg. *cedet* (in Pal., Gud. aliisque Codd. apparente), quod Cort. ad Lucan. I, 103. defendit, ex Medic. aliisque bonis libris ab Heinsio restitutum recte servarunt Heyn. omnesque posteriores editores; praecedit enim *revisas*, non *revises*. Cf. Wagn. Qu. Virg. VI, 3. et not. ad Ecl. VI, 11. — 69. *Heyn.* inter alia haec adnotat: „Hoc facile perspicio, Thyrsim esse perpetuum Corydonis obtrectatorem; id quod ipsa lex carminis amoebaei postulat; huius tamen versus qua tandem in re Thyrsidos numeris praestent, qui tardus meus sensus est, equidem non perspicio. Inventi saltem laudem in neutro video esse magnam, maiorem tamen in eo, cui ex tempore respondendum est ad id, quod alter ex meditato paratum habuerat.“ Sed aptius profecto Corydon arbores cum arboribus, quam Thyrsis arbores cum Lycida comparat. — Sensus v. 70., quem Heynius ut inertem Vergilio temere abiudicavit, cum eo reiecto carmen apta clausula destituatur et auctor imitetur Theocritum VIII, 92. κἦχ τουτῳ Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρῶτος ἔγεντο, hic esse debet: Ex illo tempore Corydon mihi prae ceteris egregius poëta videtur; quare Vossius verba recte ita coniungenda censet: Corydon ex illo tempore nobis est Corydon, *seitdem ist Corydon mir ein Corydon*, i. e. praeclarus poëta κατ' ἐξοχήν; vel potius, ut equidem malim explicare: Ex illo tempore scio Corydonem talem (tam egregium) esse poëtam, qualem famae credens cogitatione fingebam; ut igitur hic locus conferendus sit cum Quinct. Inst. IX, 3, 68. *Hunc hominem hominem iudicabimus* et similibus ἀναχλάσεως exemplis; *nobis* autem, ut Ecl. III, 104. *et eris mihi magnus Apollo*, idem fere sit, quod Ecl. V, 18. *iudicio nostro.* Wagner. vero, cui haec ratio non satisfacit, *est nobis* explicat per *placet*, ut in illo Propertii loco I, 20, 13. *Nec tibi sit duros montes* etc. *adire*, et nomen Co-

rydonis cum vi repetitum censens, ut Ecl. II. 69., locum sic reddit: *Corydon ist mein Mann!* At illius loci longe aliam rationem esse, quam huius, quisque videt; neque Propertii locus allatus, qui potius congruit cum Ecl. X, 46. *nec sit mihi credere* et similibus, ubi *nec sit mihi, tibi* etc. cum Infinitivo aliquo coniunctum (cf. Heins. ad Ovid. A. A. II, 28. et Dissen. ad Tibull. I, 6, 24. et VI, 3, 3.) magis respondet Graec. μὴ γένοιτο, μὴ ἔστω, cum nostro iure potest comparari. Quare, ut ingenue fatear, Wagneri explicatio, ex qua inter *Corydon, Corydon* Commate distinguendum esset, mihi paullo artificiosior et Vossianae postponenda videtur, in quo recentiores editores omnes, Ameis. Spicil. p. 14. et Gebauer de poët. I. p. 253. mecum consentiunt. [In minore tamen edit. III. etiam Wagn., tandem in nostram sententiam perductus, locum sic explicat: „Ex illo tempore Corydon, iam ante a me pro magno poëta habitus (v. 16.), vere Corydon summusque in canendo artifex habetur."] Hildebrand. (in Iahnii Novis Annal. XXVI. p. 165.), cui neutra interpretatio placet, fatetur se nescire, quid huic loco faciendum sit, nisi quis legere malit *Ex illo Corydon, Corydon est tempore notus*, quam tamen coniecturam ipse non audet serio defendere, et Kalmus l. l. p. 18. etiam hunc locum audaci coniectura vexavit: *Ex illo Corydon Phoebo par tempore nobis.*

ECLOGA VIII. PHARMACEUTRIA.*)

ARGUMENTUM.

Missa est haec Ecloga Asinio Pollioni, cui Vergilius iam anno superiore Eclogam IV. dedicaverat, auctumno anni 715., cum in eo esset, ut ille Parthinis in Dalmatia a. 714. devictis triumphum acturus**) Romam rediret***), quod poëta non potuit praeterire, quin fautorem suum carmine aliquo celebraret, quem alloquitur v. 6—14. Continet autem Ecloga duorum pastorum carmina†), quorum alterum (v. 17—61.) ex Theocriti Id. III., alterum (v. 64—109.) ex eiusdem Id. II. petitum est, et quae a poëta tamquam a se ipso audita proferuntur (v. 1—5.). Damonis carmen praeclare exponit gravem dolorem pastoris a Nisa, perfida puella, quae ipsi Mopsum rivalem praetulerat, decepti; Alphesiboei autem carmine inducitur mulier, quae Daphnim, amatorem suum, quem infidelem habet, sacris magicis et incantationibus ad se revocare studet.

---

*) Haec inscriptio, quae tantum alteri carminis parti convenit, ex Theocr. Id. II. translata est. „In Mediceo hic est multo aptior huius carminis titulus: Damonis et Alphesiboei Certatio."

**) Quem egit a. d. VIII. Kal. Novembr. a. 715.

***) Perperam Heynius hanc Eclogam iam a. 714. scriptam censet, quo tempore Pollio maris Illyrici oras legerit, ut ad Parthinos perveniret. Vide quae contra eum disputavit Spohn. in Prolegg. p. 47 sq. et cf. etiam Orellii Excursum ad Hor. Od. II, 1. et Ribbeck. Proleg. p. 9. Alii adeo hoc carmen ad Octavianum spectare opinantur, quos recte refutat Burmann. ad v. 6.

†) Pertinet autem ad illud carminum amoebaeorum genus, quod in nota Argum. Eclogae III. adiecta altero loco posuimus. In strophica autem huius Eclogae ratione diiudicanda neque Ribbeckium, neque Ladewigium presse secutus sum, sed cum Gebauero de poët. I. p. 102. perspiciens, v. 21. et 22. itemque v. 68. et 69. tam arcte cohaerere, ut divelli non possint, singula strophae et antistrophae membra versu intercalari s. ephymnio non finienda, sed inchoanda esse arbitrabar, ut utraque incipiat a proodo quatuor versuum sine ephymnio et finiatur ephymnio unius versus. Praeterea autem paulo artificiosior Gebaueri p. 124 sq. ratio, qui cum versum, qui vulgo est 50., *Improbus ille puer* etc., servandum, tum post v. 57. nihil excidisse ratus, ultimas strophae et antistrophae partes chiastica ratione sic sibi respondere censet:

3. 4. 5. 3.
×
3. 5. 3. 4.,

deserenda mihi videbatur. Cf. adnott. ad v. 28.

Ceterum quod ad locum attinet, in quo canunt, Vossius et ex *lyncibus* v. 3. commemoratis, quas in Italia nusquam fuisse testetur Plin. N. H. XXVIII, 8. et ex usu *tibiae* (v. 21.) Italicis pastoribus incognito rem in terra peregrina agi concludit, et quidem in iugis Pindi, quo ducant *Oetaeus Hesperi ortus* (v. 30.) et sacra magica, quibus Thessalia potissimum famosa fuerit.

DAMON. ALPHESIBOEUS.

Pastorum Musam Damonis et Alphesiboei,
Immemor herbarum quos est mirata iuvenca
Certantis, quorum stupefactae carmine lynces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus,

1—4. „Mansit hoc ex priscorum hominum sermone in pastoricii carminis simplicitate, ut cantus praestantiam ita declarent poëtae, ut pecudes, feras et inanimata eo moveri aut delectari dicerent. Cf. Ecl. X, 8. Calpurn. II, 10." *Heyn.* Cf. quae de Orpheo ad Ecl. III, 46. adnotata sunt, et Ecl. VI, 27 sqq. — *Pastorum Musam*, ut apud Theocr. I, 20. *βουκολικὰ Μῶσα. Musam*, i. e. carmina. Cf. adnot. ad Ecl. I, 2., ubi *silvestrem, rusticam* et *agrestem Musam* eodem sensu dici vidimus. — 2. *immemor herbarum*. Cf. Hor. Od. I, 15, 30. *cervus - - graminis immemor*. Omnino vid. adnott. ad Ecl. I, 38. et V, 26. — 3. *carmine*. Plures Codd. *carmina;* quare Wagn. suspicatur latere h. l. aliquod vitium et Vergilium scripsisse: *stupefactae ad carmina*, quemadmodum Ovid. Met. V, 509. *Mater ad auditas stupuit, ceu saxea, voces*, ibid. I, 503. *neque ad haec revocantis verba resistit*, ibid. XIV, 214. *omnemque tremiscens Ad strepitum*, Her. XI, 63. *Mortua, crede mihi, tamen ad tua verba revixi*, et haud raro *expavescere ad aliquid* (vid. Burm. ad Val. Fl. III, 264. et VII, 623. Hand. Turs. I. p. 97. et imprimis p. 101.,) ut etiam apud Graecos *θαμβεῖν, θαυμάζειν, ἐκπλήττεσθαι, οἰκτείρειν πρός τι*, et similia (vid. Iacobs. ad Achill. Tat. IV, 14. p. 732.) dicantur. Poterat sane post literas *ae* facile excidere Praepositio, quae tamen cum in omnibus Codd. desideretur, ingeniosae Viri doct. coniecturae non subscripserim, immo *carmina* sequenti *flumina* originem debere putaverim. Iuncturam autem sententiarum minus commodam, cum copula praegresso relativo inaequalia membra coniungat: *quorum carmine--et* (ad quod) *flumina* etc., recte idem Wagn. Qu. Virg. XXXIV. 4. multis similibus locis comparatis illustrat. Cf. v. c. Geo. III, 282. Aen. III, 381. V, 288. VI, 283. VIII, 566 sq. IX, 592. X, 519. XI, 74. XII, 493 etc. — *iuvencam* collective sumendam esse pro iuvencis, vix est cur memorem. — „*lyncas* in tali carmine, quod ad Siciliam pertinet, nolis esse memoratas." *Heyn.* Sed in eiusmodi rebus non haerendum. Fera aliqua bellua commemoranda erat; quaenam, in carmine perinde est. (Cf. adnott. ad Ecl. V, 28.) Vid. tamen, quae in Argum. praemisso de loco, quo res agatur, exposita sunt. — 4. *mutata - - requierunt flumina cursus* per prolepsin aliquam dictum; nam *mutata flumina* dicuntur, quae cum fluere desinant cursumque inhibeant, quasi naturam suam exuere et mutari videntur. Ita si locum intelligimus, et edit. Ven. lectione *mirata*, quae Heynio temere placuit, et tautologico illo *morată*, quod Wagnero in mentem venit (qui comparat Hor. Od. I, 12, 9. *Orphea Arte materna rapidos morantem Flumina lapsus*, et coll. Val. Fl. VI, 443. *Medea - - Mutat agros fluviûmque vias* mutare fluminum cursum magae potius quam poëtae esse dicit), vel *remorata* (quod Peerlk. et Ribb. coniiciunt) facile supersedemus. *Requiescendi* enim verbum, quod plurimi editores transitive hic positum intelligunt, ut inde pendeat Accus. *cursus suos*, Schirach., Voss., Iacob. et Ladew. intransitive, ut vulgo, usurpatum capiunt, *cursus suos*

Damonis Musam dicemus et Alphesiboei.
Tu mihi, seu magni superas iam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis aequoris, — en erit umquam

---

tamquam Accusativum remotioris, quem vocant, Obiecti cum *mutata* coniungentes. Sed adversatur huic explicationi non minus Calvi locus in Io, quem Servius affert, *Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus*, quam parallelus Ciris v. 232. locus *rapidos -- requiescunt flumina cursus*, et altera illa Calpurn. Ecl. II, 15. imitatio: *Et tenuere suos properantia flumina cursus*, quorum locorum auctores nisi ipsos Vergilium non intellexisse censeamus, h. l. *requiescendi* vocabulum non aliter, atque transitiva significatione, potest accipi; quidquid contra dicat Iacob. ad Prop. III, 15 (II, 22), 25. p. 163 sq., hunc transitivum verbi usum omnino negans et Ciris pariter ac Propertii illum locum (*Iuppiter Alcmenae geminas requieverat Arctos*) paullo artificiosius explicans. Ribbeck. in Codd. quibusdam invenit *liquerunt*, quo recepto hanc scripturam commendari posse censet: *Et remorata suos liquerunt flumina cursus*. Ceterum Peerlk. p. 34. vv. 1—4. spurios censet, cum primi versus, in quibus etiam offendat otiosa vox *pastorum*, tenues sint et ieiuni, *lynces* huc non quadrent et v. 4. iustum sensum non praebeat. Vide autem, quae ei opponit Ladew. Progr. p. 12. — 5. *Musam*. Vid. adnott. ad Ecl. I, 2. — 6. „Asinio Pollioni, a quo iussus erat carmen bucolicum condere, Eclogam hanc inscribit Maro, pollicens carmen maius, quo eius laudes comprehendat; quae duplicis generis sunt, et rerum gestarum v. 8., et ingenii operumque poëticorum v. 9. 10. Quod nomen Pollionis adscriptum non est, forte sic excuses, quod in fronte voluminis illud adscriptum erat. [Immo iam Voss. verissime animadvertit, Pollionem hic tam manifesto indicari, ut nomen eius addere supervacaneum sit.] Ceterum poëta inceptam orationem deserit, interponens ἐνθουσιῶν illa: *en, erit umquam -- tibi desinet*. Iunges: *Tu mihi -- accipe carmina*." *Heyn.* Eandem rationem probat Wunderl. (cui adsentitur Iahn.), illustrans constructionem *accipe mihi* Graeci sermonis usu, v. c. Hom. Il. II, 186. *δέξατό οἱ σκῆπτρον, accepit ab illo*, et conferri iubens Hermann. de metr. Pind. p. 273. Sed (quod iam Wagn. adnotavit) nimis remota sunt illa *accipe carmina*, quam ut *mihi* cum iis iungere nobis liceat. Accipe potius *mihi* pro Dativo illo, quo rem quandam aliquo modo ad nos pertinere significamus et quem propterea ethicum appellare solemus. (Cf. infra v. 30. Geo. II, 252. IV, 354. Aen. I, 136. 261. etc.) Hic autem Pronomine addito indicatur gaudium quoddam poëtae de Pollionis victoris reditu; nam revertenti, non proficiscenti in Parthinos Pollioni hanc Eclogam scriptam esse, iam in Argum. vidimus, quo plurima refelluntur, quae Heyn. ad h. l. disputat. Consentiunt nobiscum ceteri recentiores editores. De *Timavo* Heyn. haec adnotat: „In Carnorum enim finibus, inter Aquileiam et Tergeste, qui tractus totus saxeus et scopulosus est, apud vicum S. Ioannis, non longe a castello Duino (*Tywein*), complures — modo septem, modo novem numerantur — ingentesque inter rupium antra aquarum fontes prosiliunt, qui post brevem cursum in unum flumen coëunt, quod vix mille passuum viam emensum latum altumque uno ostio in mare exit. Hinc *magnus Timavus*. Cf. Aen. I, 244. et ad eum locum Excurs. VII." Vide Strab. V. p. 214. sq. VI. p. 275. Cas. Mela II, 4, 3. Plin. III, 18, 22. Liv. XLI, 2. et quae exposui in *Handb. d. alt. Geogr.* III. p. 513. et in Pauly *Realencycl.* VI. p. 1973. Etiam nunc *Timavo* vocatur. — *Superare* per se vel transcendere potest significare, ut de pedestri itinere sermo sit (cf. Geo. II, 270. *superant montes et flumina tranant* etc.), vel etiam navigando praetervehi, ut in illo Aen. loco *fontem superare Timavi* et ap. Liv. XXX, 39, 2. Spohn., priorem rationem amplexus, pedestri itinere Pollionem rediisse suspicatur; faciliorem enim fuisse, si navibus usus esset, Dyrrhachio Brundusium traiectionem. Sed cum *oram legere* non nisi de navigantibus dici videatur, neque credibile sit, Pollionem primum Illyrici oram nave praetervectum fuisse, deinde ad Flanonam fortasse vel Polam egressum terra reliquum iter conficere perrexisse, in superiori autem Adria, turbido mari, navigantes, quo tutior esset cursus, litus legere solerent, equidem, comparans etiam Aen. l. l., posteriorem rationem sequor. — 7. *Sive* - - -

Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium, tibi desinet. Accipe iussis
Carmina coepta tuis atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere laurus.

---

aequoris, i. e. sive etiamnum longius abes; nam e Parthinis redeunti primum ora Illyrici, deinde Istriae, ubi Timavus, legenda fuit; quod iam Wund. docet coll. Claud. VII, 119. et Aen. I, 243. 44. Ceterum ex multis locis huc pertinentibus, ubi *oram, litus legere* invenitur, cf. v. c. Liv. XXI, 51, 7. XXXV, 27, 3. et (ubi metaphorice usurpatur) Geo. II, 44. Vid. etiam Rupert. ad Tac. Ann. VI, 1, 1. et Doederlein. Synon. III. p. 209. De voc. *ora* cf. adnott. ad Geo. II, 171. — *en erit umquam.* Vid. supra ad v. 6. et cf. not. ad Ecl. I, 67. — 8. *Ille dies*, de tempore futuro, ut Aen. VI, 782. IX, 481. X, 862. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXI, 1. b. Peerlk., qui haec verba perperam ad Gallum refert, p. 36. locum, de quo multa disputat, coniectura sic constituit: *Tu mihi ades, magni - - - aequoris! En erit umquam, Galle, dies* etc., cui iam Silii imitatio XVI, 91 sq. *En umquam lucebit in orbe Ille dies, quo* etc. adversatur. — *dicere*, i. q. canere. Vid. not. ad Ecl. III, 55. et V, 54. Fortasse poëta hic respexit Theocr. XXIII, 33 sq. et XXIV, 85. Cf. Gebaueri Progr. laud. p. 2. nota. — 10. *Sola Sophocleo* etc., i. e. cum unius Sophoclis tragoediis comparanda, ut IX, 35. *Vario et Cinna digna dicere.* Asinium Pollionem tragoedias composuisse, iam supra vidimus ad Ecl. III, 84 sq. (cf. etiam Hor. Od. II, 1. et Sat. I, 10, 42.) Eas tamen illo tempore nondum in vulgus exiisse, ex his verbis concludit Heyn., qui censet, non satis commode Maronem Pollionis carmina, si tam praeclara sint, *suis* demum laudibus in notitiam hominum velle adducere. Omnino autem Pollionis tragoedias non videri frequenti lectione tritas fuisse, adnotat Thorbeck. de As. Poll. vita p. 128., quas praeter unum Tacitum in dial. de Orat. §. 21. nemo commemoret et Quinctilianus alto silentio praetereat. Ceterum cf. Weichert de Varii et Cassii vita p. 52. et 149. — *cothurnus* tragicus, diversus a venatorio (cf. not. ad Ecl. VII, 32.), saepe per metonym. ponitur pro tragoediis et tragico scribendi genere. Cf. v. c. Hor. Od. II, 1, 12. A. P. 90. 280. Ovid. Rem. Am. 375. Prop. III, 32, (II, 24,) 41. Iuven. VI, 633. XV, 29. etc. De ipso cothurno eiusque usu cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 5. p. 124. Schmid. ad Hor. Ep. T. II. p. 105. Iacobs. ad Anthol. Pal. p. 230. alii. — 11. *A te principium.* Cf. Ecl. III, 60. ibique adnott. „*tibi desinet* carmen, Musa, in te desinet; laudes tuae perpetuum meorum carminum argumentum erunt; ita simpliciter exponere malim, etsi dura [immo commotior: Wagn.] oratio est. Cf. Theocr. XVII, 1." *Heyn.* Ceterum haec *A te principium, tibi desinet* quasi in proverbium venisse ideoque non nimis proprie accipienda esse, docet Voss. coll. Hom. Il. IX, 97. ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι. Hoc ipso autem Homeri loco probabilis redditur Ladewigii coni. *in te desinam*, quam etiam Peerlk. p. 39. videtur suadere, qui vulgarem lectionem se non intelligere fatetur. Ribbeck. edidit *tibi desinam*, quod Pal., Gud. a. m. pr. aliique Codd. praebent; atque etiam Coningt., comparans Hor. Sat. II, 2, 28. suspicatur, elisionem neglectam fortasse causam fuisse verae lectionis *desinam* mutandae. — 12. *Accipe iussis* etc. His verbis post digressionem poëta redit ad orationem v. 6. coeptam. *iussis Carmina coepta tuis*, i. e. hoc ipsum carmen, quod te iubente, qui ad carmina bucolica scribenda me excitasti, coeperam. Spohn. suspicatur, hoc carmen fortasse iam a. 712. coeptum, postea autem nondum absolutum a poëta instantibus turbis ex agrorum divisione ad alia transgresso depositum esse, quemadmodum Horatius Epod. XIV, 6 sqq. dicat *Deus, Deus nam me vetat Inceptos, olim promissum carmen, iambos Ad umbilicum adducere.* — 12. 13. „Permitte, ut inter laudes tuas bellicas etiam hic ex poëtico encomio honos tibi accedat, neve Musam meam dedignare. Haec vero quam eleganter expressit poëta!" *Heyn.* Cf. similis locus Ovid. Met. I, 558 sqq. De *hedera* poëta-

Frigida vix caelo noctis decesserat umbra,
Cum ros in tenera pecori gratissimus herba,
Incumbens tereti Damon sic coepit olivae.

DAMON.

Str. a. „Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, almum,

---

rum cf. not. ad Ecl. VII, 25., et de forma *laurus*, a Wagn. pro vulg. *lauros* e grammaticis reposita, ad Ecl. VI, 83. Med., Pal., Gud., tres Bern. et Isidori exempl. Orig. XVII, 9, 22. hic exhibent *lauros*. Substantivorum autem verbalium in *tor* et *trix* aliis Substantivis Adiectivorum loco per appositionem iunctorum, ut hic *laurus victrix*, multa exempla collegerunt Ruddim. II. p. 4. et Ramsh. §. 203. I. e. p. 943. Imprimis autem cf. Hor. Ep. I, 3, 25. *hederae victricis praemia*. — *serpere* de plantis luxuriantibus haud raro legitur apud Plin., v. c. XVII, 20, 33. XXI, 16, 59. XXVII, 9, 58. 11, 74. Cf. etiam quae ad Ecl. III, 45. et V, 7. adnotavimus. Voss. verecundiam poëtae hoc verbo exprimi censet, nescio an vere. Videtur hunc locum respicere Calpurn. IV, 56. *Et modo te baccheis Musa corymbis Munerat et lauro modo pulcher obumbrat Apollo.* — 14. 15. Describitur tempus solis ortum statim secutum s. primum mane. Heyn. comparat similem Ovidii locum Her. X, 7 sqq. *Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina Spargitur* etc. *Umbra* haud raro de nocte tenebrisque nocturnis dicitur. Cf. Geo. I, 366. Aen. II, 251. 360. 420. 768. III, 589. IV, 184. et saepius. Ut hic *frigida*, ita Aen. XI, 210. *gelida* noctis *umbra* commemoratur. — 15. *tenera herba*. Sic Theocr. VIII, 67. *ἁπαλᾶς ποίας* (coll. V, 55. XI, 57. XV, 113.). Cf. Geo. III, 326. Ovid. Met. III, 23. XV, 14. Colum. X, 282. atque *tenerum gramen* ap. Hor. Od. IV, 12, 9. Praeterea autem vid. Ecl. VII, 6. 12. X, 7. 53. Geo. III, 15. et Gebauer Progr. p. 9. — *gratissimus herba*. Ita omnes libri Mss.; quare Heins. recte sustulit, quod vulgo addebatur, Verbum subst. *est;* quamquam in eiusmodi enuntiatis, quae a Coniunctione aliqua vel e Relativo pendent, Vergilius alibi semper adiicere solet Verbum subst. (Cf. Wagn. Qu. Virg. XV, 2.) Sed Geo. III, 326., ubi idem fere versus iteratur, pariter in omnibus paene Codd. omittitur. — 16. *incumbens - - olivae*, i. e. baculo s. pedo (Ecl. V, 88.) oleagineo innixus, non, ut Wartonus explicat, trunco oleae adstantis acclinatus, quod vix significare potest *incumbere olivae*, quamquam non verum est, quod Heyn. opponit, epitheton *tereti* alienum esse ab hac explicatione, cum etiam Aen. VI, 207. legamus *Quale solet--viscum--teretes circumdare truncos*. Pastores autem baculo oleagineo uti constat, (cf. Theocr. VII, 18. *ξοικὰν δ' ἔχεν ἀγριελαίω Λεξιτερᾷ κορύναν*. Apollon. Arg. II, 34. Ovid. Met. II, 680. Fast. I, 117. et Culicis v. 97.) et *oliva*, ut *pinus* (cf. not. ad Ecl. IV, 38.), *abies, ferrum* etc., sexcenties pro rebus inde factis ponitur. — 17. *Nascere*, i. e. surge, orere. Cf. Hor. Od. III, 23, 1. *Caelo supinas si tuleris manus Nascente luna*. Geo. I, 441. *Sol ubi nascentem maculis variaverit ortum*, ubi vid. adnott. Sic alibi de ventis surgentibus, de fluminibus prorumpentibus etc. — *praeque d. v. age*, praeveniens diem age, s. adduc. Aen. II, 802. *surgebat Lucifer, - - ducebatque diem*. Noctem enim pervigilaverat miser et lucis ortum cupide exspectabat. De tmesi *prae - - veniens* vid. adnott. ad Ecl. VI, 6. — *diem--age, Lucifer*. Cf. Aen. II, 801 sq. *„dies almus*, ut *lux alma* Aen. I, 306. et al., est, quae recreat, grata, iucunda, *wohlthätig* [vel potius: qua fruendo vivimus, qua opus est ad vivendum.]. Proprie sunt *alma*, quae alunt, ut lac, nutrix, Ceres, et alia; inde quaecunque bona, benefica, utilia, iucunda et grata sunt.“ *Heyn.* Quare primum dicitur de terra et agris (Geo. II, 330. Lucr. II, 992.), tum de sole et luce (Aen. I, 306. V, 64. Stat. Theb. X, 364. Val. Fl. V, 311. Hor. Carm. saec. 9. Sen. Agam. 74.), de aqua (Lucr. II, 390.), de nutricibus et mammis (Plaut. Curc. II, 3, 79. Stat. Achill. II, 383.) etc.; deinde constans fere est deorum epitheton (Geo. I, 7. Aen. II, 664. VII, 774. X, 215. 220. Hor. Od. I, 2, 43. I, 4, 15. III, 4, 42. Ovid. Fast. IV, 722. etc.) atque etiam ad sacer-

Coniugis indigno Nisae deceptus amore
Dum queror et divos, quamquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.
b. Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Maenalus argutumque nemus pinosque loquentis
Semper habet, semper pastorum ille audit amores
Panaque, qui primus calamos non passus inertis.
c. Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.

---

dotes et vates transfertur (Aen. VI, 74. 117. Prop. V, (IV,) 9, 51.). Cf. etiam Bentl. ad Hor. Sat. II, 4, 13. — 18. *coniugis*, i. q. sponsae, vel simpliciter amicae, ut infra v. 66. et Aen. III, 330. VII, 189. Cf. Broukh. ad Tibull. III, 2, 4. et Wagn. ad Eleg. ad Messal. p. 47., ubi coll. Aen. IV, 35. Tibull. III, 2, 13. et Burm. ad Val. Fl. III, 497. docetur, eadem ratione *generum* et *maritum* de futuro genero et marito dici, male autem Heynium huc referre Aen. IV, 536., ubi vid. not. Adde potius infra v. 30. Aen. II, 344. et cf. Westerh. ad Ter. Andr. IV, 4, 53. — *indigno amore*, h. e. perfido, qui non dignus erat pastoris fideli et constanti amore, s. puellae perfidia, quae alteri nubit: v. 26 sqq. Cf. infra Ecl. X, 10. — 19. Pro *et divis* Burm. e cod. Moret. edidit *ad divos*, quod recte reiicit Schrader. Emendatt. p. 38. coll. Cir. 405., ubi vv. 19. et 20. iterantur. Copula non potest omitti. — *testibus illis*, a Nisa amica saepe ad amorem testandum adhibitis. — 20. *extrema* vitae *hora moriens*, morti voluntariae proximus (cf. v. 59.), *adloquor*, invoco, obtestor. Male enim Heyn. statuit „incusandi eos causa" pastorem adloqui deos; quam explicationem falsam esse, docet totius loci connexus: *quamquam nil - - profeci - - tamen adloquor*. Ribbeck. ex Cod. Med. a m. pr. et Palat. a m. sec. edidit *adloquar*; sed etiam Cir. 404 sq., ubi v. 19. et 20. ad verbum repetuntur, in Codd. *adloquor* legitur. Ceteri recentiores editores Indicativum Praes. servarunt. — 21. Versus intercalaris ad imitationem Theocr. I, 64. 70. 73. II, 17. 22. etc. factus. *Maenalios*, i. e. Arcadicos, pastoricios, quales a pastoribus cani soliti in Maenalo, Arcadiae monte. De *Maenalo* autem, qui etiam Ecl. X, 15. 55. et Geo. I, 17. commemoratur (ubi *pinifer* vocatur), cf. Strab. VIII. p. 388. Paus. VIII, 36, 5. Theocr. I, 124. Mela II, 3, 5. Plin. IV, 6, 10. et liber meus geogr. III. p. 864., de Arcadum vero canendi peritia vide not. ad Ecl. IV, 58. et VII, 4. — *Tibiam*, qua Romani non nisi in sacris ludisque scenicis utebantur, apud Graecos etiam inter pastorum instrumenta musica inveniri docet Voss., coll. Theocr. XX, 28. Longo I. p. 6. et Lucr. V, 1384. Wagn. tamen fortasse *καλάμινον αὐλόν* intelligendum censet, de quo Athen. IV, 80. p. 182. *Ὁ δὲ καλάμινος αὐλὸς τιτύρινος καλεῖται παρὰ τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριεῦσιν*, quod probetur v. 24. et 33., ubi Damon *calamos* et *fistulam* appellet. — Verba *Incipe, tibia, mecum versus* intelligenda sunt de cantu tibiae singulis strophis canendis praemittendo. Cf. etiam quae ad Ecl. I, 2. V, 14. et 87. adnotavimus. Plane eadem ratione Hor. Od. I, 32, 1 sqq. *Si quid -- lusimus tecum -- barbite.* — 22. *argutum nemus*, cantu pastorum resonans. Similiter *arguta ilex* Ecl. VII, 1., ubi vid. adnott. — „*pinos loquentes*, i. q. *argutas*, aut vento sonoras (vid. Heins. ad h. l. et Ecl. VII, 1.) aut, quod cum Servio melius statuas, resonantes cantu, propter sqq. *semper pastorum ille audit amores.*" *Heyn.* Hoc alterum sane praeferendum. Spohn. laudat Cic. ad Fam. VI, 3. *Sed in ea es urbe, in qua haec, vel plura et ornatiora, parietes ipsi loqui posse videantur.* Voss. autem, non aliter locum intelligens, confert Ovid. A. A. I, 80. *forum argutum*, Colum. IX, 5. *valles argutas* et Aen. IX, 458. *stagna loquentia*, quibus adde *nidos loquaces* Aen. XII, 475. — 23. *pastorum audit amores*, infelices potissimum, qualis meus est amor. *Amores* autem eodem sensu redit Ecl. X, 53. *incidere amores Arboribus.* — 24. *Pana*, i. e. pastorum carmina fistula modulata, quam Pan invenit (cf. Ecl. II, 32.); quare adduntur verba *qui primus c. n. p. inertis*, sed potius canoros reddidit, fistula inde facta, iisque primum ad canendum usus est. Heyn. comparat Geo. I, 124., cuius loci idem fere sit

Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?
Iungentur iam grypes equis, aevoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula dammae.

---

color. Ceterum haec non de huius ipsius pastoris carminibus usque repetendis intelligenda, sed communem esse sententiam, docent v. 58 sqq. coll. cum v. 20 sq. — 26. Sententia haec est: Si homini, qualis Mopsus est, Nisa pulcherrima matrimonio iungitur, eodem iure coniunctiones rerum vel maxime naturae repugnantes exspectare possumus. *Mopso Nisa datur*, sc. nuptum: ut alibi verbum *tradi* usurpatur. Cf. Mart. Laguna ad Lucan. II, 341. et interpp. ad Tac. Ann. IV, 40. Peerlk. de Gallo cogitans (vid. supra ad v. 5 sqq.) Nisam Galli amicam ficto nomine esse suspicatur, ut argumentum simile sit illi Ecl. X., in qua alia Galli amica Lycoris appelletur. — *quid non speremus amantes?* sc. fieri posse: nihil non licet nunc exspectare; cum summi doloris et indignationis significatione. (Heyn. comparat Ovid. Trist. I, 8, 7. *Omnia nunc fient, fieri quae posse negabam.*) *Spes* enim et *sperare*, ut Graec. ἐλπίς et ἔλπεσθαι, omnino dicitur de incertis futuri eventis, sive bonis sive malis, quae exspectantur. Cf. Kritz. ad Sall. Cat. 20, 13. et Iug. 88, 1. virisque doctis ab eo laudatis adde Rupert. ad Liv. I, 5. not. 8. et Baumg. Crus. ind. II. ad Suet. p. 731., de simili autem Graecorum usu Iacobitz. ad Lucian. Char. 8. p. 31. Interpp. ad Thom. Mag. p. 299. Reisig. ad Soph. Oed. C. 1393. Enarr. p. CLXIX. et cf. Aen. I, 543. XI, 275. etc. — 27. Cf. Ovid. Trist. I, 8, 1 sqq. *Omnia naturae praepostera legibus ibunt* etc. *Iungentur grypes equis.* Heyn., Peerlk. et Conington de coitu cogitant, quam rationem sane loci quidam infra laud. iuvare videntur; rectius tamen Voss., cui Wagn. et Ladew. adsentiuntur, de eodem curru, cui mythicae illae bestiae simul cum equis iunctum iri dicantur. Cf. etiam ad v. 28. adnott. et Ecl. III, 91. Color huius loci, qui similis est infra v. 52 sqq. et Ecl. I, 59 sqq., ductus est ex Theocr. I, 132 sqq. Cf. etiam Hor. Od. I, 33, 7 sq. *sed prius Apulis Iungentur capreae lupis.* Epod. XVI, 31 sqq. *iuvet ut tigres subsidere cervis* cett. Ars P. 13. *Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.* Aristoph. Pac. 1076. *πρίν κεν λύκος οἶν ἰμεναοῖ* et similes locos cum iis, quae ad Ecl. III, 91. adnotavimus. *Gryphes* s. *gryphi* monstra mythica, ex hieroglyphis ducta, quae leonis corpus aquilae facie et alis instructum referebant, et in Rhipaeis montibus degentia aurum e terra effossum a latronibus, Arimaspis potissimum, custodire, ideoque et equis, quibus Arimaspi utebantur, infestissima putabantur (Herod. III, 116. IV, 13. Plin. X, 49, 69. Mela II, 1.). Poëtis raro commemorantur; ex Claud. tamen VI. Cons. Hon. 30. et Sidon. carm. XXII, 66. et 67. Apollinis currui iunctos fuisse discimus. Ceterum formam *grypes* (ut apud Graecos *γρῦπες*) praebet Cod. Med., quem cum recentissimis editoribus secuti sumus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 462. (Ribbeck. Proleg. p. 423 sq.) et Schneid. Gr. Lat. I. p. 204. — *aevo sequenti* Conington recte ab antecedente *iam* distingui memorat, ut eo progressus terribilis rerum conversionis (*a later step in the monstrous revolution*) indicetur. Unus Cod. Leid. *sequente;* sed quamquam alibi Vergilius Ablativos consequentiae ubique in *e* terminare solet, hic tamen, ut Geo. II, 319. et Aen. VII, 102., alteram formam videtur praetulisse, quia magis est Ablativus temporis (ut Aen. IV, 527. V, 820.), quam constructio Ablat. absolutorum. Cf. Iahn. ad Geo. I, 13. Peerlk. p. 40. verba *aevoque sequenti* spuria censens Vergilium fortasse *cervique lacaenis* scripsisse arbitratur! — 28. *cum canibus*, venaticis. — *ad pocula*, ad potum. Cf. Geo. V, 529. *pocula sunt fontes liquidi* et adnott. ad Aen. III, 354. — *damma*, ut *talpa* (Geo. I, 183.) Vergilio masculinum est (cf. etiam Geo. III, 539.), aliis (v. c. Hor. Od. I, 2, 11. Martial. III, 58.) femininum, quare non mirum, hic quoque plures Codd., inter quos Med. et Pal. a. m. pr., exhibere *timidae.* Sed vid. Quinctil. IX, 3. p. 800. Burm. et Statius Achill. II, 408., qui, Vergilium secutus, pariter *timidos damas* commemorat. Cf. etiam Periz. ad Sanct. Min. I, 7. not. 7. et Ruddim. I. p. 15. Ceterum cum Wagn. Vol. V. et in edit. min. ceterisque editt. recentissimis *damma* edidimus geminata litera *m*, Med., Rom. et Serv. Dresd. secuti. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 432. et Ribb. Pro-

Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor;
Sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperus Oetam.
d. Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
O digno coniuncta viro, dum despicis omnis
Dumque tibi est odio mea fistula dumque capellae

---

leg. p. 430. Poëta Anth. Lat. Burm. V, 133, 21. hos versus sic imitatur: *Iungatur nunc cerva asino, nunc tigris onagro, Iungatur fesso concita dama bovi*, et ipse, ut nos, locum nostrum de iumentis iunctis intelligens. — Post hunc versum Ribbeck. (quem sequitur Conington) ex uno Cod. Gudiano repetit versum intercalarem, iam God. Hermannum ad Bionem p. 46. perspexisse adnotans, aut hoc faciendum, aut versum intercalarem antistrophae post v. 75. delendum esse. Nos potius illum delevimus; Ribbeckii enim ratione efficitur stropha duorum versuum omnem carminis concinnitatem evertens. Apud Ribbeckium stropha sic est constructa: 4, 3, 3, 2.| 4, 5, 3. | 3, 5, 4. |, apud nos vero sic: 4, 3, 5. | 4, 5, 3. | 3, 5, 4.|. Utra ratio praestet, alii iudicent. Cf. autem adnot. ad v. 75. — **29.** Instantem Mopsi felicitatem cogitans Damon ritus nuptiales incipit recensere. — „*novas incide faces*, incisis lignis para taedas ad novam nuptam domum deducendam. Epith. *novas* ornat simpliciter." *Heyn.* Immo *novas faces incide* videtur significare: incipe faces incidere. Cf. adnott. ad Aen. VIII, 695. *Incidere faces* legitur etiam Plin. XVIII, 26, 63. et Colum. XI, 2, 90., ut *inspicare faces* Geo. I, 292., ubi vid. adnott. — *tibi ducitur uxor* Wagn. rectissime explicat: „iam in eo est, ut domum tuam nupta deducatur." Vide paullo inferius adnotata. Repetunt haec verba auctores carm. in Anth. Lat. Burm. I, 172, 40. et 178, 201. — **30.** *Sparge, marite* (cf. not. ad v. 18.) *nuces*. In Romanorum nuptiis spargebantur nuces nupta iam in domum et thalamum deducta, ideoque nocte iam orta; quare hic *Hesperus* adiungitur. Cf. etiam Catull. LX, 328 sq. Vituperat autem Maronem Wagn. Qu. Virg. XL, 3., quod Romanum ritum ad Graecos homines transtulerit. Nam rem in Graecia agi, indicare vel ipsorum pastorum nomina vel illud: *tibi deserit Hesperus Oetam*. Cf. etiam Argum. Vossius tamen hunc morem neque a Graecis prorsus alienum fuisse censet. — *tibi* Wagn. explicat „tibi cupienti," comparans Geo. II, 252. IV, 354. Aen. I, 136. aliosque locos, ubi Dativus animum aliquo modo affectum indicet; qua de re dictum est supra ad v. 6. Mihi potius Dativus commodi videtur, ut sensus sit: in tui gratiam nox adventat; te nunc exspectant noctis genialis gaudia. Verissime autem Vir doctiss. disputat contra Vossium, qui Hesperum h. l. eundem esse putat cum Lucifero, ut haec prodeat sententia: „oritur iam, matutino tempore, Lucifer idem, qui mox, cum nox venerit, Hesperus luceat, ac diu sperata gaudia tibi afferat;" nam deductionem uxoris nucumque sparsionem, vesperi fieri solitam, vetare, ne Hesperum h. l. improprie dictum existimemus, et facile posse Damonem, licet ista primo mane canat, ea, quae mox futura essent, animo iam praecipere. — *deserit Hesperus Oetam*, i. e. supra Oetam primum visus iam relinquere eam procedens videtur. Sollemnem fere poëtarum usum, ex quo promiscue modo in ortu, modo in occasu solis Veneris stella, (*Lucifer* sive *Hesperus*) ab Oetaeis montibus oriri i. e. in conspectum venire dicatur (cf. Cul. 202. *Et piger aurato procedit Vesper ab Oeta*, Cirin 350. Catull. LXII, 7. Sen. Herc. Fur. 132 sq. et quos laudat Barth. ad Stat. Silv. V, 4, 8.) Heyn. ex aliquo poëta Graeco ductum putat, qui aut in locis Oetae subiectis vixerit, aut rem in hoc monte gestam, Pelei fortasse et Thetidis nuptias, narraverit. De *Oeta* ipso, notissimo Thessaliae monte, in meridionalibus eius finibus sito, qui nunc *Katavothra* et in summa parte *Patriotico* dicitur, cf. quae exposui in libro meo *Handb. d. alt. Geo.* III. p. 858. et in Pauly *Realencycl.* V. p. 883. — **32.** *O digno c. v.*, irrisio cum contemptu et indignatione coniuncta (cf. supra v. 26.). Eum enim, cuius causa fidem sibi datam fregerit Nisa, non minus rusticum et multo se deformiorem esse Damon significat. Heyn. conferri iubet Theocr. XI, 31. — **33.** Dum me despicis et fastidis ut caprarium. Peerlk. pro *capellae* coni.

Hirsutumque supercilium promissaque barba,
Nec curare deum credis mortalia quemquam.
e. Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saepibus in nostris parvam te roscida mala —
Dux ego vester eram — vidi cum matre legentem.
Alter ab undecimo tum me iam acceperat annus;
Iam fragilis poteram ab terra contingere ramos.
Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error!
f. Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc scio, quid sit Amor; duris in cotibus illum

---

capilli. — Cum v. 34. cf. Theocr. III, 7. XI, 30 sqq. et XX, 8. 21. *hirsutum supercilium*, incomptum, horridum, pilis spinarum instar subrectis, Theocriti XI, 31. λασία ὀφρύς. Sic Ovid. Met. XIII, 766. *hirsuta barba*, et saepe *hirsuti capilli, hirsutae comae.* — *barba promissa*, quae alibi (et hic quoque e vulg. lectione) *prolixa* dicitur, neglecta, impexa et intonsa, ideoque villosa dependens. Vid. Nep. Dat. 3. *capillo longo barbaque erat promissa*, et Aen. III, 593. *barba immissa.* Cod. Pal. praebet *demissa;* lectio autem *promissa* nititur Med., Gud. aliorumque bonorum Codd. auctoritate. Cf. etiam Caes. B. G. V, 14. Liv. XXXVIII, 17, 3. Ovid. Trist. IV, 2, 34. Plaut. Rud. II, 3, 46. Solin. 51. etc. Fortasse respexit hunc locum Calpurn. VI, 13. *hirsuta spinosior histrice barba.* — 35. *nec--quemquam*, nec periurii poenam a deis metuis, qui sunt perfidiae ultores. — *mortalia*, res humanas. Cf. Ovid. Met. XIII, 70. *Aspiciunt oculis Superi mortalia iustis* et Bentl. ad Hor. A. P. 68. — 37. Locus, qui sequitur, fluxit ex Theocr. XI, 25—29. *Saepibus in nostris* Heyn. explicat: in horto prope saepem; rectius autem Voss.: in horto saepibus cincto, ideoque intra saepem, ut Geo. IV, 130. *in dumis.* — *roscida mala*, rore matutino adspersa. Cf. Theocr. Ep. I, 1. ῥόδα δροσόεντα, Claud. Epith. Pall. 13. *roscida mala.* Propert. I, 20, 36. *roscida poma.* — 38. *legentem*, carpentem, ut Ecl. II, 51. et III, 70. 92. — 39. *alter ab undecimo*, i. e. duodecimus, ut Ecl. V, 49. (ubi vid. adnott.) *alter ab illo*, secundus. Servio, Eugraphio et prioribus quibusdam philologis (ut Manutio, Scaligero, aliis) *alter ab undecimo* falso est tertius decimus. — *acceperat annus.* Hanc Medicei optimorumque librorum lectionem, quam etiam Eugraphius ad Ter. Andr. I, 1. tuetur, praetuli cum Wagn. vulgatae *ceperat*, ab Heinsio defensae, cum syllabam *ac* elisione absorptam esse appareat. Cf. adnott. ad Geo. III, 190. Recte igitur eandem lectionem recentiores editores omnes amplexi sunt. Annus autem (ad quem *pervenire*, quem *attingere* alibi dicimur) *accipit* illum, qui eum ingreditur. — 40. *ab terra.* Ita Wagn. cum Med. et Pal. a. m. pr. Vulgo *a terra*, minus numerose. Cf. etiam, quae ad Ecl. VII, 6. adnotavimus. — 41. *Ut vidi, ut perii!* quod ex Theocr. II, 82. et III, 42. sumptum refert, male Heyn. explicat: „cum vidi, tum statim amore exarsi: ὡς — ὡς, pro ὡς — οὕτως, ut — ita, *ex quo — confestim.*“ Sed recte Wagn. adsentitur Vossio, Latinum hoc esse neganti, et primum *ut* de tempore (*simul ac*), alterum vero et tertium exclamantis esse docet, coll. Tursell. de partt. p. 1097. ed. Schwartz.; errare tamen Vossium, cum dicat, exclamandi vim etiam verbis *ut vidi* tribui posse, videndi enim verbum non capere hanc emphasin. Ceterum cf. Moschus II, 74. ὡς μιν φράσαθ', ὡς ἔδλητο etc. — *perii! ut.* Hiatum et caesura et gravior interpunctio excusat. Cf. Hermann. Elem. doctr. metr. p. 333 sqq. Schneid. Gr. Lat. I, 1. p. 141. Huschk. ad Tibull. II, 2, 5. et not. ad Ecl. II, 53. Ceterum *perire* i. q. misere amare, velut ap. Prop. III, 7, (II, 15,) 13. *Paris fertur periisse Lacaena* (i. e. Helena). — *error* pro insania quadam amoris, quare Hor. Ep. II, 1, 118. *errorem* et *insaniam* coniungit. Vid. Cerda ad h. l. Heins. ad Ovid. Am. I, 10, 9. et Met. X, 342. (ubi *malus error* pro *malus ardor*, quod Loers. et Merkel. ediderunt, ex hoc loco illatus videtur Gebauero Progr. p. 11., qui comparat Theocr. II, 136. σὺν κακαῖς μανίαις. Ceterum idem versus legitur in Ciri 430. — 43. „*Nunc scio*, sero scil. Ex Theocr. haec Idyll. III, 15 sq. [*Νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα*

Aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes
Nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.
g. Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem

βαρὺς θεός. cf. eiusd. XXIII, 4.], sed multo is modestius et ex imperiti pastoris persona decentius." *Heyn.* Ceterum cf. adnott. ad Aen. III, 602. — *quid sit Amor*, quae sit natura amoris. (Cf. not. ad Ecl. I, 18. et III, 80.) Nunc demum intelligo, quam saevus et crudelis sit Amor. Iterat haec verba imitator Vergilii in Anth. Lat. Burm. I, 178, 93. Sequentes versus Voss. comparat cum Hom. Il. XVI, 33 sqq. et Aen. IV, 365 sqq. — *cotibus* antiquior est forma pro vulgari *cautibus*. Cf. Prisc. I, 9, 52. (p. 562. Putsch.) et Schneid. Gr. Lat. I, 1. p. 59. — *illum* cum emphasi et cum exsecratione quidem dictum, ut etiam Ecl. X, 60. *Ille*, Pron. demonstr. tertiae personae, primum remotum aliquid respicit, cum vero, quae remota sunt a nobis, maiora nobis videri soleant, tum etiam res insignes, excellentes ideoque etiam omnibus notas significat. Dicitur autem in utramque partem de rebus hominibusque, qui aut virtutibus aut vitiis suis noti sunt, aut illustres aut infames. Cf. Aen. I, 617. II, 540. IV, 215. V, 391. VI, 27. etc. et Wagn. Qu. Virg. XXI, 6. — 44. Cf. similes loci Theocr. VII, 77. et Geo. I, 332. *Aut Tmaros.* Sic optimi Codd., quos iure secuti sunt Heyn. et Wagn., quamquam perantiqua est altera lectio *Ismaros aut;* quae varietas lectionis etiam Aen. V, 620. invenitur. *Tmarus* autem s. Tomarus, Epiri erat mons, ad cuius radices Dodona sita, quique etiam nunc *Tomaro* vocatur (vid. liber meus geogr. III. p. 877.). Cf. Strab. VII. p. 327. sq. IX. p. 434. Plin. IV, 1, 1. 2, 3. et quae Gesner. (ab H. laud.) congessit ad Orph. Argon. 264. De Graeca forma *Tmaros* cf. adnott. ad Ecl. VI, 13. et Iahn. ad Aen. II, 264., de *Rhodope* ad Ecl. VI, 30. Ceterum miror, Ribbeckium non ex Med., Gud. et Probo Inst. I, 4, 15. edidisse *Maros*, cum Geo. I, 56. (ubi vid. adnott.) ediderit *Molus.* — *extremi*, remotissimas orbis terrarum regiones incolentes, ut Aen. VIII, 727. *Extremi Morini.* Hor. Epist. I, 1, 45. *extremi Indi.* Catull. XI, 11. *ultimi Britanni* etc. Cf. Hom. Od. I, 23. *Αἰθίοπες ἔσχατοι ἀνδρῶν* et Theocr. VII, 113. *πυμάτοισι παρ' Αἰθιόπεσσι*, praeterea autem Hor. Od. III, 10, 1. Ovid. Met. IV, 21. Catull. XXIX, 4. alii, quos comparat Gebauer Progr. p. 6 sq. — *Garamantes*, Africae interioris populus supra Gaetuliam, Phazaniam potissimum regionem (*Fezzan*) incolens, de quo, etiam Aen. IV, 198. et VI, 794. commemorato, cf. Strab. II. p. 90. et XVII. extr. Herod. IV, 174 sqq. Plin. V, 4, 5. Mela I, 4. alii et liber meus geogr. II. p. 884 sqq. Heyn. non ferendum censet, hunc extremae Africae populum a pastore commemorari. At quis, quaeso, nostrum in carmine potissimum non ferat rusticum aliquem *Hottentottos* vel *Lappones* commemorantem? Ceterum verissime adnotat Wagn., haec e Graeco exemplo videri expressa; totum certe versum, imprimis autem exitum *extremi Garamantes*, ad Graecam rationem effictum (*ἢ Τμάρος, ἢ Ῥοδόπη, ἢ τηλουροὶ Γαράμαντες*). Quod autem hiatum attinet, *Rhodope aut*, compares Geo. IV, 343. Aen. I, 16. III, 74. IV, 235. 461. 667. VII, 631. IX, 477. X, 141. 156., omnes ad Graecum aliquod exemplum formatos. Cf. etiam not. ad Ecl. II, 24. et Wagn. Quaest. Virg. XI, 1. — 45. *generis nostri*, i. e. vere humani. *edunt*, pro ediderunt, genuerunt. Saepe autem poëtae et Graeci et Latini in vividiore oratione Praesente utuntur pro Perfecto, si res praeterita effectu suo praesentiam tangit; quare Wagn. in edit. min. rectissime docet, *edunt* hic idem valere, quod *parentes sunt*, coll. Geo. I, 279. Aen. I, 731. VII, 485. VIII, 141. 294. IX, 266. X, 518. Ceterum cf. etiam Aen. II, 661. IV, 288. Ovid. Fast. III, 323 sqq. IV, 33 sq. Prop. V, (IV,) 1, 77. etc. Wagn. ad Eleg. ad Messal. p. 27 sq. et quae de Praesentis usu in comparationibus ad Ecl. VI, 30. et Aen. I, 316. adnotavimus. — 47. Medeam, Aetae, Colchici regis filiam, respicit, quae, ab Iasone marito repudiata, ulciscendae iniuriae causa filios ex eo partos necavit. Cf. Apollon. III, 242. Apollod. I, 9, 28. Hyg. f. 25. 26. 27. Diod. IV, 31, 46 sq. Ovid. Met. VII, 350 sqq. Schol. Eurip. Med. 9. 20. 277. alios. — *Saevus Amor* (cf. Tibull. III, 4, 65.), ut alibi

Commaculare manus, crudelis! tu quoque, mater,
Crudelis mater, magis at puer inprobus ille.
h. Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc et ovis ultro fugiat lupus, aurea durae

---

crudelis (Ecl. X, 29.), *ferus* (Hor. Od. II, 8, 14.), *acer* (Tibull. II, 6, 15.), *inprobus* (infra v. 49. et Aen. IV, 412.), et ap. Graecos ἄγριος, σχέτλιος, δεινὸς, βαρὺς, οὖλος cett. Cf. Gebaueri Progr. p. 8 sq. — De v. 48 sqq. (qui vulgo sic eduntur: *Commaculare manus; crudelis tu quoque, mater. Crudelis mater magis, an puer improbus ille? Improbus ille puer; crudelis tu quoque, mater*) Heyn. ita iudicat: „Inest ieiuni et inepti lusus nescio quid; nec tollitur illud, si mater Venus sit. Quare, etsi audacter dictum videbitur, libere tamen profiteor, versus hos ab inepto homine ex margine illatos videri. Adscripserat aliquis pro suo iudicio: *Crudelis mater magis, an puer improbus ille?* Alter, ac si iudex sederet, adscripserat: *Improbus ille puer: crudelis tu quoque mater.* Dignum operculum patella! sed uterque versus eliminandus." Contra eum hos versus defendunt Iahn. et Wagn., quorum ille iam metrum huic opinioni adversari docet, cum strophica sit horum versuum ratio, et quaeque stropha praeter intercalarem versum duodecim versus contineat; hic autem censet, his versibus deletis etiam hemistichion illud v. 48. *crudelis tu quoque mater* stare non posse, cum oratio sic procedat: „Crudele quidem matris quoque facinus: sed si quaeras, utrum mater, quae illud ausa est nefas, crudelior, an Amor, qui eam ut auderet impulit, improbior fuerit, illa sane crudelitatis, hic turpioris et foediorem improbitatis notam sustinebit." Emendatione tamen opus esse, iam God. Hermannus intellexit, qui ad Bionem p. 46 sq. hanc proposuit medelam: *--Commaculare manus: puer, ah puer inprobus ille: Inprobus ille puer, crudelis tu quoque mater*, cui Ribbeck. in Iahnii Annal. Phil. LXXV. p. 78. hanc leniorem adiecit: *--Commaculare manus, crudelis! tu quoque mater Crudelis mater, magis et puer inprobus ille;* Kalinus autem l. l. p. 19. ultimo versui hunc voluit substitui: *At puer inprobus est magis et crudelior illa.* Ego in distinguendo et interpretando hoc loco nunc cum Ladew. Ribbeckii editionem secutus tantum versum vulgo quinquagesimum *Inprobus ille puer* cett., quem etiam Peerlk. p. 41. damnat, spurium habeo eoque deleto reliqua sic explico: *--crudelis! (der grausame!) Tu quoque, mater* (Medea, non Venus, de qua Burm. aliique cogitant) *crudelis* (eras) *mater, at magis inprobus puer ille*, qui te ad hoc facinus excitavit. *Inprobus* enim (ut nunc scripsimus cum recentissimis editoribus: cf. Wagn. Orth. Verg. p. 409.) non idem est, quod antecedens *crudelis* (ut Heyn. statuit coll. Aen. II, 80. X, 727. et Anth. Lat. Burm. I. p. 358.), sed, de auctore et suasore facinoris dictum, illo gravius vituperat. (Cf. etiam Aen. IV, 412. *Inprobe Amor* etc.) De postposita autem Particula *at* vid. adnott. ad Ecl. IV, 63. Non tamen reticendum est, Gebauerum, qui I. p. 63. et p. 124 sq. omnino aliam de strophica carminis ratione proponit opinionem, vulgarem lectionem defendere, quam cum Vossio paullo artificiosius sic explicat: „(Utrum) mater an ille improbus puer magis crudelis (fuit)? (Magis crudelis fuit) ille improbus puer, crudelis tu quoque mater." (Voss. scripserat: *--Ja noch grausamer, als selbst die unnatürliche Mutter, ist der heillose Knabe. Du bist nur auch grausam.*) Chiastica autem numerorum ratio in ultimis strophis manet, etiamsi versum cum Gebauero servamus; ex illius enim ratione hoc prodit schema:

3. 4. 5. 3., ex nostra vero hoc paullo concinnius: 3. 3. 5. 4.
× ×
3. 5. 3. 4. 3. 5. 3. 4.

Ceterum haud dubie hunc locum ante oculos habuerunt auctores carm. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 263. (*Commaculare manus fraterna caede*), ibid. I, 168, 7. (*Hic crudelis amor, crudelis tu quoque, mater*) et in Wernsd. Poët. L. min. IV, 319, 6. (*Inprobe, dure puer, crudelis crimine matris.*) — „51. sqq. ex Theocr. I, 132—136. Nihil est praeter naturam factum, quod nunc non exspectes." *Heyn.* Cf. locum simillimum Ecl. I, 59. (ibique ad-

Mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,
Pinguia corticibus sudent electra myricae,
Certent et cycnis ululae, sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in silvis, inter delphinas Arion. 55
i. Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiant mare. Vivite silvae;
. . . . . .

---

nott.) et supra v. 27 sqq. — *ultro*, a nemine fugatus, aufugere coactus. Dicitur hoc Adverb. haud raro de iis, qui contrarium faciunt ei, quod alias facere solent vel facere debere videntur, ut docet Wagn. Qu. Virg. XXVII, 1., qui affert Geo. IV, 265. Aen. VII, 236. IX, 676. — 52. *aurea mala.* Vid. not. ad Ecl. III, 71. — *narcisso floreat alnus.* Fortasse poëta respexit Theocr. I, 131. Cf. Gebaueri Progr. p. 2. — 53. *pinguia electra.* Potest sucinum et resina quaevis, quam arbores sudant, eodem iure pinguis dici, quo v. c. cera et mel (Geo. IV, 14. *pinguia stabula apum*, i. e. alvearia), vel apud Lucan. III, 681. *taedae pingues*, i. e. multa pice fluentes. De pingui sucini natura Heyn. Taciti Germ. 45. iubet conferri, ubi etiam eadem construct. legitur *tura balsamaque sudantur*, de qua cf. not. ad Ecl. IV, 30. De *myricis*, quae sucinum non exsudant, vid. adnott. ad Ecl. IV, 2. — 54. *Certent cycnis ululae*, sc. cantu; nam de cygnorum cantu veteres permulta fabulantur. Vid. quae ad Ecl. IX, 29. adnotavimus. Cum hoc loco praeter Ecl. IX, 36. cf. imprimis Lucr. III, 6. *Quid enim contendat hirundo Cycnis?* et Martial. I, 54, 8. *Inter Ledaeos ridetur corvus olores.* Heyn. comparat Theocr. I, 136. σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο. Adde eiusd. V, 136. οὐ θεμιτὸν - - - ποτ' ἀηδόνα κίσσας ἐρίσδειν οὐδ' ἔποπας χύτροισι et quos locos Unger de Valg. Rufo p. 242. affert. De Graeca constructione *certare alicui* dictum est ad Ecl. V, 8. — *sit Tityrus Orpheus.* „Tityrus, rudis cantu, nunc inter reliqua, quae contra rerum naturam fient, erit alter Orpheus et Arion. Poëtica exornatione adiecit utrique determinationem ab externa aliqua ratione: uti Ecl. VII, 68." *Heyn.* — 55. *Orpheus in silvis.* Cf. Ecl. III, 46. ibique adnott., de repetito autem nomine adnot. ad Ecl. VII, 3. — *Arion*, Cyclonis aut Neptuni et Oncaeae Nymphae filius, Methymnae in Lesbo insula natus, celeberrimus aetatis suae citharista et poëta lyricus, circa Ol. XXXIX. apud Periandrum, Corinthi regem, vixit. Ex Italia inferiore et Sicilia, ubi arte sua ingentem pecuniae vim cumulaverat, cum Corinthum rediret, a nautis divitiarum, quas secum ferebat, cupidis in mare praecipitatus, sed a delphinis incolumis ad Graeciae litora devectus est. Cf. Herod. I, 23. Hyg. f. 194. Aelian. V. H. XIII, 45. Gellius XVI, 19. Verg. Geo. II, 90. ibique Serv. Ovid. Fast. II, 80., ubi vid. Gierig., multique alii, et Schlegelii nostri carmen celeberrimum. — 57. Per me omnia altum mare fiant, omnia mari obruantur, i. e. omnia pereant, vox est desperantis et maximas calamitates vilipendentis. *Medium* autem *mare* hic nihil aliud est, atque *altum*, ut Aen. III, 665. *graditurque per aequor Iam medium.* Elmsleio locus videtur falsa conversio verborum Theocr. I, 134. πάντα δ' ἔναλλα γένοιντο, ac si ibi legeretur ἐνάλια; quod si verum esset, tueretur etiam lectionem nostram *fiant.* Ribbeck. tamen (qui de hoc loco Naekium ad Cat. Dir. 46. conferri iubet) e Codd. Med., Pal. et uno Bern. recepit *fiat* et locum sic explicat: „mare mihi instar omnium fiat", quod probare non possum; neque video, quomodo Conington, qui et ipse *fiat* edidit, contendere possit, sensum eundem manere, sive *fiant*, sive *fiat* legamus. — *vivite*, i. q. valete, cum quo saepe coniungitur. Vid. Hor. Sat. II, 5, 110. Epist. I, 6, 67. Catull. XI, 17. Auson. Epist. 20, 13. Inscr. ap. Gruter. p. 799. n. 8. *Vive hospes, dum licet, atque vale.* Cf. Burm. ad Anth. Lat. II. p. 196. et Obbar. ad Hor. Ep. l. l. Vol. I. p. 336. Ceterum Heyn. haec e Theocr. I, 115—118. ducta esse adnotat. Cf. etiam Ecl. X, 63. *concedite, silvae.* Post hunc versum alium quendam excidisse, qui sententiam verbis *vivite, silvae* expressam latius persecutus sit, quod iam God. Hermannus ad Bion. p. 16. suspicatus est, admodum probabile fit comparatione antistro-

Praeceps aërii specula de montis in undas
Deferar; extremum hoc munus morientis habeto.
Desine Maenalios, iam desine, tibia, versus."
Haec Damon; vos, quae responderit Alphesiboeus,
Dicite, Pierides; non omnia possumus omnes.

ALPHESIBOEUS.

Antistr. a. „Effer aquam et molli cinge haec altaria vitta
Verbenasque adole pinguis et mascula tura,

---

phae v. 103 sqq. (quamvis Ameis. Spicil. p. 15. et Conington de huius opinionis veritate dubitent.) Et Ribbeck. quidem (quem in designanda hac lacuna cum Hauptio et Ladew. secutus sum) in Iahnii Annal. phil. LXXV. p. 79. talem fere versum proposuit: *Vive tuo felix digno cum coniuge, Nysa!* Cf. etiam Kalmus Exerc. crit. p. 3. — 59. Expressit poëta Theocr. Id. III, 25. — *Specula* omnino quemvis locum celsum indicat, unde longe lateque possumus prospicere. Sic Aen. X, 454. *leo specula vidit ab alta*, i. e. ab alto monte, et in Ciri v. 301. *Praeceps aëriis specula de montibus issem.* — *aërii montis.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 58. — 60. *hoc munus* Heyn. de carmine, quod cecinit Damon, intelligit, coll. Theocr. III, 24. 25. et supra Ecl. II, 7.; sed rectius Voss. (coll. Theocr. XXIII, 20. *δῶρά τοι ἡνθον λοίσθια ταῦτα φέρων, τὸν ἐμὸν βρόχον*), quem sequuntur Wund., Wagn. et Ladew., de ipsa morte Damonis accipit. Morientes enim superstitibus munera offerre solent. Cf. Ecl. II, 38 sq. Sensus igitur hic est: Moriens hanc tibi laetitiam, quam ex morte mea capies, muneris loco offero. Ceterum ut Dido Aen. IV, 429. de *extremo munere* loquitur, sic iisdem prorsus verbis *extremum h. m. m. habeto* Scylla utitur in Ciri v. 266. et auctor. epigr. in Anth. Lat. Burm. I, 172, 26. — 61. *Desine--versus.* Cf. Theocr. I, 114. et adnott. ad Ecl. V, 19. — 62. *Haec Damon* etc. Cf. Calpurn. IX, 53. *Haec Idas calamis, tu, quae responderit Alcon Versu, Phoebe, refer.* — 63. *„non omnia possumus omnes.* Alphesiboei carmen, tamquam doctius, recitandum ad Musas refert. Causam per proverbium reddit: se ei recitando non aeque ac superiori carmini parem esse. Dictionem *non omnia possumus omnes* ductam esse ex Lucilio [Sat. V, 21. Gerlach.] testatur Macrob. VI, 1. p. 575. (T. II. p. 157. Bip.) ubi *maior erat natu: non omnia possumus omnes.*" *Heyn.* Haud raro autem *omnis, multus* et similia vocabula ita geminantur, quod docet Beier ad Cic. Off. I, 17. Cf. v. c. Geo. II, 109. *Nec vero terrae ferre omnes omnia possunt.* Cic. Finn. V, 2, 6. *Nos omnes omnia ad huius adolescentiam conferamus.* Lucr. I, 167. *ferre omnes omnia possent.* ibid. 173. *nequeunt ex omnibus omnia gigni* etc. — 64 sqq. „Quod sequitur, carmen ex Theocriti Pharmaceutria Idyll. II. adumbratum est. Mulier aliqua venefica [et Thessalis quidem, ut Voss. censet] inducit amatorem suum, a se abalienatum et in urbem ex agro profectum, magicis sacris ad se revocans. Loquitur vero cum Amaryllide, sacrorum horum administra." *Heyn.* Omnino cf. loci artes magicas describentes Aen. IV, 504 sqq. Hor. Serm. I, 8. Tibull. I, 2. Prop. V (IV,), 5. Ovid. Her. VI, 83 sqq. Lucan. VI, 430 sqq. — 64. Apparatum sacri magici curari iubet misera. De ritibus magicis a Verg. in sequentibus commemoratis cf. Lersch. Antiq. Virg. p. 192 sqq. *Effer.* Burm. praefert paucorum librorum lectionem *Affer.* Sed cum res in aedium impluvio agi videatur, vulgaris retinenda. Cf. infra v. 101. — *aquam*, lustralem. Cf. Aen. VI, 229 sqq. — *molli*, utpote lanea, ideoque etiam fluxa, pensili et ad aram facile se applicante. Cf. etiam Wakef. ad Lucr. I, 89. et quae ad Ecl. II, 72. et III, 45. adnotavimus. Ceterum de vitta aris circumdata cf. Prop. V, (IV,) 6, 6. *Terque focum circa laneus orbis eat.* — 65. Hic versus ab imitatore iam aliquoties laud. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 378. sic iteratur: *Verbenasque adole pinguis nigrumque bitumen. Verbenam* Donat. ad Ter. Andr. IV, 3, 11. pro *herbena* dictum putat ab *herba* et hanc vocem *omnes herbas frondesque festas vel ex aliquo loco puro decerptas* significare memorat. Cf. Aen. XII, 120. Hor. Od. I, 19, 13. IV,

Coniugis ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus; nihil hic nisi carmina desunt.
b. Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Carmina vel caelo possunt deducere Lunam,

11, 7. Liv. I, 24, 6. XXX, 43, 9. Plin. XXII, 12, 3. Ovid. Met. VII, 242. In scriptis medicorum (v. c. Cels. II, 32. VIII, 10. Plin. XXV, 9, 59.) singularem aliquam plantam denotat, quam Graeci *περιστερεῶνα*, nos *Eisenkraut*, Francogalli etiam nunc *vervaine* vocant. Cf. Sprengel. ad Dioscor. IV, 60. 61. Voss. ad Geo. IV, 131. Billerb. Flor. class. p. 6 sq. Bach. ad Ovid. l. l. — *pingues*, fortasse venenato succo tumentes, cum de re magica agatur. Cf. Aen. IV, 513 sq. — *masculum tus* vocabant veteres optimum ac pretiosissimum, in guttae speciem rotundum, quod docent Dioscor. I, 81. (ubi cf. Sprengel.) et Plin. XII, 14, 32. (qui addit: *Religioni tributum, ne sexus alter usurparetur. Masculum aliqui putant a specie testium dictum;* quocum consentit Servius: *mascula tura, quae in modum testiculorum sunt.*) Ceterum Codd. Med. et Vat. auctoritatem secuti (ut omnes recentiores editores) cum Wagn. scripsimus *tura*, non *thura*, quamquam forma aspirata, i. e. graeca, (cui opitulatur Cod. Pal.) Servio teste ad Geo. I, 57. et Aen. VI, 3. est antiquior. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 476. (in eo tantum errans, quod Feam inter huius scripturae patronos refert, qui potius, ut Orell. et Obbar., in Horatii carminibus tuetur aspirationem). Accuratius de hac re egit Obbar. ad Hor. Epist. I, 14, 23. Fasc. VI. p. 191. — *adole* pro incende. Rectius quam Heynius de hoc voc. egit Voigtlaender. in Forcell. Lex. p. 70., quem vide. Scilicet *olere* (Graec. *ὄζειν*), quod primum est odorem spirare (cf. Plaut. Cas. II, 3, 19.), eiusque forma inchoativa *olescere* significat etiam i. q. augeri, crescere, et cohaeret cum *alere* et *alescere*. Huc autem pertinent loci, ubi legitur *aras, altaria donis adolere*, i. e. cumulare (ut Aen. VII, 71. Lucr. IV, 1230. Tac. Ann. XIV, 30. etc., cf. adnott. ad Geo. IV, 379.), vel ipsos *deos adolere* (ut Aen. I, 704. et Stat. Theb. I, 514. *flammis adolere Penates*), i. e. augere, colere, honorare (coll. Nonio I, 288. et IV, 44. p. 516. et 624. Gothofr.). Iam cum Dii maxime sacrificiis iisque incensis honorentur colanturque, paullatim usurpari coeptum est activa signif. pro *cremare, incendere* (in sacrificiis), imprimis a poëtis, (ut Verg. Aen. III, 547. Ovid. Her. XVI, 333. Fast. I, 276. III, 803. Met. VIII, 741. etc.), ut h. l. *verbenas adole* sit i. q. cumula verbenas super aram, ut in ea crementur, h. e. simpliciter incende, crema verbenas. Cf. etiam Wakef. ad Lucr. II, 1129. et V, 798. Ceterum Heyn. cum h. l. comparat Val. Fl. I, 204. *pingui cumulat libamine flammam.* — 66. *coniugis*, i. e. amatoris. Vid. supra ad v. 18. — *sanos avertere - - sensus*, i. e. a sanitate avertere et convertere in amoris insaniam. Planius etiam Schirach. p. 576.: „Vult maga Daphnidis animum avertere ab amore alterius puellae et ad se pellicere, ut sui amore insanus fiat, quo nunc erat vacuus, quare *sanos sensus* vocat." Ceterum cf. Hom. Od. XIV, 178. *βλάπτειν φρένας ἐΐσας* et Theocr. II, 3. *Ὡς τὸν ἐμοὶ βαρυνεῦντα φίλον καταθύσομαι ἄνδρα.* — 67. *carmina* de magicis formulis s. incantamentis intelligendum. Vid. adnott. ad Aen. IV, 487. — 68. Cf. Theocr. II, 17. *Ἴυγξ, ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.* — 69 sqq. Cf. Aen. IV, 487 sqq. et Tibull. I, 8, 19 sqq. — *caelo deducere Lunam* in sacrorum magicorum enarrationibus, in quibus omnino luna primas fere agit partes, haud raro legitur. Putabantur enim magae lunam et sidera suo arbitratu movere; quae opinio ad *φαινόμενον* illud traiectionis stellarum videtur referenda. Voss. affert Aristoph. Nub. 749. Plin. XXX, 2. et Martial. IX, 30, 9. *Quae nunc Thessalico Lunam deducere rhombo - - sciet.* Adde Plat. Gorg. p. 513. *τὰς τὴν σελήνην καθαιρούσας τὰς Θετταλίδας.* Tibull. I, 8, 21. I, 2, 43. Ovid. Am. II, 1, 23. id. Met. XII, 253. id. ibid. VII, 207., Prop. I, 1, 19. Petron. ap. Wernsd. Poët. L. min. IV, 292, 8., in quibus locis omnibus legimus *Lunam caelo deducere*, ut ap. Hor. Epod. V, 15. et XVII, 77. *Lunam caelo deripere.* Vid. etiam Lambin. et Obbar. ad Hor. l. l. Heins. ad Ovid. Her. VI, 88. Cort. ad Lucan. VI, 506. Burm. ad Anth. Lat. V, 46, 18. p. 328 sq. Dissen. ad Tibull. I, 2, 45. et Unger de Valg. Rufo

Carminibus Circe socios mutavit Ulixi,
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
c. Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque haec altaria circum
Effigiem duco; numero deus impare gaudet.

---

p. 294. De constructione cf. not. ad Ecl. VI, 16. Ceterum etiam hic versus totus repetitur ab imitatore illo Anth. Lat. Burm. I, 178, 174. — 70. De Ulyssis sociis a Circe in porcos mutatis vid. Hom. Od. X, 203 sqq. coll. Tibull. IV, 1, 62 sq., de Circe ipsa Hom. ibid. v. 135 sqq. Hes. Th. 957. Orph. Arg. 1215. Apollon. IV, 591. 689. Apollod. I, 9, 1. Hygin. fab. 156. Cic. N. D. III. 19. Ovid. Met. XIV, 10. Hermann. de mythol. p. 22. eiusd. *Briefe üb. d. Wes. u. d. Beh. d. Myth.* p. 120. Creuzer. *Myth. Briefe* p. 211. Rein. in Pauly *Realencycl.* IV. p. 1384. et 1390. alios. — *Uliwi*, i. e. Ulixei, contractum ex Ulixeï, Latina Genitivi forma, a Dorica forma *Οὐλίξης* repetenda, ut *Achilli* (Geo. III, 91. Aen. I, 30. etc.) a Dorico nomine *Ἀχίλης*, Gen. *Ἀχίλλου*. Cf. Heins. ad h. l. Schneid. Gr. Lat. II, 1. p. 164. et quae ad Aen. I, 30. adnotavimus. Ceterum Romani hac sola nominis forma usi videntur, ut forma *Ulyssis* vix Latina censenda sit, licet Apulei. de orth. §. 17. (ubi vid. Osann.) tradat, veteres Romanos geminato *s* pro *x* usos fuisse (de qua re cf. etiam Schneid. Gr. Lat, I, 1. p. 354.). Vide Burm. ad Ovid. Her. I, 1. et Osann. ad Apulei. de orth. p. 52., a Wagn. laudatos. — 71. *frigidus - anguis.* Vid. not. ad Ecl. III, 93. — *cantando* pro incantando, fascinando, i. e. eo, quod quis incantat. Cf. adnott. ad Aen. II, 81. — *rumpitur*, disrumpitur. Cf. fragm. Lucil. Satyr. XX, 5. Gerlach. (apud Non. III, 69.) *Iam disrumpetur medius; iam ut Marsus colubras Disrumpit cantu, venas cum extenderit omnes.* Calpurn. Ecl. XI, 70. *rumpitur anguis.* Ovid. Met. VII, 203. *Vipereas rumpo verbis et carmine fauces* (ibique Bach.) id. Am. II, 1, 25. *Carmine dissiliunt abruptis faucibus angues* et Weichert. de Iarbita Timagenis aemulatore p. 6. (Rell. poëtt. p. 401.) — 73. Dum haec loquitur maga, imaginem Daphnidis (et duplicem quidem: vid. ad v. 79.) tribus filis diversi coloris (i. e. nodis amatoriis, *Liebesknoten*) circumdare et circa aram portare putanda est. Si enim Heyn. incertus est, utrum mulieris an Daphnidis imagunculam intelligat, neglexit Pron. *tibi*, quod ad neminem, nisi ad Daphnidem, potest referri. Voss. novem licia, terna unius coloris, intelligit, secutus Cirin 371., ubi haec legimus: *Terque novena ligat triplici diversa colore Fila*, et Servium, qui „tria alba, tria rosea et tria nigra" commemorat licia; sed praestare videtur, ut *terna* poëtarum more pro *tria* positum habeamus. Cf. Geo. I, 231. Aen. V, 85. 560. Ruddim. I. p. 195. alii. Ternarius autem numerus sollemnis in sacris magicis, ut in lustrationibus et omnibus omnino rebus sacris. Cf. Theocr. II, 43. Aen. IV, 510 sq. Cir. 370 sqq. Ovid. Met. V, 189 sqq. Calpurn. XI, 63. Petron. c. 131. Voss. ad h. l. Broukh. et Dissen. ad Tibull. I, 2, 56. Heins. ad Ovid. Fast. II, 638. Schmid. ad Hor. Ep. I, 4, 37. Bach. ad Ovid. Met. VII, 189. Lersch. Antiqq. Verg. p. 211. Obbar. ad Hor. Ep. I, 1. 37. Vol. 1. p. 57. et quos hic laudat. Ceterum Donat. ad Ter. Andr. V, 4, 8. memoria lapsus hunc versum sic affert: *Terna tibi haec primum triplici circumdata filo.* (Cf. Ribbeck. Proleg. p. 185.) — 74. *haec altaria.* Sic omnes fere Codd., quos cum Heynio, Wund, et Iahnio nunc secutus sum; in prima enim edit. cum Wakef., Vossio et Wagn. ex uno Cod. Longob. ediderам *hanc*, scil. effigiem, Wagneri adnotatione deceptus, qui cum *altaria* iam v. 64. commemorata sint, imaginis autem tamquam novae rei nunc primum mentio fiat, Pron. demonstr. non nisi ad hanc quadrare censet. Neglexit autem Vir doct., antecedens *tibi* ad eandem imaginem referendum esse, ideoque *effigiem*, quod sequitur, nihil aliud significare, nisi *te*, ut *hanc effigiem* idem sit cum *hanc te*, quod ineptum esse, Iahn. verissime censet. Contra bene dicitur: tibi haec licia circumdo, te circum haec altaria duco. Standum igitur ab omnium ceterorum Codd. auctoritate, qua in re omnes recentiores editores praeter Wagn. mecum consentiunt. — 75. „*deus* universe, cum proprie

Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
Necte, Amarylli, modo et, Veneris, dic, vincula necto.
d. Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit
Uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore. 80

---

sit Hecate, cui magica sacra fiunt." *Heyn.* De *impare numero*, qui cum dividi non posset, sanctus et immortalis habebatur, Voss. conferri iubet Plin. XXVIII, 5. Macrob. Sat. II, 2. et Somn. Scip. I, 6., docens, pastores eo gregum saluti prospexisse (Geop. XVIII, 2.), gallinis ova imparia supposita fuisse (Colum. VIII, 5.), impari pedum numero a militibus fossas esse dimensas, itemque et medicos (Cels. III, 4.) et temporum ordinatores (Censor. XX. Macrob. Sat. I, 13.) imparis numeri rationem habuisse; nec minus omnes deos eo esse gavisos (Aen. IV, 510. Ovid. Met. VII, 192.). Ceterum eadem verba *numero deus impare gaudet* leguntur in Ciri 373. — Post hunc versum vulgo repetitur versus intercalaris *Ducite ab urbe domum* etc., quod adversari strophicae carminis rationi iam Iahn. vidit, qui verissime docet, poëtam singularum stropharum duodenis versibus ter versum intercalarem ita addidisse, ut post versum tertium, quartum et quintum intercalarem admitteret; in hac autem stropha, quae versibus 64—79. efficiatur, versum intercalarem quater repiti. Quare nunc versum, qui vulgo est 76. atque etiam Gebauero de poët. I. p. 124. a librariis adiectus videtur, prorsus delevi, quod etiam Ladewigium tacite fecisse video. Sic demum strophae et antistrophae (et proxime quidem haec tertia antistropha v. 73—77. strophae tertiae v. 26—30.) accurate sibi respondent. Cf. etiam quae supra ad v. 28. et infra ad v. 102. adnotavimus. — 76. „Iubet maga ancillam *ternos colores tribus nodis*, h. e. tria fila diversi coloris, unum quodque suo nodo, nectere, praefatam: sit Veneris hoc vinculum, se velle, scilicet ut ea vim habeant devinciendi amatoris animum. Cf. Theocr. II, 18. 19." *Heyn.* De nodis magicis vid. Turneb. Advers. XIX, 22. Delrion. Disquis. magic. III. part. 1. Quaest. IV, 25. et Cerda ad h. l. Ceterum cf. v. 73. — 77. *Necte modo.* Adverbium *modo* Imperativo adiectum (ut nostrum *nur* in: *mache nur!* etc.) ad festinationem cohortari constat. Cf. Hand. Tursell. III. p. 635. — *et, Veneris, dic* etc. Cf. Theocr. II, 21. 62. — 79. Duas Daphnidis imagines, alteram e limo, e cera alteram, igni admoveri recte putat Heyn., coll. Theocr. II, 28. Apud Theocritum quidem (ut apud nostrum Aen. IV, 508. et Ovid. Her. VI, 91.) una tantum eaque cerea commemoratur effigies; sed etiam Canidia illa Horatii Sat. I, 8, 30. duas facit amatoris effigies, laneam alteram, alteram ceream. Quare haud dubie errat Servius, magam semet ipsam de limo, Daphnidem de cera facere ratus. Immo vult maga, ut, quemadmodum altera Daphnidis imago ex limo facta igne fit durior, altera autem, cerea, igne solvitur, ita etiam ipse contra aliarum amorem obdurescat, sui vero amore tabescat. — *durescit - - liquescit.* In his verbis popularis poësis vestigia deprehendi, recte observat Gebauer de poët. etc. I. p. 13. et 69., qui conferri iubet Wackernagel. *Zur Gesch. d. deutsch. Hexam.* etc. Praef. p. XXVI. nota 9. *Morgenbl.* a. 1851. n. 19. p. 439 sq., ubi hic laudetur versus Marcelli Empirici *Nec huic morbo caput crescat, Aut, si creverit, tabescat*, et Grimm. *Zur Gesch. des Reims* p. 116 sqq. Notum autem est, optimos quosque scriptores interdum sectari eiusmodi similitudinem soni sive alliterationem. Cf. Ecl. III, 109 sqq. *amores - - amaros.* VII, 5. *pares - - parati.* Geo. I, 157. *umbram, - - imbrem.* I, 479. *sistunt - - dehiscunt.* Aen. I, 399. *puppesque pubesque.* X, 735. *furto — fortibus armis.* Catal. VII, 9. *docta dicta Scironis.* Cic. pro Coel. c. 32. *civis bonarum artium, bonarum partium* etc. Cf. Wagn. ad Ecl. III, 109. et Geo. I, 157. Iahn. ad Aen. VI, 310. Cadenbachii Diss. de alliterationis apud Horatium usu. Essend. 1838. Vide etiam quae de soni congruentia in versuum se excipientium exitu ad Aen. III, 656 sq. adnotavimus. Recte autem Voss. sensit, alliterationem hic studio quaesitam esse, cum pertineat hoc ad consuetudinem in arte magica observatam. Ceterum verba *et haec ut cera liquescit* iterantur in epigr. Anth. Lat. Burm. I, 170, 132. — 80. *eodem* duabus syllabis pronuntiandum, ut Aen. X, 487. *eadem.*

Sparge molam et fragilis incende bitumine laurus.
Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.
e. Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Talis amor Daphnim, qualis cum fessa iuvencum
Per nemora atque altos quaerendo bucula lucos
Propter aquae rivum viridi procumbit in ulva,
Perdita, nec serae meminit decedere nocti,
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
f. Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.

Cf. adnott. ad Ecl. VII, 7. et al. *„sic nostro Daphnis amore*, scil. *liquescat* molliaturque in amorem mei, obdurescat vero et obfirmetur animo ad constantiam amoris." *Heyn.* Sed probabilius Voss., Servium secutus, id pharmaceutriam hoc ritu efficere velle censet, ut obdurescat Daphnidis pectus adversus alias puellas, molle autem et mite fiat erga ipsam. — 81. „Aliud venefica nunc adgreditur: laurum incendit, ut Daphnis eodem modo amore incendatur. *molam*, [ἄλφιτα] far et salem, ut etiam Theocr. l. l. v. 18. et 21. [vid. not. ad Aen. II, 133. et IV, 517.]; pro sulfure *bitumine* illitas lauros memorat." *Heyn.* De *bitumine* (πίσσα, *Erdharz, Bergwachs, Judenpech*), cuius usus erat in sacris, quae incantamenti aut expiationis causa diis inferis fiebant, cf. Plin. XXXV, 15, 51. Tac. Hist. V, 7. Iustin. I, 2. Verg. Geo. III, 451. Apud Claud. de VI. cons. Hon. 324. *lumen* (facis lustralis) *odorum sulfure caeruleo nigroque bitumine fumat.* — *fragiles* ad sonum ex fragore ortum referendum, i. q. crepitantes in flamma; quemadmodum apud Lucr. VI, 111. *carbasus - - intenta theatris fragiles sonitus chartarum commeditatur.* Similiter Propert. V, (IV,) 7, 12. *Pollicibus fragiles increpuere manus.* Laurum autem crepitantius combustam bonum omen portendisse, Cerda comprabat locis Ovid. Fast. I, 344. ibid. IV, 742. et Prop. II, 21, 36. [III, 25, 2.], quibus adde Tibull. II, 5, 81. et 83. *Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis. - - Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni.* Praeterea cf. Lucr. V, 152. *Nec res ulla magis, quam Phoebi Delphica laurus Terribili sonitu flamma crepitante crematur* et Calpurn. Ecl. XI, 65. *Incendens vivo crepitantes sulphure lauros.* — *laurus* cum Wagnero ex Medic. recepi. Cf. not. ad Ecl. VI, 83. — 82. *in Daphnide*, Heyn. interpretatur *ἐπὶ Δάφνιδι*, in Daphnidem, quod in Daphnidem vertat, ut is eodem modo flamma amoris consumatur, coll. Theocr. II, 23 sq. et Hor. Epod. V, 81. Burm. vero (qui etiam conf. ad Quinct. Decl. XV, 6. et Ovid. Met. IX, 274.), Voss. et Iahn proprie haec intelligunt: laurum in cerea Daphnidis imaguncula repositam; quam simplicissimam ideoque haud dubie verissimam esse rationem, nemo potest negare. Paullo artificiosius, nisi fallor, Wagn. locum sic interpretatur: urere laurum, ut in ea se uri Daphnis sentiat; quod idem sit ac Daphnidem in lauru urere, coll. Ovid. Met. VIII, 515. *absens flamma Meleagros in illa Uritur.* Wakef. temere correxit *in Daphnida.* — 84. Cf. Theocr. II, 48—51. Cerda praeter alios Quinti Calabri et Coluthi locos comparat imprimis Lucr. II, 355 sqq. — *Talis amor Daphnim*, scil. teneat, *qualis*, scil. est, *cum* etc. — 85. Vox rarior *bucula* redit Geo. I, 375. — 86. *propter aquae rivum* ex pleonasmo poëtis satis usitato. Cf. supra Ecl. V, 47. Cul. v. 389. *Rivum propter aquae viridi sub fronde latentem.* Lucr. II, 30. *prostrati in gramine molli propter aquae rivum.* Hor. Od. III, 16, 29. Tibull. I, 1, 28. Ovid. Rem. Am. 194. Copae v. 12. etc. *Propter* autem (ex *prope* ortum) i. q. iuxta, ut Geo. III, 14. et in locis modo laud. — Ceterum Wagn. Vol. V. Ribbeck. et Haupt. scripserunt *rivom.* Cf. adnott. ad Ecl. II, 22. — *in ulva.* Sic meliores libri omnes pro vulg. *in herba*, ex Ald. pr. in alias editt. propagata. — 87. *„perdita* ambiguum est utrum antecedentibus, an sequentibus subiungas." *Heyn.* Scilicet accedit hic locus ad epiphonematum s. exclamationum genus, quare, Wagnerum secuti, *Perdita* Commatis inclusimus. Similes loci sunt Aen. IV, 311. et 562. Vid. Iahn. ad Geo. I, 477. et quae supra ad Ecl. VII, 50. adnotavimus. Ceterum cf. adnott. ad Ecl. II, 59. Respexit hunc locum auctor carm. ap. Wernsd. Poët. L. min.

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora cara sui, quae nunc ego limine in ipso,
Terra, tibi mando; debent haec pignora Daphnim.
g. Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Moeris — nascuntur plurima Ponto —;
His ego saepe lupum fieri et se condere silvis
Moerim, saepe animas imis excire sepulchris

III, 393, 3. *et per prata iuvencum Mentem perdita quaesitat. — nec serae m. decedere nocti*, quasi ab ea cedere iussa; poëtice pro *sera nocte redire*. Sumpsit autem Macrobio teste Sat. VI, 2. (T. II. p. 167. Bip.) poëta hunc versum ex Varii carmine, qui de cane cervae vestigiis insistente dixerat: „*Non amnes illam medii, non ardua tardant, Perdita nec serae meminit decedere nocti.*“ *Decedere* autem *serae nocti* (quod redit Geo. III, 467.) est vitare frigus nocturnum. Sic etiam *calori decedere* Geo. IV, 23. Conington suspicatur, et Varium et Maronem fortasse memores fuisse loci Hom. Il. VIII, 502. *πειθώμεθα νυκτὶ μελαίνῃ*. — **90**. Cf. Theocr. II, 53. et locus simillimus Aen. IV, 495 sqq., ubi sacra magica a Didone instituta enarrantur. — *exuvias:* vestes intellige a Daphnide relictas; nam voc. exuvia, ab *exuo* derivatum, omnia, quae quis exuit, significat, quare, etsi plerumque de corio bestiae alicui detracto, aut de praeda hostibus erepta dicitur, interdum tamen etiam vestes depositas indicat, ut Aen. IV, 496. 507. 651. Plaut. Men. I, 3, 9. etc. — *limine in ipso.* „Liminis sollemnis mentio in poëtica oratione, cum aut admittuntur, aut admitti cupiunt, aut excluduntur amantes.“ *Heyn.* — **91**. *Pignora sui*, sui erga me amoris, quae eius reditum mihi obligarent. — **92**. *debent* (scil. *mihi*) *haec pignora D.* „Exspectat hoc a defossis sub limine vestibus, ut ad eas Daphnis vel invitus retrahatur. Variavit Theocriteam rationem l. l. v. 53 sq. 59 sq.“ *Heyn.* Debemus alteri, quae ea conditione ab eo accepimus, ut reddamus; debent igitur mihi pignora Daphnim, per quae artis magicae ope illum mihi reddi fas est. — **94**. Quo certius voti sui compos fiat, maga etiam utitur verbenis s. herbis venenatis, quarum vim iam antea experta est. — *has herbas atque haec venena*, ἓν διὰ δυοῖν, pro herbis venenatis. Cf. not. ad Geo. II, 192. — *Lecta* in *Ponto venena* commemorantur, quia Medea, nobilissima venefica, ibi habitaverat iisdemque herbis venenatis usa fuerat. Cf. interpp. ad Hor. Od. II, 13, 8. *Pontus* autem pro Colchide (cf. Iuven. XIV, 104. et Cic. Manil. 9, 22.), ut apud Hor. Epod. V, 21. *Iberia*. Cf. ibid. v. 62. Ovid. Rem. v. 261. et Dissen. ad Tibull. I, 2, 54. Ceterum totus hic versus iteratur a Vergilii imitatore in Anth. Lat. Burm. I, 178, 176. — **95**. *Ipse* cum dignitatis et reverentiae notione (ut etiam Aen. II, 394. III, 656. V, 249. alibi), quae prodit e distinguendi potestate huic Pronomini propria (cf. adnott. ad Ecl. I, 38.); nulla enim re magis inter se distinguuntur homines, quam dignitate. Vid. Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 465 sq., qui docet, propterea hoc Pron. saepissime Iovis nomini adiungi (Geo. IV, 149. Aen. III, 222. XII, 725. — Geo. I, 121. 328. Aen. II, 617. IV, 268 sqq. etc.) omninoque deorum (Aen. VII, 327. IX, 82.) et regum ducumque nominibus (Aen. I, 575. II, 146. IV, 141. V, 132. 249. VII, 92. 187. etc.), atque adeo animalibus gregem ducentibus (Ecl. III, 95. Aen. I, 189.). Cf. etiam Orell. ad Hor. Od. II, 8, 13. *Moeris* igitur, cuius alibi non fit mentio, summus magus et veneficus habendus. — Ceterum Wagn. Vol. V. et Ribbeck. ediderunt *pluruma*. Vid. supra ad Ecl. II, 54. — **96**. Magica quae sequuntur miracula comprobant venenorum effectum. — *his lupum fieri et se condere silvis*, i. e. his lupum factum se condere; nam *his* pertinet quidem ad *lupum fieri*, ut ad seqq. *excire* et *traducere*, non vero ad *se condere*. Cf. not. ad Ecl. VI, 20. et Wagn. Qu. Virg. XXIX. p. 514. Conington conferri iubet Ovid. Met. I, 209 sqq. — **97**. *Moerim* Wagn. scripsit hic et Ecl. IX, 53. Medic. aliosque bonos libros secutus. Cf. not. ad Ecl. IV, 32. et V, 52. — *animas excire sepulchris.* Cf. Aen. IV, 490. Tibull. I, 2, 47. Ovid. Am. I, 8, 17. Stat. Theb. III, 140 sq., ubi vid. Schol., Senec. Oedip. 568. Lucian. Philopseud. c. 13. etc. *Sepul-*

Atque satas alio vidi traducere messis.

h. Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Fer cineres, Amarylli, foras rivoque fluenti
Transque caput iace, nec respexeris. His ego Daphnim
Adgrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.

i. Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Aspice, corripuit tremulis altaria flammis

---

chris autem pro *sepulcris* ex Med., Vat. et Servii auctoritate cum recentissimis editt. scripsimus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 421. et Ribbeck. Proleg. p. 424. — **98.** ***satas messes***, i. e. sata in futuram messem. Moeris incantationibus suis fruges ab agris, ubi satae erant, ***alio***, i. e. in alios agros, traduxit, et ita possessorem spe messis fraudavit. Sic apud Tibull. I, 8, 19. *Cantus vicinis fruges traducit ab agris.* Ovid. Rem. Am. 255. *Non seges ex aliis alios transibit in agros.* Mart. Cap. X. p. 314. Grot. *Ferunt messes transire.* Calpurn. Ecl. XI, 70. *Cantavit, - - quo migrant sata, vellitur arbos.* Dicebatur hoc secundum Legg. XII. Tabb. apud Plin. XXVIII, 2, 4. *fruges excantare.* — **100.** „Novum et fortissimum post cetera [quae nihil adhuc videntur profecisse] incantationis genus adgredi videtur, ut cinerem ex ara in aquam fluentem pone caput iaciat: quod partim cum expiationis, fluminis aqua viva fieri solitae, ritu, partim cum eo more coniunctum esse puto, quo diis inferis aliquid devovetur. Cf. Theocr. XXIV, 91—94." *Heyn.* Intelligendi autem sunt cineres omnium rerum (turis, imagunculae, molae, lauri et verbenarum) in ara concrematarum. — ***foras.*** Cf. not. ad v. 64. et Hand. Turs. II. p. 705. — ***rivo fluenti***, i. e. in rivum, ut Ecl. II, 30. (ubi vid. adnott.) Geo. II, 290. et Aen. X, 683. De ipsa re cf. Rutil. I, 204. et iisdem verbis Calpurn. Ecl. XI, 64. *cineresque aversa effudit in amnem*, ibique Titium. — **101.** ***Transque caput iace***, scil. aversa. Copula autem *que* fere idem est quod *et quidem.* Haud raro enim Copula inaequalia membra ita coniungit, ut posterius prius illustret et accuratius definiat. Cf. Geo. II, 290. 428. III, 238. Aen. I, 2. III, 329. IV, 102. V, 327. 447. 498. VI, 640. VIII, 610. X, 734. XI, 569. 673. XII, 502. et Wagn. Qu. Virg. XXXIV, 2. De ipsa re cf. Claud. de VI. Cons. Hon. 329. *Trans caput aversis manibus iaculatur in Austrum Secum rapturas cantata piacula taedas.* Ovid. Fast. V, 437. *nigras accipit ore fabas Aversusque iacit.* Eurip. Androm. 294. *ὑπὲρ κεφαλὰν ἔβαλεν καχόν.* — ***nec respexeris***, ne rei noceas, quae irrita fieri possit oculi humani adspectu. Cf. Ovid. Fast. V, 439. *Hoc novies dicit, nec respicit.* Plaut. Most. II, 2, 88. *Cave respexis, fuge et operi caput.* Ceterum hanc Med., Pal. a m. pr. aliorumque librorum lectionem recte defendit Wagn., quem posteriores omnes secuti sunt, cum vetetur Amaryllis respicere in iaciendo; ita ut pro vulg. *ne* Part. copulativa requiratur, referenda ad modo praegressum illud *Transque caput iace.* Haud raro autem *nec* sic inchoat sententiam aliquid vetantem. Cf. supra v. 88. Geo. III, 96. 435. Aen. IV, 618. X, 32. XII, 801. etc. cum iis, quae Obbar. in Muetzellii Ephem. gymn. a. 1850. p. 549. et 899. disputavit. — ***His***, scil. omnibus, quae modo expositae sunt, artibus magicis. — **102.** ***nihil ille deos***, qui inter incantandum vocati erant, curat. Repetuntur haec verba *nihil ille deos, nil carmina curat* ab eodem illo Vergilii imitatore in Anth. Lat. Burm. I, 178, 177. — Ceterum Peiper. in Novis Annal. phil. Vol. LXXXIX. p. 456 sqq. antistrophas septimam et octavam (v. 94—98. et 100—102.) transponi suadet, ut versuum numeri accuratius respondeant stropharum (47—56.) numeris; quod sane, spreta Codd. auctoritate, non absonum videtur, cum ceterae strophae et antistrophae ex asse sibi respondeant. Vide tamen, quae Ladew. in Appendice p. 190. contra eum disputat. Mihi imprimis illud urgendum videtur, quod sic verba *dum ferre moror* v. 105. nimis longe removentur ab illis *Fer cineres* etc. et quod verba *nihil ille deos, nil carmina curat* aptissimam efficiunt totius carminis clausulam. — **104.** ***„cinis corripuit tremulis flammis***, h. e. flammae ex cinere moto corripuere aram, exarserunt in ara; res ominosa, ut notum." *Heyn.* Ex cinere enim nondum ablato (cf. v. 100.) repente emicat flamma in altari, quod venefica bonum ut sit omen precatur. *Tremulus* autem satis aptum flammarum corporum-

Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit!
Nescio quid certe est: et Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, iam parcite, carmina, Daphnis.

que lucentium epitheton, (cf. Lucr. V, 696. *tremulum iubar ignis*, Seren. Samon. c. 25. c. 462. *Farraque, quae tremulis prosunt sudantia flammis*) quo potissimum utuntur de solis vel lunae imagine in aquis reddita. Cf. Aen. VII, 9. et VIII, 2. Calpurn. Ecl. IX, 76. *Nec tremulum liquidis splenderet lumen in undis* etc. — 105. *Sponte sua* et *ipse* Voss. acute ita distinguit, ut illud valeat *sua vi et voluntate*, non suscitata a venefica, hoc autem cinerem opponat lignis ardentibus: „*die Asche sogar noch allein, ohne sichtbare Brandstücke.*“ De bono ignis subito flammam concipientis et in altum rotantis omine cf. adnott. ad Geo. IV, 385. — *dum ferre moror*, dum moror cinerem ex ara corripere tibique tradere, ut in rivum feras. — *Bonum sit.* Exclamationibus *Bonum sit! Bene sit!* Romani omina accipere solebant. Cogites etiam de notissima formula: *Quod bonum, faustum, felix fortunatumque sit* et cf. Brisson. de form. l. l. et Cic. Div. I, 45, 102. — 106. *Nescio quid certe est* — est certe aliquid boni ominis, sed quid sit, nescio; eveniet tamen, nisi fallor, quod veneficio efficere volui. Cf. etiam Iahn. ad Ecl. I, 19. Doering. in Progr. saepe laud. sic interpungendum putat: *Nescio quid? – Certe est, et Hylax* etc., ut venefica proferat haec abrupta verba: *Nescio quid . . .* sc. audio; *certe est*, sc. Daphnis, certe Daphnis venit. Equidem Heynii explicationem, ut simpliciorem, cum Wagn. praefero. Ceterum eadem prorsus verba *Nescio quid certe est* leguntur apud Catull. LXXX, 5. De dictione autem *nescio quis, nescio quid* pro *aliquis, aliquid* cf. Gierig. ad Plin. Pan. 58, 2. Spalding. ad Quinct. Inst. I, 2, 9. et Zumpt. in supplem. p. 15. Beier. ad Cic. Off. I, 41, 146. Gernh. ad Cic. Lael. 23, 87. multique alii. Vergilii imitator ille in Anth. Lat. Burm. I, 178, 188. etiam haec verba repetit, quae ibi in Codd. sic corrupta leguntur *Nescio quod certum est.* — *Hylax in limine latrat*, et latratu suo domini adventum videtur indicare. Cf. Hor. Epod. V, 58. *Senem - - adulterum Latrent Suburanae canes*, i. e. senis adventum latratu significent. Ceterum Conington conferri iubet Ovid. Met. III, 224., ubi [ut etiam ap. Hygin. fab. 181.] invenitur canis nomen *Hylactor* (i. e. *ὑλάκτωρ*, latrator.) — 107. *ān quĭ ămant.* Cf. adnott. ad Ecl. II, 53. God. Hermann. l. supra l. hunc versum 107. transpositum vult ante v. 104., quam coniecturam iure admodum ingeniosam dicit Ribbeck., Haupt. autem versus sic collocavit: 105. 107. 106. 108. Sed vide Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 398., qui p. 396 sqq. de hac tota Ecloga eiusque strophica ratione imprimis contra Hermannum disputavit. — *sibi somnia fingunt.* Cerda comparat Publ. Syri sententiam in Mimis: *Amans, quod suspicatur, vigilans somniat*, et conferre nos iubet Erasmi Adag. Chil. II. cent. 3. c. 90. *Somnia fingere* etiam apud Lucr. I, 105. et Claud. in Eutrop. I, 170. legitur. — 108. *Parcite*, scil. Daphnidi. Non amplius opus est carminibus s. incantationibus, quibus eum adgrediar, cum iam ipse veniat. — Pauci libri, inter quos tamen Med., inverso ordine *iam carmina parcite*; quod Vossio praeferendum videtur, sed Wagn. vulgatam retinuit, comparans v. 61. *Desine Maenalios, iam, desine, tibia, versus.* Non tamen reticendum, Coningtonem, qui solus ex recentioribus editoribus Vossium sequitur, censere, ut collocatio verborum v. 61. respondeat intercalari v. 21. etc., sic hic eam respondere alteri intercalari v. 68. etc., quod non omni caret probabilitate.

ECLOGA IX. MOERIS.

ARGUMENTUM.

Hanc Eclogam eadem, quae primam, causa provocavit. Scilicet laeta illa rerum conditio, quam poëta Ecloga I. celebrat, non diu mansit. Bello enim Perusino m. Martio a. 714. confecto nova minabatur agrorum divisio. Octavianus loco Pollionis, qui ex eius gratia exciderat, Alfenum Varum Galliae Cisalpinae praefecit, qui Pollionem in Venetia agros urbesque oppugnantem arceret et agris inter insolentes et ipsius Octaviani iussa spernentes veteranos dividendis praecesset, in quo munere adiuvabatur ab Antonio Musa, agrorum limitatore. Vergilius igitur, novo metu captus, Varum precibus adiit, ut agros Mantuanos incolumes manere iuberet, pro quo beneficio res ab eo gestas carmine epico se celebraturum esse promisit (cf. Argum. Ecl. VI.); nihilominus Varus non potuit impedire, quominus Antonius Musa, offensus olim a Mantuanis, qui greges eius ab agri publici pascuis eiecerant, quindecim millia passuum agri Mantuani Cremonensibus agris, qui non sufficiebant, adiungeret militibusque adscriberet; atque ita etiam Vergilii securitate sua non diu fruentis (cf. v. 7—16. huius Ecl.) praedium Arrius quidam Centurio occupavit illumque, qui Octaviani promissione fretus agris cedere recusaret, paene interfecit (cf. v. 16.). Poëta igitur servos suos, ut novo domino interim parerent, exhortatus (cf. v. 6.) Romam aufugit, ubi in villa Syronis, magistri sui, latuit et m. Iunio aut Iulio ineunte a. 714.*) hanc Eclogam conscripsit, in qua agrum contra Octaviani voluntatem sibi ereptum conqueritur et illum adulando ad eius sibi reddendi consilium studet compellere, quod etiam efficere ei contigit. Ipsum carminis argumentum est simplex et ad rerum conditionem ingeniose accommodatum. Inducit autem poëta Moerim, senem vernam absente domino villicationis officio fungentem, cui haedulos Mantuam ad novum herum deferenti se adiungit Lycidas, pastor iuvenis carminumque amantissimus; a quo itineris causam rogatus Moeris calamitates suas et Menalcae heri (sub cuius persona Vergilium latere in promptu est) afflictam fortunam commemorat. Cumque sermo ad Menalcae poësin laudandam deductus esset (v. 17.), recitat uterque locos aliquos ex eius carminibus (v. 23—25., 27—29., 39—43. et 46—50.), qui partim ex Theocriteis conversi (cf. adnott. ad v. 23. et 39.), partim a Vergilio ipso compositi sunt. Si autem consilium respicimus, quo hoc carmen scriptum est, non mirabimur, maximam eius partem versari in laudibus Menalcae poëtae (v. 17—50.) et in Octavani adulatione, quem auctor capere studet Iulii Caesaris inter deos beneficos recipiendi praeconio (v. 47 sqq.), cum hoc modo Vergilius simul tectis verbis significare potuerit, se, voti sui compotem factum, et Varum et Octavianum novis carminibus celebraturum esse. Animadvertenda autem est poëtae summa urbanitas et prudentia, qua neque acerbe conqueritur violatam Octaviani promissionem, neque veteranorum violentiam, sed haec omnia obiter modo tangit, seque non tam de suo agro, quam de toto agro Mantuanis restituendo laborare fingit (v. 27.). [Ceterum cf. quae de huius Eclogae argumento disputavit Niederstein. Qu. Virg. p. 9 sqq.]

*) Hoc enim tempore Eclogam scriptam esse, cum ex omni, quae tum erat, rerum conditione, tum inde fit probabile, quod poëta v. 19 sqq. alludit ad ludos Apollinares et quod v. 51. longi dies commemorantur. Cf. Spohnii Proleg. p. 34 sqq. et Ribbeck. Proleg. p. 7.

LYCIDAS. MOERIS.

LYCIDAS.

Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?

MOERIS.

O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri
— Quod numquam veriti sumus — ut possessor agelli

---

1. Cf. Theocr. VII, 21. et 24. „*Quo te, Moeri, pedes?* scil. *ducunt*, quod ex proximo *ducit* repetendum, quamquam etiam non sequente *ducit* per se facile suppleri potest. Cf. loci simillimi Geo. II, 1 sq. et Aen. XII, 96., ubi vid. adnott. Saepius sane verbum, alia plerumque persona vel alio tempore repetendum, omittitur in altero sententiae membro. Ceterum plenam dictionem habes apud Plin. Epist. VII, 5. *ad diaetam tuam ipsi me, ut verissime dicitur, pedes ducunt.* Cf. Hom. Il. XVIII, 148. et al. *τὴν (τὸν)--- πόδες φέρον.* Theocr. XIII, 70. et XIV, 42. *ἃ πόδες ἄγον.* Mitscherl. ad Hor. Od. III, 11, 49. et Gesner. ad Plin. Ep. VII, 5. De *Moeride* vid. Argum. — *quo via ducit.* Cf. Aen. I, 401. — Ceterum Peerlk. p. 42. Particula *an* in *ah* mutata sequentia verba *quo via ducit in urbem* Moeridi adscribit. — 2. Heyn., desiderans in vulg. lectione Adverb. *huc, eo*, ut dura evitaretur ellipsis, coll. locis Ecl. I, 71. et III, 88., coni. aut *Quo, Lycida, vivi pervenimus!* (quod iam Heinsio in mentem venerat, neque Burmanno improbatur, sed, Wagnero iudice, ferri non potest, cum id ipsum, quo res pervenerit, significetur his verbis: *ut — diceret*); aut *Huc, Lycida, vivi pervenimus!* Schrader. legendum suasit *O Lycida, vivi quo venimus!* Sed nulla opus est coniectura, cum *pervenire*, i. e. aliquo devenire, iam in se contineat Adverb. *eo*, quod editores desiderant (cf. adnott. ad Ecl. I, 71.); quare nunc cum Vossio, Schirachio p. 641. et Iahnio vulgatam sine ulla mutatione servandam et defendendam censeo, verba sic coniungens: Vivi pervenimus, ut advena possessor nostri agelli, id quod numquam veriti sumus, diceret etc. — *vivi.* Wagn., qui prius censuerat, hanc vocem addi, quia alias non nisi interfectis colonis hoc accidisse constet, prorsus autem novum et inusitatum fuerit, quod quieti et ab armis remoti vivi expellerentur, in minore edit. haec potius adnotat: „Servius: *diu vivendo;* putabimus igitur Moerim aetate iam provectiorem esse." Rectius autem cum Ladew. statueris, vocem *vivi* hic non aliter accipiendam esse, atque in formula illa *vivus videnque*, qua significatur, rem aliquam tristem et horribilem nosmet ipsos vidisse et expertos esse. Cf. Cic. pro Quinct. 15, 50. *huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur.* id. pro Sestio 27, 59. *vivus (ut aiunt) est et videns cum victu et vestitu suo publicatus.* Ter. Eun. I, 1, 28. *vivus videnque pereo* etc. — *nostri*, ut servi loquuntur; cf. v. 12. et Ecl. I, 8, (ubi vid. adnott.) Sic *tua* v. 30. et Ecl. I, 46. Peerlk. l. l. etiam hunc versum coniectura vexavit, pro *vivi pervenimus, advena* legi iubens *vivus pereo. Impius advena.* — 3. *Quod.* Sic Med., Pal., tres Bern., Servii et Macrob. Sat. IV, 6, 7. Codd. Wagn. tamen (quem in prima edit. temere secutus sum) trium (vel si Gud. adiungimus, ubi *qua* scriptum est, quatuor) Codd. lectionem *Quo numquam veriti sumus* recepit, cum *pervenire, ut* Latinum esse dubitaret. Iam licet non adsentiar Iahnio, nihil prorsus hac mutatione nos lucrari contendenti, cum nihilominus *ut* ad *pervenimus* referendum sit, — nam sane interest aliquid inter simplex *pervenimus, ut* et *pervenimus* (eo), *Quo numquam veriti sumus, ut* —, tamen ea de causa, quam supra ad v. 2. proposui, etiam *pervenire, ut* dici potuisse censeo; et nimis dura esset verborum traiectio, si, interpositis illis *advena nostri, quo* ad *pervenimus* retulisset Vergilius, quantumvis Wagn. collatis iis, quae Burm. in Praef. ad Phaedr., Bentl. ad Hor. Sat. I, 3, 61. et Heind. ad Sat.

Diceret: „Haec mea sunt; veteres migrate coloni.“
Nunc victi, tristes, quoniam Fors omnia versat,
Hos illi — quod nec vertat bene — mittimus haedos.

LYCIDAS.

Certe equidem audieram, qua se subducere colles

I, 6, 68. de verbis mire interdum a poëtis Romanorum traiectis disseruerunt, eam defendere studeat. Verba autem *Quod numquam veriti sumus* per se sola tamquam *παρένθετα* sunt accipienda. Consentiunt mecum non minus ceteri recentiores editores praeter Wagn., quam Ameis Spic. p. 15. et Lachmann. ad Lucr. VI, 324. p. 367. — *possessor agelli* etiam in Wernsd. Poët. L. min. III, 102, 65. et V, 1301, 25. hexametrum claudit. — 4. *Haec mea sunt.* Cf. adnott. ad Ecl. I, 46. — *coloni*, i. e. possessores agrorum, homines rustici. Cf. Geo. I, 125. 299. 507. II, 385. III, 288. Ipsum Vergilium intelligi docet v. 16. — 5. *victi* Heyn. interpretatur per: oppressi, afflicti, rectius vero Spohn. per: coacti a veteranis, iis cedere debentes. — Burm., in duobus epithetis haerens, locum sic extulit: *Nunc, victi, tristis quoniam sors o. v.*, coll. Ovid. Tr. V, 12, 6. Sil. Ital. VI, 342. Cic. Mur. 20.; et *tristis* quidem *fors* legit etiam Probus Inst. I, 10, 4. atque recepit Wakef. et Peerlk. p. 43. coniicit *Nunc vidi. Tristis quoniam Fors* etc. Sed cf. Ladew. Progr. p. 12. Vulgata firmatur et Codd. omnibus et Anth. Lat. (vide infra). Sensus est: *victi*, oppressi a potentioribus, ideoque *tristes - - mittimus*, s. quod victi sumus, tristes - - mittimus. Ubi Burm. invenerit lectionem *sors*, nescimus, et verissime Wagn. docet, *sortem* esse eventum, non ipsam vim fati, *fortem* autem caecam quandam vim, res humanas temere ac nullo consilio regentem, ita ut *fors* quidem bene dicatur *omnia versare*, *sors* autem *aliquid versare* dici omnino non possit. Cf. Paldamus ad Prop. p. 240. Ramshorn. Synon. §. 247. T. I. p. 197 sq. Grysar. *Theor. des lat. Stils.* p. 239. et Orell. ad Hor. Od. I, 9, 14. De voce. *sors* et *fors* in Codd. saepissime confusis cf. Schott. ad Aur. Vict. de vir illustr. c. 13. Cort. ad Sall. Iug. 1, 1. Drakenb. ad Liv. I, 4, 4. et I, 9, 15. Spalding. ad Quinct. Inst. IV, 2, 55. alii. Heins. cum h. l. comparat Symmach. Ep. II, 57. *sed quia fors versat humana, nec semper ex voto destinata procedunt.* Respicitur hic locus in Anth. Lat. Burm. III, 81, 76. *Nunc victi tristes*, ibid. v. 79. et I, 170, 127. *quoniam fors omnia versat;* totus autem versus ibidem I, 178, 84. iteratur. — 6. *quod nec vertat bene*, „quae res in eius perniciem vertatur.“ *Serv.* „Quod male ei sit, cum imprecatione novi heri, cui haedi ex agro in urbem apportandi sunt.“ *Heyn.* — *nec* maxime in prohibendi formulis pro simplici *non* usurpatur, ita tamen, ut fortius neget. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXXII, 8. Vid. etiam quae Gerlach. et Kritz. ad Sall. Iug. 44, 5. disputarunt. Praeterea Voss. et Wagn., quos (ut omnes editores nobis recentiores) sine cunctatione secuti sumus, pro vulg. *nec bene vertat* (quod sane etiam in Gud., apud Nonium p. 348. et Donat. ad Ter. Phorm. IV, 3, 73. legitur) ex Med. et tribus aliis Codd. ediderunt *nec vertat bene*, ne diutius laederentur elegantiorum aures pessimis numeris: *Hós illi quod néc bene vertat mittimus haedos;* quae prava verborum collocatio h. l. orta sit ex usitata formula: *quod bene vertat;* cumque etiam Ter. Adelph. II, 1, 37. *quae res tibi vortat male* scripserit. Ceterum Wagn. hic iniuriam facit Vossio, affirmans illum hunc meliorem verborum ordinem non aliam ob causam praetulisse, quam quod rarius sic posita inveniantur. Voss. enim praeter illum Terentii locum laudans etiam Phorm. IV, 3, 73. *Quae quidem illi res vortat male*, diserte dicit: „*die seltnere Stellung, - - die hier einen schöneren Rhythmus giebt.*“ — *mittimus*, portamus (cf. v. 65. ibique adnott.) absenti, ad absentem, utpote in urbe degentem, dominum. Cf. etiam infra v. 62. Wagn. confert *inferias mittere*, „i. e. ferre inferias, quae per tumulum ad inferos deveniant.“ Minus apte Voss. h. l. comparat cum Ecl. III, 71., ubi *mittere* idem est quod *donare*. — 7. Lycidas, admirans Moeridis querelas de obtruso sibi novo domino, prodit, se rumori divulgato credidisse, qui narret, Vergilium (hunc enim sub Menalcae persona latere, in Argum. vidimus) ob poëticam virtutem in possessio-

Incipiunt mollique iugum demittere clivo,
Usque ad aquam et veteres, iam fracta cacumina, fagos
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcan.

MOERIS.

Audieras, et fama fuit; sed carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt aquila veniente columbas.

---

nem suam esse restitutum. De posteriore enim veteranorum invasione nihil audiverat. *Certe equidem* ubi legitur, Handio auctore Turs. II. p. 28. non cohaerent haec vocabula, sed certe confirmationem veritatis adiicit universae sententiae et pertinet ad Verbum. Cf. Plaut. Aul. II, 2, 38. *certe edepol equidem te civem sine mala omni malitia semper sum arbitratus.* Pers. II, 2, 27. *certe equidem puerum peiorem quam te novi neminem etc.* — *qua se subducere colles --- demittere clivo,* qua colles ita decrescunt, ut in clivum lenem adscensu desinant. Cf. not.ad Ecl. I, 21. *Subducuntur colles,* qui decrescentes ex alto in planum deducuntur (*sich in die Ebene verlieren*). *Subducere* enim significat amovendo occultare, deinde sensim et nemine sentiente removere. Quare eodem fere sensu apud Plin. Ep. V, 6. *fons subducitur,* i. e. arena, humo hauritur. Ut hic *se subducere* est decrescere, ita contra *se subiicere* i. q. sursum erigi et crescere. Cf. adnott. ad Ecl. X, 74. — *molli clivo* redit Geo. III, 293. Cf. Caes. B. C. II, 10. *molle fastigium.* — 9. *ad aquam,* scil. Mincii, cum de Vergilii praedio sermo sit, cuius *fagos* iam ex Ecl. I, 1. et II, 3. novimus. *Fagos fractas* non vi hostili excisas significare (quod Heyn. sumit), sed non nisi ad vetustatem referendum esse epitheton, patet ex addita Particula *iam*; quo etiam probari videtur explicatio huius loci „veteres iam fractis cacuminibus," quam ad Ecl. II, 3. propositam vides, ubi appositionem huic simillimam legimus: *inter densas, umbrosa cacumina, fagos.* Tuetur autem hic locus parallelus lectionem nostram, iam Heinsio probatam et a Burm. ex Medic. aliisque bonis libris restitutam. Vulgo enim edebatur *veteris iam fracta cacumina fagi*; quae lectio haud dubie ex vetere orthographia, *veteris* pro *veteres*, orta est. Quinct. Inst. VIII, 6, 46. h. l. afferens legit *confracta cacumina.* Conington confert Pers. V, 59. *Fregerit articulos, veteris ramalia fagi.* Ceterum fagos istas termini loco fuisse, probat Voss. coll. Hor. Ep. II, 2, 170. *qua populus adsita certis Limitibus vicina refugit iurgia* (ubi vide Orell.), acute coniectans, fines agri sui tam accurate describere poëtam, ne restituto quidem sibi praedio ambitus tamen eius imminuatur. — 10. *vestrum.* Plures Codd. *nostrum;* in quo veram Vergilii scripturam latere suspicatus Voss. *vostrum* edidit. (Cf. etiam ad v. 6.) Sed sine certissima Codd. auctoritate hic nihil novandum; cum Pronomina *vester* et *noster* sexcenties in Codd. confusa esse constet. Cf. Drak. ad Liv. XXXIV, 2, 2. Per *Menalcan* significatur ipse Vergilius, carminibus suis nactus fautores et deprecatores, quorum opera agros suos receperat. — 11. *Audieras* — non dubito, te vere audivisse; nam scio, famam hoc nuntiasse; quod sibi volunt verba *et fama fuit.* Simplex enim Copula, affirmandi quadam vi praedita, haud raro indicat mutuam aliquam vel temporis, vel alius cuiusdam rei rationem inter duas enuntiationes intercedentem; quare etiam parentheses, quae affirmandi et comprobandi causa adduntur, saepe incipit, v. c. Geo. II, 125. Aen. III, 365. 615. XI, 901. Vid. Wagn. Qu. Virg. XXXV. p. 561. et cf. etiam quae ad Ecl. I, 47. adnotavimus. Wagn. et Haupt. post *Audieras* signum interrogandi ponunt; quod recte vituperat Hand. in Tursell. II. p. 484. — *fama fuit.* Sic Aen. VI, 14. *ut fama est.* Nep. Them. 10. *Neque negat fuisse famam, venenum sua sponte sumpsisse.* Cic. har. resp. 10, 20. *ut fama hominum est.* Suet Domit. 22. *Eratque fama, quasi* etc. — 12. Serv. comparat notissima illa verba Cic. pr. Mil. 4. *silent leges inter arma.* — *nostra.* Cf. supra ad v. 2. adnott. — 13. *aquila veniente,* irruente hostili et infesto animo: ut Aen. X, 456. *Turni venientis imago.* Cf. Burm. ad h. l. et ad Phaedr. I, 21. Obversabatur poëtae Lucret. III, 751. *tremeretque per auras Aëris accipiter fugiens veniente columba.* —

Quod nisi me quacumque novas incidere lites
Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,
Nec tuus hic Moeris nec viveret ipse Menalcas.

LYCIDAS.

Heu, cadit in quemquam tantum scelus? heu, tua nobis
Paene simul tecum solatia rapta, Menalca?
Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis

„*Chaoniae columbae* sollemni epitheto a Dodonaeo luco et oraculo per columbas s. palumbes edito. [Cf. adnott. ad Aen. III, 466.] Erat autem Dodona urbs Epiri vetustissimis temporibus a Chaonibus habitatae. Cf. Strab. VII. p. 498. C.“ *Heyn.* Lucus autem erat quercuum, quare saepe de Chaoniis quercubus sermo est. Cf. Geo. I, 8. II, 67. (Aen. III, 293. 335.) Anth. Lat. Burm. II, 260, 1. *Chaoniam legitis natam Iovis arbore glandem.* Claud. de rapt. Pros. III, 47. *victus Chaonius*, i. e. glandes. De *Chaonia* vid. librum meum geogr. III. p. 878., de ipso autem oppido Dodonae eiusque oraculo ibid. p. 880. — 14. „Nisi augurio monitus fuissem, ut quovis modo iurgia cum veteranis in agros irrumpentibus praeciderem, capitis periculum una cum hero Menalca adiissem.“ *Heyn.* Cf. Argum. — *Quod nisi*, i. e. quamobrem nisi. Cf. Ruddim. II. p. 355. Zumpt. §. 342. not. Ramsh. §. 200. II. 4. p. 912. Beier. ad Cic. Off. II, 8, 29. Kritz. ad Sall. Cat. 2, 3. alii. Redit Geo. I, 155. et alibi. — *quacumque* via, ratione. Cf. adnott. ad Ecl. III, 15. — *incidere lites*, i. q. praecidere, decidere, dirimere; ut nos *abschneiden*. Saepius significat rem, quae iam esse coepit, abrumpere. Cf. v. c. Hor. Ep. I, 14, 36. *incidere ludum.* Liv. XXXII, 37, 5. *incidere sermonem.* Sil. III, 68. *Si quis forte deum tantos inciderit actus.* — 15. *Cornix*, κορώνη, avis fatidica erat, quae, si a sinistra canebat, res eventum habituras praenuntiare putabatur. Cf. Plaut. Asin. II, 1, 12. *Picus, cornix est a laeva.* Cic. Div. I, 39, 85. *cornix a sinistra facit ratum.* Hor. Od. III, 27, 15. *Teque nec laevus vetet ire picus Nec vaga cornix.* Phaedr. III, 188, 12. *laeva cornici omina* (data). Hic cum in *cava* ilice sedens canat, aliquod malum vaticinatur. Ameis Spic. p. 15., coll. Geo. I, 444. et Aen. I, 110., talia ex Graecorum more dicta esse arbitratur. — 16. *nec - - hic Moeris, nec - - Menalcas*, i. e. neque ego, neque ille. Nam Pron. *hic* saepe ita usurpatur, ut aliud quid ei rei, cui adiunctum illud est, opponatur, quod docet Wagn. Qu. Virg. XX, 7. p. 596 sq. comparans Ecl. III, 5. Aen. I, 261 sqq. 715 sq. II, 291 sqq. 577. VI, 127 sqq. VIII, 287. multosque alios locos. Conington conferri iubet Ter. Heaut. II, 3, 115. *Tibi erunt parata verba, huic homini* (i. e. mihi) *verbera.* — 17. *cadit in quemquam tantum scelus?* i. e. potest a quoquam exspectari, potest quisquam committere tantum scelus? *Cadere* enim haud raro i. q. convenire. Cf. v. c. Cic. har. resp. 26, 56. *In eum cadit hoc verbum maxime.* id. Sull. 27, 75. *Non cadit in hunc hominem ista suspicio.* Plin. XXXV, 10, 36. *Non cadit in alium tam absolutum opus* etc. Ceterum Peerlk. p. 44. mavult legi *Heu, cadere in quemquam.* — 18. *solatia rapta*, carmina erepta, quae curas et molestias agricolarum leniebant; et Vergilii quidem carmina, quippe qui Ecl. V. agricolas consolatus sit, appellari h. l. docet Voss. Cf. autem Claud. Praef. II. de raptu Pros. 3. *Lugebant erepta sibi solatia Nymphae* (i. e. Orphei cantus.) et cum toto loco Moschus III, 11. et 64. Ceterum Heyn. post *Menalca* minus recte signum exclamationis posuit; Wagn. autem Vol. V. et Ribbeck. ex Med. et Rom. auctoritate *solacia* scripserunt. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 472. et Ribbeck. Proleg. p. 446. — V. 19 sqq. Spohn. in Prolegg. p. 50. ad ludos Apollinares, Wagn. autem ad Ambarvalia alludi censet. De illis vid. Argum. Ecl. V. — de his adnott. ad Geo. I, 338. — *Quis caneret Nymphas?* si Menalcas s. Vergilius a veteranis furibundis interfectus fuisset. Respicit autem poëta Ecl. V, 20., ut in sequentibus eiusdem carminis v. 40., ubi vid. adnott. Quod autem ad duplicem attinet constructionem *inducere fontes umbra* et *inducere fontibus umbram*, Burm., coll. Ovid. Met. X, 271. *inducere cornua auro* et IV, 408. *inducere brachia plumis*, docet, esse quasdam

Spargeret aut viridi fontis induceret umbra?
Vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper,
Cum te ad delicias ferres, Amaryllida, nostras?
„Tityre, dum redeo — brevis est via — pasce capellas
„Et potum pastas age, Tityre, et inter agendum
„Occursare capro — cornu ferit ille — caveto."

MOERIS.

Immo haec, quae Varo nec dum perfecta canebat:
„Vare, tuum nomen, superet modo Mantua nobis,

---

locutiones, quae duplicem constructionem habentes idem significent, velut *spargere humum herbis* et *herbas spargere humo*. Ecl. III, 43. *labra admovere poculis* et *pocula labris*. Adde verba *afflandi, adspergendi, circumdandi, induendi* etc., quae collecta vides a Ruddim. II. p. 173 sq. et cf. Heins. ad Ovid. Her. XIII, 113. — 20. *quis - - Spargeret — induceret*, h. e. caneret humum florentibus herbis sparsam aut fontes umbrosis arboribus consitos, vel potius carmine auctor esset, ut spargeretur — ut induceretur. Cf. etiam similis locus Ecl. VI, 62. et adnott. ad Ecl. VI, 46. *viridis umbra* metonymice pro umbra arborum virentium, ut Geo. I, 157. *Falce premes umbram* et Geo. III, 145. *saxea umbra*, ubi vid. adnott. Cf. etiam Naek. ad Cat. Dir. 28. p. 59. (a Gebauero Progr. p. 14. laud.) — 21. *Vel*, scil. quis caneret? — *quae sublegi tacitus*, quae nuper, cum caneres, ex te non sentiente didici. — 22. *„Amaryllida, delicias nostras:* aut communem utriusque amicam dicere voluit, aut pro: meam amicam. Neutrum satis placet; hoc tamen magis consentaneum, quandoquidem Moeris iam senio fractus est, v. 51." *Heyn.* Rectius Voss. voc. *nostras* ita interpretatur, ut dicat, Amaryllida, ex Theocrito [III, 1.] translatam, fictam esse personam, quam quisque pastor suas delicias vocare possit, cuiusque nomen omnino in carminibus bucolicis amatae puellae significandae adhibeatur. Cf. Ecl. II, 14. III, 81. — Quod subiicitur v. 23—25. breve carmen, ex Theocr. III, 3—5. ad verbum conversum est. Cf. Gell. IX, 9. et Scaliger Poët. V, 5. pr., ab Heynio laud. — 23. *dum redeo*, ut apud Ter. Adelph. II, 1, 42. *Delibera hoc, dum ego redeo.* Multa exempla Particulae *dum* (germ. *bis, so lange bis*) verbis exspectandi, manendi, retinendi, etc. adiectae, v. c. Aen. IV, 51. Ter. Eun. I, 2, 126. Phorm. V, 7, 89. Cic. ad Att. IX, 3. etc., collegit Hand. in Tursell. II. p. 320 sq. Cf. etiam Ruddim. II. p. 310. et Ramsh. §. 185. III. p. 784. — 24. De copula ad efficiendam orationis alacritatem repetita cf. Wagn. Qu. Virg. XXXV, 7. h. et Gebauer de poët. I. p. 30. — *inter agendum*, ut ap. Quinct. XII, 3, 10. Sic ap. Ennium fr. inc. p. 186. Vahl. *inter ponendum*, Suet. Ner. 32. *inter canendum*, Iustin. XI, 8. *inter bibendum*, Gell. I, 26. *inter vapulandum* etc. Cf. Hand. Turs. III. p. 407. Saepius sane in eiusmodi locis invenitur Praep. *in*. Cf. idem III. p. 286. — 25. *ferit*. Pauci quidam Codd. *petit*, ut Ecl. III, 87. Hor. Sat. II, 1, 52. 55. et alibi; sed vulgatam praeter optimos libros tuentur Gell. IX, 9. Arusianus p. 238. Lind. et Nonius p. 311, 14.; vocc. autem *ferire* et *petere* a librariis saepe confusas esse, docet Burm. ad Quinct. Decl. 301. — 26. *nec dum* non simpliciter esse i. q. nondum, ut Voss. censet, sed significare *et nondum quidem* in promptu est. — 27—29. Sequitur aliud breve carmen, eadem ratione cum antecedentibus coniunctum, nam ad *Immo* rursus supplendum: quis caneret? „Sententia haec est: si modo Mantua ab interitu servata fuerit, nomen tuum per totum agrum Mantuanum celebrabitur? Sensum posteriorum ita elocutus est, ut laudes Vari cantus amantissimis cycnis, quippe quibus Mincius abundaret (Geo. II, 198 sq.), celebrandas traderet. Quod enim sensum humanum tangit, id cum omni rerum natura, animata et inanimata, poëtice communicatur. Ut igitur supra Ecl. V, 27 sq. Daphnidem lugent et celebrant laudibus silvae ac ferae, et I, 38. 39. fontes et arbusta desiderabant Tityrum; ita nunc cycni concinunt in Vari honorem." Haec fere *Heyn.* De Varo vid. Argum. Ecl. VI. — 27. *superet modo Mantua nobis*, h. e.

„Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae,
„Cantantes sublime ferent ad sidera cycni."

LYCIDAS.

Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos,
Sic cytiso pastae distendant ubera vaccae:

incolumis et salva sit, agris redditis. *Superare* enim haud raro ponitur pro superesse, superstitem esse. Cf. Aen. II, 597. 643. III, 339. V, 519. Lucr. I, 580. (ubi vid. adnot. mea) Prop. V, (IV,) 2, 57. Tibull. III, 2, 17. IV, 1, 28. Caes. B. G. VI, 17. Sall. Iug. 70. Liv. XXII, 40, 8. etc. — 28. „*Mantua vae miserae n. v. C.* Scilicet cum Cremonensium, qui Cassii et Bruti partes secuti fuerant, agri ei militum numero, cui assignati erant, non sufficerent, proximi agri Mantuani additi sunt, licet ea urbs in Augusti partibus fuisset." *Heyn.* Cf. Argum. Iure igitur Mantua *nimium vicina* Cremonae dicitur, quamvis ipsa XL millia passuum ab ea distaret. Obversabatur autem hic versus celeberrimus Martiali VIII, 56, 7. canenti: *Iugera perdiderat miserae vicina Cremonae* (Vergilius), et auctori carm. in Anth. Lat. Burm. II, 186, 79. *Mantua tu coniuncta loco, sociata periclis, Non tamen ob meritum; miseram vicinia fecit.* — 29. *Cantantes cycni.* De fabuloso cygnorum moribundorum cantu, quo ipsam mortem instantem instinctu quodam praesentientes significare et quasi cum gaudio et voluptate consalutare dicuntur, plena sunt poëtarum post Homerum carmina. Vid. locos iam ad Ecl. VIII, 55. laudatos. Praeterea cf. Cic. Tusc. I, 30, 73. (ubi vid. Davis. et Kühner) Aelian. V. H. I, 14. Plat. Phaed. p. 84. E. ibique Heindorf. p. 124. Voss. *Mythol. Br.* T. II. p. 98 sqq. Ernesti ad Callim. H. V. p. 41. Doering. Ecl. vett. Poët. p. 232. ad Stat. Silv. II, 4, 10. (Quare non mirum, ipsos vates s. poëtas interdum cygnos appellari. Cf. Hor. Od. IV, 2, 25. *Multa Dircaeum levat aura cycnum*, i. e. Pindarum Thebanum. Vid. not. ad Ecl. II, 24. Magis vero mirum, esse etiam qui h. l. cygnos de poëtis interpretentur. Cf. Orell. ad Hor. Od. II, 20, 15.) Veteres tamen ipsos de fabulae illius veritate dubitasse, discimus ex Aeliani l. l. et Plin. X, 23, 32. Cygnorum autem cantus hic quidem aptissime commemoratur, quia Mincius his avibus abundabat. Vid. Geo. II, 198 sq. Peerlk. tamen offendens in avibus „iudicio et ingenio praeditis, quae Varum sui carminis argumentum sumpserint", p. 45. pro *cycni* coniicit *coeli* (!), comparans Aen. I, 259.; quod quam supervacaneum sit, docet Ladew. Progr. p. 12 sq. — *sublime ferent.* Cf. Calpurn. VIII, 18. *laudesque tuas sublime ferent.* Wakef. ex Lucr. I, 342., ubi *sublima caeli* commemorantur, etiam huic loco antiquiorem illam formam temere vult obtrudere, coniiciens: *sublima ferent ad sidera.* — *ad sidera.* Cf. adnott. ad Ecl. V, 51. — V. 30. et 31. repetuntur in epigr. Anth. Lat. Burm. I, 147, 27 sq. Lycidas Moerin obtestatur per omnia, quae ipsi cara esse debeant, ut plura ex Menalcae carminibus proferat. Mitigat autem poëta, quod bene sensit Voss., sui ipsius laudes, quas ut sibi tribueret totius carminis consilium ferebat, et ardenti artis poëticae studio, et patriae, qua ducebatur, caritate. *Sic* etc., nota obtestandi formula per res carissimas. Vid. adnott. ad Ecl. X, 4. Sensus est: Ut volo, apibus et gregibus tuis bene eveniat, ita cupio, ut incipias canere. — *tua examina*, i. e. domini. Cf. supra ad v. 2. et 12., de voc. *examinis* autem ad Ecl. VII, 13. Apibus vero abundasse agrum Vergilii, discimus ex Ecl. I, 53. et VII, 13. Ceterum Ribbeck., cum Cod. Med. exhibeat *exacmina*, litera *c* inducta, scripsit *exagmina*, fortasse rectius. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 437. et Ribbeck. Proleg. p. 420. — *Cyrneas taxos*, i. e. Corsicanas. Deducta est Adiectivi forma ex Graeco insulae nomine *Κύρνῳ*, unde etiam *Cyrniacus* apud Rutil. Itin. I, 516. Taxus omnino mellificio exitiosa, quia mel amarum inde fiebat. Cf. Geo. II, 257. IV, 47. Cum vero alii (cf. Diod. V, 14. Ovid. Am. I, 12, 10. Serv. ad Verg. Geo. IV, 100. et liber meus geogr. III. p. 830.) Corsici mellis amaritudinem potius a buxi in insula crescentis copia repetant, Conington *taxos* fortasse per errorem pro *buxos* scriptum suspicatur, quod non probaverim. — 31. De *cytiso* cf. not. ad Ecl. I, 78. — *distendant ubera* pro vulg. *distentent*, quod e vitiosa scriptura *distentant* ortum videtur, Heins. e melioribus libris restituit. Ceterum vid. not. ad Ecl. IV, 21. et Theocr. VIII, 69. —

Incipe, si quid habes. Et me fecere poëtam
Pierides, sunt et mihi carmina, me quoque dicunt
Vatem pastores; sed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

MOERIS.

Id quidem ago et tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,

---

32. sqq. Cf. Theocr. VII, 37 sqq. *incipe*, sc. canere, ut Ecl. V, 10. et X, 6. Cf. etiam Iuven. IV, 34. *incipe, Calliope.* — *si quid habes*, ut Ecl. III, 52., ubi vid. not. Calpurn. Ecl. VIII, 3. hunc locum sic imitatur: *Incipe, si quod habes gracile sub arundine carmen;* verba autem *Incipe, si quid habes* repetit etiam auctor epigr. in Anth. Lat. Burm. I, 172, 25. — 33. *Pierides.* Vid. adnott. ad Ecl. III, 85. — 34. *vatem.* i. q. supra *poëtam*, ut etiam Ecl. VII, 25 sqq., adiuncta tamen venerationis notione, qua pastores mirabundi eum suspiciant, cum etiam Theocr. l. l. scripserit *κἠμὲ λέγουσι Πάντες ἀοιδὸν ἄριστον*. *Vatem* autem omnino dici praestantissimum et admiratione dignissimum sui generis, satis notum. Martyn. et Coningt. conferunt *medicinae* et *legum vates* ap. Plin. XI, 37, 89. et Val. Max. VIII, 12, 1. — *non sum credulus illis.* *Credulus* cum tertio Casu coniungitur etiam Hor. Od. I, 11, 8, *carpe diem, quam minimum credula postero;* alibi etiam cum Genit. (Sil. X, 478. *credulus adversi*, nisi *adversis* legendum) et cum Praepos. *in* (Ovid. Fast. IV, 312. *credulus in vitium.*) — V. 35. ad Theocr. VII, 39. exemplum formatus. Nam mea carmina nondum comparari possunt cum Varii et Cinnae carminibus; quamquam additum Adverb. *adhuc* indicat spem poëtae, aliquando se illis comparem fore, qui tamen non erant poëtae bucolici. (Cf. Unger de Valgio Rufo p. 326.) Pro *Vario*, quod hic legerunt Serv. et Schol. Hor. Cruqu. ad Od. I, 6. (p. 20.), Codd. constanter praebent Varo, scilicet quod *Vari* nomen modo commemoratum v. 26. librariis adhuc obversabatur. Varius autem, qui Vergilio superstes fuit (cf. Donat. vit. Verg. 14. §. 53.) facile princeps erat illius aetatis, qua Vergilius et Horatius canere incipiebant, poëta, magna apud Augustum et Maecenatem pollens gratia, et ab Horatio, quem Maecenati commendaverat (Hor. Sat. I, 6, 55.), eximiis ornatus laudibus. Cf. de eo Hor. Od. I, 6, 1. Serm. I, 5, 40. 9, 23. 10, 44. Epist. I, 16, 27 sqq. II, 1, 247. A. P. 55. Ovid. ex P. IV, 16, 31. auctor. carm. ad Pison. 218 sqq. Quinct. Inst. X, 1, 98. Tac. de oratt. 12. Macrob. VI, 1 et 2. Fragmenta eius collegit Rutgers. in Lectt. Venus. c. 3. Vid. Heyn. ad Donati l. l. et §. 30. idemque in Vita Verg. p. ann. dig. a. 735., imprimis autem Weichert. de L. Varii et Cassii Parm. vita et carminibus. Gotting. 1836. p. 1—120. De C. Helvio *Cinna*, Smyrnae auctore, carminis, per decem annos elimati, qui eo tempore, quo haec Ecloga scripta est, haud dubie adhuc in vivis erat, cf. Catull. X, 30. XCV, 1. Ovid. Trist. II, 435. Martial. X, 31. Quinct. X, 4, 4. et inter recentiores unus instar omnium Weichert. in duabus de eo commentt. doctiss., Grimae a. 1822. et 23. editis (Poëtt. Latt. Rell. p. 147—202.) et praeterea Unger de Valgio Rufo p. 301. Ceterum Gebauer de poët l. p. 77., ut caesura heroica restituatur, cum uno Cod. Moret. *neque dicere* scribendum esse suspicatur. Cf. adnott. ad Ecl. VII, 14. — 36. *argutos i. str. anser olores.* Cf. similis locus Ecl. VIII, 54. ibique adnott. *argutos*, i. e. canoros, ut Hor. Od. III, 14, 21. Epist. II, 2, 90. et alibi. Cf. etiam adnott. ad Ecl. VII, 1. *Anserem* aliquem eius temporis poëtam (de quo cf. Ovid. Trist. II, 435. Prop. III, 32, (II, 34,) 84. III, 25, 83. Cic. Phil. XIII, 5, 11. Weichert. de C. Helv. Cinna p. 9. s. Poëtt. Rell. p. 161 sqq. Passow. ad Pers. p. 230. et Unger de Ansere poëta. Friedland. 1858. 4.) hic tacite vellicari docet Servius, quem iure sequuntur recentiores editores praeter Ladew., consentientem, ut videtur, cum Heynio, qui *inter olores* non nisi *vero anseri* locum esse, versumque nostrum Theocritea Idyll. VII, 47. exprimere censet. Quod ut verum habeamus, tamen non impedit, quominus in Anseris nomine luserit poëta, ut Cicero l. l. haec scribens: *de Falerno Anseres depellentur.* Antonius enim huic Anseri, qui laudes ipsius in carmine aliquo celebraverat, agrum Falernae regionis dono dederat. — 37. *Id*

Si valeam meminisse; neque est ignobile carmen.
„Huc ades, o Galatea; quis est nam ludus in undis?
„Hic ver purpureum, varios hic flumina circum
„Fundit humus flores, hic candida populus antro
„Imminet et lentae texunt umbracula vites.
„Huc ades; insani feriant sine litora fluctus.“

LYCIDAS.

Quid, quae te pura solum sub nocte canentem

---

quidem ago, carmen aliquod Menalcae canere (incipere v. 32.). — 38. *Si valeam.* Vid. adnott. ad Ecl. VI, 57. et Aen. I, 181. — 39. „Ex Theocr. XI, 42–49. 63 sq. (cf. V, 45 sq.) ductum, sed oratione variata. Nobile vero bucolici generis argumentum Polyphemus Galateae Nymphae amore captus. Cf. Bion. Idyll. XV, 3. et fragm. XII, 3. Mosch. Idyll. III, 59.“ *Heyn.* — De formula *huc ades* dictum ad Ecl. VII, 9. De *Galatea* vid. adnott. ad Ecl. VII, 37. — *quis - - nam* tmesi diremptum, ut aliquoties apud Plautum, e. g. Aul. II, 1, 16. III, 2, 13. Rud. IV, 3, 8. et alios, vel apud ipsum Ciceronem ad Brut. I, 2. Inverso ordine *nam quis* legitur v. c. Geo. IV, 445. Ter. Phorm. V, 1, 5. et alibi. — 40. Cf. Theocr. XI, 45 sqq. *ver purpureum*, i. e. pulchrum, variis florum et herbarum ornatibus splendens, legitur etiam ap. Tibull. III, 5, 4. Colum. X, 256. alios. *Purpureus* enim poëtis dicitur de omnibus rebus splendentibus et adspectu pulchris, cuiuscunque coloris sunt. Vid. v. c. Hor. Od. IV, 1, 10. *purpurei olores.* Albinov. II, 62. *brachia purpurea candidiora nive.* Val. Fl. III, 178. *en frigidus orbes Purpureos iam somnus obit*, i. e. oculos pulchros et nitentes. ibid. v. 422. *Hic sale purpureo vivaque nitentia lympha Membra novat.* Aen. I, 591. VI, 641. (Geo. IV, 54. Aen. V, 79. VI, 884.) Cf. Lambin. ad Hor. Od. IV, 1, 10. Burm. ad. Anthol. Lat. T. I. p. 267. Thiel. ad Aen. V, 79. et Gebauer. Progr. p. 7. (qui confert Hesiodi Op. 477. et 492. πολιὸν ἔαρ et Melegr. in Anth. Pal. IX, 363. 2. πορφυρέη μειμερανθέος ἴαρος ὥρη.) Aliter tamen de usu huius epitheti iudicat Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXI. p. 386 sq. — *flumina circum. Circum* etiam de rebus non ab omni, sed ab aliqua tantum parte circumclusis dicitur, ideoque saepe ponitur de rerum ambitu, quem adspectu complectimur, vicinitatis magis, quam circuitus ratione habita. Cf. Hand. Turs. II. p. 53 sq.; de postposita autem Praepositione cf. Aen. I, 32. III, 75. VI, 329. Lucr. I, 935. Cic. N. D. II, 41, 105. etc. Wopkens. Lect. Tull. p. 170. Markl. ad Stat. Silv. III, 3, 21. Walch. ad Tac. Agr. p. 338. Hand. l. l. p. 68. Ruddim. II. p. 335 sq. alii. Ceterum hunc locum respexit Calpurn. Ecl. XI, 47. *Hic tibi lene fluens fons murmurat, hic et ab ulmis Purpureae fetis dependent vitibus uvae.* — 41. *candida populus, die Silberpappel*, Horatio Od. II, 3, 9. *alba* vocata. Tria sunt populi genera, nigrum (*αἴγειρος*), album (*λευκή*: cf. adnott. ad Ecl. VII, 61.), et Libycum, quorum alterum bicolor, (cf. Aen. VIII, 287. *bicolor populus*) folio superne viridi, inferiore parte candido, esse satis constat. Serebatur autem populus imprimis vitium causa, quibus post ulmos maxime utilis. Cf. adnott. ad Ecl. II, 70. et Billerb. Flor. class. p. 241. — 42. *lentae vites.* Vid. ad Ecl. III, 38. Ceterum Ribbeck. edidit *en lentae*, quia Cod. Pal. praebet *E*. (Cf. eius Proleg. p. 311.) — *umbraculum*, scil. aedificium, locus frondibus vel alia quacunque re tectus, ita ut umbram praebeat (cf. Varro R. R. I, 51.); hic quidem tectum frondeum, *Laube, Laubhütte;* res enim vere agitur. (Vid. Cic. fragm. apud Macrob. VI, 4. *Visne ea, quae restant, in illis alnorum umbraculis prosequamur?*) — *insani fluctus*, ut Geo. I, 481. *insanus vertex* Eridani, apud Hor. Od. III, 4, 30. *insaniens Bosporus*, Propert. IV, 6, (III, 7,) *insanum mare*, Ovid. Her. I, 6. *insanae aquae*, et Tibull. II, 4, 9. *insani venti.* Cf. etiam Moschus V, 5. *ὅταν - - τὰ κύματα μαχρὰ μεμήνῃ*, Burm. ad Prop. I. l. p. 533. et Gebaueri Progr. p. 4. Praeter necessitatem igitur Bentl. ad Lucan. II, 673., comparans *τὰν γλαυχὰν θάλασσαν* Theocr. XI, 43., hic et in Ovid. l. l. corr. *incani fluctus.* — *feriant litora.* Cf. Ovid. Her. XIX, 121. *quanto planguntur litora fluctu* et Theocr. XI, 43. a Gebauero Progr. p. 5. comparatus. — 44. Sequitur aliud Menalcae carmen,

Audieram? numeros memini, si verba tenerem, 45
„Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
„Ecce Dionaei processit Caesaris astrum,
„Astrum, quo segetes gauderent frugibus et quo
„Duceret apricis in collibus uva colorem.

---

quod Moerin canere meminerat Lycidas. — *pura sub nocte*, i. e. serena, ut Lucret. I, 143. *noctes serenas* commemorat. Eodem sensu caelum (Calpurn. Ecl. I, 77. Sen. Med. 30.) et sidera pura vocantur (Hor. Od. II, 5, 19. III, 29, 45. Ovid. Her. XVIII, 71. Sen. Hipp. 418. Herc. Oet. 239.). Cf. Burm. ad h. l. idemque ad Val. Fl. II, 56. et Calpurn. l. l., qui comparat Arati Phaen. 323. καθαρῇ ἐπὶ νυκτί. Cf. etiam adnott. ad Geo. II, 364. — *sub nocte* dicit, quia caelum nocturnum cogitatur tamquam tegumentum aliquod super terra expansum. Ita etiam Aen. VI, 268. *Ibant obscuri sola sub nocte per umbram;* nec multo aliter Ovid. A. A. I, 67. *Tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra*, quem locum imitantes Prop. V, (IV,) 8, 75. et Martial. XI, 48, 3. *spatiari in umbra* scripserunt. — 45. *numeros*, i. e. modos, *die Melodie.* Vid. Cic. de Legg. I, 4. in. *Numeros in cantu cecinerat* coll. cum eiusd. de Finn. IV, 27. Aen. VI, 646. et 776. De constructione autem verborum *memini - - si tenerem* vid. adnott. ad Aen. I, 374. — V. 46—50., qui a ceteris editoribus omnibus Moeridi adscribuntur, cum Ribbeckio Codd. Med. et Gud. secuto Lycidae orationem continuavimus. Etsi enim in eiusmodi rebus minor est Codicum auctoritas et huic versuum distributioni v. 45. quodammodo adversari videtur, tamen eam iuvat strophica carminis ratio, qua sic tria septenorum versuum membra se excipiunt. Cf. Ribbeck. in Annal. phil. LXXV. p. 74. et Gebauer de poët. I. p. 131. Sententia est: Cur antiqua illa sidera observas? Novum potius, quod nunc exortum est, Caesaris astrum observandum. „Persuasio vulgi tum erat, stellam crinitam, quae inter ludos D. Iulio ab Augusto a. U. C. 711. s. a. Chr. 43. [secundum H. Voss. mense Iulio: cf. etiam Argum. Ecl. V.] habitos apparuerat, et quam a. 1680. iterum in hominum conspectum venisse Halleius aliique docti viri opinati sunt, animam Caesaris in caelum recepti esse. Cf. Suet. Caes. 88. Plin. II, 25, 23. Dio Cass. XLV, 7. Sen. N. Qu. VII, 17. Ea poëta ingeniose ita utitur, ut Caesarem inter deos rutis relatum esse fingat. Cf. Geo. I, 26. 27. 42." *Heyn.* Iul. Caesarem autem, cuius alii poëtae Augustei aevi fere nusquam mentionem faciunt, quasi timentes, ne illo celebrato Augusti laudes imminuant et obscurent (cf. Orell. ad Hor. Od. I, 12, 47.), Vergilius praeter h. l. etiam Geo. I, 466. et Aen. VI, 826. commemorat. — *quid - - suspicis?* scil. prognostica petiturus. — *antiquos signorum ortus* pro: *antiquorum* (dudum notorum et inde a mundi origine fulgentium) *signorum* (i. e. siderum, ut Geo. I, 257. Aen. VII, 138. al.) *ortus.* (Vid. adnott. ad Aen. VIII, 526.) In re summa nobiscum consentiens Ameis. Spic. p. 16. haec adnotat: „Poëta dicere voluit, *antiquos ortus* signorum inde ab initio rerum sibi constitisse. Hos autem *antiquos ortus* non amplius suspicere iubetur Daphnis, sed *novam originem* astri Caesaris: *processit Caesaris astrum.*" Ceterum de rusticis stellas in rem suam observantibus cf. Geo. I, 204 sqq. et 257 sq. — *Dionaei*, quod Caesar genus ab Iulo s. Ascanio, Aeneae filio, ideoque ab Anchisa et Venere ducere credebatur. (Cf. adnott. ad Ecl. V, 23.) Venerem autem secundum antiquiorem mythum Cretensem *Dione*, sive Oceani et Tethyos (Hes. Th. 353.) sive Urani (Aetheris) et Terrae filia (Hyg. praef.), ex Iove peperit. Cf. Hom. Il. V, 370 sqq. Apollod. I, 1, 3. ibique Heyn. p. 5. Quare etiam Auson. Ecl. de mens. (carm. 377.) 13. *Inde Dionaeo praefulgens Iulius astro.* Cf. etiam Hor. Od. I, 12, 47. *Iulium sidus* ibique Interpp. — *processit*, orta est stella. Sic Ecl. VI, 86. *invito processit Vesper Olympo.* Eius vero stellae ortus bonum frugum proventum ominari et maturare fingitur. — 48. *quo segetes gauderent frugibus* etc., ac si stella illa uberrimum frugum proventum ominetur. — 49. *duceret colorem*, sensim acciperet, i. e. livesceret, purpurasceret. Eodem modo Ovid. Met. III, 484. *aut ut variis solet uva racemis Ducere purpureum nondum matura colorem* et Iuven. II, 81. *Uvaque conspecta livorem ducit ab uva.* Idem est

„Insere, Daphni, piros; carpent tua poma nepotes.“

MOERIS.

Omnia fert aetas, animum quoque; saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles:
Nunc oblita mihi tot carmina; vox quoque Moerim
Iam fugit ipsa; lupi Moerim videre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas.

LYCIDAS.

Causando nostros in longum ducis amores.

---

colorem trahere. Cf. Aen. IV, 701. Ovid. Met. II, 236. III, 482. etc. — **50.** Si nunc, astro tam propitio lucente, inseris piros, non tu solum, sed etiam nepotes fructum habebunt ex arboribus a te insitis. — *Insere.* Cf. not. ad Ecl. I, 73., quem locum hic respici, iam Servius animadvertit. — **51.** „Memoria deficiente puta Moerin subito obticuisse, nec, quod coeperat, implere potuisse; itaque addit cum dolore: *Omnia fert*, aufert, eripit [cf. adnott. ad Ecl. V, 34.], *aetas*, etiam animi vires, memoriam. Atqui saepe ego me, dum puer essem, memini, totos dies aestivos cantando exigere; nunc tot carmina oblitus sum, ipsa etiam vox me deficit.“ Haec *Heyn.*; aliam tamen esse huius loci rationem, supra ad v. 46. exposuimus. Quod autem attinet ad *animum* pro memoria positum, cf. Aen. III, 230. *animis haec mea figite dicta.* Ter. Andr. I, 5, 47. *dicta illa mihi etiam nunc scripta sunt in animo.* Cic. de Or. II, 74, 300. *ex animo effluere* et similes locos. Cod. Pal. praebet *fert aetas*, quare Ribbeck. coni. *omnia fers, aetas;* „elegantissime“, ut Peerlk. p. 370. censet. — 52. *condere soles*, h. e. exigere dies (cf. Aen. III, 203. et Calpurn. IX, 25. *Nam mihi iam perierunt ordine soles*) usque ad solis occasum. Ita Hor. Od. IV, 5, 29. (ubi vid. Orell.): *Condit quisque diem collibus in suis* pro vulgari: videt diem condi. Cf. etiam Geo. I, 457. (sol) *cum referetque diem condetque relatum.* Plin. Ep. IX, 36, 4. *Ita variis sermonibus, quamquam longissimus, dies cito conditur.* Stat. Theb. X, 54. *Condiderant iam vota diem.* Lucr. III, 1103. (1090.) *licet quot vis vivendo condere saecla.* Nos simili ratione: den Tag zu Grabe tragen. Praeiverat autem Callim. Epigr. II, 3. ἐμνήσθην δ' ὁσσάκις ἀμφότεροι Ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν. Vid. Waardenburgii Opusc. orat. poët. crit. p. 232. a Wagn. laud. — 53. *oblita*, passive, pro: oblivioni tradita. Cf. Val. Fl. I, 792. *oblitos dolores pati*, id. II, 388. *si Martius aures Clamor et obliti rursus fragor impleat aeris.* Omnino autem de verbis deponentibus passive usurpatis egerunt Priscian. VIII, 4, 15. p. 791. P. Gell. XV, 13. Ruddim. I. p. 288. Ruhnk. ad Ter. Phorm. II, 1, 18. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 78. Kritz. ad Sall. 7, 3. et 48, 7. Kühner. ad Cic. Tusc. III, 14, 30. multique alii. Verba *Nunc oblita mihi tot carmina* iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 178, 172. — 54. *lupi Moerim videre priores*, i. e. obticeo, subito me destituente memoria, quasi lupus me prior vidisset. Adhibetur hoc proverbium, hic quidem a Theocr. XIV, 22. (λύκον εἶδες) sumptum, (de quo cf. Erasm. Adag. Chil. I. cent. 7. §. 86.) subito et maximo terrori exprimendo, qui vocem praecludit, (cf. Plin. N. H. VIII, 22, 34. *Sed in Italia quoque creditur luporum visus esse noxius vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad praesens* et Isidor. I, 26.); unde etiam alterum illud *Lupus in fabula*, quo utimur, quando in medio sermone supervenit ille, de quo loquimur, et praesentia sua libere loquendi potestate nos privat, quod, sive laudabatur, pudet nos in os dicere, quod recte narratur de absente, sive vituperabatur, timemus eum offendere. (Cf. Erasm. Chil. IV. cent. 5. §. 50.) — 56. „Causas et excusationes afferendo differs meum desiderium canentem te audiendi. Lucret. I, 399. *Quapropter, quamvis causando multa moreris, Esse in rebus inane tamen fateare necesse est.*“ *Heyn.* — *amores*, i. q. deliciae; tum etiam desiderium eius rei, quam amamus ideoque cupimus, hic igitur carminum. Cf. etiam Aen. I, 171. II, 10. VI, 314. Cic. Off. I, 5. in. *Forma*

Et nunc omne tibi stratum silet aequor et omnes,
Aspice, ventosi ceciderunt murmuris aurae.
Hinc adeo media est nobis via; namque sepulchrum
Incipit adparere Bianoris: hic, ubi densas
Agricolae stringunt frondes, hic, Moeri, canamus;
Hic haedos depone, tamen veniemus in urbem.
Aut si, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet usque — minus via laedit — eamus;

---

honesti - - si cerneretur, mirabiles amores excitaret sapientiae etc. — 57. Cf. Theocr. II, 38. ἠνίδε σιγᾷ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἀῆται. — *tibi*, in tuam gratiam, ut melius audiri possis. — *aequor*, i. e. lacus, in quem haud procul a Mantua Mincius fluvius diffunditur. *Sterni* et στορεῖσθαι, *κατασ*τορεῖσθαι (Theocr. VII, 57.), i. e. aequum, planum fieri, ideoque sedari, de tranquillitate maris sollemne. Wagn. conferri iubet Soph. Ai. 659. ed. Herm. δεινῶν δ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε στέγοντα πόντον ibique Interpp. Vid. Aen. V, 763. VIII, 89. Ovid. Her. X, 49. Manil. I, 155. Plin. II, 47, 47. Deinde etiam de ventis dicitur, velut apud Hor. Od. I, 9, 10. (divi) *Stravere ventos aequore fervido*, i. e. sedavere, tranquillavere. De ipsa re cf. etiam Ecl. II, 26. *Cum placidum ventis staret mare* et Aen. III, 69. *placataque venti Dant maria.* — 58. *Aspice;* exspectamus potius *audi;* sed, undis et foliis arborum nulla aura motis, poterat etiam adspici aëris tranquillitas. Omnino autem *audiendi* et *videndi* verba haud raro confunduntur. Cf. v. c. Cic. Arch. 8, 18. *quoties ego hunc vidi magnum numerum versuum dicere ex tempore.* Sall. Cat. 40, 3. *postquam illos videt queri de avaritia magistratuum.* Liv. XXXIV, 31, 13. *nunc tyranum me vocari video* etc. Cf. Schiller. ad Hor. Od. II, 1. p. 79. et quod ad Graecorum usum attinet Nitzsch. ad Hom. Od. T. I. p. 152. et T. II. p. 112. *Aspice* autem (de qua scribendi ratione vid. adnott. ad Ecl. II, 66.) pro *en* vel *ecce* legitur etiam Ecl. II, 66. III, 50. 52. V, 6. VIII, 105. alibi. — *ventosi murmuris aurae* poëtice pro aura murmurante, de quo Genitivi usu cf. ad Ecl. IV, 24. adnott. „Epitheton proprie ad auram spectabat; *ventosa aura*, ut Ovid. med. fac. 57. *Haec ubi ventosas fuerint siccata per auras.* Ante oculos habebat Maro Theocriti suavissimum versum: τὰ τέ νιν καλὰ κύματα φαίνει ἄσυχα καχλάζοντα, Id. VI, 11, 12. Cf. II, 38. *Heyn.*" — 59. Cf. Theocr. VII, 10., unde hic locus fluxit. *Hinc adeo, von hier gerade.* Ut enim *adeo* Adverbiis temporis *nunc, iam* et *tum* additur, vim earum intendens (cf. quae ad Ecl. IV, 11. et Aen. II, 567. adnotavimus), ita etiam Adverbiis loci adiunctum legitur. Cf. Hand. Tursell. I. p. 150. Voss. *adeo* pro *ad haec, praeterea* positum capit (de qua significatione cf. Hand. l. l. p. 138.); vertit enim: *auch ist hier die Hälfte des Weges uns.* — 60. *Bianorem* eundem cum Ocno s. Aucno, Tiberis fluvii et Mantus filio, et conditorem Mantuae facit Servius ad h. l. et ad X, 198 sqq., sed recte Heyn. adnotat, destitui totum hoc commentum idonea auctoritate, illumque Bianorem tantum virum aliquem illustrem vel heroem Mantuanorum habendum esse. — De scriptura *sepulchris*, quam ex Cod. Med. auctoritate cum recentissimis editoribus recepimus, cf. Gellius II, 3. Charis. p. 56. Serv. ad Geo. III, 223. p. 275. Wagn. Orth. Verg. p. 421. et Ribbeck. Proleg. p. 424. Aliter tamen statuunt Schneid. Gramm. Lat. I, 1. p. 206 sq. et Unger de Valgio Rufo p. 196 sq. — 61. *stringere* simpl. est decerpere, avellere. Cf. ad Ecl. I, 56. Geo. I, 317. Sermo est de frondatione, de qua etiam Plin. XVIII, 28, 68. Calpurn. V, 99. et Colum. VI, 3, 7. *stringendi* vocabulo utuntur. Cf. Obbar. ad Hor. Epist. I, 14, 28. Fasc. VI. p. 215. — 62. *depone.* Hinc cognoscitur, quomodo v. 6. *mittimus* intelligendum sit. Ceterum cf. quae ad Ecl. III, 31. adnotavimus. — *tamen veniemus*, etiamsi paullulum quiescentes dederimus operam cantilenae, ut iam Serv. locum intellexit. Cf. etiam Ecl. X, 31. — *in urbem*, Mantuam. — 63. *nox pluviam ne colligat ante*, ne vesper nubes pluviam minantes colligat. Cf. Geo. III, 327. — V. 64. Ad Theocriti VII, 35. 36. exemplum factus. Quia verendum, ne mox pluat, non amplius hic sedentes, sed domum euntes cana-

Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo. 65

MOERIS.

Desine plura, puer, et, quod nunc instat, agamus:
Carmina tum melius, cum venerit ipse, canemus.

---

mus. — *usque, so immer, in Einem Zuge fort*; possumus omnem, quae restat, viam canentes conficere. Respicit enim haec Particula unum quodque temporis momentum per continuum aliquod et certo termino finitum temporis spatium. Cf. Aen. VI, 487. *iuvat usque morari.* Plaut. Epid. II, 2, 120. *Usque opperiar.* ibid. I, 2, 26. et Most. II, 2, 19. *Benene usque valuisti?* Ter. Andr. II, 1, 4. *usque antehac attentus fuit.* Cic. ad Fam. XII, 19, 3. *Mihi quidem usque curae erit, quid agas, dum, quid egeris, sciero* etc. — *laedit* pro vulg. *laedet* vel *laedat* ex Med. aliisque bonis Codd. cum Wagn. restitui, quem etiam ceteri recentiores edidit. sequuntur. Sensus est enim: si cantamus, via minus laedit, sive: cantantes via non laedit. *Laedat* ex vicino Coniunctivo ortum; diversi enim Modi vicinitatem saepe verae lectionis mutandae ansam praebuisse, iam ad Ecl. II, 27. et 57. vidimus. — 65. *hoc fasce*, haedorum, quos portat, onere. Cf. v. 6. et 62. *Fascem* latiore sensu de quovis onere dici, Coningt. probat locis Geo. III, 347. IV, 204. et Mor. 80. — 66. *desine plura*, scil. dicere, vel a me flagitare. Cf. adnott. ad Ecl. V, 19. — *puer*, ultima syllaba arsis vi producta. Cf. not. ad Ecl. IV, 51. — *quod nunc instat, agamus:* i. e. novo domino haedos in urbem deferamus. (Cf. v. 6.) Contristans rerum tam misere mutatarum cogitatio animum Moeridis a Lycidae precibus avertit et vel cantum ipsum ei invisum reddit. Studium et voluptatem canendi tum demum ait sibi redituram, *cum ipse*, Menalcas, *venerit*, i. e. in praedium suum redierit.

ECLOGA X. GALLUS.

ARGUMENTUM.

C. Cornelius Gallus*), (quem iam supra Ecl. VI, 64. commemoratum vidimus) amicam Lycoridem**) habuit, quam etiam elegis celebravit

---

*) Forojuliensis, circa a. U. C. 685. s. 69. a. Chr. humili loco natus (Suet. Octav. 66.), poëta doctissimus et elegantissimus, qui, ab Augusto primus Aegypti praefectus constitutus, in ea provincia convictis quibusdam, quibus ebrius aliquando cum lacessisse dicitur, Caesarem adeo offendit, ut, ab aliis etiam accusatus, bonis publicatis relegaretur, quam ignominiam non ferens anno aetatis 43. (U. C. 728. s. 26. a. Chr.) suis ipse manibus se interfecit. Carmina eius praestantissima praeter unum alterumque fragmentum sunt deperdita; nam quae vulgo eius nomine feruntur VI Elegiae, auctoris sunt multo posterius viventis, Corn. Maximiani Galli. A nonnullis tamen Ciris, quod carmen inter Vergilii catalecta referri solet, auctor habetur. Cf. de eo praeter Suet. l. l. Dio Cass. LI, 9. 17. LIII, 23. Strab. XVII. p. 819. (ibique Casaub.) Eutrop. VII, 7. Ammian. Marc. XVII, 4. et de eius poësi nota ***).

**) Consentiunt veteres, hanc Galli amicam, quam poëta Lycoridem nominat, fuisse infamem *Volumniam* illam, Volumnii Eutrapeli libertam, mimico nomine *Cytheridem* vocatam, quae multos habuit amatores et inter eos etiam Antonium, qui inito cum Fulvia matrimonio eam cessit Corn. Gallo. (Cf. Cic. Phil. II, 24, 58. ad Att. X, 10. et 16. ad Div. IX, 26. Plutarch. vit. Anton. c. 9. Plin. VIII, 16, 21.) Errant enim, qui cum Servio ad v. 1. putant, Antonium ipsum in Gallias euntem esse illam, quem v. 22 sqq. et 46 sqq. Gallus perfidam Lycoridem se spreto in castra secutam esse conqueratur. Nam Cytheris iam a. 710. ab Antonio dimissa erat (Cic. Phil. II, 28, 69.), haec Ecloga autem demum hieme a. 716. scripta videtur (cf. Diss. de Verg. vita etc. nota 42.), h. e. tempore, quo Antonius iam in Oriente occupatus erat. Quare alium potius militem in M. Agrippae exercitu, qui illo anno in Gallias ductus Aquitanis devictis Rhenum adeo

saepe a Propertio, Ovidio, Martiale aliisque laudatis***). Is a perfida amica desertus magnoque dolore oppressus in hoc carmine ex Theocriti Idyll. I. et VII. expresso, tamquam pastor caprarius sub sola Arcadiae rupe proiectus, amores suos deflere fingitur. Post exordium, quo Vergilius consilium significat Gallo sibi dilectissimo carmen dedicandi (v. 1—7.), obiurgat poëta Musas, quod solae non adfuerint Gallo curis amoris confecto (8—12.); cum tamen miserationis affectum testatae ei sint adeo res inanimatae, arbores et saxa (13—15.), tum greges cum pastoribus (16—20.), denique dei ipsi, Apollo, Silvanus, Pan (21—30.). Tum Gallus ipse sortem suam et infaustum amorem deplorat, querens, quod sibi non contigerit conditio pastoris Arcadici, amore felici fruentis; a qua praesens sua fortuna tantopere recedat, cum ipse bello occupatus a Lycoride sua perfida aliumque amatorem in castra secuta longo intervallo seiunctus sit. (31—51.) Inde subitum ei exoritur consilium pastoris more vivendi, fistula canendi et venandi (52—61.); sed repente in tanto amoris aestu solatia inde nulla cernens, praesidia contra amoris vim prorsus non quaerere constituit (62—69.). Accedit epilogus, quo singularem suum Galli amorem testatur Maro. (70—77.) De pretio totius carminis, quod sane pertinet ad eas Eclogas, in quibus poëta a bucolici carminis natura longe aberravit, Heynius sic iudicat: „Habet hoc carmen miram artem primum in eo, quod ad maiorem Galli dignitatem omnia non modo ad vitam pastoriciam, sed ad tempora heroica, quibus permixti mortalibus dei vivebant, relata et ex sensibus et opinionibus istorum saeculorum adumbrata sunt; quare ferre debemus, si qua paullo altiore ac graviore spiritu hic dicta reperiamus; deinde vero, quod impotentis et spreti amoris aestus ille ac furor, in omnes partes animum rapiens, ipsum legentis animum commovere videtur; quamquam hac in parte Theocriti vestigiis insistit Idyll. I., unde, quae de Daphnide dicta sunt, in Gallum transtulit, ut multa tantum Latinis verbis reddiderit, in aliis autem cum eo certaverit. Universe vero a simplicitate et venustate pastoricii carminis et Theocritea suavitate in plerisque recessit." Gevers autem in Progr. Gymn. Verd. 1864. (*Die* 10. *Ecloge des Vergil eine Parodie*) probare studet, Vergilium hoc carmine Theocriti Id. VII. ad aliud argumentum ioculariter detorquere voluisse. Ceterum haec ultima Ecloga (cf. v. 1.) vere a. 717. Neapoli videtur conscripta esse, cum Vergilius, a Maecenate invitatus, iam Georgicis scribendis se accingeret.

---

transiit, Lycoris secuta videtur, cum Gallus, fortasse Pompeianas classes ab Italia arcens, in alia expeditione versaretur. (Cf. v. 26 sqq. et 46 sqq.) Ceterum Spohn. in iis, quae Heyniano Argumento adiunxit p. 290. Cytheridem eiusdem cum ipso Gallo aetatis, h. e. illo tempore XXVIII vel XXIX annorum fuisse docet.

***) Cf. v. c. Prop. III, 32, (II, 34,) 91. *Et modo formosa quam multa Lycoride Gallus Mortuus inferna vulnera lavit aqua.* Martial. VIII, 73, 6. *Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.* Ovid. Am. I, 15, 29 sq. *Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eois, Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.* A. A. III, 537. *Vesper et Eoae novere Lycorida terrae.* Trist. II, 445. *Nec fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo.* Am. III, 9, 63. A. A. III, 334. Rem. 765. etc. Serv. ad v. 1. huius Ecl. et Donat. vitae Verg. §. 38. quatuor *Amorum* libros sub *Lycoridis* nomine ab eo editos commemorant, quorum fragmentum affert Vibius Sequ. de flum. p. 333.

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem:

---

1. „*Arethusam*, Nympham Siciliae, ut in carmine bucolico, pro Musa invocat. Cf. Ecl. VII, 21. [ibique adnott.] Neque ideo Nymphae mutantur in Musas. Sollemne autem Nymphas invocari etiam extra bucolica, ut Colluthus carmen orditur *Νύμφαι Τρωιάδες*. Vid. Theocr. VII, 91. Mosch. III, 77." *Heyn.* Erat autem *Arethusa* Nerei et Doridis filia, quam Alpheus, Graeciae fluvius, tam perdite amasse dicitur, ut fugientem sub mari usque in Siciliam persequeretur. (Cf. Geo. IV, 344. Aen. III, 694 sqq. et praeter Moschi l. l. Ovid. Met. V, 573 sqq. Stat. Silv. I, 2, 203 sq. Theb. I, 271. IV, 238. Mela II, 7, 16. alii.) Multa enim fabulantur veteres de subterraneo Alphei fluminis cum Arethusae fonte Syracusis apparente connexu, unde omnis illa fabula videtur orta. (Cf. Aen. III, 694. Mosch. Id. VII. et locos a Clu-

Pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris,
Carmina sunt dicenda: neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam: 5

---

vero Sicil. ant. I, 8. p. 88 sq. Dorvillio Sicul. I. p. 198. Tzschuckio ad Melam Vol. III. P. 2. p. 852 sq. et memet ipso in libro *Handb. d. alt. Geogr.* III. p. 787. collectos. Ceterum cf. etiam adnott. ad Ecl. IV, 1. et VI, 1.) — *concede laborem*, h. e. permitte, ut in hoc argumento elaborem, atque in eo me adiuves. Cf. Ecl. VII, 22. *concedite carmen.* Cum *labore* autem cf. Geo. II, 39. *Extremum* vocat, quia Georgica exorsurus, his bucolicis lusibus valedicere decrevit. Cf. Argum. extr. — 2. *„sed quae legat ipsa Lycoris:* scil. ut et erubescat de levitate sua ac perfidia et, tam bonum ac constantem amatorem indigne deseruisse, eam poeniteat." *Heyn.* De ipsa autem *Lycoride* cf. Argum. nota **). Ceterum cum recentioribus editoribus omnibus nunc redii ad vulgarem loci distinctionem, quam prius cum Wagnero (cf. Eleg. ad Messal. p. 68.) deserueram, Puncto post *Lycoris* distinguens. *Pauca* enim aptius cohaeret cum *carmina*, et verba *sed quae legat* etc. per antithesin adiiciuntur, ut sensus sit: quamquam pauca, tamen sint talia, ut ipsam Lycoridem me irridentem detinere possint. — 3. *Carmina sunt dicenda.* Cf. adnott. ad Ecl. III, 55. — *neget quis carmina Gallo,* haud dubie adhuc viventi (vid. etiam infra v. 71.), quamvis Schaper (cf. Diss. mea de Verg. vita etc. nota 19.) hac Ecloga Galli a. 728. mortui desiderium a poëta exprimi arbitretur, quod quam improbabile sit, docet Ribbeck. Proleg. p. 11. — 4. *Sic tibi--non intermisceat undam: Incipe,* h. e. ut cupio, servetur integritas tua et sinceritas, non corrupta aquis marinis, ita etiam te obsecro, ut me adiuves in carmine canendo. Simillimus huic locus est Ecl. IX, 30 sq. Proprie in hac obtestandi formula, qua ab altero aliquid petimus, ei vicissim aliquid apprecantes, sibi respondent Particulae comparativae *sic — ut* (cf. Ovid. Met. VIII, 866. *sic has deus aequoris artes Adiuvet, ut nemo iamdudum litore in isto constitit*); sed interdum etiam *ut* omittitur et sententia votum continens *ἀσύνθετος* adiicitur, ut hic et Ecl. IX. l. l. Cf. Hor. Od. I, 3, 1 sqq. *Sic de diva potens Cypri--regat--; Reddas incolumem, precor, Et serves animae dimidium meae.* Ovid. Met. VIII, 857 sqq. *Sic mare compositum, sic sit tibi piscis in unda Credulus--Dic, ubi sit* etc. (ubi vid. Iahn.) id. Her. III, 135. IV, 168. XX, 3. Fast. IV, 525. Hor. Od. I, 28, 25. Tibull. III, 6, 1. Burm. ad Prop. III, 4, 2. Interpp. (etiam Schiller. p. 5.) ad Hor. Od. I, 3, 1. et Dissen. ad Tibull. II, 5, 63. p. 288. Punctum, quod Iahn. et Wagn. post *undam* ponunt, rursus cum Colo permutandum censui, in qua loci distinctione ceteri recentiores editores praeter Bryceum et Coningtonem me secuti sunt. — *„fluctus subterlabere Sicanos,* maris Siculi, Ionii; unde *Doris amara* pro aqua salsa et marina. Videtur hoc primus aliquis ex Alexandrinis poëtis novasse, ut Nerei coniugem hanc et Nereidum matrem (Met. II, 268. 269.) pro mari diceret." *Heyn. Sicanus* autem pro *Siculus* legitur etiam Stat. Theb. I, 270 sqq. Ovid. Her. XV, 57. Sil. X, 314. XIV, 258. etc. Altera forma Adiectivi est *Sicanius* (Aen. VIII, 416. Ovid. Met. XV, 279. Val. Fl. II, 29. Sil. I, 34. etc.), unde omnis insula *Sicania* vocatur Aen. I, 557. Ovid. Met. V, 495. Plin. III, 8, 14. etc. Quod attinet ad quantitatem voc. *Sicanus,* Vergilius ubique (Aen. V, 24. 293. VII, 795. VIII, 328. XI, 317.) primam corripit, alteram producit; neque aliter Ovid. Her. XV, 57. et Silius XIV, 34.; idem tamen Silius X, 314. et XIV, 258. etiam primam producit et alteram corripit. Cf. etiam Heyn. in Varr. Lectt. ad Aen. I, 557. Peerlk. p. 46. coni. *fluctus subter, Dea, labere canos,* cum Futuro hic non sit locus et epitheton *Sicanos* post Arethusam commemoratam otiosum. Quam audacem coniecturam non necessariam esse docet Ladew. Progr. p. 13., cum Futurum indicet Arethusae votum, ut, quod nunc sit, etiam in posterum teneat et permaneat. — *Dorida* pro mari usurpantem (cf. adnott. ad Ecl. IV, 32. et V, 69.) Vergilium imitati sunt Ovid. Fast. IV, 678. et Stat. Silv. III, 2, 89. Voss. comparat Hom. Od. XII, 60. et 97., ubi *Amphitrite* pro mari commemoratur.

Incipe; sollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera attondent simae virgulta capellae.
Non canimus surdis, respondent omnia silvae.
Quae nemora aut qui vos saltus habuere, puellae
Naides, indigno cum Gallus amore peribat? 10
Nam neque Parnasi vobis iuga, nam neque Pindi

— *amara* (i. e. salsa) vocatur aqua marina etiam Geo. IV, 431. Ovid. Met. XV, 286. et Rutil. Itin. I, 250., ubi vid. Burm. — 6. *sollicitos amores*, qui animum sollicitum reddunt, cruciant. Nam secundum Ovid. Her. I, 12. *Res est solliciti plena timoris amor.* Eodem modo id. Her. XVIII, 196. *Aut mors solliciti finis amoris erit;* quare simplex Adiect. *sollicitus* interdum i. q. aeger amore. Cf. Hor. Od. III, 7, 9. Heyn. comparat Theocr. X, 20. ὠφρόντιατος Ἔρως. — 7. *attondent*, depascunt frondes. Vid. Geo. II, 406. ibique adnott. — *simae. Simus*, σιμός, qui nares depressas et repandas habet, silo, silus. Cf. Theocr. VIII, 50. σιμαὶ ἔριφοι. Ovid. A. A. II, 486. *sima capella.* Naev. ap. Non. IV, 277. *Lascivum Nerei simum pecus.* Plin. IX, 8, 7. *Delphini dorsum repandum, rostrum simum.* Martial. VI. 39, 8. *Puer simo nare, turgidis labris.* — 8. *Non canimus surdis.* Cf. Prop. V, (IV,) 8, 47. *Cantabunt surdo* et proverbiales locutiones *surdis auribus aliquid canere* (Liv. XL, 8.) vel *surdo narrare fabulam* (Ter. Heaut. II, 1, 10. et Hor. Epist. II, 1, 200.). — *respondent*, resonant, per echo. Cf. Ovid. Met. XI, 52. *respondent flebile ripae.* Cic. Arch. 8, 19. *saxa respondent voci* et adnott. ad Ecl. I, 5. De verbo *respondendi*, ut Graec. ἀποκρίνομαί τι, cum Accusativo constructo vid. Westerh. ad Ter. Andr. V, 2, 8. — 9 sqq. „Solae Naides non adfuistis Gallo moerenti. Ex Theocr. Id. I, 66 sqq. *Naides* Heins. reposuit cum Medic. et optimis; nam *Naiades* est quadrisyllabum. *Ναΐς, Ναΐδες.* At *Ναϊάς, Ναϊάδες.*" *Heyn.* Per *puellas Naides* autem non (cum Heynio et Wagnero) Nymphas, sed (cum Vossio et Wunderl.) Musas intelligo, cum de poëta sermo sit et v. 11. Parnassus et Pindus iis tamquam sedes assignentur. Musas enim et ipsas Nymphas dici, iam ad Ecl. VII, 21. vidimus, et *Naides*, quod adiicitur, significat fontes sacros colentes. Cf. Culic. 18. *Pieriī laticis decus - - Sorores Naides.* Wund. praeterea adnotat, secundum Xanthi fragm. (vid. Hist. Gr. fragm. ed. Creuzer. p. 156.) Nymphas a Lydis Musarum nomine esse appellatas. Cf. etiam Leutsch. in Philol. XXI. p. 40., qui et ipse *puellas Naides* hic Musas esse docet. — „*indigno amore peribat*, quo dignus non erat;] cum *meliore flamma*, ut Hor. Od. I, 27, 20. loquitur, dignus esset tam constans amator, non obnoxius, ut a perfida et levi puella [quae alium secuta erat: cf. v. 23.] sperneretur." *Heyn.* Cf. Ecl. VIII, 18. ibique adnott. Mirum est Servii scholion: *indigno:* „vel meretricio, vel magno. Nam et Ennius [fr. inc. p. 175. Vahl.] ait *Indignas turres*, i. e. magnas." — *peribat* autem exhibent Medic. a manu sec. (literis *BA* supra extremam syllabam . . . *RET* appictis), Rom. et Gud. a m. pr., quos cum Vossio, Iahnio et Wagn. secutus sum (quibuscum etiam editores me recentiores consentiunt), cum vulgaris lectio *periret* et facilius a librariis substitui potuerit et loco minus apta censenda sit. *Cum* enim Indicativo Imperfecti et Plusquamperfecti iunctum, solam habet temporis significationem, *tum, cum* sive *eo tempore, quo;* Coniunctivus vero ubi additur, temporis notioni etiam causae significationem adiungit, quae ab hoc loco aliena est. Ceterum apertum est Vossium errare, qui Indicativo longius temporis spatium indicari putet. — 11. Parnassus et Pindus Musis nullam moram fecisse dicuntur, quia non minus, quam infra v. 15. Maenalus et Lycaeus, luxerunt duram Galli poëtae conditionem. Quare non erat, cur Lachmann. ad Propert. IV, 8, (s. III, 9,) 36. *moram* pro commemoratione h. l. dictam existimaret. — *Parnasi iuga* Plurali numero, quia Parnassus biceps erat. De scriptura autem *Parnasi* cf. adnott. ad Ecl. VI, 29. — De *Pindo*, celeberrimo illo monte in Thessaliae et Epiri confiniis sito, cf. Herod. I, 56. VII, 129. Strab. IX. p. 430. Cas. Plin. IV, 1, 1. 8, 15. Mela II, 3, 4. alii. Nunc non habet commune no-

Ulla moram fecere, neque Aonie Aganippe.
Illum etiam lauri, etiam flevere myricae,
Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Maenalus et gelidi fleverunt saxa Lycaei.
Stant et oves circum; — nostri nec poenitet illas,

---

men, sed singulae eius partes singulis nominibus appellantur. Vide librum meum geogr. III. p. 857. Quod attinet ad repetita verba *nam neque* cf. Ciris v. 133 sq. Aen. I, 200 sq. Ovid. Trist. IV, 1, 45 sq. et similes loci. — 12. *Aonie Aganippe*, fons in Helicone, monte *Aoniae*, quo nomine Boeotia propter Aones, antiquos incolas, dicebatur. (Cf. adnott. ad Ecl. VI, 65.) Vid. de hoc fonte Pausan. IX, 29. Plin. IV, 7, 12. Solin. c. 7 alios. Cf. etiam Claud. ep. ad Seren. 61. *doctumque fluens Aganippe.* Ovid. Fast. V, 7. Prop. II, 3, 20. (2, 30.) *Aonius* pro Boeoticus sexcenties apud poëtas invenitur, imprimis ubi de rebus ad Musas pertinentibus sermo est. Cf. v. c. Ovid. Fast. IV, 245. Trist. IV, 10, 39. Am. I, 1. 12. (Fast. III, 456.) etc. — *Aonie* (Ἀονίη) Graeca forma pro *Aonia*. Cf. Ecl. II, 24., ubi etiam de hiatu dictum, de quo praeterea cf. adnott. ad Ecl. VIII, 44. Wund. confert versum Silii XIV, 515. similiter desinentem: *Ortygie Arethusa*. Ribbeck. tamen ex Med., Rom., Gud., Cledonio p. 1884. P. aliisque Grammaticis recepit lectionem *Aoniae* (ut etiam ap. Silium l. l. ante Heins. vulgo legebatur *Ortygiae*.) — 13. Cf. Theocr. I, 71 sqq. VII, 74. et similes loci Ecl. I, 38. (ubi vid. adnott.) V, 24. sqq. VI, 10. sq. et Aen. VII, 759. De hiatu *lauri etiam* (quem ut tollerent, multi librarii Pron. *illum* ante *etiam* iterarunt) dictum ad Ecl. II, 53. — *flevere*, et v. 15. *fleverunt*, memorabile variatae terminationis exemplum. Omnino Vergilius, ut ceteri poëtae et ex pedestris orationis scriptoribus imprimis Sallustius, Livius et Tacitus, molliorem formam Perfecti *ere* praeferre solet alteri in *erunt*, quae contra Ciceroni magis frequentatur; praesertim vero in fine versuum non facile hanc longiorem formam usurpat poëta noster, cum brevior sane forma multo aptior sit ad versum bene claudendum. (Cf. Geo. I, 287. III, 83. 115. 247. 378. IV, 204. Aen. I, 398, II, 131. 243. 567. III, 238. 337. 566. V, 582. IX, 292. 686. XI, 190. etc. et Wagn. Qu. Virg. XV.) Quod autem Wagn. statuit discrimen, contendens, longiorem formam a Vergilio tum esse praelatam, ubi Perfectum sua ac propria vi praeditum et a nobis Germanis et a Graecis per idem tempus reddendum sit, breviorem contra, ubi Perfectum ἀοριστικῶς sit positum, id in permultis locis optimorum Codd. auctoritate impugnatur. Cf. Iahn. ad Ecl. V, 34. Ceterum bene observavit Cerda, nihil hic esse otiosum, sed aptissime induci lauros et myricas Gallum poëtam deflentes, cum utraque planta Apollini sacra fuerit, qui ab altera, cuius ramum in Lesbo manu teneret, *Myricaeus* et *Myricinus* cognominatus esset. Scilicet *myricae* imago erant bucolici carminum generis. Cf. Ecl. IV, 2. (cum adnot.) et VI, 10. Ceterum de hominum affectibus et actionibus ad res inanimatas translatis vid. ad Ecl. I, 38. (ubi addi potest Ecl. VIII, 22.) — 14. *sola sub rupe*, i. e. solitaria, etiam ap. Catull. LXIV, 154. legitur. Cf. adnott. ad Aen. XI, 569. — 15. „Si montes Arcadiae *Maenalus* et *Lycaeus* (τὸ Λύκαιον) Gallum deflerunt, necesse est, in Arcadia nunc fingi Gallum sola sub rupe iacentem; Arcadiae enim accommodata sunt reliqua. Poëta autem putandus est fingere se Gallo adfuisse: unde v. 26. se ipsum vidisse Pana ait." *Heyn.* De *Maenalo* ad Ecl. VIII, 21. dictum; de *Lycaeo* (qui nunc *Dhioforti* et *Tetrazi* appellatur) cf. Strab. VIII. p. 348. Cas. Pausan. VIII, 38. Plin. IV, 6, 10. et liber meus geogr. III. p. 865. Vergilio commemoratur etiam Geo. I, 16. III, 314. Aen. VIII, 344. — 16. *Stant et oves circum.* Cf. Theocr. I, 74. — *nostri nec poenitet illas.* Sententia est: ut oves nos resque nostras non vitant extimescentes, sic tu nec vita nec contemne oves, i. e. curam eorum non te indignam puta neque gravare, te in carmine meo sub pastoris persona induci. *Poenitere* enim interdum dicitur de iis, quae contemnimus, ut Cic. Acad. Pr. II (IV), 22, 69. *Quid? eum Mnesarchi poenitebat?* id. Phil. I, 13, 39. *num huiusce te gloriae poenitebat?* et Ter. Phorm. I, 4, 20. *nostri nosmet poenitet.* Quod autem attinet ad repetitionem eiusdem

Nec te poeniteat pecoris, divine poëta:
Et formosus ovis ad flumina pavit Adonis; —
Venit et upilio, tardi venere subulci,
Uvidus hiberna venit de glande Menalcas. 20

---

vocabuli in comparationibus et conclusionibus, vid. adnott. ad Ecl. VIII, 49. et Aen. III, 200. De voce per *ae* scripta vid. adnott. ad Ecl. II, 34., ubi addere debebam, etiam Ribbeckium, Hauptium et Coningtonem hanc sequi orthographiam. Heynius hos versus, qui sumpti sunt ex Theocr. I, 74 sq., recte a se explicatos cum Scaligero Poët. V, 5. ab hoc loco alienos et post v. 8. collocandos censet; et mirum est, eosdem versus non minus Eichstaedtio in Quaest. phil. quam Schützio in Diar. lit. Ien. 1791. ch. 220 p. 332. et Hitzigio in *Rhein. Mus.* XIV. p. 482. scrupulum iniecisse, ita ut Schütz. quidem post verba *Stant et oves circum* excidisse quaedam suspicaretur, a grammatico aliquo male suppleta, Hitzig. autem v. 16—18. spurios censeret, quemadmodum Ribbeck. certe v. 17. tamquam spurium exsulare iussit, quem iam in Annal. phil. a. 1857. LXXV. p. 70. impugnaverat. Sed recte vulgarem versuum ordinem, coll. Theocr. I, 74. sqq., eosque ipsos defendunt Burm., Voss., Schirach. p. 534., Wagn. et Iahn., qui docet, commoda gradatione a poëta cani primum montes et arbores, tum oves et pastores, denique ipsos deos Galli conditionem miseram luxisse. Vide etiam, quae Gebauer de poët. I. p. 121. contra Ribbeck. disputavit. — 18. Vid. Theocr. I, 109., ad quem locum Meineckii adnot. et Hauptium in Mus. phil. IV. p. 264. conferri iubet Woldem. Ribbeck. Praeterea cf. quae Gebauer de poët. I. p. 77 sq. de hoc loco disputat. De Adonide, iuvene mirae pulchritudinis, poëtarum fabulis celebrato, praeterea cf. Apollod. III, 14, 3 sqq. Ovid. Met. X, 503 sqq. Hygin. Astron. I, 7. Bion Id. I. alii cum iis, quae collegerunt Meursius in Gronovii Thes. Antiq. Gr. VII. p. 107 sq. Fikenscher *Erklaerung des Adonismythus.* Goth. 1800. 8. et Stoll. in Pauly *Realencycl.* I. p. 175 sqq. ed. II. — *formosus Adonis.* Sic Theocr. XV, 127. Ἄδωνις καλὸς et Calpurn. IX, 73. *pulcher Adonis.* Cf. etiam Ecl. VI, 57. *formosus Apollo* cum adnott. ad Aen. III, 119. et Gebauer de poët. etc. I. p. 78. Ceterum imitatus est hunc locum Tibull. II, 3, 11. *Pavit et Admeti tauros formosus Apollo.* Ceterum Kalmus l. l. p. 20. eiecto v. 17., cuius loco Vergilium ad Theocr. I, 74. exemplum fortasse haec: *Atque boves circumstĕterunt maestique iuvenci* (!) vel similia scripsisse putat, versum 18. sine iusta causa post v. 20. transponendum esse iudicat. — 19. De hoc versu emendando et explicando optime meritus est Wagn., qui omnium librorum mss. lectionem *subulci* iure praetulit vulg. *bubulci*, editionum modo veterum ac dubia Apuleii et Terentiani auctoritate nitenti. Apud Terent. Maur. enim v. 1191. Santenius ex utraque Veneta et Parrhas. dudum *subulci* restituit, et Apuleius, qui in Floridis c. 3. p. 761. Flor. scripsit *Nil aliud plerique callebant, quam Virgilianus opilio seu bubsequa*, et in Apol. p. 416. Flor. *Aemilianus ultra Virgilianos opiliones et bubsequas rusticanus*, non debebat necessario hunc ipsum locum respicere, etsi verum est, in nullo alio Vergilii loco nobis servato opiliones et bubulcos coniungi. Qui autem lectionem *bubulci* defendunt (h. e. omnes editores Verg. ante Wagn. cum Barthio Advers. XVIII, 16., quibus accesserunt Hildebrand. in Censura Vergilii a me editi in Iahnii Annall. l. l. p. 155 sqq. Ladew., Bryce et Haupt.) praeter Apulei auctoritatem (cui addere poterant Theocr. I, 80. ἦνθον τοὶ βῶται) duas potissimum causas premunt, quod epitheton *tardi* ad solos bubulcos quadret, et quod subulcis modo commemoratis Menalcae, qui et ipse subulcus sit, mentio a poëta iniici non potuerit. At verissime Wagn. docet, *tardos* etiam subulcos iure dici posse, cum et ipsi agant vitam sedentariam et gregem non, quemadmodum opiliones, caprarii et alii pastores, sequi et comitari soleant, sed buccina regere et convocare; Menalcam autem subulcum esse, nec sequi ex epitheto *uvidus*, neque ex glande commemorata. *Uvidum* enim dici non a rore matutino, („cum de nocte in silvis ad pastum gregis glandibus legendis vacaverit," ut Heyn. interpretatur,) sed quod glandes in pabuli usum comparatae in aqua asservarentur (Cato R. R. 54. Colum. VII, 9, 8.), glandes autem bo-

Omnes „Unde amor iste“ rogant „tibi?“ Venit Apollo:
„Galle, quid insanis?“ inquit; „tua cura Lycoris
Perque nives alium perque horrida castra secuta est.“
Venit et agresti capitis Silvanus honore
Florentis ferulas et grandia lilia quassans.

---

bus quoque praeberi solitas esse (Colum. VI, 3, 4 sqq., XI, 2, 83. et Interpp. ad Plaut. Truc. III, 1, 2.). Equidem prorsus adsentior Viro doctiss., quem tamen puto causae suae magis etiam opitulaturum fuisse, si *hibernam glandem* non explicuisset „hiemali tempore collectam“ (coll. Geo. I, 305. et Cat. R. R. c. 54.), sed: hieme pro pabulo datam; cum ex illis Columellae locis pateat, boves non nisi hieme (nec ultra Idus Apriles), alius pabuli iusta copia deficiente, glandibus pastos esse; quae si vera est explicatio, hoc ipso epitheto indicaret Vergilius, de boum pabulo ideoque de bubulco sermonem esse; suibus enim quovis anni tempore glandes porrigebantur. Ita igitur subulcis bene additur bubulcus Menalcas. Ceterum etiam Iahn. in editt. II., Süpfl., Ribbeck. et Conington receperunt lectionem *subulci*. *Upilio* autem hoc uno loco dixit Vergilius pro *opilio*, metri causa; quod imitati sunt Apulei. Apol. p. 279. et Alfen. in Dig. XXXII, 1, 60. extr., ubi tamen lectio variat. — 21. *„unde amor iste*, i. e. qua puella; quam puellam amas? τίνος ὦ 'γαθὲ τόσσον ἔρασσαι; Theocr. I, 78. — *Apollo -- Silvanus -- Pan.* Comparari cum his possunt illa Moschi III, 26. sqq.“ *Heyn.* — 22. Apollo Gallum docet, Lycoridem amore eius esse indignam. *quid insanis? Insanire*, ut Graec. μαίνεσθαι, haud raro de amantibus. Theocr. II, 82. Χ' ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην. Gebauer Progr. p. 3. cum h. l. comparat Theocr. I, 82. τί τὺ τάκεαι; — *tua cura.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 57. Aen. I, 678. (et Ecl. III, 66.) — 23. *perque nives:* Wagn. ex his verbis concludit, hanc Eclogam scriptam esse eo tempore, ubi in Italia iam vernant omnia, in Alpinis regionibus [cf. v. 47.] nix nondum collicuit. — 24. *agresti capitis Silvanus honore*, ornatus corona ex frondibus arboreis facta, pinea fortasse, ut apud Lucret. IV, 588., quem expressisse h. l. noster videtur: *Pan Pinea semiferi capitis velamina quassans.* Heynius, cui horum versuum color ex Odyss. XXIV, 58 sqq. petitus videtur, praeterea conferri iubet Ovid. Fast. I, 412. III, 84. Colum. X, 43. (*Satur Auctumnus, quassans sua tempora pomis,*) Claudian. XXXI, 96. (ubi Hymenaeus: *marcentes cupio quassare coronas*) et Moschi Id. XIV, 26. Omissio autem Praepos. *cum* in eiusmodi locis satis usitata. Cf. Aen. I, 324. *apri cursum clamore prementem.* ibid. v. 519. *templum clamore petebant.* III, 226. *magnis quatiunt clangoribus alas.* VII, 187. *Ipse Quirinali lituo - - sedebat.* IX, 815. *Tum demum praeceps saltu sese omnibus armis In fluvium dedit.* Cic. Fin. II, 21, 69. *Voluptas pulcherrimo vestitu et ornatu regali in solio sedens*, imprimis autem locus nostro simillimus Iuven. XI, 106. *clipeo venientis et hasta dei.* Vid. etiam Ruddim. II. p. 268. not. 18. (et quae de simili usu simplicis Ablativi ad Aen. III, 64. exposuimus.) Alia res est in iis dictionibus, quae ad rem militarem pertinent, v. c. *exercitu procedere, copiis irrumpere, agmine ire* etc., ubi Ablativum instrumenti cogitare debemus. — *Silvanus* ipse antiquissimum erat et domesticum Italiae numen, gregum et agrorum maximeque eorum limitum custos et tutor, saepe cum Pane confusus. Cf. Geo. I, 20. II, 494. Aen. VIII, 600. Hor. Epod. II, 22. Ep. II, 1, 143. Iuven. VI, 446. ibique Schol. Lucil. ap. Nonium II, 324. Varro ap. Augustin. C. D. VI, 9. Voss. ad h. l. Spangenberg. de veteris Latii relig. domest. p. 61. et Scheiffele in Pauly *Realencycl.* VI. p. 1196 sqq. — 25. *ferula*, Graecis νάρθηξ, germ. *Pfriemkraut, Steckenkraut*, frutex est foliis foeniculo, specie et usu arundinibus, quibus pro baculis utimur, similis. Cf. Dioscor. III, 91. Theophr. h. pl. VI, 2. Plin. XIII, 22, 42. et Billerbeck. Flor. class. p. 72. Eam etiam ad serta nectenda adhibitam esse testatur Plin. XXI, 9, 30. a Vossio laud. — Pro *grandia* unus Cod. Bern. praebet *candida*, quod Ribbeckio Proleg. p. 340. valde arridet; sed *grandia*, insolitum quidem, hic vero aptissimum liliorum epitheton (cf. Plin. H. N. XXI, 5, 11.), multo facilius in *candida* mutari potuit, quam contra.

Pan deus Arcadiae venit, quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli bacis minioque rubentem.
„Ecquis erit modus?“ inquit. „Amor non talia curat.
Nec lacrimis crudelis Amor nec gramina rivis
Nec cytiso saturantur apes nec fronde capellae.“
Tristis at ille „Tamen cantabitis, Arcades,“ inquit,

– *quassans*, scil. manibus; nam si poëta ad Lucretii IV, 588. exemplum, (cuius locum supra ad v. 24. attulimus) etiam haec verba ad coronam referri voluisset, haud dubie aliter scripsisset. — 26. Verba *quem vidimus ipsi* addit poëta, quia Pan non facile se conspiciendum praebebat; poëta autem se illo tempore una cum Gallo fuisse fingit. De ipso deo vid. quae collegit Pfau in Pauly *Realencycl.* V. p. 1099 sqq. — 27. Deorum agrestium simulacra a Romanis rubro pigmento solebant induci. Cf. Ovid. Fast. I, 415. VI, 333. Tibull. I, 1, 17. Hor. Sat. I, 8, 5. et Lus. in Priap. carm. ad lectorem, XXV et LXXXIII. De ipso Pane conferri potest Silius XIII, 332. *Ac parva erumpunt rubicunda cornua fronte.* Vid. etiam Voss. ad h. l. Ceterum cf. Ecl. VI, 22. — *ebulum*, nostris *Attich*, herbae genus, baccas rubras in similitudinem sambuci (*Hollunder*) producens. Graecis vocabatur *χαμαιάκτη*. Cf. Dioscor. IV, 172. (vulgo 175.) Plin. XVII, 9, 6. XXVI, 8, 49. Apulei. de herbis 91. et Billerbeck. l. l. p. 82. — *sanguineis bacis*, ut Ecl. VI, 22. *sanguinea mora* et Geo. I. 306. *cruenta myrta. Rutilas ebuli baccas* commemorat Colum. X, 10. *Bacis* autem pro *baccis* scripsimus cum recentissimis editoribus Cod. Med. secuti. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 418. et Ribbeck. Proleg. p. 391. — *Minium*, *μίλτος*, genus coloris nativi laudatissimi, qui arenae specie in argenti fodinis invenitur et cocci colorem habet. Celeberrimum est, quod in Hispania invenitur, praesertim in Sisaponensi regione Baeticae (Prop. II, 3, 11. s. 2, 21.) Iustino XLIV, 3. auctore Minius fluvius (*Minho*) ab huius coloris copia dictus est; unde Vitr. VII, 9.: *Minium et Indicum nominibus ipsis indicant, quibus in locis procreantur.* Est etiam alterum genus minii in omnibus fere argentariis et plumbariis metallis obvium, quod fit exusto lapide venis permixto. Hoc est secundarium minium, multum infra naturales illas arenas, quo prius illud minium adulteratur. Cf. Forcell. Thes. h. v. Voss. ad h. l. et Groskurd. ad Strab. Tom. II. p. 457. Verba *ebuli bacis minioque rubentem* iterantur in Anth. Lat. Burm. III, 81, 54. – 28. *Ecquis erit modus?* scil. lamentationibus tuis, lacrimis et suspiriis; ut ex sequentibus patet. Wund. supplet *furori*. Plane eadem ratione Aen. IV, 98. *Sed quis erit modus?* — 29. *Nec lacrimis crud. Amor* etc. Amor non magis satiatur lacrimis, quam gramina rivis etc.; ideoque numquam satiatur. „*Amor* h. l. de deo accipiendum, si sanam sententiam conficere volumus. Amor *χαιρέκακος* non modo dolorem et cruciatum miserorum amantium nil curat, sed etiam ridet, *ἄγρια παιδεύ*, ut Moschus Id. I, 11., voluptatemque ex eo capit; nec lacrimis amantium crudelis eius animus umquam satiatur atque expletur, aut ad miserationem vertitur (cf. v. 61.); id quod deinde pastoricia rerum assimilatione ornat. Color fere ut Ecl. VII, 51. 52. *Hic tantum boreae* etc.“ *Heyn.* — 30. *cytisum*, ut omni generi pecudum, sic etiam apibus utilissimum esse testatur Colum. V, 12. Vide de eo adnott. ad Ecl. I, 78. — 31. *Tristis at ille*, scil. Gallus, deorum adhortationibus amore torquente nondum liberatus. Vulgo ita distinguunt: *tristis at ille tamen: Cantabitis* etc., ut sensus sit: Pan dixerat, Amorem talia non curare etc., attamen ille tristis, Cantabitis, inquit etc.; veriorem autem distinctionem, quam nos cum Wagn. (qui tamen post *ille* minus apte Colon ponit, quamquam sequitur verbum *inquit* cum *ille* arcte cohaerens) praetulimus, et quam omnes recentiores editores secuti sunt, tuentur Cod. Medic., Serv. et Nonius p. 409. Inde haec sententia prodit: Licet sciam, Amorem talia non curare neque lacrimis et luctu saturari, tamen iuvat indulgere huic dolori, quod amores meos (non minus quam Daphnidis) aliquando (post mortem meam) cantabunt pastores Arcadii. *Tamen* autem in solando usurpari, si, amisso maiore aliquo bono, tamen non omnia amisimus, discimus ex Aen. IV, 328 sqq. et X, 507 sqq.

„Montibus haec vestris, soli cantare periti
Arcades. O mihi tum quam molliter ossa quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores!
Atque utinam ex vobis unus vestrique fuissem
Aut custos gregis aut maturae vinitor uvae!
Certe sive mihi Phyllis sive esset Amyntas
Seu quicumque furor, — quid tum, si fuscus Amyntas?
Et nigrae violae sunt et vaccinia nigra —
Mecum inter salices lenta sub vite iaceret;

Ceterum de hac Particula in principio enuntiati posita et ad sententiam aliquam cogitatione supplendam relata cf. Gronov. ad Liv. XXIII, 19, 12. et Sen. de benef. IV, 6. Burm. ad Ovid. Her. XI, 1. et Gratii Cyneg. 336. Kritz. ad Sall. Iug. 54, 2. (et Cat. 26, 1.) et Orell. ad Cic. ad Att. XII, 2. Eiusmodi vero locos probe discernendos esse ab iis, ubi non integra aliqua sententia, sed Particula tantum concessiva in praecedentibus vel omissa est, vel latet, non est quod commemorem. — *cantabitis*. De Futuro pro Imperativo posito vid. adnott. ad Aen. II, 547. — 32. *Montibus haec* (i. e. *meos amores* v. 34.) *vestris*. Cf. Ecl. II, 5. Ribbeck., sibi non constans, hic *vostris* edidit, quia Cod. Pal. praebet *nostris*, literis tamen *ve* primae syllabae superscriptis. Formam autem *voster* Vergilio inusitatam esse docet Wagn. ad Ecl. IX, 10. (ubi etiam Ribb. non minus quam infra v. 70. *vestrum* scripsit.) — *soli cantare periti Arcades*. De re cf. adnott. ad Ecl. IV, 58. et VII, 4., de constructione ad Ecl. V, 1. VII, 5. et de repetita voce *Arcades* adnott. ad Ecl. VI, 21. Imitatur autem posta Theocr. VIII, 4. Cf. Gebauer I. p. 230. — 33. *quam molliter*. Cf. Ovid. Her. VII, 162. *Et senis Anchisae molliter ossa cubent*. Huc etiam pertinet notissima illa formula: *Sit tibi terra levis*, et locus Prop. I, 17, 24. *Ut mihi non ullo pondere terra foret*. — *quiescant*. Codd. aliquot *quiescent*, minus recte. Incertum est enim, utrum Arcades id, quod cupit, facturi sint nec ne; cupit quidem Gallus, ut se mortuo amores sui argumentum sint pastoralium carminum, sed non certo potest sperare; omnis igitur sententia suspensa est a rei optatae quidem, sed dubiae cogitatione, quare et protasis et apodosis Coniunctivum requirit. Quare non adsentior Iahnio, qui (in priore certe edit.) haec adnotat: „Malim ex quibusdam Codd. *quiescent*. Gallus enim haec non tam optare, quam certo sperare videtur. Similis locus est Ecl. II, 57., ubi e codd. *concedet* pro *concedat* scripsi." Nos et ibi *concedat* servavimus. — Cum v. 34. cf. Ecl. V, 86 sq. *olim* de re futura, ut Aen. I, 203. IV, 627. et alibi haud raro. — 35. „Ductus color ex Theocr. VII, 86 sqq. At illud non placet, quod repente Gallus, quem pastorem in antro aliquo Arcadiae amores suos deflere credebamus, se prodit non pastorem esse, sed miles fit in aliqua expeditione versans; ita ut omnia de diis et pastoribus memorata aliena esse necesse sit ab eius persona. Iudicio recto ac simplici vix haec se satis probare possunt: at condonanda ea sunt Maroni et adolescenti et id agenti, ut viris potentibus placeret." Sic fere *Heyn.*, a quo iure Vergilium reprehendi sane non possumus infitias ire. Cf. etiam quae Wagn. ad v. 44. adnotavit. — *ex vobis unus*, i. e. ex numero vestro. Cf. Aen. I, 171. III, 377. IX, 271. XI, 533. et Wagn. Qu. Virg. II. p. 487. — 37 sqq. Cf. Theocr. VII, 86 sqq. „Quamcunque sive puellam sive puerum amarem, eum amplexibus tenerem sub vite, nec in amorem Lycoridis perfidae incidissem. - - - Mox tamen v. 42. ad Lycoridem animo flagrante redit." *Heyn.* Wunderl. verba sic coniungit: *Phyllis* vel *Amyntas est mihi furor*, h. e. causa furoris, furioso amore a me amatur, coll. Obss. ad Tib. II, 3, 31.; sed rectius Spohn. furorem, ut alibi *curam*, *ignem*, *flammam*, de puella vel puero amato dictum intelligit. Cf. quae ad Ecl. III, 66. et supra ad v. 22. adnotavimus. — 38. *fuscus*, sole adustus, infectus. Cf. adnott. ad Ecl. II, 16. — V. 39. ex Theocr. X, 28. sumptus. Cf. etiam Ecl. II, 16. 18. ibique adnott. Hitzig. in *Rhein. Mus.* XIV. p. 483 sq. vv. 38. et 39. spurios censet. — 40. „An non requiras *lenta aut sub vite?* Vix enim *salices* et *vites* eo-

Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori,
Hic nemus; hic ipso tecum consumerer aevo.
Nunc insanus amor duri me Martis in armis

---

dem agro plantari solitae. Melius in loco Theocriteo, quem expressit, VII, 88. *τὺ δ' ὑπὸ δρυσὶν ἢ ὑπὸ πεύκαις ἁδὺ μελισδόμενος κατακέκλισο θεῖε Κομᾶτα.*" *Heyn.* Wagn. aut corrupta haec censet, aut ita explicanda, ut verba *sub vite* significent caput corona vitea redimitum, quemadmodum captivi sub corona vendi dicebantur. Hanc Wagneri explicationem (quam repetit in edit. min. coll. loco Culicis v. 74. *illum Tmolia pampineo subter coma velat amictu,* i. e. velat corona vitea, cuius frondes dependent) multorum plausum laturam esse, vehementer dubito. Nonne cogitare licet de salicto in radicibus collis vitibus consiti innato? Ita quidem inter salices recubantibus imminere possunt propendentes vitium pampini. Consulto vero non nisi in paludosis Galliae regionibus, ubi aliae arbores non crescant (Colum. V, 7.), vites salicibus adiunctas esse, Vossio facile largior, qui, de diversis locis sermonem esse ratus, Comma posuit post salices, ut etiam nuper Ladew., cuius explicationi „*inter salices,* si pastor, *sub vite,* si vinitor essem", quam v. 36. iuvari censet, obstat verborum coniunctio sine Copula vel Particula disiunctiva. Magis arridet, si quid omnino mutandum, Io. Schraderi coniectura *inter calices,* i. e. inter potandum, quam etiam Wagn. in recentiss. edit. sua amplexus est, auctoris nomine non adiecto et coll. Geo. II, 527 sqq., cui addere poterat Hor. Od. I, 38, 7. *sub arta Vite bibentem* a Coningtone comparatum, qui tamen mecum videtur consentire. — *iaceret,* scil. quam aut quem amo, deliciae meae. — Ribbeck. suspicatur post v. 41. aliquem excidisse, qui fortasse hic fuisset: *O utinam hic potius tute esses ipsa, Lycori* aut *O utinam hic esset potius mecum ipsa Lycoris.* (Cf. idem in Iahn. Annal. phil. LXXV. p. 70.; sed vide Gebauerum de poët. I. p. 121.) — **42. 43.** „Mutata suaviter constructio pro vulgari: hic in regione amoenissima cum amata, qualis Lycoris, exigerem *aevum,* h. e. aetatem totam mihi destinatam." *Wund.* — *gelidi fontes.* Cf. Theogn. 1252. *κρήνη ψυχρή.* id. 882. et Theocr. V, 33. (ex quo loco noster expressus) *ψυχρὸν ὕδωρ.* Cic. N. D. II, 39, 98. Hor. Od. III, 13, 6. Epod. XIII, 13. Epist. I, 18, 104. etc. Vid. etiam supra Ecl. V, 25. et Gebaueri Progr. p. 6. — *mollia prata, μαλακοὶ λειμῶνες* Homeri Od. V, 72. X, 133. H. in Pan. 25. et Hesiodi Th. 279. Cf. Geo. II, 384. III, 520. Ovid. A. A. I, 279. Calpurn. V, 15. cett. et adnott. ad Ecl. III, 55. et VI, 53. — **43.** *aevo,* hic i. q. senectute, quamquam per se *aevum* omnino est vitae tempus, aetas. Cf. Aen. II, 435. 509. VIII, 307. XI, 85. Ovid. Met. VIII, 718. Heyn. comparat similem Tibulli locum III, 3, 8. *Inque tuo caderet nostra senecta sinu.* — **44.** Servius hunc et sequentes (quinque?) versus ex ipsius Galli carmine translatos esse refert. Et sane plura in hoc loco ex ipsius Galli carmine deprompta esse, dubitari non potest. Qui tamen aut quot versus Gallo debeantur, nemo facile dixerit; quae etiam Heynii est sententia. — Heyn., immemor eorum, quae ad v. 35. adnotaverat, ex Heumanni coniectura, ut aliis, ita etiam Wakefieldo probata, edidit *amor - - te - - detinet,* ut ad Lycoridem haec spectent, in castra amatorem secutam; cum Codd. lectione *me* retenta, Gallus amore flagrans in aliqua versetur expeditione, quod alienum sit ab eo, qui inter pastores desidere fingatur. (Cf. etiam Peerlkampii coniectura infra ad v. 46. commemorata.) Sed rectissime ceteri editores omnes Codd. lectionem retinuerunt, cum hac sententia: „vellem, me esse pastorem, te pastoris alicuius filiam: at tu militem sequeris" omnis loci concinnitas tollatur. Sensus potius hic est: O quam vellem, ut ego essem unus e pastoribus Arcadicis (v. 35.), tu autem pastoris filia; tum enim tu semper mecum futura fuisses (v. 43.) et ex ruris amoenitatibus plurimum amoenitatis captura; nunc vero et ipse duros Martis labores sequi coactus sum et tu pro dulci rure horrida castra amas. Verum quidem est, antea poëtam de Gallo ita loqui, ac si ille inter pastores Arcadicos versaretur (v. 14.), non in expeditione bellica; sed omnino in toto carmine omnia tam mire miscentur, res Italicae, Arcadicae, Sicu-

Tela inter media atque adversos detinet hostis: 45
Tu procul a patria — nec sit mihi credere tantum! —
Alpinas ah, dura, nives et frigora Rheni

---

lae, Silvanus, Italiae numen, cum Pane, Arcadum deo (v. 24.), pastoris Siculi avena (v. 51.) cum sedibus ad Maenala montem constitutis (v. 55.) etc., ut, Wagnero quoque iudice, neque in hac re haerendum esse videatur, imprimis si cogitemus, Gallum, qui vehementissime cupiat in Arcadia inter pastores vivere et tota mente in hac cogitatione versetur, de re, quam cupidissime desideratam veluti praesentem animo contueatur, facile ita loqui posse, ac si ea vere iam locum haberet. Iahn., recte quidem *me* defendens, sensum tamen cum Servio et Schirachio p. 394. minus recte videtur constituere: „Vellem vitam securam agere, sed cum tu in expeditione bellica absis, ipse inter hostes esse mihi videor," ut vv. 46. et 47. oppositi antecedentibus simul eorum explicationem contineant. Quod si Vergilius dicere voluisset, admodum ambigue scripsisset; quamquam non nego, commode ita conciliari h. l. cum eo, qui supra legitur v. 14. Vossius, qui minus probabiliter ex quatuor Codd. *diri* edidit pro *duri*, ceterum autem Gallum ipsum stipendia fecisse recte statuit, cum ob v. 46. de expeditione extra Italiae fines cogitare non liceat, Gallum ei classi interfuisse suspicatur, qua Caesar Octav. a. 717. Italiae litora a Sexti Pompeii incursionibus defenderit. — Particula *nunc* haud raro in se coniungit temporalem potestatem cum adversativa, et verum rei statum sententiae alicui commenticiae opponens respondet fere nostro *so aber*. Cf. Geo. II, 53 sqq. Aen. X, 630. Cic. Tusc. I, 2, 2. de Fin. I, 13, 42. ad Fam. II, 6, 12. Sall. Iug. 14, 24. Curt. VII, 5, 35. etc.; locorum enim, ubi Particula adversativa *vero* vel *autem* adiungitur, satis magnus est numerus. Egerunt hac de re praeter Wagn. ad h. l. Matth. ad Cic. Arch. 11, 29. Heind. ad Cic. N. D. II, 36. in. Kühner. ad Cic. Tusc. l. l. Kritz. ad Sall. Iug. 14, 17. Meiner. de Partic. Latt. p. 329. et Hand. Turs. IV. p. 340. sq. Gebauer. tamen de poët. I. p. 76. negat hic adversativam vim Particulae, quam non nisi propria significatione usurpatam censet. Ceterum cum omni hoc loco conferri potest admodum similis Tibulli I, 10, 11 sqq. *Tunc mihi vita foret, - - - Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis Haesura in nostro tela gerit latere.* — *Martis* iam Heyn. vidit vel cum *amor*, vel cum *arma* coniungi posse. Ego prius Martis nomen bis intelligendum et ad utramque vocem referendum esse censui, nunc vero, nitens loco iam prius a me comparato Aen. VII, 550. *insani Martis amore* (quocum conf. Aen. VII, 461.) cum Coningt. simpliciter coniungo *amor Martis*, dum Wagn. alteram sequitur rationem, de amore Lycoridis cogitans, qui desperantem bellum capessere coëgerit. Sed verissime Conington contendit, hoc poëtam nusquam indicasse et hanc potius esse sententiam: Utinam pastor essem pacis amans tuique amori deditus! sed insana bellandi cupiditas militem me fecit amoris obliviscentem. — 46. *nec* (i. e. et ne: cf. adnott. ad Ecl. II, 34. et Geo. III, 96.) *sit mihi credere*, h. e. utinam liceat mihi non credere; ne cogar credere! *μὴ εἴη μοι πεἰθεσθαι*. Cf. Tibull. I, 7, 24. *Tunc mihi non oculis sit timuisse meis*, ibique Heyn. Prop. I, 20, 13. *Nec tibi sit durum montes et frigida saxa - - adire.* Silius VI, 484. *mihi sit Stygios ante intravisse penates.* id. XII, 695. *Fuerit delere Saguntum Exaequare Alpes* etc. Sall. Iug. 110, 3. *Fuerit mihi equisse aliquando amicitiae tuae*, ubi vid. Kritz. Vid. etiam adnott. ad Ecl. VII, 70. et Geo. IV, 447. — *tantum*, tantam rem, tam atrocem, horribilem. Cf. Aen. I, 231. *Quid meus Aeneas in te committere tantum, Quid Troes potuere?* Wund. adnotat, esse qui hic et supra Ecl. VI, 16. *procul tantum* iungant, ut ad spatium referatur, quemadmodum ap. Liv. XXXVII, 39. *tantum progressus;* qua in re profecto errant. Cf. adnott. ad Ecl. VI, 16. Burm., et ipse parenthesin voc. *credere* finiens, *tantum* cum seqq. coniungit, ut sensus sit: nil vides, praeter Alpinas nives. Sed quis ferat restringendi Particulam hoc loco positam? Ribbeck. autem putat, etiam post v. 46. aliquem excidisse, quo vox *tantum* accuratius definita fuisset, talem fere: *Posse nefas fieri — sine me tu sola, Lycori.* (Cf. etiam hic locus Annal.

Me sine sola vides. Ah, te ne frigora laedant!
Ah, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
Ibo et Chalcidico quae sunt mihi condita versu
Carmina pastoris Siculi modulabor avena.
Certum est in silvis, inter spelaea ferarum
Malle pati tenerisque meos incidere amores
Arboribus; crescent illae, crescetis, amores.
Interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis

---

phil. supra laud. et quae opponit Gebauer l. l. p. 122.) Peerlk. p. 47. totum locum his coniecturis vexavit: *Nunc insanus amor duri Mavortis in armis Te procul a patria* (*nec sit mihi credere, quantum!*) *Tela inter* etc. et Kalmus Exerc. crit. p. 3. nondum satis exploratum habet, utrum Ribbeckii sententia probanda, an v. 46. per coniect. scribendum sit: *nec erit crudelius unquam.* (!) — 48. Cf. similis Ovidii locus Met. I, 508. *nec prona cadas, indignave laedi Crura secent sentes.* — 49. Voss. iam contulit locum Prop. I, 8, 7. *Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas, Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?* — 50. „*Chalcidico versu*, h. e. Euphorionis Chalcide oriundi, sive Latine reddito, sive imitatione expresso (quod Probus firmat: *Euphorion, cuius in scribendo colorem secutus videtur Gallus*), et quidem de Apolline Gryneo eiusque oraculo. Vid. supra ad Ecl. VI, 72. Iam ea carmina fistula canere, h. e. inter pastores recitare constituit (vel colorem iis pastoricii carminis inducere.). Egregie autem misere cruciati et in omnes partes rapti animi inconstantia exprimitur. Nunc enim v. 52. in solitudinem sese abdere constituit, mox venari; tum v. 62. omnia ista aspernatur." *Heyn.* Ceterum Euphorion ille, qui, Ol. 126. s. circa a. 276. a. Chr. natus, Antiocho Magno a bibliotheca fuit, comoedias, elegias ac *Μοψόπια* (i. e. Attica) s. *ἄταχτα*, narrationum mythicarum epico metro compositarum libros V., conscripsit. Cf. Cic. Tusc. III, 19, 45. de Div. II, 64, 132. Suet. Tib. 70. Quinct. Inst. X, 1, 56. *Quid? Euphorionem transibimus? quem nisi probasset Vergilius, idem numquam certe conditorum Chalcidico versu carminum fecisset in Bucolicis mentionem*, ubi vid. Spalding. et XI, 2, 14. Voss. de hist. Gr. p. 142 sq. ed. Westerm. et A. Meineke de Euphorionis Chald. vita et scriptis. Gedan. 1823. 8. Ceterum Ribbeck. cum Cod. Med., Pal., aliis (quibuscum an conspirent Rom. aliique *Calcidico* praebentes, dubium est) scripsit *Calchidico*, quod probari non potest. — 51. *modulabor.* Vid. not. ad Ecl. V, 14. Pauci quidam Codd. *meditabor*, ut Ecl. I, 2. — 52. Gallus Lycoridis amori renunciare et vel a pastoris vel a venatoris negotiis gerendis medicinam petere statuit. *spelaea, σπήλαια*, qua voce Graeca Vergilium secuti utuntur etiam auctor Ciris v. 466. Claud. B. Get. 354. Prudent. tetrast. vet. testam. 5. Tertull. de cor. mir. prope fin. Cf. etiam Gruteri Inscr. p. 34. n. 5. 7. 9. Ribbeck. cum uno, ut videtur, Cod. Gud. (ubi postremae syllabae in ras.) scripsit *spelea.* — 53. *malle pati*, quam, qui me adhuc vexabat, amoris dolorem. Peerlk. l. l. coni. *velle*. *Pati* absolute positum pro durare (*χαρτερεῖν*) malam fortunam ferendo, ut apud Hor. Serm. II, 6, 91. *Praerupti nemoris patientem vivere dorso.* Lucan. V, 313. *disce sine armis posse pati.* ibid. v. 778. *Posse pati timeo* et IX, 262. *Et nescis sine rege pati.* Ovid. Met. X, 25. *posse pati volui, nec me tentasse negabo.* id. Am. I, 8, 75. *ut nullum patiendi colligat usum.* Cf. Gronov. ad Sen. Thyest. 470. et Salmas. Exerc. Plin. p. 245. -- *incidere amores Arboribus.* Cf. not. ad Ecl. V, 13 sq. — 54. „*crescent illae, crescetis amores*: hoc vero, si quid aliud, Vergiliana elegantia dignum. Compara Ovid. Epist. V, 23. 24. *Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt. Crescite et in titulos surgite recta meos!*" *Heyn.* Non minus respexit hunc locum poëta Anth. Lat. Burm. III, 265, 4. *Crescit arbor, gliscit ardor, ramus implet literas.* Ceterum cf. locus similiter formatus Aen. VII, 843. *Aerataeque micant peltae, micat aereus ensis* et quos praeterea locos, ubi eadem vox post alteram et post quartam arsin iteratur, collegit Gebauer de poët. I. p. 41. (Similes certe nostro loco sunt Aen. IX, 704. XII, 188. et XII, 758.) — 55. Compara cum h. l. Geo. III, 409 sq. *mixtis Nymphis*, pro vul-

Aut acris venabor apros. Non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circumdare saltus.
Iam mihi per rupes videor lucosque sonantis
Ire; libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula; tamquam haec sit nostri medicina furoris,
Aut deus ille malis hominum mitescere discat!

---

gari: permixtus Nymphis. Cf. Aen. II, 609. III, 99. V, 470. X, 871. Prop. II, 25, 57. *Ut regnem mixtas inter conviva puellas.* Lucan. IX, 896. *Ut immunes mixtis serpentibus essent.* Drak. ad Sil. III, 197. et Bentl. ad Hor. Od. IV, 1, 22. — *lustrabo*, peragrabo. Cf. Hor. Od. III, 25, 11. Ad choreas cum Nymphis instituendas haec retulit Voss., comparans Aen. VII, 391. X, 224. Claud. VIII, 150. XI, 25. — *Maenala*, ut Geo. I, 17. et Ovid. Met. I, 216., ubi II, 442. etiam Singul. *Maenalon* invenitur. Vulgo *Maenalus* vocatur, ut supra v. 15. — V. 56 sqq. Cf. Geo. III, 409—413. *acres*, i. e. animosos, iracundos; vox propria de apris (Hor. Ep. II, 31.), leonibus, lupis similibusque bestiis. Ceterum cf. Geo. III, 411. — 57. *Parthenios canibus circumdare saltus*, i. e. venationi me dedere. Parthenius, mons in confiniis Argolidis et Arcadiae situs, a poëta commemoratur, quia iam supra in Arcadia constitutus est Gallus. Eandem Adiectivi formam invenies etiam apud Ovid. Met. IX, 188. Her. IX, 49. Prop. I, 1, 11. Claud. R. Pros. II, 148. etc. De ipso monte, qui etiam nunc *Partheni* vocatur, cf. Herod. VI, 105. Strab. VIII. p. 376. Cas. Paus. VIII, 54. Mela II, 3. Plin. IV, 6, 10. alii et liber meus geogr. III. p. 864. — *canibus circumdare saltus* legitur etiam Geo. I, 140. et ap. Maximian. Eleg. I, 23. Cf. etiam Nemes. Cyn. 303. — 58. „*lucos sonantes*, resonantes sive a latratu canum ac clamore venantium, sive omnino, cum vento silva agitatur: hoc quidem cum sermonis poëtarumque usu coniunctius. Sic supra Ecl. VII, 1. *arguta ilex*, et *silvae sonantes*, *luci sonantes* passim." *Heyn.* — 59. *Partho cornu*, i. e. arcu Parthico. *Cornu* per synecdochen pro arcu corneo legitur etiam Aen. VII, 497. Sil. It. II, 109. Claud. nupt. Hon. 75. al. Eadem ratione pro infundibulo corneo Geo. III, 509., pro vasculis corneis apud Hor. Sat. II, 2, 61., pro laterna cornea apud Plaut. Amph. I, 1, 185. etc. Adiect. *Parthus* pro *Parthicus* aliquoties legimus apud Ovidium, Fast. V, 580. Trist. II, 228. A. A. III, 247. Rem. am. 157. — *Cydonia spicula*, i. e. Cretensia, a Cydonia, Cretae oppido (quod secundum *Pashley Trav. in Crete* I. p. 11 sq. nunc vocatur *Khania*: cf. liber meus geogr. III. p. 1034 sq.); ut Aen. V, 306. *Gnossia spicula* et Hor. Od. IV, 9, 17. *Primusve Teucer tela Cydonio direxit arcu.* Arundo enim Cretensis sagittis inde conficiendis aptissima. Cf. Voss. ad h. l., qui laudat Theophr. IV, 12. et Verg. Aen. XI, 773. Adde Aen. XII, 858. *Spicula* pro sagittis praeter hos locos inveniuntur etiam Aen. V, 306. Hor. Od. I, 15, 17. Ovid. Met. XII, 606. Lucan. VII, 148. et saepius. Parum quidem apte Vergilius coniungit Parthicum arcum cum sagittis Cretensibus; sed multum sibi indulgent poëtae in ornantibus, quae vocantur, epithetis eligendis. Cf. quae ad Ecl. V, 28. adnotavimus et Wagn. Qu. Virg. XL, 1., qui comparat Geo. III, 343. Aen. IX, 49. et XI, 773. — *torquere*, verbum proprium de funda (Geo. I, 309.), transfertur etiam ad iacula et sagittas (Aen. X, 585. XII, 536. 578.). Ceterum vid. imitationem huius loci in Cir. 298. *Gnosia heu Partho contendens spicula cornu.* — 60. „In medio verborum cursu iterum amoris aestu victus damnat sua vota miser amator, ut contra furoris sui insaniam nil valitura, et tamquam Amor mala non finiturus sit misericordia." *Heyn.* — *sit medicina.* Vulgo male editur *sint* ex Medic. et tribus aliis Codd. Pronomen enim ad omnem sententiam praegressam (*torquere spicula*, τοξεύειν) referendum, non solum ad ipsa *spicula*; ideoque ex Latinorum usu loquendi pro *hoc sit medicina* dicendum erat *haec sit med.* Sic autem saepius male intellecto nomine Verbi numerum in deterius mutatum esse, docet Wagn. Qu. Virg. VIII, 2. b. — 61. *deus* (Amor) *ille*, i. e. tam clarus, illustris, improbitate magis, quam virtute sua. Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 43. —

Iam neque Hamadryades rursus nec carmina nobis
Ipsa placent; ipsae rursus concedite silvae.
Non illum nostri possunt mutare labores,
Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus
Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae,

---

malis hominum, amoris doloribus. — *mitescere*, ad miserationem flecti atque dolores miseri amantis finire. — 62. *Hamadryades* per metonymiam poëticam pro rure positae. Vid. not. ad Ecl. V, 59. Ribbeck. cum Med., Pal., Rom., Gud. scripsit *Amadryades* (cf. eius Proleg. p. 422.) et cum Palat. *neque* pro *nec*, coll. Wagn. Qu. Virg. XXXII, 5. — *rursus*. Heins. e Medic. (qui a m. pr. *drusum*, a m. sec. *rursus*, v. 63. vero a. m. pr. *rursusm*, a m. sec. iterum *rursus* praebet) et Rottend. *rursum* edidit. Sed Wagn. docet, Mediceum ceterosque praestantiores libros hanc legem constanter servare, ut *rursum* non admittant, nisi ita, ut sequente vocali altera syllaba elidatur; quare et hic et sequ. versu formam *rursus* restituit, qua in re omnes recentiores editores praeter Ribbeck. iure eum secuti sunt. Ceterum formae *rursus* et *rursum* saepissime commutantur, v. c. apud. Hor. Ep. I, 2, 17. (ubi vid. Obbar.) Ovid. Met. IX, 42. Lucan. I, 391. etc. — 63. *ipsa - - ipsae* excellentiam aliquam indicat: quae antea mihi prae ceteris placuistis. Cf. Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 465. et quae ad Ecl. VIII, 96. adnotata sunt. — *concedite*, fortius pro cedite, valete. Cf. adnott. ad Ecl. II, 57. et VIII, 59. Coningt. confert locum Plaut. Amph. III, 4, 1. *Concedite atque abscedite, omnes de via discedite.* — 64. *illum* (Amorem: vid. v. 61.) *mutare*, i. e. misericordiam eius movere. *Mutare* de animi affectibus legitur etiam Aen. V, 679. et XII, 240. — „*labores*, aerumnae et molestiae vitae pastoriciae, quas, cum amorem nil sit quod animo eximere possit, se vel extremis septentrionalis australisve regionis partibus incassum subiturum esse ait." *Heyn.* Cf. v. 52—59. — 65. *Nec si* etc. ex Theocr. VII, 112—114. adumbrata. Cf. Hor. Od. I, 22. extr. ab Heyn. laud. — *frigoribus mediis*, media hieme. Cf. Theocr. VII, 111. *χείμαιι μέσσῳ*. Anth. Gr. VI, 345. *ἐνὶ μέσσῳ χείματι*. Lucian. Nigr. 31, 73. *μέσου χειμῶνος*. Halc. 2, 179. *κατὰ χειμῶνα μέσον*. Hor. Epist. I, 15, 5. *per medium frigus*, quos locos comparat Gebauer Progr. p. 7. Cf. etiam adnott. ad Ecl. II, 22. et Geo. I, 297. et 300. atque Wagn. Qu. Virg. XIV, 6. p. 436. *Frigus* pro hieme iam Ecl. II, 22. et V, 70. positum vidimus. — *Hebrus*, magnus Thraciae fluvius, ex Haemo monte ortus, e regione Samothraciae insulae in Stentoris lacum maris Aegaei effunditur. (Nunc *Maritza* vocatur.) Vid. librum meum geogr. III. p. 1075. Poëtis haud raro commemoratur, cum ad eius ripas Orpheus interfectus esse tradatur. Vid. Geo. II, 463. Ovid. Fast. III, 737. Her. II, 144. ex P. I, 5, 21. etc. Primus erat omnium fluviorum, quem glacie constrictum Romani in expeditionibus suis cognoverant, quare frigus eius tractus, quem permeat, in proverbium abiit. Cf. Voss. ad h. l. Fea ad Hor. Od. I, 25, 20. III, 26, 10. et Obbar. ad eiusd. Ep. I, 3, 3. — 66. *Sithonias nives*. Sithonia, Thraciae, inde a Philippi temporibus Macedoniae regio, media inter tres illas linguas, quae a Chalcidice peninsula in mare procurrunt, nunc *Longos* appellata (cf. liber meus geogr. III. p. 1063.); unde *Sithonius* apud poëtas interdum i. q. Thracius. Cf. v. c. Hor. Od. III, 26, 10. et Ovid. Am. III, 7, 8., ubi pariter *Sithonia nix* commemoratur, Hor. Od. I, 18, 9. Ovid. ex P. IV, 7, 25. Met. XIII, 571. Her. XI, 13. Stat. Theb. III, 287. etc. (Cf. etiam Wagn. de Iunio Philarg. P. II. p. 18. et Ribbeck. Proleg. p. 146.) Calpurn. Ecl. XI, 51. locum nostrum sic imitatur: *Sithonias feret ille nives Libycosque calores.* — *subeamus*. duremus frigus Thraciae. Burm. de cadente in caput magna nivis vi et copia accipiebat. Ceterum quod *hiems aquosa* (quae redit Aen. IX, 671.) iuxta *nives* minus apte commemoretur, Io. Schrader. tentabat *Haemi subeamus aquosi*. Sed recte Wagn. censet, nihil esse mutandum, etsi auctor erroris culpa liberari non possit; nam nives convenire hiemi Sithoniae, aquosam contra Italiae hiemem, quare hoc apud Latinos poëtas ornans sit hiemis epitheton. (Cf. eius Qu. Virg. XL, 3.) Dormitasse autem interdum vel optimos scriptores.

Nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,
Aethiopum versemus ovis sub sidere Cancri.
Omnia vincit Amor; et nos cedamus Amori."
Haec sat erit, divae, vestrum cecinisse poëtam,
Dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides; vos haec facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum vere novo viridis se subicit alnus.
Surgamus; solet esse gravis cantantibus umbra,

---

inter omnes constat. Cf. adnott. ad Ecl. (V, 27. VI, 74.) VIII, 30. (supra v. 59.) Geo. I, 222. III, 435. IV, 211. 408. etc. — 67. Verba *cum moriens a. liber aret in u.* mediam aestatem, summum aestatis ardorem indicant. *Liber*, proprie pars corticis interior, hic pro cortice omnino positus; *moriens* autem i. q. arescens, tabescens aestu. Cf. Ecl. VII, 57. Claud. I, 217 sqq. *arundo, Quam neque fas Zephyris frangi, nec sole perustam Aestivo candore mori.* Stat. Theb. V, 527. *percussae calidis afflatibus herbae, Qua tulit ora* (draco), *cadunt, moriturque ad sibila campus;* ex quibus locis intelligitur, proprie abundare vel Partic. *moriens*, vel verbum *aret;* sed solent boni scriptores haud raro voces eiusdem vel admodum affinis significatus coniungere. Cf. Geo. IV, 425. Aen. II, 458. XI, 726. etc. et Schrader. ad Musaeum p. 250. — 68. „*Aethiopum versemus ovis*, pro: inter Aethiopes, in Aethiopia, *versare* h. l. [huc et illuc] agere, pascere, ex *πολεῖν*, unde *αἰπόλος*, *οἰοπόλος* etc." *Heyn.* Quam explicationem recte probat Wakef. ad Lucr. V, 478., ubi sermo est de sideribus, quae *corpora viva vorsent*, i. e. moveant, agitent, sedes suas mutando. Barth. male coni. *servemus.* Gebauer. Progr. p. 5. comparat Theocr. VII, 113. *πυμάτοισι παῤ Αἰθιόπεσσι νομεύοις.* — *sub sidere Cancri*, sub tropico. Cf. Ovid. Met. X, 126. *Aestus erat mediusque dies, solisque vapores Concava litorei fervebant bracchia Cancri* et Lucan. X, 259. *calidi bracchia Cancri.* De Cancro, zodiaci signo, vid. Aratus Phaen. 490 sqq. 538. 544. Diosem. 892. 995. Hyginus Poët. Astron. II, 23. III, 22. Geminus Isag. c. 16. Colum. X, 313. alii. — 69. Heynio nexus sententiarum paullo durior videtur, sine iusta causa. Gallus rediens ad sanam mentem et consilio amorem sanandi vel levandi desistens hoc dicit: „Omnia vincit Amor; et cum vincat Amor omnia, nec flectere eum possimus, age, etiam nos cedamus." De repetito *Amoris* nomine cf. adnott. ad Ecl. V, 44. et de productione ultimae syllabae voc. *Amor* ad Ecl. IV, 51. Ceterum hunc versum imitatus est auctor Cir. 436. *Omnia vincit Amor; quid enim non vinceret ille?* — 70. Finito Galli carmine iam de se loquitur poëta, ad Musas conversus. — 71. *Dum sedet.* Patet, Praesens interpositum pertinere ad *cecinisse.* Cf. Aen. X, 55—58. — *fiscella*, calathus in usum cogendi lactis. Cf. Tibull. II, 3, 15. *Tunc fiscella levi detexta est vimine iunci.* De fiscellis, quas texere otiosorum erat agricolarum et pastorum, cf. Geo. I, 266. Colum VII, 8, 3. Calpurn. Ecl. III, 68., qui hunc locum respiciens scribit: *Sed mihi nec gracilis sine te fiscella salicto Texitur.* — De *hibisco* vid. nott. ad Ecl. II, 30. Ribbeck. hic cum Cod. Pal. scripsit *ibisco*, supra vero l. l. *hībisco.* — 72. *facietis* (ut sint) *maxima*, gratissima, acceptissima, ideoque etiam maxime aestimata. — De repetito *Galli* nomine cf. not. ad Ecl. VI, 20. — 73 sq. Ursinus et Coningt. comparant Pind. Nem. VIII, 40. *αὔξεται δ' ἀρετά, χλωραῖς ἕρσαις ὡς ὅτε δένδρεον ἅσσει.* — 74. „*viridis se subicit alnus*, tenera crescit, cf. Geo. II, 19.; est ab iis, quae se attollunt, sursum erigunt, emicant, ductum; haec etiam *se subicere* dicuntur, ut flamma Geo. IV, 385. [ut contra *se subducere* est i. q. decrescere: cf. Ecl. IX, 7.] Ab eadem re duxit imaginem Famae Hor. Od. I, 12, 45. *Crescit occulto velut arbor aevo Fama Marcelli.*" *Heyn.* Vales. in Valesianis p. 182. coni. *subrigit.* Sed recte vulgatam defendit Burm., qui conferendus est ad Albinov. Eleg. ad Liv. 256. et ad Rutil. Itin. I, 347. Cf. etiam Geo. II, 19. — 75. *gravis cantantibus umbra* i. e. nociva. Cf. Lucr. VI, 783 sqq. *Arboribus primum certis gravis umbra tri-*

Iuniperi gravis umbra, nocent et frugibus umbrae.
Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.

---

huta Usque adeo, capitis faciant ut saepe dolores, Si quis eas subter iacuit prostratus in herbis, ad quem locum Wakef. hic vocem *cantantibus* „frigere neque loci sensum satis implere" dicit, quare ipse *contantibus*, i. e. cunctantibus, legendum esse suspicatur, quod iam Titio Controv. X, 1. in mentem venerat, quodque Barthius in suo Cod. testatur se invenisse. Sed bene se habet vulgaris lectio; cantantibus enim, cum ipsa canendi contentione intus maxime confervescant, frigidiores aurae vespertino tempore sub arboris umbra ductae magis noceant necesse est, quam tacentibus vel placide confabulantibus. — 76. „*Iuniperi* molestae exhalationes imprimis sub noctem. Inde apud Apollon. IV, 156. ramus, quo medicamenta sua soporifera draconis oculis inspergit Medea, iuniperi est." *Heyn.* Vid. etiam Burm. ad Val. Fl. VIII, 83. Ceterum cf. Lucr. VI, 783 sqq. omninoque de arboribus umbra sua noxiis Plin. XVI, 10, 20. et XVII, 12, 18. De *iunipero* dictum est ad Ecl. VII, 53. — *nocent et frugibus umbrae*: cf. Geo. I, 121. 156 sq. Pluralis autem *umbrae* pro multa, densa umbra positus, ut Ecl. V, 40. Geo. III, 520. et alibi: quare etiam Geo. I, 342. *densae umbrae* et Aen. I, 311. III, 230. VII, 619. *umbrae* de loco tenebricoso. Cf. Wagn. Qu. Virg. IX. p. 516 sqq., ubi accuratam invenies dissertationem de variis, quibus Vergilius hac voce utitur, significationibus. De toto autem versu 76. Heyn. ita iudicat: „E nonnullis apud Pierium hic versus exciderat: et ratio subesse visa est viris doctis, cur sublatum mallent; nam sententia a loco est aliena. Poëta sub iunipero cur sedebat, si umbra gravis est? Saltem otiosa est exornatio sententiae antecedentis versus: quae tamen ferri possit." Sed reputemus, iuvenilia haec esse poëtae carmina, quae hic ibi loquacitate quadam laborare lectorem subacti iudicii pulchrique et elegantis sensu praeditum offendente, mirari non possimus. Contra nemo facile dixerit, unde hic versus in contextum immigraverit, si eum Vergilio abiudicare voluerit. Quisque autem videt, ita cohaerere sententias: Umbra arborum omnino cantantibus gravis, imprimis vero iuniperi; quod non mirum, cum vel frugibus multam umbram nocere videamus. — 77. *Ite domum saturae.* Cf. Ecl. I, 74. VII, 44. — *saturae capellae* apparent etiam ap. Ovid. Met. XV, 472. Cf. etiam Ecl. VII, 44. *pasti iuvenci.* — *venit Hesperus*, in conspectum venit, sole occidente oritur, i. q. Ecl. V, 86. *processit Vesper Olympo.* Cf. etiam adnott. ad Ecl. IX, 47. et Hor. Od. II, 9, 10. *Vespero surgente*, et *surgentibus astris. Venire* simili sensu legitur Ecl. V, 82. *venientis sibilus Austri.* Aen. X, 241. *Aurora veniente.* Cf. etiam Geo. I, 322. II, 58. 519. Aen. VII, 587. VIII, 525. X, 99. etc.

P. VERGILI MARONIS

GEORGICON

LIBER PRIMUS.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

ARGUMENTUM.

Georgica, seu de *re rustica* praecepta, arationem, arborum (vitium imprimis et olearum) culturam, rem pecuariam et apiariam complectuntur. Quod totius carminis *argumentum* exponitur v. 1—4. Tum sequitur *invocatio* numinum agrestium cum ipso Caesare Augusto (5—42.). Ipsius argumenti tractatio incipit ab iis operibus rusticis, quae sationem praecedunt (43—99.) et primum quidem agitur de *aratione* (43—70.) et docetur, *quando* incipienda sit (43—49.), qua in re ante omnia *caeli solisque natura* est exploranda (50—63.), deinde *quomodo* instituenda sit (64—70.). Solum variis modis recreandum et corroborandum (71—93.) atque molliendum s. effodiendum est (94—99.). Sequitur locus *de satione* et exponitur, quae post sementem prosint futurae segeti (100—159.). Quare agitur de optima tempestate (100—103.), de glebis conterendis (104. 105.), de solo irrigando (106—110.), de segetis depastione (111—113.), de nimio humore deducendo (114—117.), de malis segetem vexantibus (118—121.). Cum autem in his multum laboris et aerumnae tolerandum sit, poëta digreditur ad *causas* huius rei *mythicas* inde a Saturni aetate et exponit, quomodo impedimentis agriculturae post auream illam aetatem obortis occurrendum sit (118—159.). Inde agitur de *instrumento rustico* (160—175.); tum de *area* ad terenda grana paranda (176—186.); et docetur, unde iudicium de futuro anni proventu facere liceat (187—192.); deinde sermo est de semine medicando (193—196.), et deligendo (197—203.). Transit auctor ad *tempora operum rusticorum* apte deligenda et primum quidem agit de tempore sationis (204—230.). Sequitur *digressio* de solis cursu annuo et quatuor anni tempestatibus, quas opera rustica debeant respicere (231—256.). Deinde exponitur, quae curanda sint tempore pluvio (257—267.), diebus festis (268—275.), certis quibusdam mensis diebus (276—286.), noctu (287—296.), interdiu (297—310.), et alia quidem per calorem aëris (297—299.), alia hieme (300—310.). Ita viam sibi parat poëta ad duas procellosas *anni tempestates* describendas, alteram auctumni, alteram veris ineuntis, et exponit, quando ingruant (311—334.) et quae tutamenta contra eas sint adhibenda (335—350.). His adiicitur locus de certis tempestatum per vices succedentium *prognosticis* (351—465.) Et primum quidem agitur de ventorum (356—369.), tum de pluviae (370—392.), postremo de sudi serenique caeli (393—423.) prognosticis; quae sequuntur signa e lunae (424—437.) et solis (438—465.) observatione capienda. Quibus auctor viam sibi struit ad excursum *de prodigiis* Iulii Caesaris nece facta bellum civile subsecutum portendentibus (466—497.) et ad vota pro Augusti salute facienda (498—514.)*)

*) Ceterum Franckius Fast. Hor. p. 23. hunc librum I. a Vergilio iam a 719. seorsim editum esse minus probabiliter arbitratur. Cf. quae contra eum disputat Ribbeck. Proleg. p. 17. et p. 45., qui totum quatuor librorum opus una prodiisse ex primis (I, 1—5.) et postremis eius verbis (IV, 559—566.) recte concludit.

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
Vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vitis
Conveniat, quae cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori, apibus quanta experientia parcis,

Primis quatuor verss. argumentum operis exponitur: *agricultura et rusticatio* lib. I.; *vitium et omnino arborum cultura* lib. II.; *res pecuaria* lib. III.; *res apiaria* lib. IV. Animadvertenda autem in totius carminis *οἰκονομίᾳ* s. ordine pulcherrima gradatio a minori ad maius, ex qua incipit poëta a graminibus et herbis, transit deinde ad frutices et arbores, tum, a rebus inanimatis ad animatas vitaque praeditas transgressus, de animalibus agit, et postremo quidem de apibus, sollertia sua et industria ad hominum similitudinem accedentibus. — 1. Hoc versu Hesiodei operis titulum *ἔργα καὶ ἡμέραι* expressum esse, iam Servius docuit. — *laetas segetes*, fertiles, foecundas, ut nos *fröhliche Saaten*, i. e. *üppige*. Hesiod. *Ἔργ.* 775. *εὔφρονα καρπόν* dixerat. Cf. Cic. de Or. III, 38, 155. *laetas segetes etiam rustici dicunt* etc. Colum. II, 15. *laetas segetes excitare*. Infra v. 101. *laetissima farra, Laetus ager*. Varr. R. R. I, 23. extr. et Cat. R. R. 6. in. *ager laetus* etc. — *quo sidere*, quo tempore, quibus mensibus; cum sol quovis mense aliud Zodiaci signum ingrediatur. Cf. autem v. 68. 208. 221. etc. Idem infra v. 354. *quo signo*. Ceterum respexit hunc locum poëta Anth. Lat. Burm. II, 189, 5. *Quid faciat laetas segetes, quae sidera servet Agricola*. — 2. *terram vertere*, aratro (quod additur v. c. Hor. Sat. I, 1, 28.), vel ferro (ut Geo. I, 147.), vomere (Lucr. I, 212.), bidente (Colum. IV, 5.) etc. Sine eiusmodi additamento etiam apud Colum. III, 13, 8. *collis in quatuor pedes vertendus*, et alibi; quare apud Ovid. Met. I, 425. *versae glebae*. — C. Cilnius *Maecenas*, eques ille Romanus et Octaviani Augusti familiarissimus, qui literarum, imprimis poësis, fautor et patronus longe celeberrimus, ut hoc carmen, ipsi propterea dedicatum, conderet, Vergilium nostrum excitaverat. (Cf. Diss. de Verg. vita et carmm. p. XX. cum nota 45.) Diem supremum obiit eodem, quo Horatius suus, anno U. C. 746., undecim annos post Vergilium. (Cf. de eo imprimis Meibom. de C. Cilnii Maecenatis vita etc. Lugd. Bat. 1653. 4. Frandsen. *C. Ciln. Maec., eine histor. Untersuch. Altona* 1843. 8. Matthes de C. Cilnii Maec. vita in Symbolis Liter. Vol. V. p. 1—36.) Peerlk., offendens in Maecenate nudo nomine et ante Deos Augustumque appellato, p. 114. eius nomini audaci coniectura substituit vitium epitheton *Aminaeas*, coll. Geo. II, 97., atque p. 371. etiam alia in hoc loco vituperat, quae excusare studet Ladew. Progr. p. 14. — *ulmis adiungere vites*, ex Italorum more, de quo dictum ad Ecl. II, 70. III, 10. IX, 41. et Geo. II, 89. Ceterum *vites* pro omnibus omnino arboribus frugiferis ponuntur, species, et primaria quidem, pro toto genere; nam totius libri secundi argumentum his verbis continetur. — 3. De re pecuaria agam. Quod attinet ad coniuncta verba *cura* et *cultus* cf. Cic. N. D. II, 63, 158. (*Oves nullum*) *fructum edere ex se sine cultu hominum et curatione potuisent*, iam ab Heynio laud. — *qui cultus habendo sit pecori*, i. q. qui cultus, quae cura adhibenda sit, ut pecus recte habeatur, i. e. servetur et suppleatur (vid. infra). Cf. Geo. II, 178. *quae sit rebus natura ferendis* (i. e. quod agri ingenium aptum sit rebus ferendis). — *Pecus habere* igitur h. l. recte curare et facere omnia, quibus illud servetur. Cf. Colum. VIII, 5, 19. *curandum erit, ut tepide habeantur pulli*. Alibi simpliciter pro alere legitur, ut Geo. III, 159. et Phaedr. III, 3., ubi vid. Burm. — *qui cultus*, alii Codd. et editt. *quis cultus*, male. Cf. adnott. ad Ecl. I, 18. — 4. *pecori*, minoribus animalibus domesticis, ovibus maxime et capris, quae opponuntur bubus. — *pecori, apibus*. Ita Heins. ex Med. et optimis libris restituit pro vulg. *pecori atque apibus*, quam mutationem vana de metro sollicitudo provocavit. Cf. adnott. ad Ecl. II, 25. 53. et III, 5. — „*quanta*, quae [potius: quam magna], *experientia apibus*, sc. habendis, seu apum habendarum ad mellificium

Hinc canere incipiam. Vos, o clarrissima mundi
Lumina, labentem caelo quae ducitis annum,
Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus

---

sit. Pro *cura* subiunxit aliud, quod apum cultui accommodatum esset, experientiam et usum [curam experientia nitentem], quo mellificationis ratio valde exculta est. Cf. Geo. IV, 315, 316. Nam apum experientia, etsi iis aliqua tribui potest (vid. infra IV, 156 sqq.), huc vocari nequit." *Heyn.*— *parcis*, quod prius cum Wagn. explicui σπανίαις (*spärlich*), coll. Geo. III, 403., ubi *parcum sal*, nunc, meliora edoctus, cum Ladew. et Ameisio Spicil. p. 16. interpretor parcentibus, φειδομένοις παρεόντων (*sparsam, haushälterisch*), quomodo etiam Conington videtur capere, cum ei videatur „*an epithet indicating the bee as it is in itself, not as an object of its keeper's care.*" Conf. Plin. XI, 19, 21. *Cetero perparcae, et quae alioqui prodigas atque edaces non secus ac pigras atque ignavas proturbent.* Hic enim requiritur epitheton ad apum indolem et naturam proprie spectans, notio autem, rem admodum difficilem esse apiarium copiosum servare atque adeo augere, non solum ab hoc loco, sed etiam ab iis, quae de hac re libro IV. exponuntur, ubi nusquam de apiario infrequenti augendo sermo est, aliena videtur. Libri quidam exhibent *parvis* ad seqq. *hinc canere incipiam* pessime relatum. — 5. Cf. Varro R. R. II, 1. *Incipiam hinc.* Keightl. ap. Coningt. comparat Lucr. I, 55. *Disserere incipiam.* Cf. etiam Aen. II, 13. *Hinc* Servio idem est cum *dehinc*, *deinceps*, *nach der Reihe*, quod *hinc* nusquam significat; alii, inter quos Heyn., non multo melius pro *nunc*, *iam*, ab hoc inde tempore positum putant; sed melius Voss. et Iacobs. interpretantur *ex his*, *horum partem*, ut apud Homerum τῶν ἀμόθεν (v. c. Od. I, 10.), quod est modestiae; eamque explicationem non solum Ladew., sed etiam Wagn. in recentissima edit. recte amplexus est, „cum poëta non omnia, quae de re rustica commentari possit, persecuturum se significet, sed tantum, ut dicat Aen. I, 342., quaedam *rerum fastigia.*" Sic etiam Geo. II, 444. III, 308. et Hor. Sat. I, 4, 6. pro *ex his*, *ab his*, et apud Ovid. Fast. V, 509. *maior inde*, pro maior ex iis s. eorum, usurpatum invenitur. Cf. etiam quae infra ad v. 505. Geo. III, 490. et Aen. I, 21. adnotavimus. — Sequitur invocatio deorum, a quibus poëta in pangendo hoc carmine se adiutum cupit, et Caesaris Augusti, quae procul dubio inter pulcherrimos et splendidissimos totius carminis locos est referenda. — *Clarissima mundi Lumina.* Sol et Luna intelligendi sunt, qui omnes omnino rusticorum labores iuvant, ideoque primi erant invocandi. Vulgo haec verba male coniungunt cum sequentibus, ut Liberi Cererisque nominibus per appositionem sint addita; quam rationem qui defendunt, ut ipse Heyn., collato Macrob. Sat. I, 18., Vergilium non popularem, sed illorum philosophorum opinionem sequi arbitrantur, qui Solem et Lunam sub Liberi et Liberae nomine cultos fuisse contenderint. Sed verrissime iam Voss. observavit, cum Sole et Luna Bacchum et Cererem non nisi in mysteriis quibusdam confusos esse; deinde, cum uniuscuiusque numinis appellationi certa aliqua causa adiiciatur, cur invocetur, mirum esset, si Baccho tantum et Cereri duplex munus tribueretur; quo accedit, quod Varro R. R. I, 1, 5., quem aperte ante oculos habuit Vergilius, diserte *primum* Iovem et Tellurem, *secundo loco* Solem et Lunam, *tertio* demum Bacchum et Cererem invocat. Quod autem opponere solent, tum copulam aegre desiderari, quae in seqq. ubique addita sit, hoc nihil est, nam eadem prorsus ratio obtinet infra v. 498., ubi vid. adnott. Copula pronuntiatione et brevi recitandi pausa post voc. *annum* facta facile suppleri potest. Servius voci *Lumina* haec adscripsit: „*Numina* fuit, sed emendavit ipse, quia postea ait *Et vos, agrestum praesentia numina, Fauni.*" In Codd. huius lectionis, quam tamen recepit Wakef., nec vola nec vestigium apparet. — *labentem* (sensim procedentem) *caelo quae ducitis* (regitis, moderamini) *annum*, h. e. quorum decursu tempora anni efficiuntur. Habuit ante oculos versus Lucretii V, 1435—38. Ceterum e verbis *Ferte pedem* v. 11. hic communis illa notio supplenda: adeste mihi canenti. — 7. Post Solem et Lunam, a quibus omnis res rustica pendet, invocat poëta deos ad singulas eius partes et genera pertinentes. Recte

Chaoniam pingui glandem mutavit arista
Poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis;
Et vos, agrestum praesentia numina, Fauni,
Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellae:

---

enim *Heyn.*: „Ceterum pro diversis culturae generibus diversa numina invocare putandus est. Ad lib. I. spectat Ceres; ad lib. II. Bacchus, Fauni et Nymphae cum Silvano, Minerva autem propter oleae culturam; ad lib. III. Neptunus, quippe cum de equorum cura agatur, tum Aristaeus et Pan (Geo. III. pr. etiam Pales cum Apolline Nomio); tandem ad lib. IV. idem Aristaeus, mellificii auctor." De *Liberi* nomine cf. adnott. ad Ecl. VII, 58., de Cereris epitheto *alma* ad Ecl. VIII, 17. Imitatus est hunc locum auctor carm. in Anth. Lat. Burm. II, 184, 8. *Liber et alma Ceres, succurrite.* — *si* hic et v. 17. proprie conditionem indicat, unde pendent ratae preces, cum pœta speret, deos agrestes inceptum suum propterea adiuturos esse, quod totum carmen versetur in rebus illis caris et acceptis, ut sensus sit: si verum est, quod credimus, vestro munere tellurem - - mutasse etc.; inde autem fit, ut in eiusmodi locis, quales etiam sunt Aen. IV, 317. VI, 119. IX, 406., Particula *si* accedat ad sensum causalem Coniunctionum *cum* et *quod* (cum vestro munere tellus - - mutaverit etc., etiam hoc carmen auxilio vestro iuvate), de qua re diximus ad Ecl. II, 27. Cf. etiam Bach. ad Ovid. Met. I, 378. et quae ad Aen. II, 536. adnotavimus. Peerlk., qui p. 371. versus sic vult transpositos: 7, 8, 9, 12—15, 10, 11, 16, miratur Vergilium v. 7. non scripsisse *vestro si munere vita*, (ut Tibull. II, 1, 37. *His* (ruris numinibus) *vita magistris Desuevit querna pellere glande famem* et auct. Culicis 133. *Quercus ante datae, Cereris quam semina, vitae*), cum tellus, si mutaverit glandem arista, glandes non amplius proferat; et sane negari nequit, Vergilium hic paullo negligentius scripsisse, cum non terra glandem arista, sed homines tantum utriusque usum mutaverint. — 8. 9. Sententia haec est: qui hominibus pro glandibus, quibus antea vescebantur, frumentum, pro aqua vinum dedistis; qui agriculturae et vitium sationis auctores estis. — *Chaoniam glandem:* vid. adnott. ad Ecl. IX, 13. *Glandes* autem, quas Heyn. et Voss. de variarum arborum fructibus corticem cum nucleo habentibus, de palmis (φοινικοβαλάνοις), iuglandibus (Διὸς βαλάνοις), castaneis etc. interpretantur, primorum hominum alimentum fingi, satis notum. Cf. praeter locos supra laud. Cic. Or. 9, 31. Hor. Serm. I, 3, 100. Ovid. Met. I, 106. Fast. IV, 399. Lucr. V, 937. Plin. H. Nat. XVI, 5, 6. 6, 8. alios. Ceterum Valerium Fl. I, 70. ita canentem: *et flava quercum damnavit arista*, Vergilium ante oculos habuisse, iure suspicatur Wagn. — *pingui*, granis tumenti, grandi. — 9. *tellus pocula miscuit uvis*, vitibus editis effecit, ut misceri possent. Constat enim, veteres vinum vulgo non nisi cum aqua mixtum bibisse. — „*pocula Acheloia*, pro aqua; at quam splendide! Acheloum, Aetoliae fluvium priscis carminibus celebratissimum, pro quovis flumine et aqua quacunque more antiquorum Graecorum (vid. Macrob. V, 18.) dixit." *Heyn.* Ita etiam Schol. Stat. Theb. I, 453. et antiquiores omnes interpretes censuerunt (cf. Staveren ad Hygin. fab. 274.); sed rectissime hanc explicationem deridet Hermann. in Diss. de Musis fluvialibus etc. p. 17., qui suspicatur, Ἀχελωΐδος, Musae fluvialis, nomine, cognato cum vocc. χέλυς et χελώνη, i. e. testa, aquam vivam indicatam ideoque etiam nomen Ἀχελῷον de omni fluviorum et fontium aqua usurpatum esse. Nescio, quo iure Ladew. suspicetur, Acheloum potissimum commemorari, quia Aetolia gloriata sit prima vitium cultura per Oeneum instituta, coll. Apollod. I, 8, 1. Quod attinet ad voc. *pocula*, cf. Ecl. VIII, 28. — *uvae* pro vino, ut *racemus* loco simillimo Ovid. Fast. V, 343. *Donec eras mixtus nullis, Acheloe, racemis.* — 10. *praesentia numina.* Cf. not. ad Ecl. I, 41. De *Faunis* dictum ad Ecl. VI, 27. — 11. *Ferte pedem*, sc. huc; ad me venite, mihi adeste. *Pedem ferre* pro ire legitur etiam Aen. II, 756. Catull. XIV, 21. Sen. Med. 862. Plaut. Men. IV, 3, 18. etc. Alibi etiam pro saltare dicitur, ut Hor. Od. II, 12, 17. — *Dryades* (de quibus vid. not. ad Ecl. V, 59.) una cum *Faunis*, rei pecuariae diis tutelaribus, invocantur, quia sunt deae silvarum, in quibus greges pascuntur. Heyn.,

Munera vestra cano. Tuque o, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune; et cultor nemorum, cui pinguia Ceae

---

cui vox *Fauni* iterata frigere videtur, si Cod. Goth. I. antiquior esset, eius lectionem *Satyrique* praeferendam fore censet, cum Satyri Dryadesque etiam Cul. 115. et alibi haud raro iungantur. Sed vulgatam praeter ceteros Codd. omnes tuetur etiam Macrob. Sat. V, 17., et tantum abest, ut frigeat repetita Faunorum compellatio, ut vividiorem reddat orationem, imprimis cum voc. *simul* et aliud numinum agrestium genus adiungatur. Cf. adnott. ad Ecl. VI, 20. — 12. *munera vestra*, frumenta, vitem, armenta, greges. — „*cui prima f. Fudit equum tellus*, cuius iussu primum e terra equus editus est. Nota fabula de Neptuni cum Pallade certamine, cum dei arbitrium tulissent, ut, uter rem mortalibus utilissimam produxisset, eius nomine nova urbs (Athenae) appellaretur. Cf. Bentl. ad Hor. Od. I, 7, 7. Neptunus inde *ἵππιος*." *Heyn.* Vid. Ovid. Met. VI, 70. Aliam fabulam, quae primum equum a Neptuno in Thessalia procreatum memorat (cf. Lucan. VI, 396.), respici putant Cerda, Voss. et Iahn., qui etiam Boettigeri Amaltheam T. II. p. 310. laudat. Adde Schol. Pind. Pyth. IV, 246. Schol. Statii Theb. XII, 632. Creuzeri Symb. IV. p. 343. Rupertium ad Liv. I, 9. et Bach. ad Ovid. Met. VI, 75. Cum ex alia fabula in certamine illo non equum, sed fontem vel potius puteum aqua marina plenum Neptunus dicatur procreasse (cf. Herod. VIII, 55. Apollod. III, 14, 1. Paus. I, 26. Varro apud August. C. D. XVIII, 9. aliique a Voss. allati), non mirum est, Servium in antiquis Codd. *equo* a grammaticis *aquam* substitutam invenisse. Sed quomodo epitheton *frementem* quadrat ad aquam putealem vel fontanam? Et si quis satis inepte opinari velit, poëtam de aqua maris cogitasse, quod sane *fremere* interdum dicitur, quid aqua marina agricolis praebet commodi, ut huius mythi mentionem facere ad rem pertineat? immo Neptunus aperte rei pecuariae causa invocatur, quare de vulg. lectionis veritate minime dubitandum. *Fremere* autem, ut de leonibus, lupis aliisque feris bestiis, ita etiam de equis satis frequentatum. Cf. Aen. VII, 638. XI, 496. 599. XII, 82. Hor. Od. IV, 14, 24. et Epod. IX, 17. Ovid. Met. III, 70. etc. — *prima tellus*, quae antea equum nondum viderat et tum primum protulit. Poëtice igitur cum nomine (*tellus*) iunctum voc. *prima*, quod ad verbum (*fudit*) relatum *primum* esse debebat. Vid. Gronovii Obss. I, 7. et Wagn. Qu. Virg. XXVIII, 3. f., coll. Ecl. IV, 8. VI, 1. Geo. I, 136. IV, 388. Aen. III, 8. 94. 108. IV, 196. etc. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 3, 99. (quem Iahn. in priore edit. secutus erat, in edit. II. autem recte deseruit) *primam tellurem* male interpretatur per recens creatam, *die junge Erde.* — *fundere*, quod proprie de partu felici ac facili dicitur, poëtis omnino i. q. procreare. Cf. adnott. ad Ecl. IV, 20. et ex locis ibi laud. imprimis Lucr. V, 915. *tempore quo primum tellus animalia fudit.* — *equum.* Ribbeck. cum Cod. Palat., fragm. Veron. a m. pr. et Gud. scripsit *equom*, et sibi contradicens in Proleg. p. 30. etiam Med. et Rom. in hac scriptura conspirare asseverat. (Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 447. et Ribbeck. Proleg. p. 438.) Wagn. ipse Vol. V. et Haupt. cum Med. scribunt *ecum*. Vid. supra ad Ecl. V, 4. — „*percussa tridenti*, sollemni deorum more, quoties aliquid e terra provenire volunt. Vid. Callim. in Del. 30. in Iov. 29 sq." *Heyn.* Pro *tridenti* Iahn. ex tribus Codd. et Schol. Stat. Theb. VII, 184. edidit *tridente*, cum Substantivorum in *ns* desinentium Ablativus in *e*, Adiectivorum in *i* terminari soleat. (Cf. etiam Schneideri Gramm. Lat. II, 1. p. 224 sq. et Ramshorn. §. 28. III, 5.) Sed Vergilio ex Medic. et aliorum bonorum Codd. auctoritate etiam horum Substantivorum Ablativum saepe in *i* terminare placuit (cf. Aen. I, 145. II, 418. 610. ibique adnott.); quare meliores libros cpm Wagn. secuti sumus; neque aliter recentissimi editores. — 14. „*cultor nemorum*, [qui Calpurnio I, 36. *nemorum colonus* dicitur] h. e. pascuorum ideoque etiam gregum curam habens, est Aristaeus, Apollinis et Cyrenes [Nymphae] filius [ob merita de omni re rustica, imprimis apiaria, clarissimus, cf. Geo. IV, 315 sqq.] qui, Cycladibus magna siccitate et fame afflictis, cum *Ceam* [insulam ad Cycladas pertinentem et Atticae

Ter centum nivei tondent dumeta iuvenci;
Ipse nemus linquens patrium saltusque Lycaei,
Pan, ovium custos, tua si tibi Maenala curae,
Adsis, o Tegeaee, favens, oleaeque Minerva
Inventrix, uncique puer monstrator aratri,
Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum,

---

vicinam, quae vulgo Ceos, nunc autem *Zea*, *Zia* appellatur: cf. liber meus *Handb. d. alt. Geogr.* III. p. 1026.] arcessitus, Sirium placare monstrasset, quo facto etesiae aërem temperare coeperant, Iovis Aristaei et Apollinis Nomii nomine cultus fuit. Pind. Pyth. IX, 104 sq. Apollon. II, 500 sqq. IV, 1132. cf. ibi Schol. et h. l. Serv. Infra Geo. IV, 317 sqq. Diod. IV, 81. 82." *Heyn.* Adde Nonni Dionys. p. 156. 484. 750. ed. Wechel. Heyn. ad Apollod. p. 226 sqq. Creuzeri Symb. III. p. 365. Hermann. de mythol. p. XXII. Boeckh. ad Pind. l. l. Bröndsted *Reisen und Untersuch. in Griechenl.* (Paris. et Stuttg. 1826.) I. p. 40 sqq. alios. — *nemora* pro saltibus, in quibus sunt pascua. Cf. Ecl. VIII, 86. — *cui*, cuius beneficio. Vid. not. ad Geo. II, 5. — *pinguia*, herbosa. Sic Geo. IV, 118. *pingues horti*. Coningt. comparat Plin. XXI, 9, [29.] *folia pinguissima* et Suet. Ner. 20. *coma pinguissima*. — 15. *dumeta* pro saltu, loco arbustis consito. Cf. Colum. I, 2 Hor. Od. III, 29, 22. etc. Ribbeck. cum Cod. Palat. a m. pr. scripsit *dummeta*. (Cf. eius Proleg. p. 430. et Lachmann. ad Lucr. III, 1017. p. 205. disputans contra Wagn. Orth. Verg. p. 444.) — „*tondent*, pascunt herbas inter arbusta natas. Aut Praesens pro Praeterito positum; aut, tamquam poëta deum adhuc in insula praesentem agere cernit." *Heyn.* Hoc alterum cum Wagn. verius censeo. Ceterum *tondere dumeta* i. q. *pasci dumos* Geo. III, 315. — 16. Vergilio obversabatur locus Theocriti Id. I, 123. 124. — Pronomen *Ipse* (*ja auch, ja selbst,*) additum videtur, quia Pan non facile deserere solet caram patriam, Arcadiam; quare etiam huius tantum dei patriae sedes hic commemorantur. Sensus igitur: Vel tu, caram patriam praeter morem tuum relinquens, adsis. — *Lycaei*. Vid. not. ad Ecl. X, 15. — 17. *tua si tibi Maenala curae*, quandoquidem Maenalus, Arcadiae mons (de quo vid. ad Ecl. VIII, 21.) ob pascua egregia tibi est longe gratissimus. Continent autem haec verba causam, cur Pan adesse debeat. Male Schrader. Emendatt. p. 24. coll. Theocr. I, 123. *seu* coniicit. De Part. *si* vid. supra ad v. 7., de forma *Maenala* ad Ecl. X, 55. — 18. *Tegeaeus* vocatur Pan a Tegea, Arcadiae oppido, in qua etiam montes Lycaeus et Maenalus. (Cf. de hoc oppido liber meus geogr. III. p. 1005.) Ita etiam Propert. IV, 3, (III, 2,) 30. *calami, Pan Tegeaee, tui*. — *oleaeque Minerva Inventrix*. Cf. Rutil. Itin. I, 73. *Inventrix oleae colitur vinique repertor*. In eodem illo cum Neptuno certamine, de quo ad v. 12. dictum, Minerva oleam illam procreaverat (cf. Herod. VIII, 55. Pausan. I, 27. Apollod. III, 14, 1. Aristid. Panathen. p. 183. Hygin. f. 164. Ovid. Met. VI, 70 sqq. ibique interpp. et quos laudat Moser. ad Cic. Legg. 1, 1, 2.), quam religiosa antiquitas etiam Pausaniae (l. l.) et Himerii (Or. X, 3. ibique Wernsdorf.) temporibus in Athenarum arce conspicere sibi videbatur. — 19. *uncique puer monstrator aratri*, Triptolemus Eleusinius, Celei regis (vid. infra v. 165.) filius, a Cerere arationem edoctus, quam, bigis draconum vectus, per totam teram propagavit. Cf. Callim. in Cerer. 22. ibique Spanhem. Apollod. I, 5, 1. Hygin. f. 147. Ovid. Met. V, 642 sqq. Nomen ipsum poëtarum more non appositum. Ceterum Heynio observatu dignum videtur, quod Triptolemus heros hic inter deos invocatur. Conington adnotat, Tibullo I, 7, 29. aliisque potius Osirin esse aratri inventorem. — *monstrator* legitur etiam apud Ovid. in Ibin. 339. *sacri monstrator iniqui*, (i. e. auctor, suasor humanae victimae immolandae), Lucan. IX, 979. Tac. Germ. 21. — *unci aratri*. Cf. infra v. 169 sq. et Geo. II, 423., ubi *dens uncus* de ligone s. bidente usurpatur. — 20. „Tali habitu *Silvanus* tenerum cupressi truncum ferens in marmore apud Boissardum conspicitur T. IV. tab. 30. p. 134. et alibi. Hinc ille *inculto termite gaudens* ap. Gratium Cyneg. 20. Eo refertur Silvanus *Dendrophorus* apud Gruter. p. LXIV, 7. Cf. Salmas. Exercitt. Plin. p. 294. Fuit quoque fabula de Cyparisso puero

Dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri,
Quique novas alitis non ullo semine fruges,
Quique satis largum caelo demittitis imbrem;
Tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum
Concilia incertum est, urbisne invisere, Caesar,

---

amato. Vid. Serv. ad Aen. III, 680." *Heyn.* De *Silvano* ipso vid. ad Ecl. X, 24. — *teneram ab radice cupressum* vulgo explicant ab radice revulsam, abscissam, Schirach. autem p. 313., Voss. (qui comparat infra v. 319 sq. *segetem ab radicibus imis - - eruerent* et Catull. LXIV, 289., ubi Peneus fluvius *tulit radicitus altas Fagos*, i. e. cum ipsa radice evulsas) et Müller. Spicil. Animadvv. in Catull. p. 37. rectius radicitus s. cum radice erutam. Handius autem in Tursell. I. p. 24. multis exemplis docens, dictionibus *ab stirpe, ab radice, a fundamento*, totam et universam rem ab extrema, qua incipiat, parte describi, h. l. *teneram ab radice*, quae arcte cohaerere censet, paullo subtilius interpretatur: quae tota est tenera; quam explicationem in prima edit. et ipse temere secutus sum. — 21. *Dique deaeque omnes* etc. Sic Propert. IV, 12, (III, 13,) 41. hunc locum imitatus: *Dique deaeque omnes, quibus est tutela per agros. — studium - - tueri* redit Geo. II, 195. De constructione vide quae infra ad v. 305. adnotavimus. — 22. „*non ullo semine*, nulla satione, sua sponte provenientes, oppos. voc. seq. *sata*. Sic etiam Geo. II, 10—14. et Ovid. Met. I, 107. de aurea aetate: *Ver erat aeternum placidique tepentibus auris Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.*" *Heyn.*; *non ullo* autem pro vulg. *nonnullo*, quod Serv. admodum contorte studet explicare, Heinsius ex Med. et aliis bonis libris restituit. — 23. Post deos agrestes ex notissima Romanorum adulatione etiam Caesarem Octavianum invocat tamquam deum mox futurum, qui tamen cui deorum ordini et generi, utrum terrestrium, an caelestium, an marinorum, se adiuncturus sit (id quod ab ipsius arbitrio suspensum facit), decerni nondum possit; nam Orcum minime eo esse dignum. Catroeus hanc Augusti invocationem secundae demum Georgicon editioni adiectam fuisse putat, postquam divinos ipsi honores Senatus decreverit, quod ei post mortem demum obtigisse vidimus ad Ecl. I, 6. Sed si cum Franckio Fast. Hor. p. 23. et Ribbeckio Proleg. p. 14. sumimus, haec scripta esse a. U. C. 718. post victoriam ab Agrippa de Sext. Pompeio ad Naulochum reportatam, quo tempore Octavianus a Senatu maximis honoribus auctus iam in singulis civitatibus inter deos municipales coli coepisset (Appian. B. C. V, 132.), profecto non alienum erat a poëta divinos Augusto honores augurari et deos fingere deliberantes de eo in concilium suum recipiendo. (Cf. etiam adnott. ad v. 28.) — 24. *Tuque adeo (und besonders Du)*, paullo gravius, quam *etiam;* quo sensu hoc Adverb. in Georgicis tantum (I, 94. 287. II, 323. III, 242. IV, 197.), nusquam in Aeneide legi, Wagn. docet Qu. Virg. XXVI. Vid. tamen quae ad Aen. IV, 96. et 533. adnotavimus coll. cum not. ad Ecl. IV, 11. — *mox* potest offendere, cum poëta propinquam Augusti mortem praesagire videatur, quare Peerlk. p. 116. potius coniicit *olim;* excusari tamen potest brevitate vitae in universum. Cf. etiam infra v. 503. *Iam pridem nobis caeli de regia, Caesar, Invidet. — deorum concilia.* Cf. Aen. X, 2. Calpurn. Ecl. VIII, 51. Cic. Tusc. I, 30, 72. *seclusum a concilio deorum.* Val. Max. I, 6. *Caesarem deorum concilio adiecerunt* etc. — 25. Incertum est, utrum inter deos urbium terrarumque tutelares referri velis. Cum omni, qui sequitur, loco cf. Lucan. I, 45 sqq. et Stat. Theb. I, 24 sqq. iam ab Heynio laud. — „*urbisne invisere*, inspicere, *velis*, et an *velis*, h. e. cupias, affectes, suscipere aveas, *terrarum curam* et tutelam. Debebat poëta pergere *et terras curare;* hoc invertendo extulit: *velisque curam terrarum*, h. e. praeferas; ut saepe *velle*, et βούλεσθαι apud Homerum. De tali verbi eiusdem iunctura duplici vid. Burm. et Bentl. ad Hor. Od. I, 1, 7." *Heyn.* Adde quos iam ad Ecl. VI, 74. laudavimus, et cf. Ecl. V, 46. 47. Aen. I, 124. VII, 421. multosque similes locos. Manso, antiqua Accusativi forma deceptus, quam praeter maiorem Codd. partem tuetur veterum grammaticorum apud Gellium XIII, 20. auctoritas (ubi in libro ipsius Vergilii manu correcto *urbisne* scriptum

Terrarumque velis curam et te maximus orbis
Auctorem frugum tempestatumque potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto,

---

esse affirmatur), verba ita coniungit: *an velis invisere curam urbis terrarumque.* Sed quid est *invisere curam?* (quae tamen verba etiam in edit. min. a Wagnero coniungi miror, hac interpretatione addita: „Proprie dicitur *invisere urbem;* quod qui facit, is curat res urbis; hinc *curam invisere* iungere ausus est poëta," et voc. *urbis* per Genit. Romae explicato). Immo verba *invisere urbes* quisque videt non minus esse Accusativum Obiecti, quam *curam terrarum,* quod variandae orationis causa poëta praetulit vulgari *terrasque curare* (vid. etiam Schirach. p. 466. et Ameis. Spic. p. 17.); et verissime docet Ladew., urbis Romae curam tam certo ab Augusto inter deos relato esse exspectandam, ut mire et contra omne populi Romani ingenium dictum esset: incertum est, urbemne invisere velis. *Invisere* autem solent dei terras et urbes, quas aut praecipue amant et colunt, aut in quibus instituta sibi sollemnia sacra frequentant. De antiqua autem illa Accusativi forma, quam hic diserte tuetur Probus apud Gellium XIII, 20., praeter antiquos Grammaticos (vid. infra) et viros doctos a Schneid. Gramm. Lat. II. p. 269 sq. laudatos cf. Oudend. ad Apulei. p. 146. Cort. ad Lucan. I, 137. Heindorf. ad Hor. Sat. p. 12. Hand. ad Stat. Silv. I, 2. p. 345. Schaefer. ad Plin. Ep. I, 6, 1. Beier. ad Cic. Off. I, 26, 91. Kritz. ad Sall. Cat. 1, 1. Steuber. in Seebodii Bibl. crit. 1830. T. I. p. 218. Lachmann. ad Lucr. I, 744. p. 50. alios, imprimis autem Wagn. Orth. Verg. p. 382 sqq. et Ribbeck. Proleg. p. 405 sqq. Quod ad ipsos veteres Grammaticos attinet, Varro L. L. VII, 37 sq. sua aetate utramque formam usurpatam esse testatur, Donatus autem p. 1750., Serv. ad Verg. Aen. I, 108. et, qui accuratius de hac re disputat, Priscian. VII, 17, 83. praeter nomina propria ex Graeco sermone translata ea tantum Substantiva, quorum Gen. Plur. in *ium* terminetur, aurea aetate Accus. Plur. plerumque in *is* misisse asseverant. Valer. denique Probus apud Gellium l. l. Vergilium in hac re auris arbitrio consilioque usum esse contendit, quod quale fuerit, difficile dixeris. Quare praestat, solam Codd. optimorum auctoritatem sequi, quamquam constat, saepissime in iis antiquiori formae in *is* librariorum culpa vulgarem esse substitutam. Iahn., cum omnis haec quaestio adhuc ambigua esset, ubique vulgarem formam retinuit. — 26. *maximus orbis,* i. e. orbis terrarum, non caelum, cum praecedant verba *terrarum curam; maximus* igitur pro permagnus, et *orbis* ipse pro hominibus, qui orbem terrarum incolunt. Ceterum cf. Ecl. I, 66. et IV, 17. ibique adnott. — 27. Vulgo verba ita coniungunt: *frugum tempestatumque potentem,* sed melius et elegantius videtur, locum ita intelligere, ut *auctor frugum* et *potens tempestatum* (*Gebieter der Witterung*) distinguantur, cum poëta noster etiam Aen. I, 80. Aeolum *nimborum tempestatumque potentem* dicat et Aen. III, 528. *Deos maris et terrae tempestatumque potentes* commemoret. Hoc autem loco *tempestates* nec venti sunt, nec quatuor anni tempora, sed varia caeli aërisque conditio, unde sane illorum vicissitudines maximam partem pendent. Ribbeck. l. l. sumit, sic Octavianum propterea votari, quod, postquam per bellum Siculum Roma molestissima fame laboraverit (*Dio* Cass. XLVIII, 31. Appian. B. C. V, 67 sq.), poëta pace restituta a[b] eo prudenter cautum iri speret, ne umquam postea annonae caritate Italia l[a]boret. — 28. *cingens materna t. myrto,* longe sublimius, quam *cinc[tum] materna myrto;* nam oculis quasi nostris videmus Orbem terrarum, [i. e. incolas] eius, Augusti stantis simulacro coronam myrteam imponente[m]. Materna vocatur *myrtus,* quia Veneri erat sacra (cf. adnott. ad Ecl. VII, [2.]), quam gens Iulia stirpis auctorem venerabatur (cf. not. ad Ecl. IX, 47. Videtur autem his verbis significare poëta, Octavianum Augustum, ut I[ulium] Caesarem (cf. Ecl. V, 56 sqq.), vel ob divinam gentis suae originen[em] deos referatur, esse dignum, ideoque locum inter deos ipsi trib[uendum] admirationis habiturum. Ceterum nescio an paullo subtiliora Wagn. in edit. min. addit: „Myrtea corona Caesari tribuitur, ta[m]rum naturae curam cum matre, Venere, suscepturo; nam Ven[us] Lucr. I, 22., *rerum naturam sola gubernat.*" Mirum enim esset,

An deus immensi venias maris ac tua nautae
Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule,
Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis,
Anne novum tardis sidus te mensibus addas,

---

inter deos relato aliquae partes in animantium generibus per Venerem propagandis tribuerentur; haec enim est illa gubernatio naturae, quam Lucretius Veneri vindicat. Immo solius originis ratione habita hic locus de Octaviano non aliter intelligendus est, atque Aen. V, 72. de Aenea: *velat materna tempora myrto*. Aliter tamen Ribbeck. Proleg. p. 15. qui ex Plinio N. H. XV, 29, 125. et Gellio V, 6, 20. probat, ovantes myrteam coronam gessisse et ovantem Id. Nov. a. 718. Caesarem ex Sicilia redeuntem urbem ingressum esse. Sed nonne haec mira esset hominis ob victoriam ovantis et dei tempestates regentis confusio? — 29. An inter deos marinos princeps recipiaris. — *venias*, scil. in conspectum nautarum, nautis in mari appareas, vel omnino pro: futurus sis; cum *venire* haud raro dicatur pro exsistere de rebus novis, quae antea nondum fuerunt. Non male tamen Servius: „*venias* magis, quam *fias*, ut propriae magis sit, quam alienae potestatis." — *immensi maris* (πόντου ἀπείρονος), ut ap. Lucret. II, 591. Cic. Tusc. I, 30, 73. etc. — 30. *tua numina colant*. Cf. adnott. ad Aen. I, 48. *Et quisquam numen Iunonis adorat praeterea*. De Plurali maiestatico, quem dicere solent Grammatici, quique huius ipsius vocabuli redit Aen. I, 166. II, 233. III, 359. 543. VII, 297. 310. Tibull. II, 2, 81. III, 6, 22. Sil. It. I, 93. alibi (vid. Dietsch. Theol. Verg. p. 6.), praeter multos alios cf. Klotz. in Novis Annal. phil. Suppl. XVIII. p. 637 sqq. — *sola*, ita ut ceteris omnibus diis marinis te praeferant. Duo Codd. Bern. minus significanter *magna*. — *Ultima Thule*, ut Aen. VIII, 687. *ultima Bactra*, ibid. v. 727. *Extremi hominum Morini* et similia. Quam diversae autem sint geographorum de hac insula a Pythea primum conspecta opiniones, quae vulgo Islandia nostra habetur, satis constat. Cf. liber meus geogr. I. p. 149. not. 67. III. p. 311 sq. et quae exposui in Pauly *Realencycl.* VI. p. 1914 sq. Id tantum hic tenendum, eam unanimo veterum consensu ultimam terrae partem septemtrionem versus sitam haberi. Ceterum Ribbeck. cum Cod. Med. scripsit *Thyle*. (Cf. Salmasii Plin. Exerc. p. 175., Wagn. Orth. Verg. p. 483. et Ribbeck. Proleg. p. 453.) — „*Servire* ea dicitur deo marino, quatenus eius potentia per omnia maria obtinet: quae per insulas, imprimis ultimas, bene declarantur." *Heyn.* Ideoque his verbis imperium omnia maria complectens indicatur. Ribbeck. l. l. suspicatur, fortasse etiam respici ad expeditionem Britannicam, quam mox paratum iri sermo fuerit. Cf. adnott. ad Geo. III, 25. — 31. *Teque sibi generum Tethys emat*. „Eos, qui inter deos adscripti essent, deabus iungi fas erat; sic Hercules Hebae. Itaque Augusto, maris deo, una Nympharum, filiarum Oceani et Tethyos, dabitur, dote numerata, unde *emat* dixit; ex more heroum vitae. Sic Perseo Andromedam paciscuntur *Promittuntque super regnum dotale parentes*, Ovid. Met. IV, 704." *Heyn.* Additis verbis *omnibus undis* haec inest sententia, Tethyn vel omni maris imperio in Augusti gratiam renuntiaturam, quovis igitur pretio eum generum empturam esse. Comington conferri iubet Eurip. Med. 234. χρημάτων ὑπερβολῇ Πόσιν πρίασθαι. Tethys autem, Caeli et Terrae filia, soror et uxor Oceani, Nili, Alphei, Istri, Inachi aliorumque fluviorum, Electrae, Amphitrites, Doridis, Calypsus multarumque aliarum Nympharum mater fuit. Cf. Hesiod. Th. 337 sqq. Apollod. I, 1, 3. 2, 2. II, 1, 1. Ovid. Fast. V, 81. alii. — 32. Hoc phantasma, alliquis, qui pro deo vel heroe habendus sit, in sidus mutetur, (quod iam Iulium Caesarem relatum vidimus Ecl. IX, 47.) Heyn. censet poëtam tenuatum esse a philosophis Alexandrinis, qui animabus sedem in astris assignaverint. Sed non opus est philosophis Alexandrinis commemoratis, opinio illa, animam post mortem in stellam aliquam mutari, multo prior sit Alexandrinis philosophis. Cf. Aristoph. Pac. 832. iam a Voss. et adnott. ad Geo. IV, 227. Praeterea vid. not. ad Ecl. IX, 47. et Drakenb. ad Hor. Od. III, 25, 6. Haec autem explicatio haud dubie praeferenda est alteri, quam idem Heyn. profert, ut inter sidera referri nihil

Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentis
Panditur — ipse tibi iam bracchia contrahit ardens
Scorpios et caeli iusta plus parte reliquit —
Quidquid eris, — nam te nec sperant Tartara regem,

---

aliud sit, quam in caelum, inter deos recipi. — *tardis te mensibus addas*, nam annorum, mensium ac dierum mensuram siderum decursus facit; *tardos* autem non solum ornans est epitheton, ut Heyn. censet, sed aestivos menses significat; omnia enim haec sidera, quibus se fortasse additurus Caesar dicitur, Virgo, Libra, Scorpius, mensibus aestivis in Zodiaco regnant, quos ob longiores dies et alibi *tardos* dicere veteres solent. Cf. Manil. II, 202. *cum sol adversa per astra Aestivum tardis attollat mensibus annum*, et Nemes. Cyneg. 164. *Sed postquam Phoebus - - tardasque vias cancrique morantis Sidus init.* Praeterea cf. Geo. II, 482. Aen. I, 746. et Ovid. ex P. II, 4, 26. *tardae noctes*, Ovid. Her. I, 8. *tardi dies*, Hor. Ep. I, 1, 24. *tarda fluunt tempora* etc. — **33**. Non sufficit, ut Caesarem, si velit, in stellam aliquam mutatum, adeoque vel splendidissimis Zodiaci sideribus adiunctum iri dicat; sed summa in ipso loco, quem ei assignat, inest adulatio. Nam inter *Erigonen*, i. e. Virginem, quam alii Astraeam (cf. adnott. ad Ecl. IV, 6.), alii Erigonen (Ovid. Met. X, 451.), *Δίκην* (Hesiod. *Ἔργ*. 256.) s. Iustitiam (Geo. II, 474.) vocant, et Scorpium in antiquissimo Zodiaco aliud signum non conspiciebatur, ut scorpius *chelis* suis omne spatium interiectum expleret. Cf. Ovid. Met. II, 195 sqq. Postea demum ex his Scorpii chelis s. brachiis novum *Librae* signum factum (cf. Hygin. astron. II, 26. Aratus 89. Macrob. Somn. Scip. I, 18. *libram, i. e. scorpii chelas, mox oriri videmus*), quae modo Virginis manibus, modo Scorpii chelis tenenda tradebatur; quare apud Manil. IV, 203. legimus: *librantes noctem Chelae.* Hunc igitur locum, ubi Iustitia regnat, poëta Augusto vindicat, tecte his verbis ipsius iustitiam et aequitatem celebrans. Quare prorsus supervacaneae sunt longae de Augusti die natali disputationes, ad quem poëta, Librae signum numini futuro assignans, respexisse temere putabatur. Cf., quos Heyn. laudat, Eckhel. Doctr. num. Vol. VI. p. 109. Schlegel. ad Morelli Impp. T. I. p. 194. Vignoles in *Hist. crit. de la Rep. des Lettres.* T. XI. XII. etc. — *chelas sequentes*, quia Scorpius Virgini a tergo est; quae explicatio praestat alteri, ut *sequentes* sit i. q. sequaces, flexiles. — **34**. Verba *ipse tibi* cett. continent uberiorem rei modo commemoratae explicationem quasi in parenthesi adiectam, qua de re vide quae infra ad v. 466. adnotavimus; et *ipse* opponitur Pronomini *tibi*, ut alacrior et commotior evadat oratio; qua de re cf. Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 469. — *bracchia* (chelas) *contrahit*, Augusto venerabundus cedit. De forma *bracchia*, quam Cod. Med. aliorumque auctoritate cum recentissimis editoribus nunc recepimus, cf. Wagn. Orth. Verg. p. 419. et Ribbeck. Proleg. p. 391. — *ardens* lucens, splendens. Nimis subtiliter Voss. respicit vulgi opinionem, sub scorpii signo pueros acres et fervidos nasci, coll. Manil. IV, 247. — **35**. *Scorpios*, Ita Heins. ex Med. aliisque Codd. pro vulg. *Scorpius*. Cf. infra v. 138. et adnott. ad Ecl. VI, 13. — *iusta plus parte*, scil. quam cuique duodecim Zodiaci siderum debetur, signum maioris reverentiae: arctius etiam, quam opus est, chelas contrahit, ut novum Augusti sidus in earum locum succedere possit. De locutione *plus parte* Burm. conferri iubet Heins. ad Ovid. Trist. III, 3, 16. — *reliquit.* Hanc Med., Rom., Gud. et omnium fere Codd. melioris notae lectionem, quae iam Heynio fortasse recipienda videbatur, recte Wagn. restituit, „quod iam factum significet illud, quod modo fieri per Praesens *contrahit* indicatum fuerat," ideoque fortius exprimit Scorpionis promptum paratumque novo sideri cedendi animum. Quare non probo, Ladew., Ribbeck. et Hauptium ex Cod. Pal., duobus Bern., Probo Inst. I, 4, 15. et Ter. Mauro p. 1146. restituisse vulgarem lectionem *relinquit* (etiam Vossio, prius certe Iahnio et Keilio in Philol. II. p. 164. probatam), quae tantum praecedenti *contrahit* originem debere videtur. Cf. etiam Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 312. — **36** sqq. Diis inferis adscribi noles, quamvis ibi sint campi Elysii Graecis tantopere celebrati et ipsi Proserpinae adeo placentes, ut vel a matre revocata inde redire nolit. — **36**. *Quidquid eris*, i. e. quicunque deus eris. — *sperant*

Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,
Quamvis Elysios miretur Graecia campos
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem —
Da facilem cursum atque audacibus adnue coeptis
Ignarosque viae mecum miseratus agrestis
Ingredere et votis iam nunc adsuesce vocari.

Wagn. edidit ex Med. a m. pr., Rom. et Ald. III. emendatissima (quibus adde Pal. a m. pr. et unum Bern.). Vulgo *sperent*. Utrumque defendi potest; sed Indicativus (quem etiam recentissimi editores servarunt) rem gravius exprimit: Tartaro ne in mentem quidem venit hoc sperare, quod tuae maiestati et dignitati non convenire ipse sentiat. — *Tartara* (quam formam etiam Geo. II, 292. IV, 482. Aen. IV, 243. V, 734. VI, 543. et alibi invenimus) s. Tartarus proprie quidem is est inferorum locus, ubi mali et miseri versantur: hic tamen (ut apud Ovid. Met. X, 21. XII, 619. etc.) pro inferis omnino ponitur, ut iam ex *Elysiis campis* patet v. 38. substitutis. Posteriores demum accuratius distinguunt inter Tartarum et Elysium tamquam diversas Orci regiones. Ceterum respexit hunc locum Paulin. Nol. ad Lucentium v. 87. p. 408. Rosweyd. (a Ribbeckio laud.) *Quicquid agas— nam te nec speret mundus amicum.* — 37. *veniat*, oriatur. Cf. Geo. IV, 418. Aen. III, 138. V, 344. XI, 538. 733. etc. Vid. etiam adnott. ad Ecl. V, 82. Verba *tam dira cupido* redeunt Aen. VI, 373. et IX, 185. — 38. *Elysii campi*. Vid. Tibull. I, 3, 58. Lucan. VI, 698. Martial. IX, 52, 5. etc. Describuntur Aen. VI, 638 sqq., ubi vid. adnott. Ribbeck. *Elusios* scripsit cum Codd. Diomedis p. 388. P. — *miretur*, celebret, splendidis verbis ornet. — *Graecia*. Imprimis poëti Graeci intelligendi sunt. Ceterum vid. adnott. ad Ecl. I, 62. et IV, 58. — 39. Notissima est fabula de Proserpina (*Περσεφόνη*) a Plutone rapta et a Cerere matre per omnes terras, per omnia maria quaesita. Cf. imprimis Hom. h. in Cer. et Claud. de raptu Pros., praeterea autem Apollod. I, 3, 1. et 5, 1. Moschus III, 120 sqq. Cic. Verr. IV, 48. Ovid. Met. V, 385 sqq. Fast. IV, 419 sqq. Hyg. f. 146. Creuzer. Symb. IV. p. 169 sqq. Huc maxime facit Lucan VI, 699. *caelum matremque perosa Persephone*. Vergilius autem in eo recedit ab aliorum (ut Ovidii) narratione, quod ipsius Proserpinae matrem revocantem sequi nolentis voluntati tribuit, quod aliis auctoribus Iovis iussu facere coacta erat. — *repetita*, revocata, recuperata, ut Aen. VII, 240. Plaut. Truc. IV, 3, 72. *Filium istinc tuum te melius est repetere*. Ter. Andr. I, 5, 14. *Repudiatus repetor* etc. — *nec curet sequi*, i. q. nolit sequi. Cf. Cic. ad Fam. I, 9. *ut redire non curet*. id. Acad. post. I, 2, 4. *ea nolui scribere, quae - - nec docti legere curarent*. Lucil. ap. Cic. de Or. II, 6, 25. *Persium non curo legere*. Hor. Od. III, 5, 29. *Nec vera virtus - - Curat reponi deterioribus* etc. De verbo *curandi* Infinitivo alicui coniuncto cf. Burm. ad Rutil. I, 429. — 40. *Da facilem cursum*, i. e. Fac, eventus canendi prospere et ex sententia mihi procedat. Methaphora a navigando deducta, unde etiam aliae dictiones metaphoricae ad fortunam aut secundam aut adversam translatae. Vid. Ovid. Fast. I, 3. ibid. v. 466. et similes locos. *Cursum dare* legimus etiam Aen. III, 337. Ceterum conferri etiam potest Lucret. VI, 92 sq. *Tu mihi supremae praescripta ad candida callis Currenti spatium praemonstra, callida Musa.* — 41. *Ignaros viae*, qua ingrediendum sit in agricultura recte exercenda; nam per longa bella civilia et quae illa sequebantur proscriptiones agrorumque divisiones, pristinis colonis vel interfectis vel depulsis, Romani omnem fere agriculturam dedidicerant. — *mecum miseratus*, ut ego miseror (cf. adnott. ad Ecl. III, 32.); opem enim ferre rogatur. — 42. *Ingredere* non cum Infin. *vocari* coniungendum, sed absolute dictum videtur de re magna, ad quam suscipiendam aliquis excitatur, ut Aen. VIII, 511 sqq., ubi Evander hoc verbo Aeneam ad regnum Tyrrhenorum capessendum excitat. Voss. convertit *wandle voran*, Augustum cogitans tamquam numen tutelare poëtam in suscepto cursu comitans. Minus recte Heyn., coll. Aen. II, 174. IV, 107. XI, 704. et illo ipso loco VIII, 513., explicat *incipe*, haud dubie *canere* vel tale quid subaudiens. — *iam nunc adsuesce*, utpote deus futurus. Cf. locus simillimus

Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur et Zephyro putris se gleba resolvit,
Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere et sulco attritus splendescere vomer.
Illa seges demum votis respondet avari

Aen. VIII, 174. *iam nunc sociorum adsuescite mensis.* — *votis vocari.* Cf. Aen. I, 290. *vocabitur hic quoque votis.* Hor. Od. IV, 5, 12., ubi *votis ominibusque et precibus vocare* legitur, ut ap. Silium II, 115. *per vota vocare.* Wagn. minus recte *votis* pro tertio casu habet, ut idem sit, quod Aen. V, 234. *in vota vocare.* — V. 43. incipit ipsarum rerum rusticarum tractatio, quae quo ordine se excipiant, in Argumento praemisso exposuimus. — 43—46. „Aratio cum vere primo instituenda est, (vid. Hesiod. Ἔργ. 458 sqq.,) cum nix liquescit, et terra, a frigore constricta, tepidae aurae afflatu resolvitur." *Heyn.* — *Vere novo.* Ver apud Romanos incipiebat Favonio s. Zephyro spirante, i. e. inter Nonas et Idus Februarias, et durabat usque ad medium fere m. Maium. Aratio autem instituebatur omnino mitiore tempestate redeunte, interdum iam medio Ianuario. Cf. Colum. II, 4. XI, 2. Pallad. II, 3. et Plin. XVIII, 65, 2. a Vossio laudati. — *cani montes* sunt glaci et nive oppleti. Eadem ratione *canus* (*weissgrau,*) pro albus, de gelu dicitur Geo. III, 442., de pruina Geo. II, 373., Hor. Od. I, 4, 4. Ovid. Her. V, 16., de nive Hor. Sat. II, 5, 41. Cf. imprimis Ovid. Ibis 204. *Quam multa fiat grandine canus Athos.* Quare nescio, quo iure Wagn. et Ladew. cum Ameisio in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 32. hic cogitent de sordido (*schmuziggrau*) colore liquescentis nivis. — 44. *montibus humor liquitur.* Cf. Geo. II, 187. *Liquuntur rupibus amnes* et Lucr. II, 991. *unde alma liquentes Humoris guttas mater quom Terra recepit.* Wagn. (quem Haupt. et Ribbeck. sequuntur) Vol. V. edidit *umor* (ut alibi *umens, umidus, umecto, umesco*) ex Codd. Med., Vat. et Rom. auctoritate. Cf. eius Orth. Verg. p. 478. (et Ribbeck. Proleg. p. 422.) — *putris gleba,* emollita et resoluta tepore, cum antea gelu constricta fuerit. Cf. infra v. 215 sq. II, 204. Aen. VIII, 596. Lucr. V, 145. Colum. II, 2. — *se resolvit.* Vid. Hor. Od. I, 4, 10. *flore, terrae quem ferunt solutae* etc. cum adnott. ad Geo. II, 317. Cf. etiam Geo. II, 330. Stat. Theb. IV, 1. *Zephyris laxaverat annum Phoebus* et Avien. descr. 706. *Cum vere novo tellus se dura relaxat.* — 45. Iam tum arationis initium faciendum est. Cf. Lucr. V, 209. *vis humana - - valido consueta bidenti Ingemere et terram pressis proscindere aratris.* Val. Fl. VII, 63. *me quoque vomere presso - - agnoscere tauri,* ubi vid. Burm., Geo. II, 203. Avien. Arat. 621. Calpurn. Ecl. IV, 121. Verbis *depresso aratro* (i. e. vi aratoris altius terrae impresso: cf. adnott. ad Ecl. III, 42. et Iahn. ad Ovid. Trist. III, 10, 68. praeterea autem Burm. ad Ovid. ex P. I, 8, 57. idemque ad Lucan. VI, 383. et Mitscherl. Lect. in Catull. p. 31.), *taurus* et *ingemere* durum et pingue solum indicari, cui subigendo magno labore opus sit, contra vero v. 67., ubi de *infecunda tellure* agatur, cui subigendae vaccae et muli sufficiant, *tenui suspendere sulco* legi, bene docet Voss. — *mihi,* i. e. si vos, agricolae, meum vestrae causae faventis sequi vultis consilium. Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 6. — 46. *splendescere.* Servius comparat Catonis fragm. *Vir bonus est colendi peritus, cuius ferramenta splendent.* — *vomer.* Pauci Codd. *vomis,* ut infra v. 162. (ubi vid. adnott.), qui locus haud dubie hanc mutationem verae lectionis provocavit. Sic enim interdum similium verborum aut sententiarum recordationem novas lectiones peperisse, docet Wagn. coll. Heins. ad Ecl. V, 37. Aen. V, 88. 486. IX, 814. — 47—49. Iterata aratione opus est, ut agri proventus felix sit. — *seges,* h. e. terra, ager, *das Saatfeld,* ut Ecl. IX, 48. — *respondet*: cf. Geo. II, 64. — *avari,* qui plura semper concupiscit, cui vel largissimus proventus vix satisfacit. Cf. prooem. Aen. v. 3. *avidus colonus.* Hor. Epist. I, 7, 85. Ovid. Fast. I, 677. et Paulinus, qui h. l. imitatus Epist. 28. ita scripsit: (fundus), *qui avaris agricolae sui votis profiua ubertate respondet,* et Ambros. Ep. ad Valentin. *Quando ante vacuis avenis seges avari vota lusit agricolae.* Ceterum Peerlk. p. 117. legi mavult *avaris,* quod etiam unus Cod. Zulich. ex-

Agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit;
Illius immensae ruperunt horrea messes.
At prius ignotum ferro quam scindimus aequor,

---

hibet. — *bis quae solem, bis frigora sensit.* Vulgo ager ter tantum arabatur (tertiabatur: Colum. II, 14.), ita ut vere ineunte proscinderetur, aestate iteraretur (et quidem *in obliquum verso aratro*, v. 98.), sub finem auctumni (aequinoctii tempore, brevi ante sationem, vel etiam ea iam peracta) tertiaretur. Vide v. c. Colum. II, 4. et 8. Varr. R. R. I, 29 sqq. Pallad. II, 3. VIII, 1. X, 1., et Voss. ad h. l., qui accurate de his rebus egit. At ii agricolae, qui in terra subigenda summum culturae ponebant, quibusque cum solo duriore et spissiore conflictandum erat, *quater* arabant, semel quidem iam sub finem auctumni, tum vere anni sequentis, mox aestate, denique auctumno, cum sationis tempus instaret (quo spectant v. 47—49.). Hoc vero, Heynio teste, faciebant, *ut frigus et solem ager sentiret*, ὅπως χειμαζῃ καὶ ἡλιαζῃ, ut Theophr. causs. plant. III, 25. dicit; *bis* igitur hiberno (s. auctumni), *bis* aestivo tempore (vere et aestate) ager et frigus et solem sensit. Idem Heyn. conferri iubet Salmas. Exercitt. Plin. p. 510. et Plinium ipsum XVIII, 20, 49.: *quarto seri sulco Vergilius existimatur voluisse, cum dixit, optimam esse segetem, quae bis solem, bis frigora sensisset;* ubi *quarto sulco* pro quarta aratione dictum, ut patet ex verbis seqq.: *Spissius solum, sicut plerumque in Italia, quinto sulco seri melius est, in Tuscis vero nono.* Utramque rationem etiam Graecis usitatam fuisse, patet ex Theocr. XXV, 25. τριπόλοις ἀπόρον ἐν νειοῖσιν Ἔσᾳ' ὅτε βάλλοντες καὶ τετραπόλοισιν ὁμοίως ab Heynio laud. De tertiatione cf. Hom. Il. XVIII, 541 sq. Od. V, 127. Hesiod. Ἔργ. 384. 448. sq. 462. Arat. Diosem. 321 sqq. conversa a Cic. de Div. I, 9, 15. Ceterum negari nequit, his tribus versibus (47—49.) nexum sententiarum quodammodo interrumpi coeptamque orationem de communi illa et usitatissima arandi ratione, ex qua vere novo agrum proscindere incipiunt, mirum quantum interpellari et turbari; quare nescio, an vere statuat Wagn. ad Geo. IV, 203.: „hos versus, ut alios huius carminis, absoluto iam hoc libro aut etiam toto Georgicorum opere, a Vergilio in marginem Codicis coniectos et inde in texta illatos esse;" cui tamen adversatur Ribbeck. in Lect. Verg. p. 3. et in Proleg. p. 31. Cf. etiam Reinhardt. in Progr. Hildburgh. a. 1838. — 49. *Illius*, scil. segetis, non agricolae; priorem enim rationem iam anaphora *Illa seges — Illius* praestare docet. Ceterum de correptione vid. adnott. ad Ecl. I, 7. — *ruperunt horrea*, replent ita, ut horrea copiam vix capiant (*bis zum Brechen füllen*); praeclare ad magnam copiam significandam. Cf. Colum. X, 307. *Pressaque flammeola rupatur fiscina caltha.* Sidon. Apoll. I. ep. 6. *frugibus rupta congestis horrea* etc. Simili ratione infra II, 518. *annus - - Proventu oneret sulcos, atque horrea vincat*, et Tibull. II, 584. *Distendet spicis horrea plena Ceres.* Cf. Heinsius Advers. IV, 2. p. 570. De Perfecto autem *ruperunt* significatione Aoristi Graeci pro *rumpere solent* posito, quod ita explices: iam aliquoties ruperunt, ideoque eadem rerum conditione redeunte etiam nunc rumpunt et posthac rumpent, ex iis, quos in prima edit. laudavi, cf. imprimis Bentlei. et Iahn. ad Hor. Od. III, 23, 19. hic etiam ad Geo. I, 287. et Ovid. Tr. III, 4, 25. Goerenz. ad Cic. de Finn. I, 15, 49. Beier. ad Cic. Off. I, 44, 155. Walch. ad Tac. Agr. c. 1. p. 104 sq. Kritz. ad Sall. Cat. 10, 4. 51, 11. Iug. 17, 6. et Steuber. in Seebodii Bibl. crit. 1830. Vol. I. p. 222. Exempla praeter locos modo laud. praebent infra v. 136. 263. 287. 330. 375. 391. II, 24. 70. 426. 444. 490 sqq. 513. III, 104. 246. 378. 417. 420. IV, 213. Hor. Od. I, 34, 16. II, 2, 30. et 32. III, 29, 16. A. P. 412. 343. Iuven. II, 64. XIV, 175. etc. — 50. sqq. Ante arationem et totum opus rusticum natura soli caelique consideranda est. Cf. Colum. lib. I. praef. — Restitui nunc cum recentissimis editoribus vulgarem lectionem Cod. Gud. Pal. (? qui tamen Ribb. teste praebet *ac*) et Servii *At prius*, qua auctor occurrit praeceptorum, quae antea dedit, auctoritati semper et ubique valenti. Antea cum Wagn. plurimos sane Codd. secutus edidi *Ac prius* (quam lectionem hic vir doct. etiam Philolog. Suppl. I. p. 312. defendere studet). — *ignotum aequor*, agrum, cuius

Ventos et varium caeli praediscere morem
Cura sit ac patrios cultusque habitusque locorum
Et quid quaeque ferat regio et quid quaeque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius uvae,

---

natura nobis ignota est. De agro nuper demum empto vel alio modo recens acquisito cogitandum; *aequor* autem de quavis planitie, non solum maris, verum etiam agrorum dicitur. Cf. Geo. I, 97. II, 105. Aen. V, 456. VII, 728. 738. 781. X, 451. Ennii Ann. II. fr. 15. p. 22. Vahl. *aequora campi.* Cic. Div. I, 42. in. *Aegyptii et Babylonii in camporum patentium aequoribus habitantes.* Ovid. Met. XV, 267. *mons est deductus in aequor*, ubi vid. Bach. — *scindimus*, aramus, ut ap. Claud. Stilich. I, 134. Senec. Phoen. 124., et simili ratione de navibus mare secantibus ap. Ovid. Trist. I, 9, 48. Metam. XI, 463. Cf. etiam Huschk. ad Tibull. IX, 1, 173., ubi unus Cod. pro vulg. *pontus confinditur aere* praebet *conscinditur*. — 51. *prius praediscere.* Vid. adnott. ad Aen. VIII, 47. — „*caeli morem*, i. e. aëris naturam, temperiem. [Etiam Colum. I. praef. 23. *caeli et anni mores* commemorat.] — *varium*, pro diversa regionum natura et situ diversum. Cf. Colum. libr. I. praef. 23. *Caeli et anni praesentis mores intuentur: neque enim eundem, velut ex praescripto, habitum gerunt* etc. Totus ille locus s. 22 sqq. pro commentario est." *Heyn.* Pro *varium* sex Codd. apud Colum. I, 4, 4. exhibent *proprium*, quod cum Vossio interpretamentum habeo sequentis voc. *patrios* ex margine in contexta translatum. — 52. *Cultus praediscere*, i. e. praediscere, quam quisque ager colendi rationem postulet; *habitus* est ingenium et natura agri cuiusque. Heyn. confert Xenoph. Oecon. XVI, 2 sqq., quem putat Vergilio ante oculos fuisse. Accuratius hac de re infra II, 177 sqq. agitur. *Patrios cultusque habitusque locorum* prius poëtice dictum censui pro *cultus habitusque locorum patriorum;* sed a Ladew. edoctus, hoc adversari *ignoto* agro (v. 50.), nunc cum eo capio de habitu cultuque quasi hereditario, quem, ut ita dicam, maiores horum agrorum (i. e. agri ipsi ab antiquissimis temporibus) experti sunt; *patrios* autem non minus ad *habitus*, quam ad *cultus* pertinere, iam duplex *que* indicat, quod hic, ubi de rebus diversis quidem, sed eiusdem gravitatis sermo sit, prorsus suo loco esse, quisque videt. Adiectiva autem a poëtis saepissime alii Nomini adiungi, quam quo proprie pertinent, res est satis nota. Cf. adnott. ad Aen. VIII, 526. Errat igitur Heyn., si multorum Codd. lectionem *cultus habitusque*, omisso *que*, praeferendam censet, ne *patrios* ad *habitus* quoque referatur, cum duo diversa sint *habitus* et *cultus patrius.* At praestantiores libri tuentur *cultusque*, et apud Ovid. Met. IV, 765., qui hunc locum imitatus videtur, legimus: *cultusque habitusque locorum Quaerit Abantiades.* Perperam autem hanc coniungendi rationem Grammatici solis fere poëtis vindicant, cum Sallustio certe satis familiaris sit (cf. Kritz. ad Sall. Iug. 10, 21.). Ceterum Wagn. iubet nos animadvertere *ὕστερον πρότερον cultusque habitusque*, cum quomodo ager colendus sit, ex habitu demum eius cognoscatur. Coningtoni *patrii cultus* sunt i. q. infra II, 35. *proprii cultus.* — 53. Cf. Plin. XVIII, 20, 47. extr. *In omni quidem parte culturae - - valet oraculum illud: quid quaeque regio patiatur.* De mutata autem structura *ventos - - morem - - cultusque habitusque et quid quaeque recuset* vid. adnott. ad Ecl. VI, 74., supra ad v. 25. et alibi. — *recuset.* Cf. v. c. Plin. XXXVII, 13, 76. *Castanea quaerit solum facile, nec tamen arenosum, recusat eadem glaream, rubricam, cretam omnemque terrae foecunditatem.* Wagn. Vol. V. scripsit *recusset*, et Codd. vestigia et Quinctiliani Inst. I, 7, 20. auctoritatem secutus. Cf. eius Orth. Verg. p. 468 sq. et Ribbeck. Proleg. p. 445. Ceterum poëta hic non tantum de variis agrorum et arborum fructibus vult dicere, sed de omnibus, quae variae terrae proferunt, gignunt (*Landesproducte.*). — 54 sqq. Simillimus locus legitur in Lucilii Aetna v. 259 sqq. *Fertilis haec segeti, feracior altera viti, Haec platanis humus, haec herbis dignissima tellus* etc. — *illic.* Ribbeck. ex uno Arusiano p. 240. Lind. edidit *illi*, quem archaismum pro *illic* etiam Geo. I, 251. et III, 17. sibi videtur invenire, cum Donatus quoque (ad Ter. Ad. I, 2, 36.) Aen. II, 548. *illi* interpretetur per *illic;* eademque ratione Aen. X, 557. *isti* pro *istic* edidit. (Cf. eius

Arborei fetus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua tura Sabaei,

Proleg. p. 428.) Sed cum non solum omnes Vergilii et Servii, sed etiam Quinct. IX, 3, 39. et Sen. Epist. 87, 20. (hunc locum laudantium) Codd. in lectione *illic* consentiant, ceteros recentiores editores eam recte servasse censeo. — *veniunt*, i. q. proveniunt, crescunt. Vid. infra II, 11. 58. Prop. I, 2, 10. *Aspice, -- Ut veniant hederae sponte sua melius*, et cf. etiam infra v. 145. — 55. *arborei fetus.* Fetus de fructibus (*Ertrag*) cuiusque generis dicitur; sic huius libri v. 82. de agrorum, IV, 231. de alveorum fructu. Cf. etiam Ovid. Fast. I, 693. *triticeos fetus* et adnott. ad Geo. IV, 231. — De Adverbio *alibi* Particulis *hic, illic* opposito cf. Handii Turs. I. p. 227., qui praeter h. l. affert Plin. X, 50. 72. — *iniussa*, sponte. Colum. X, 16. *natura soli, quae - - iniussi consternitur ubere mali.* — 56. *gramina*, pascua, prata. Peerlk. p. 117. potius coniicit *germina*, coll. Geo. II, 332. — *Nonne vides*, formula in enumerandis pluribus rebus, vel novis exemplis addendis imprimis Lucretio usitata, v. c. II, 196. 207. 263. 277. 464. etc. Sic etiam apud Graecos *οὐχ ὁρᾷς*, quibus verbis v. c. Aratus incipit Diosemea. Cf. etiam infra Geo. III, 250. et Ecl. V, 6., ubi similiter *Aspicis, ut.* Satis autem constat, verba sentiendi et declarandi haud raro sequi *ut* (*wie*), si modus et ratio indicatur, qua aliquid intelligendum sit. Animadvertendum tamen, *videre, ut* apud pedestris orationis scriptores non nisi cum Coniunctivo construi, Indicativum, ut hic, apud poëtas tantum adsciscere. Cf. etiam adnott. ad Ecl. IV, 52. — *Tmolus* Lydiae mons, vino generoso nobilis (vid. Geo. II, 98.), omninoque frugifer (Theophr. H. pl. IV, 6.), crocum quoque protulisse perhibetur etiam a Colum. III, 8, 4. Solino c. 53. et Marciano c. 6.; quare non opus est, ut cum Heynio cogitemus de communi veterum errore Tmolum Ciliciae, croci feracissimae, adscribente. Nihilominus etiam Conington Vergilium errasse et scriptores supra commemoratos in eundem errorem induxisse suspicatur. De ipso autem *Tmolo*, qui aliis nunc dicitur *Bozdagh*, aliis *Kisildsche Musatagh* vel *Thumanidsch tagh*, cf. liber meus geogr. II. p. 171. Ribbeck. cum Med., Pal. et gloss. Cod. Bern. scripsit *ut Molus*, Ritschelii coniecturam (Annal. phil. LXXVII. p. 195 sq.), in nominibus *Tmolus* et *Tmarus* primam consonam pronuntiando fortasse omissam esse, paullo cupidius secutus. (Cf. eius Proleg. p. 266.) — *croceos odores*, i. e. crocum odoratum. — 57. *India mittit ebur.* Indiam elephantis abundare constat ex Strab. XV. p. 704. Polyb. I, 84. Arrian. Ind. c. 13. Plin. VIII, 8, 8. *Mitti* autem, h. e. exportari, haud raro dicitur de mercibus ex eo loco petitis, ubi maximus earum est proventus. Quare non mirum, in quibusdam libris pro *mittit*, quod etiam tuetur Schol. Cruq. Hor. Od. I, 31., ex interpretamento substitutum esse *nutrit*. Cf. autem praeter Tibulli locum infra laud. Ovid. Met. II, 366. (electra, quae Padus) *Excipit et ruribus mittit gestanda Latinis.* id. Am. I, 12, 10. *cera, quam Corsica misit apis.* id. med. fac. 53. *Hordea, quae Libyci ratibus misere coloni* etc. Cf. Burm. ad Ovid. A. A. III, 213. et Dissen. ad Tib. III, 2, 23. — *molles Sabaei.* Sabaei, populus Arabiae felicis, unde tus exportatur, secundum Servium dictus *ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι*, quod ture dii placentur. Cf. infra II, 117. Aen. I, 416. Plin. XII, 14, 30. et Grat. Cyn. 132. *ab Eois descendet virga Sabaeis, Mater odorati multum pulcherrima turis.* De ipso populo cf. Strab. XVI. p. 778 sqq. Diod. III, 38. 46. Mela III, 8, 6. Plin. VI, 28, 32. et liber meus modo comm. II. p. 751 sq. *Mollis* autem perpetuum est epitheton effeminatorum Asiae populorum; qua de re Heyn. iam confert Tibull. II, 2, 4. *urantur odores, Quos tener e terra divite mittit Arabs*, ubi vid. Broukh., et Dionys. Perieg. 968. *ἁβροβίων Ἀράβων γένος*. Sic etiam Catull. XI, 5. et Manil. IV, 652. *Arabes molles.* Praeterea cf. locus Lucani VIII, 565. iam a Serv. laud.: *Quidquid ad Eoas tractus mundique teporem Labitur, emollit gentes clementia caeli.* — *sua tura*, sibi propria. Cf. Ecl. I, 37. (ibique adnott.) Geo. II, 84. Aen. III, 493. Ruddim. II. p. 57. De *ture Sabaeo* vid. etiam Geo. II, 117. et Aen.

At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Continuo has leges aeternaque foedera certis 60

I, 416. — 58. *Chalybes*, a chalybe dicti et propter ferri cudendi chalybisque efficiendi studium celeberrimi, vulgo in orientali et meridionali Ponti Euxini ora supra Armeniam et circa Thermodontem fluvium habitasse putantur; quo nihil aliud significari videtur, quam Romanos ex illis regionibus pretiosissimas res e chalybe factas petiisse. Ipsi tamen veteres de hoc populo in varias abeunt sententias. Cf. Strab. XIV. p. 466. Herod. I, 28. Xen. Anab. IV, 7, 15. V, 5, 1., ubi vid. interpp., ut ad Cyr. III, 2, 1. Avien. descr. orb. 958. etc. Heeren *Ideen* etc. I, 1. p. 218. et liber meus geogr. II. p. 409 sq. — *nudi* vocantur, non quasi homines illi tam rudes sint, ut nudi vivant, sed quod iis, in ferro cudendo occupatis, multae vestes non conveniunt; qua de causa Aen. VIII, 425. etiam Cyclopes *nudi* prodeunt. *Nudus* autem et alibi significat leviter vestitum. Cf. quae adscripsimus infra ad v. 299. — *Pontus*, Asiae minoris terra notissima, mittit *castorea*, humorem illum lentum et grave olentem, quem vulgo semen virile putant castoris, unde nomen Germanicum (*Bibergeil*); sed falso, cum sit alius humor huic animali proprius, non in testiculis, sed in singulari aliquo folliculo gestatus. (Cf. Plin. XXXII, 3, 13. VIII, 30, 47.) Castoreum Ponticum pretiosissimum habebatur, vilius Hispanicum. (Strab. III. p. 163. Cas.) — *virosa*, i. e. graveolentia, tetri odoris. Cf. Nemes. Cyneg. 223. *Tunc virosa tibi sumes multumque domabis Castorea.* — 59. *Eliadum palmas Epiros equarum.* Epirus mittit, alit, equos praestantissimos. Ex *Epiro* enim (cuius nominis Graecam formam *Epiros*, Ἔπειρος, hic plurimi libri scripti, ut etiam Cort. Codd. Lucani V, 496., tuentur, cf. adnott. ad Ecl. VI, 13.), quae omnino re pecuaria florebat, optimi veniebant equi, quibus libenter utebantur in ludis Olympicis. Cf. Geo. III, 121. 202. et Bocharti Hieroz. II, 6. Inde Epirus apud Graecos εὔιππος, εὔπωλος, generosis equis nobilis, vocatur. Cf. etiam Stat. Achill. I, 428. *frenat celeres Epirus alumnos.* Vulgo haec poëtica inversione dicta putant pro: Epiros mittit equas, quae palmas, h. e. victorias in ludis Olympicis, parant. (Olympiam enim in Elide sitam fuisse, non minus constat, quam victores in ludis Olympiacis, equos pariter atque homines, palma ornatos esse.) Sed rectius Heyn. *palmam*, victoriam, pro victore dictam accipit, ut *palmae equarum* sint equae victrices, quae palmam et victoriam reportant. Sic *tertia palma Diores* Aen. V, 339. Drakenborchio ad Silium XVI, 504. iam ab Heyn. laudato adde Burm. ad Nemes. Cyn. 242. et Wernsdorf. ad eund. I. p. 265., qui minus probabiliter intelligit equas palmae signo et nomine insignes. Peerlk. tamen haerens in hac metonymia p. 118. paullo audaciore coni. legi iubet *Eliadum patria est Epiros equarum*, coll. Geo. III, 121. De forma *Elias* vid. adnott. ad Ecl. IV, 1.; ad rem Heyn. confert infra Geo. III, 202. et Tibull. I, 4, 42. *Eleo carcere missus equus.* — *Equae* autem commemorantur, quod eae ex opinione veterum masculis equis velociores erant. (Plin. VIII, 42, 64. et Hor. Od. II, 16, 35. ibique interpp.) — 60. „*Continuo* non est h. l., ut *principio, αὐτίκα* (de quo cf. Ernesti ad Xen. Mem. IV, 7, 2. et Callim. I, 76. Ruhnk. ad Timaeum p. 41. Koen. ad Greg. Cor. p. 194.), formula inchoandae orationis (cf. infra v. 169. 356. III, 75. IV, 254.), sed: statim a rerum initio." *Heyn.* Arcte cohaeret cum verbis *quo tempore primum*, et sensus est: „statim illo tempore, s. eo ipso tempore, quo primum Deucalion post diluvium genus humanum reparavit," ut recte interpretatur Iahn. Cf. infra v. 169. Geo. III, 75. et 271., in quo loco sequitur *ubi* eadem ratione. — *has leges aeternaque foedera* pro has leges et haec foedera aeterna. Cf. Val. Fl. I, 847. *Has in sedes aeternaque moenia.* — *aeterna foedera* legimus etiam Aen. XI, 356. et XII, 191. Ribbeck. ex uno Palat. recepit *alternaque foedera*, quod in Proleg. p. 165. adhuc defendit, postea autem p. 312. iure retractat. Ceterum eodem modo coniunguntur a Lucano II, 2. *legesque et foedera rerum.* *Aeterna* autem *foedera* sunt (cf. adnott. ad Aen. I, 62.) regulae semper conservandae et hic quidem eae, ut quasi foedere facto cuique terrae suana tura, suum inge-

Inposuit natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides iactavit in orbem,
Unde homines nati, durum genus. Ergo age, terrae
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni
Fortes invortant tauri glaebasque iacentis
Pulverulenta coquat maturis solibus aestas;
At si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum
Arcturum tenui sat erit suspendere sulco:

---

nium servetur ideoque etiam sua ratio colendi. — **61.** Pro *primum* Peerlk. p. 118. coni. *primos*, coll. supra v. 12. — **62.** Fabula de Deucalione et Pyrrha, qui post magnum illud diluvium ab oraculo Delphiço matris ossa (i. e. lapides terrae, communis omnium matris) post se iacere iussi, ex quibus novi homines orerentur, vacuam terram denuo incolis frequentasse perhibentur, vel ex Ovid. Met. I, 253 sqq. notissima. Cf. etiam Apollod. I, 7, 2. Apoll. Rhod. III, 1085 sqq. Pausan. I, 18, 8. X, 6, 2. et Ecl. VI, 41. ibique adnott. — **63.** *durum genus.* Cf. Geo. II, 341. Lucr. V, 923. et Ovid. Met. I, 414 sq., omnes haud dubie respicientes similitudinem Graec. voce. *λᾶας* et *λαός*, quo iam Pindar. Ol. IX, 71. alludit. Alio tamen loco, Aen. VIII, 315., aliunde generis humani duritiem Vergilius repetit, ubi vid. adnott. — *Ergo age* et seqq. referenda ad v. 43. Repetit auctor post interpositas aliquas sententias rem primariam, de qua acturus est, et pingue quidem solum statim a primis anni mensibus, *vere novo*, ut ibi dixerat, arandum esse docet. Cf. etiam Plin. XVIII, 26, 65. et Colum. II, 4., ab Heyn. allati. De coniunctis vocibus *ergo age* vid. Hand. Tursell. I. p. 204. et II. p. 453. — **65.** *fortes tauri.* Cf. Geo. II, 237. *validis terram proscinde iuvencis.* — *invortant.* Sic nunc Cod. Med. auctoritate scripsimus cum Vossio, Ladew., Hauptio et Ribb., suadente etiam Peerlk. p. 119. Vide quae de hoc archaismo, cui sane Vergilii Codd. minus favent, disserui in praef. ad Lucr. p. XVII sqq. coll. cum Scaligeri Poët. IV, 47. Wagnero tamen, cum in Cod. Med. *e* supra appicta sit, admodum probabile videtur, sonum praegressi voc. *fortes* librarii auribus obversatum esse. Ceterum spondaico metro auctor consulto usus videtur, quo clarius taurorum ad aratrum anhelantium depingeret laborem; quod bene observat Voss., eadem de causa praeferens antiquam illam formam *invortant.* — *glaebas*, quod nunc cum recentissimis editoribus pro vulg. *glebas* posuimus, lectio est Cod. Med. (ut Geo. II, 161. etiam Vatic.) Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 439. (et Ribb. Prol. p. 385.) — **66.** *pulverulenta aestas*, ut ap. Lucr. V, 741. *pulverulenta Ceres.* Simili ratione Hom. Il. XIII, 335. aestivum tempus ita circumscribit: *ἦμαρ τῷ, ὅτε τε πλείστη κόνις ἀμφὶ κελεύθους* etc. — *maturis solibus*, calore adultae aestatis, calore solis ferventissimo. Cf. Geo. II, 259 sq. Plurali enim numero plenus et summus ardor solis indicatur. Cf. infra ad v. 393. adnotata, Bach. ad Ovid. Met. I, 435. et quae de Plurali *umbrae* adnotavimus ad Ecl. X, 76. *Maturus* autem (*vollzeitig, kräftig*) eadem signif. usurpat Gratius Cyneg. 58 sqq. *Idcirco et primas linorum tangere messes Ante vetant, quam maturis accenderit annus Ignibus et claro Pleias se promserit ortu.* Cf. etiam Aen. X, 257. *matura luce*, et, quos iam Burm. laudat, Heins. ad Val. Fl. VII, 456. atque Salmas. Exerc. Plin. p. 252. et 506. Ceterum unus Cod. Rom. servavit priorem lectionem *maturis frugibus*, cui ipsius poëtae manu alteram, quam ceteri Codd. exhibent, adiectam esse Servius testatur. (Cf. Ribbeck. Proleg. p. 30.) — *coquat*, maceret, ut pluviae imbibendae aptiores fiant. Cf. Geo. II, 259. *terram multo ante memento excoquere*, ibique adnott. — **67.** *si non fuerit tellus fecunda*, h. e. si solum arenosum, non pingue. Interpretatur locum Colum. II, 4. extr. — „*sub ipsum Arcturum*: Colum. XI, 1, 63. *Non. Septembr. Arcturus exoritur.* De matutino exortu agi puta. Vid. Plin. II, 47. XVIII, 31, s. 74. cf. Mart. ad h. l." *Heyn.* Vid. etiam infra v. 204. ibique adnott. — Ad *suspendere* prius cum Heynio, Wagn. et Ladew. intellexi *aratrum*, ut suspensum aratrum opponatur *depresso* (supra v. 45.) et sensus sit, vomere non alte descendente arare, terram leviter modo proscindere. Nunc vero a

Illic, officiant laetis ne frugibus herbae,
Hic, sterilem exiguus ne deserat humor harenam.
Alternis idem tonsas cessare novales
Et segnem patiere situ durescere campum;
Aut ibi flava seres mutato sidere farra,

Bryceo et Coningtone meliora edoctus, cum post verba *si non fuerit tellus fecunda* ad *suspendere* nihil aliud suppleri possit, nisi *eam*, atque etiam Colum. III, 13. *vineam in summa terra suspendere* et *neque enim parum refert suspensissimum esse pastinatum* (sc. solum) atque Stat. Theb. IV, 181. *ripas, litora multo vomere suspendere* dicant, non amplius cogito de *aratro* subintelligendo, quamquam in ipso loci sensu constituendo nihil muto. — 69. *Illic*, in pingui solo. — *herbae* absolute positum pro herbis inutilibus, sterilibus. Sic etiam Geo. II, 251. *Humida* (tellus) *maiores herbas alit*, quo loco hic explicatur. Cf. etiam Geo. II, 411. et Plinii locus infra ad v. 84. allatus. — 70. *Hic*, in solo sterili. — *sterilem ne deserat humor harenam*, ne exsiccetur in solo arido et arenoso. Wagn. Vol. V. scripsit *umor harenam* et *harenam* quidem nos quoque nunc edendum putavimus (vid. adnott. ad Ecl. III, 87.), *umor* autem cum Hauptio et Ribbeckio scribere noluimus (cf. supra ad v. 43.). — 71 sqq. Recreatur ager variis modis et hominum studiis, et primum quidem ipsa cessatione cultus, ut alternis modo annis ager seratur; aut certe ea ratione, ut per vices variis frugum generibus, primum leguminibus et eiusmodi tenuioribus seratur frugibus, post autem frumento. — *Idem* (i. e. porro: cf. Hor. Od. II, 10, 22. Cic. ad Att. VIII, 3. pr. Arch. 7. etc.) *patiere, alternis* (vicibus vel annis) *cessare novales*. „*Novale arvum, novalis ager*, proprie est, qui silvis excisis primum colitur [*Neubruch:* cf. Geo. II, 207 sqq.]; hic terras *novales* dixit de agro, qui alternis annis vacat et novatur [*Brache, Bruchfeld:* cf. etiam adnott. ad Ecl. I, 70.]: id quod perpetuum erat veteri Italiae, quae triticum serebat. Hinc ne stercorationis magnus usus; nam ipsa cessatio satis recreat agrum in his locis. Novalem eodem modo dixit Plin. XVIII, 49, 2. *Novale est, quod alternis annis seritur* et Varro R. R. I, 29, 1. *Novalis, ubi fuit satum ante quam secunda aratione renovatur.*“ *Heyn.* Adde v. c. Ovid. ex P. I, 4, 13. Ceterum *novalis* gen. femin. usurpatum (sc. terra) praeter h. l. non nisi apud Palladium (I, 6. *purae novales* et II, 10. *mundae novales*) legi videtur. — *tonsas*, demessas. Cf. v. 290. Tibull. IV, 1, 172. Ovid. Rem. Am. 192. Sen. Phoen. 130. etc. — 72. *situs* pro otio, cessatione; unde *campo* additur epith. *segnis*. Eadem signif. Colum. II, 2, 6. (a Voss. laud.) *situm* opponit *agitationi*, scribens: *sed nos de agitatione terrae nunc loquimur, non de situ.* — „*durescere* pro requiescere; dum non movetur tellus, indurescit. Totum praeceptum ex Vergilio repetit Plin. XVIII, 21, 50. Cf. Colum. II, 10, 7. II, 14, 1. Varro I, 44, 3.“ *Heyn. Durescere* significat requiescendo durantes requirere vires. Cf. Ovid. Her. IV, 89. *Quod caret alterna requie, durabile non est.* — 73. sqq. Sententia haec est: Si quis non tantum agri possidet, ut eum alternis modo annis conserere possit, per vices legumina et farra serat, et vires agri stercorando redintegret. Consentit cum Vergilio Varro R. R. I, 44, 3. *Agrum alternis annis relinqui oportet, aut paullo levioribus sationibus serere, i. e. quae minus sugunt terram.* — *mutato sidere*, alio mense, alio anni tempore. Vid. supra ad v. 1. adnotata et cf. Plin. XVIII, 25, 57. *Ita fit, ut tradi non possint certa siderum tempora.* Ovid. ex P. II, 4, 25. *brumali sidere.* Aen. IV, 309. *hiberno sidere* etc. Praecipit igitur poëta ut, demessis per aestatem leguminibus, auctumno in eodem agro farra serantur. Cf. v. 215. et 220. (Wagn., quem prius secutus sum, de tempore proximi anni cogitavit, sed in min. edit. et ipse sententiam videtur mutasse. Sic enim, cum legumina aestate colligantur, frumentum autem auctumno seratur, ager anno longius prorsus cessaret neque haec a superioribus differrent, quibus tamen per *Aut* adiunguntur.) Cf. etiam Ameis Spic. p. 17., qui laudat Probum p. 34. Keil. „Putant non minus esse utilem ad sationem farris agrum, ex quo alius fructus sublatus sit, quam eum, qui vicibus cessat“, Wernerum in Diurnis antiq. a. 1838. p. 731. et

Unde prius laetum siliqua quassante legumen
Aut tenuis fetus viciae tristisque lupini
Sustuleris fragiles calamos silvamque sonantem.
Urit enim lini campum seges, urit avenae,
Urunt Lethaeo perfusa papavera somno:
Sed tamen alternis facilis labor, arida tantum

Bryceum ad h. l. Alii ex uno cod. Rom. edunt *mutato semine*, satis tautologice: cf. v. 82. — *farra. Far* (*Dinkel, Spelt*) proprie vilissimum est Romanorum frumentum, genus aliquod medium inter hordeum et triticum, quod, contra hiemes firmissimum, in quovis fere solo laete crescit (ζειά Graecorum, Triticum Spelta *Linn.*: cf. Colum. II, 6. Dioscor. II, 111. Billerb. Flor. class. p. 28 sq.); saepe autem pro frumento omnino usurpatur, ut h. l. Cf. infra v. 101. — 74. „*legumen siliqua quassante* ornate pro simpl. legumen. Tum *siliqua quassans* sc. se, quae facile vento agitatur, contremiscit, tenui culmo inhaerens, imprimis cum exaruit; unde mox *silva sonans* de agro siliquis obsito. De faba autem interpretatur poëtam Plinius XVIII, 21, 50. XVII, 9, 7." *Heyn.* *Quassans* neutrali sensu pro se quassans s. quassatus (i. e. quae mota crepitat) legitur etiam apud Plaut. Asin. II, 3, 23. et Bacch. II, 3, 71. Vid. adnott. ad Ecl. IV, 45. et Aen. I, 234. Ceterum cf. Calpurn. IV, 114. *tandemque legumina plenis Vix resonant siliquis.* — 75. „*tenuis vicia*, quia tenui semine, si cum faba compares: nam tenuem culmum cum ceteris communem habet." *Heyn.* — *tristis lupini*, amari, ut apud Macrob. VI, 5. p. 527. Ian. (qui confert Ennii fragm. [p. 158. Vahl.], ubi *triste sinapi* legitur.) Vid. etiam infra Geo. II, 126. *tristes succi* mali Medici, *tristia absinthia* ap. Ovid. ex P. III, 1, 23. et 8, 15. et *tristia pocula* ap. Tibull. I, 5, 50. cum adnott. ad Geo. II, 246 sq. Nescio enim, an hic cogitandum sit de lupinis in feralibus coenis mortuis appositis, quos propterea Calpurn. III, 82. *ferales lupinos* appellat. „*Lupinus* est genus leguminis, pauperum et Cynicorum victus, θέρμος. Lupini seges agro stercorando admodum utilis habita. Cf. Plin. XVII, 9, 7. et XVIII, 14, 36., imprimis Colum. II, 14, 1 sqq. et II, 15, 5. Alios vid. in not. ad Geopon. II, 39, 6." *Heyn.* De lupino cf. Dioscor. II, 132. et Billerb. Flor. class. p. 183 sq. — 76. *fragiles calamos*, utpote aridos. Cf. Ecl. VIII, 82. ibique adnott. — *silvam sonantem* non proprie intelligendam esse patet; nam silvam nemo serit in agro, in quo eodem anno vult frumenta serere; sed poëtica ratione, qua etiam florum, herbarum silva dicitur, densam culmorum copiam significat. Cf. infra v. 152. II, 310. et IV, 273. Etiam Gratius Cyneg. 47. *silvas cannabias dixit* pro segete. Sic. Iuven. IX, 13. *silva comae*, atque adeo apud Cic. de Or. III, 26. extr. *silva rerum sententiarumque*, ibid. III, 39. in. *omnis vitiorum et virtutum silva*, Orat. 3, 12. *ubertas et quasi silva dicendi* etc. — *sonantem*, quia calami aridi sunt et moti strepitum edunt. Cf. Silius XIII, 672. *octava terebat Arentem culmis messem crepitantibus aestas.* — 77. „Poëtica suavitate pro: at lino vel avena vel papavere seri nolim agrum quiescentem; nam ea urunt, h. e. exsiccant agrum. Repetit ex nostro [ipsius poëtae verbis] Plin. XVII, 9, 7. et Colum. II, 14, 3. cf. II, 10, 17. Pallad. Octobr. 2." *Heyn.* Nihil tamen ante *urit enim* omissum et supplendum esse, ex iis apparebit, quae de huius Particulae vi et potestate ad v. 79. adnotavimus. Brycei autem explicationi, cui *enim* simpliciter causam praecedentis consilii videtur indicare, obstat totius loci connexus et imprimis versus ille 79. *Sed tamen* etc. — *urere* (*ausdörren, auszehren*) eadem signif. legitur Geo. II, 55 sq. et apud Plin. XVIII, 12, 32. *Cicer solum urit.* De repetitione huius verbi cf. Gebauer de poët. I. p. 53. similes Theocriti locos comparans. — 78. *perfusa somno papavera*, vi soporifica praedita, quod imprimis de natura nigri papaveris valet. Cf. Aen. IV, 486. *soporiferum papaver. Lethaeus* (ad Lethen, oblivionis fluvium in Orco pertinens) alibi etiam ad somnum refertur et oblivionem, quam secum adducit. Cf. infra Geo. IV, 545. Aen. V, 854. Ovid. Met. VII, 152. *Lethaei gramina succi.* id. A. A. III, 648. *Sunt quoque quae faciant altos medicamina somnos Victaque Lethaea lumina nocte premant* etc. — 79. sqq.

Ne saturare fimo pingui pudeat sola, neve
Effetos cinerem immundum iactare per agros.
Sic quoque mutatis requiescunt fetibus arva
Nec nulla interea est inaratae gratia terrae.
Saepe etiam sterilis incendere profuit agros

Verba *Sed tamen*. in quibus haesit Santen. ad Terentian. v. 754., ita ut *Et tamen* legendum putaret, restringunt ea, quae v. 71 sqq. generatim dicta sunt neque sensus totius loci (de quo Heyn. multa verba facit) ullam continet difficultatem. Respondet haec sententia priori, quae v. 77. Particula *enim*, idem fere, quod *quidem* significante (*freilich, allerdings*, cf. Beier. ad Cic. Off. I, 39, 139. et III, 13, 57. et Hand. Turs. II. p. 387 sq.), inducitur, et sensus (quem iam Voss. bene perspexit) hic est: Urit quidem agrum linum, avena, papaver; sed tamen, si alterna seres, facilis erit agri labor (i. e. etiam illarum frugum sationem facile tolerare poterit), ubi stercorando eum refeceris, quo id efficietur, ut ager, licet non cessaverit, tamen requiescat. Iuvant hanc explicationem duo Columellae loci, II, 10, 17. *Linum -- agris praecipue noxium est. Itaque pinguissimum locum et modice humidum poscit*, et II, 14, 3., ubi auctor insertis Vergilii v. 77. 78. ita pergit: *Sed omni solo, quod praedictorum leguminum* (inter quae etiam *linum* commemoratur) *segetibus fatiscit, una praesens medicina est, ut stercore adiuves, et absumptas vires hoc velut pabulo refoveas*. Ut autem illa sententia prodiret, mutanda sane erat cum Wagn. vulgaris interpunctio, ex qua post *somno* Puncto et post *sola* Semicolo distinguitur. Ceterum cf. de hoc loco Weickert. in Annott. in Aeneidos libros II. priores (Luccav. 1834.) p. 9. — *alternis* scil. frugibus; si alterna seruntur. (Vide supra.) — *facilis labor*, sc. agri (vide supra.). „*Labor* tribuitur agro, quemadmodum *defatigari, refoveri, recreari* ille dicitur. Cf. infra v. 150. *mox et frumentis labor additus.*“ *Heyn.* — 80. *saturare fimo*. Cf. Colum. X, 82. *Armentive fimo saturet ieiunia terrae.* — *sola* Plurali numero legitur etiam apud Lucr. II, 592. Catull. LXI, 7. et 40. Tibull. I, 5, 3. Stat. Silv. I, 1, 56. Theb. IV, 445. Nemes. Cyneg. 8. etc. atque adeo apud ipsum Ciceronem pr. Balbo 5, 13. *vos denique, mutae regiones, imploro, et sola terrarum ultimarum*. Cf. Ruddim. I. p. 150. — 81. *Effetos*. Cf. adnott. ad Ecl. I, 49. et Aen. V, 396. — *cinerem*. Cinere imprimis in Vergilii patria, in Gallia Transpadana, agros stercorare eumque adeo fimo iumentorum anteponere solebant (Plin. XVII, 9, 5.) eandemque stercorandi rationem etiam Colum. II, 15. et Didymus Geop. XII, 4. rusticis suadent. Ceterum cf. Colum X, 84. *Pabula nec pigeat fesso praebere novali.* — 82. *Sic*, si ager fimo et cinere saturatur. De vocc. *sic quoque* vi et usu cf. Burm. ad Val. Fl. IV, 598. et Ovid. A. A. III, 265., qui multa collegit exempla, v. c. Val. Fl. VII, 20. Ovid. Her. VIII, 25. Fast. II, 642. Met. VIII, 603. XIV, 24. Lucan. IX, 528. etc., ubi Codd. interdum fluctuant inter *Sic quoque* et *Hic quoque*. — *requiescunt*. Rom. et ed. Ven. *requiescent*. Heins. coniecit *requiescant*, temere. *Requiescunt*, quod sensus flagitat, legitur etiam apud Lutat. ad Stat. Theb. III, 182. — 83. Heynio verba *Nec nulla* etc. praecedenti versui non adiuncta, sed opposita videntur, hoc sensu: Si tamen agrum novalem reliqueris, subsequenti ille anno uberiore frumenti proventu tibi gratiam referet. Sed toti loco convenientius Wagn. haec ita explicat: „Atque sic non fiet, ut nulla sit agri gratia (nullus fructus), quae sane est nulla, si inaratus sit ager sive cesset.“ Cf. eiusdem adnot. ad v. 79. *Nec* igitur negat totam sententiam, non tantum ad *nulla* pertinet. Ceterum cf. adnott. ad Geo. II, 429. — *gratia est terrae*. Heyn. comparat Colum. II, 2, 7. *siccum, densum et macrum agri genus ne tractatum quidem gratiam referet*, h. e. fructum reddet labori aequalem. Adde Martial. X, 47, 4. *Non ingratus ager*, i. e. fertilis. — *interea*, dum frumentum non seritur, sed legumina, linum, papavera. — *inaratae terrae*, h. e. ad frumenti semina accipienda non subactae. Heyn. minus recte explicat: leguminibus non consitae, et Manso, verum loci sensum non perspiciens, *inaratus* hic idem esse dixit, quod simplex *aratus*. Peerlk. autem p. 372. coni. *in arata terra*. — 84. Agri emen-

Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis:
Sive inde occultas vires et pabula terrae
Pinguia concipiunt, sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium atque exsudat inutilis humor,
Seu pluris calor ille vias et caeca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua sucus in herbas,
Seu durat magis et venas adstringit hiantis,
Ne tenues pluviae rapidive potentia solis

---

dandi causa etiam stipulam comburere agricolae iubentur. Cf. Plin. XVIII, 30, 72., qui Vergilium respiciens haec scripsit: *Sunt, qui accendant in arvo et stipulas, magno Vergilii praeconio. Summa autem eius ratio, ut herbarum semen exurant.* Propterea igitur huic consuetudini Plinius multum tribuit, quod una cum stipula etiam herbarum inutilium et noxiarum semen exuratur. Solebant autem Romani culmos frumenti fere medios desecare, ita ut longae stipulae in agris remanerent. Cf. Varro R. R. I, 50, 2. — *steriles agros*, stipulas agri effeti, ut v. 85. docet. — 85. Ut v. 65. taurorum anhelantium laborem gravibus spondeis depictum vidimus, ita h. l. rapidam vim flammarum dactylico versu et ipso verborum sono, imprimis voc. *crepitantibus* expressam habemus. Sumpsit hoc auctor hic et Aen. VII, 74. ex Lucr. VI, 55. *flamma crepitante crematur.* Ceterum hac imagine utitur Ovid. Met. I, 492. de Apollinis in Daphnen amore: *Utque leves stipulae demptis adolentur aristis* et *leves stipulae* redeunt infra v. 289. — 86. „*Sive - - sive.* Pro varia soli, vel macri vel uliginosi vel densi vel rari, natura varias causas subiicit. — *pabula* sunt succi, qui nutriunt semina ac plantas, puta ex cinere crematarum stipularum et lixivio." *Heyn.* — 88. *Excoquitur vitium* legitur etiam apud Ovid. Fast. IV, 786. et in Anth. Lat. Burm. I, 170, 133. — *exsudat inutilis humor.* Cf. Grat. Cyneg. 422. *ut omne Exsudent vitium* et Colum. XII, 56, 1. *dum exsudent.* — *vitium*, i. e. vitiositas, vitiosa natura; ut Ecl. VII, 57. *vitium aëris.* — *inutilis humor*, vitiosus, noxius, qui non confundendus est cum *dulci aligine*, de qua vid. ad Geo. II, 184. Ceterum imitatur hunc locum Gratius Cyneg. 413. *clarique faces ad solis, ut omne Exsudent vitium.* — 89. *vias*, meatus, per quos terra humores potest imbibere. — *caeca spiramenta*, (*Luftzüge*) meatus occultos et latentes, mox v. 91. *venas; spiracula* dixit Lucretius VI, 492. Cf. etiam Aen. VII, 568. *Specus saevi spiracula Ditis.* Alio sensu infra IV, 39. *spiramenta* de foraminibus alvearium dicitur, quibus exitus et introitus datur apibus. *Caecus* pro occultus, latens, legitur etiam Geo. III, 210. Aen. I, 356. VII, 568. Lucr. III, 317. IV, 113. Hor. Od. II, 13, 16. etc. Cf. Heins. ad Aen. VII, 568. — 90. *vias - - qua;* ut Aen. V, 590. *Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi Falleret.* Adde Nep. Eum. 8, 4. *duae erant viae, qua - - ad hibernacula posset perveniri.* Cic. pr. Caecin. 8. in. *ad omnes introitus, qua adiri poterat*, et alios locos. — *sucus* ex Med. et Rom. auctoritate scribendum putavi. Vid adnott. ad Ecl. III, 6. — 91. *calor adstringit* condensando molle et lutosum solum. Cf. Grat. Cyneg. 145. *si quis vitium nocturus sufficit humor - - et venas durabit inertes.* — 92. *ne tenues pluviae*, scil. noceant, quod ex sequente verbo *adurat* per zeugma posito supplendum. Vid. ad v. 93. Heyn. et Wagn. hic, ubi nimius aestus et nimium frigus commemoretur, multam potius ac nimiam pluviam requirunt, ideoque *tenues* habent pro simplici epitheto ornante, quod dicitur, sed ab hoc loco per se alieno; eademque fere est Mansonis sententia. Ego vero mihi persuadere non possum, Vergilium tenuem pluviam scripturum fuisse, si de nimia cogitari voluisset. Immo puto eum de agro cogitare, cui certo quodam anni tempore vel ob humidam naturam suam vel ob caeli conditionem pluvia omnino noceat magis quam prosit; quod si vere statuo, apparet etiam, cur *tenuem* dicat, quippe quae, imprimis si diuturnior est, vel minima et angustissima foramina permeare ideoque vel in duriorem humum se insinuare possit; qua de causa opus est, ut solum stipulis incensis magis duretur. Iahn. in edit. II., Ladew. et Conington hanc

Acrior aut Boreae penetrabile frigus adurat.
Multum adeo, rastris glaebas qui frangit inertis
Vimineasque trahit crates, iuvat arva, neque illum
Flava Ceres alto nequiquam spectat Olympo;
Et qui, proscisso quae suscitat aequore terga,

---

meam explicationem sequuntur, quam etiam Wagn. in recentissima editione amplexus est. Geissler. in Scholiis ad Virg. Georg. (Gothae 1773.) p. 1 sq. *tenues pluvias* de ea nebula intelligi voluit, qua frumenta nigrescunt et robigo efficitur. Peerlk. autem p. 120. pro *tenues* coniicit *tenuent*, quod coll. Geo. III, 129. explicat per „inutiles, ieiunas, macras faciant." Ceterum, ut hic *tenues pluviae*, ita Geo. III, 335. et IV, 410. *tenues aquae* legitur. — *rapidi potentia solis.* Cf. Hesiod. Op. 414. *μένος ὀξέος ἠελίοιο.* Ceterum vid. adnott. ad Ecl. II, 10. et cf. infra v. 424. II, 321. Hor. Od. II, 9, 12. etc. — 93. *penetrabile* activam habet significationem: quod facile penetrat, ut Aen. X, 481. et Ovid. Met. V, 67. *penetrabile telum*, Lucr. I, 495. *penetrale frigus*, ibid. II, 382. *penetralior ignis.* Cf. Periz. ad Sanctii Min. I, 15. p. 136. Goerenz. ad Cic. Acad. I, 11, 41. p. 63 Thiel. ad Aen. X, 481. et Ruddim. II. p. 99. not. 70. — *adurere*, quod proprie frigori tantum et aestui solis convenit, latiore *nocendi* sensu etiam ad pluvias referendum esse, supra vidimus. De hoc zeugmate praeter eos, quos Kritz ad Sall. Cat. 51, 7. et Stallbaum. ad Ruddim. II. p. 362 sqq. laudant, cf. Drakenb. ad Liv. XL, 42, 11. Doering. ad Liv. III, 67, 11. Daehn. ad Nep. Alcib. 3, 5. Hertel. ad Tac. Agr. 3. Beneck. ad Iustin. I, 9, 12. alii. *Adurere* et simplex *urere* de frigore, quod similem, atque ignis, efficit dolorem, legitur etiam Ovid. Met. XIV, 763. Lucan. IV, 52. Cic. Tusc. II, 17, 40. Iustin. II, 2, 9. Tac. Ann. XIII, 35. Cf. Arist. Met. IV, 5. *κάειν καὶ θερμαίνειν λέγεται καὶ τὸ ψυχρόν* et Unger de Valg. Rufo p. 343. Imprimis huc pertinet imitatio Calpurn. Ecl. V, 117. *Ne forte rigor penetrabile corpus Urat.* — 94. Pergit poëta in enarrandis iis rebus, quibus, ut terra molliatur, opus sit; et primum quidem de *occatione* agit, quae fiebat vel rastris vel cratibus vimineis per agrum vectis. Cf. Plin. XVIII, 19, 49. et Colum. II, 18, 4. Ceterum Geissler. l. l. p. 3. et, qui eum laudat, Iahn. docent, crates plerumque tantum solo coaequando inserviisse, sed interdum etiam glebis frangendis, ideoque etiam dentibus insertis instructas fuisse, ut Plinio XVIII, 18, 48. *dentatae* (non *dentati*, ut Iahn. scripsit) appellentur. Scilicet in solo raro et pulverulento sufficiebant vimineae, in duriore requirebantur ligneae et dentibus ferreis instructae. — *glaebas inertes*, quae, nisi comminuantur, nil generant. Ita Ovid. Met. XII, 361. *Non tamen arbor iners cecidit*, ibid. I, 8. *pondus iners*, i. e. inutile, nisi quid inde formatum esset, ubi cf. Gierig., Sil. Ital. VI, 146. *lucus iners*, i. e. inhabitabilis, Hor. Od. III, 4, 45. *terra iners*, ibid. II, 9, 5. *glacies iners*, IV, 7, 12. *bruma iners* etc. Vid. etiam supra v. 72. *segnis campus*, et infra v. 151. *segnis carduus.* De forma *glaebas*, vid. supra ad v. 65. — De *rastro* vid. adnott. ad Ecl. IV, 40. — 95. 96. „Ex Callimachi h. in Dian. 129. suavissima imago expressa: *Οὔς δέ κεν εὐμειδής τε καὶ ἴλαος αὐγάσσηαι, Κείνοις ἐν μὲν ἄρουρα φέρει στάχυν* etc." *Heyn.* — *crates*, dentatas scilicet, occandi instrumentum, *eine Egge.* Cf. Plin. XVIII, 18, 48. Vid. infra v. 166. — *flava Ceres*, ut *ξανθὴ Δημήτηρ* iam Homero Il. V, 500. dicitur: quod epitheton secundum Servium deae tribuitur ob flavum aristarum maturarum colorem. Cf. infra 316. Invenitur autem v. c. apud Ovid. Am. III, 10, 3. Tibull. I, 1, 15. et Auson. praef. I. v. 1. — *neque - - nequiquam*, h. e. nec sine fructu, ut Aen. VI, 117. *nec te Nequiquam lucis Hecate praefecit Avernis* et saepius. Pro vulg. *nequidquam* autem ex Med. auctoritate cum recentissimis editoribus scripsimus *nequiquam.* Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 459. et Ribbeck. Proleg. p. 436. — „*spectat*, propitia est, respicit, ut Gratius, qui hunc locum ante oculos habuit, Cyneg. 426. *nec non tamen illum - - Respicit et facilis Paean adiuvit in artes.*" *Heyn.* Sensus igitur hic est: Etiam hunc Ceres prosperrimo laborum successu et messe largissima beat. — 97. „Etiam ille

Rursus in obliquum verso perrumpit aratro,
Exercetque frequens tellurem atque imperat arvis.
Humida solstitia atque hiemes orate serenas, 100

---

multum iuvat arva, qui etc. Cf. praecepta apud Colum. II, 2, 25. Plin. XVIII, 49, 18. [19, 49.] Frequentibus autem his sulcis perficitur tandem hoc, quod demum *recte subactum esse* aiunt, *ut non intelligatur, utro vomer ierit.* Vid. Plin. ibid. §. 49. extr. Colum. II, 4, 1." *Heyn.* — *proscisso aequore*, campo primum arato. Nam *proscindere terram* proprie significat prima vice solum aratro perfringere caespitem novalis invertendo, herbas proruendo, radices confringendo; secunda vice dicitur *offringere*, tertia *lirare*. Cf. Serv. ad h. l. et Forcell. h. v., qui affert Plinii l. l. *Vi omni arato: priusquam aras, proscindito. Hoc utilitatem habet, quod inverso caespite herbarum radices necantur*, et Colum. III, 13, 4. *Ut more novalium terra transversis adversisque sulcis proscindatur.* Deinde omnino est *arare*. Cf. infra II, 237. Lucr. V, 210. Ovid. Met. VII, 119. etc. De *aequore* vid. supra ad v. 50. — *suscitat*. Cf. Plin. Ep. V, 6, 4. *Tantis glebis tenacissimum solum, cum primum prosecatur, adsurgit, ut nono demum sulco perdometur*, et Tibull. IV, 1, 161. *Non igitur presso tellus exsurgit aratro.* — *terga* sunt, quae proprie *porcae* dicuntur (Varro L. L. IV, 4. R. R. I, 29, 3. Colum. XI, 3, 44.), terra inter duos sulcos elata s. glebae arando exaggeratae. Cf. infra Geo. II, 236. et Colum. X, 7. *Pinguis ager, putres glebas resolutaque terga Qui gerit;* qui paullo inferius v. 91—93. omnem hunc locum imitatus est. — 98. *in obliquum.* Ribbeck. et Haupt. cum Med. et Gud. scribunt *in obliquom.* Imitatur hunc locum Colum. X, 93. *Rursus in obliquum distinguat tramite parvo.* — *perrumpit.* Multi Codd. et editt. antiquae *prorumpit*, quam lectionem tamquam exquisitiorem Voss. temere praefert. Sermo est autem de iterata illa aratione, quae auctumno instituebatur. Cf. adnott. ad v. 48. Noli enim putare, agrum uno eodemque tempore bis aratum fuisse. — 99. *Exercetque*, multum tractat, versat. *Exercere* enim *aliquid* est multum studii et laboris in aliqua re ponere, tum omnino crebro aliquid facere. Vid. infra I, 220. II, 256. Aen. VII, 798. X, 142. Hor. Epod. II, 3. *paterna rura bobus exercet suis.* Plin. VI, 19, 22. Pallad. Ian. 13, 2. Colum. IV, 14, 2. et Bach. ad Ovid. Met. VI, 145. Cf. etiam quae infra ad v. 123. de voc. *movendi* adnotavimus. — „*atque imperat arvis*, quamquam eleganter dictum, post illa *exercet fr. t.* paullo otiosius positum videri potest. Sed habet *imperare* vim coercitionis, acerbitatis et iniquitatis. Sic *imperant vitibus* apud Colum. III, 3, 6. Sen. de tranquill. an. c. 14. *fertilibus agris non est imperandum: cito enim exhauriet illos numquam intermissa fecunditas.* Infra II, 369. *tum denique dura exerce imperia.*" *Heyn.* Adde Cic. Cat. mai. 15, 51. *Agricolae habent rationem cum terra, quae numquam recusat imperium, nec umquam sine usura reddit, quod accepit*, ibique Gernhard. Tac. Germ. 26. *sola terrae seges imperatur*, et Ovid. Fast. II, 296., ubi aetatis aureae libertatem poëta his verbis celebrat: *Nulla sub imperio terra colentis erat.* Valet igitur *imperare arvis* — cogere arva progignere, quae velis; arva contra *parent* colono. (Cf. Prooem. Aen. v. 3.) — Inde a v. 100. docet poëta, quae post sationem facienda sint, et primum quidem iubet agricolas opportunam tempestatem a diis petere, hoc est pro natura caeli solique Italici aestatem humidam (non nimis siccam) et hiemem serenam (non nimis humidam). Ceterum cf. adnott. ad vv. 104. 106. 111. 114. 118. — *Humida solstitia*, i. e. humidas aestates (vid. adnott. ad Ecl. VII, 47.) *orate*, ut pluviarum irrigatione fervidi caloris vis temperetur. „*Solstitium* proprie de aestivo latine dicitur; hiemale *bruma* vocatur. Vide quos ad h. l. laudat Cerda, imprimis Plin. II, 19, 17. Adde XVIII, 25, 58. et Cic. N. D. II, 7, 19. *solis accessus discessusque solstitiis brumisque cognosci.*" *Heyn.* Cf. etiam quos laudat Obbar. ad Hor. Ep. I, 11, 18. Fasc. V. p. 112 sq. — Ceterum Plin. XVII, 2, 2., hunc locum male intelligens, Vergilium vituperat his verbis: *Ergo qui dixit hiemes serenas optandas, non pro arboribus vota fecit. Nec per solstitia imbres vitibus conducunt. Hiberno quidem pulvere laetiores fieri messes, luxuriantis ingenii fertili-*

Agricolae; hiberno laetissima pulvere farra,
Laetus ager; nullo tantum se Mysia cultu
Iactat et ipsa suas mirantur Gargara messis.
Quid dicam, iacto qui semine comminus arva

---

tate dictum est. Hoc enim non vult dicere Vergilius, qui procul dubio nihil aliud optat, quam siccitatem aestatis pluviis interdum temperatam, pariterque et hiemales quidem pluvias, quibus tamen caeli serenitas non diu interrumpatur. Heyn., Plinii loco allato, haec adnotat: „Defenditur poëta a Cerda imprimis ex antiquo carmine, quod apud Festum in *Flaminius* [p. 69. Lind.], item apud Macrob. Sat. V, 20. extr. et Serv. ad h. l. habetur: *Hiberno pulvere, verno luto grandia farra, Camille, metes.* Scilicet omnia haec pro regionum et agrorum situ, forte et temporum decursu, variant. Vergilius ad agrum Mantuanum respicere putandus." Cf. etiam Zell. *Ferienschr.* II. p. 207. Ceterum pro *orate* Wakef. ex tribus Codd. *optate* praetulit, coll. Ovid. Fast. I, 695., quam mutationem iure reiicit Iahn. — **101.** *hiberno pulvere*, terra per hiemem sicciorem in pulverem resoluta, i. e. sicca, non nimis humida. Cf. „rusticum vetus canticum" modo commemoratum apud Macrob. Sat. V, 20, 18. — **102.** *nullo cultu* (ut Ecl. IV, 18.) i. e. sine ullo cultu, sed sola tempestate s. caeli temperie (et quidem aestate non nimis sicca et hieme non nimis humida) *Mysia tantum* (quantum facit) *se* (i. e. fertilitatem suam) *iactat.* Ceterum *nullo cultu* non stricte capiendum, sed pro perexiguo cultu positum esse patet. (Prius locum aliter explicui.) Peerlk. tamen, haerens in his verbis, p. 121. coni. *nullo--coelo*, quod coll. Aen. V, 18. satis artificiose sic explicat, ut Mysia etiam tempore solstitii et hiemis, ubi nulla sit caeli temperies, nulla tempestas segeti favens, messibus suis gloria ridicatur. — Pro *mirantur* Ribbeck. ex solo Probo p. 35, 3. K. (qui etiam *iactet* perperam exhibet) recepit *mirentur* (cf. eius Proleg. p. 165. et 192.), sed recte Keil. in Philol. II. p. 164. Probi lectionem reiicit. *Mysia* autem (cui Palat. a. m. sec., duo Bern. et Servii Codd. falso *Moesiam* substituunt) terra fertilissima Asiae minoris ad Hellespontum sita, imprimis quae *Gargaris*, summo Idae montis fontibus abundantis fastigio, circumiacebat regio. Cf. Strab. XIII. p. 606. Cas. Mela I, 18, 3. Plin. V, 30, 32. Macrob. l. l. Ovid. A. A. I, 56. Inde factum, ut nomen Gargari Graecis in proverbio pro abundantia, ingente copia diceretur. Cf. Schol. Aristoph. Acharn. 3. Erasmi Adag. Chil. IV. cent. 6. c. 24. et Schneideri Lexicon s. v. *γάργαρα* et *γαργαίρειν*. De ipsis *Gargaris* vide librum meum *Handb. d. alt. Geogr.* II. p. 112. — *tantum se iactat*, gaudet et gloriatur tam largis messibus. — *ipsa;* terra tam fertilis est, ut non solum ab omnibus *aliis* celebretur, sed etiam *ipsa* fertilitatem suam, quamvis largis messibus adsueta, miretur. Cf. Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 469. Ceterum Ribbeck. hos quatuor versus 100—103., qui, cum non ad culturam agrorum, sed ad caeli gratiam omnia referenda esse doceant, connexum sententiarum incommode interrumpant, a poëta secundis curis adiectos nec tamen ad reliqui carminis contextum accommodatos esse, haud temere suspicatur. (Cf. eius Lect. Verg. p. 4. et Proleg. p. 32.) Vide tamen, quae contra eum disputant Ladew. in Iahnii Annal. phil. LXXIII. p. 416 sq. imprimis p. 465. et Tittler in Progr. Brieg. a. 1857. *Ueber die Zeit d. Veröffentlich. d. Georg.* p. 5. — **104** sqq. „Prodest quoque semente facta glebas rastris comminuere, ut semen obruatur, et aqua agrum obducere." *Heyn.* Sermo est de occatione post sationem iterata, s. de *lirando*. Cf. Plin. XVIII, 49, 19. [20, 49.] *Sato semine iteratio--crate dentata, vel tabula aratro adnexa, quod vocant lirare, operiente semina.* Varro R. R. I, 29. *tertio cum arant iacto semine, lirare dicuntur.* Hesiod. *Ἔργ.* 462 sqq. — **104.** Sequitur alterum, quo opus est, glebarum contusio. *Quid dicam qui* (cf. adnott. ad Ecl. II, 71. et infra v. [111.] 311. Aen. VI, 141. 453. etc.), transitus formula etiam in pedestri oratione satis usitata, hic gradationi inservit: Quid demum dicam de eo agricola, qui etc., i. e. Quantam demum messem is poterit exspectare, qui etc. -- *iacto semine* alio tamen sensu redit Geo. II, 317. — *comminus* Vossio interprete significat: ita ut vestigia serentis premas, statim post sationem occatione semina operias; quam ta-

Insequitur cumulosque ruit male pinguis harenae,
Deinde satis fluvium inducit rivosque sequentis
Et, cum exustus ager morientibus aestuat herbis,
Ecce supercilio clivosi tramitis undam

men interpretationem recte vituperat Handius Turs. II. p. 96 sq., contendens, *comminus* et hic primariam vim retinere, ut *comminus arva insequi* sit: manu (s. rastro) exercere, urgere terram; idque etiam Wagn. in edit. min. et Ladew. comprobant. — *„arva Insequitur,* sulcos factos in arvo prosequitur, alium post alium rastris frangendo; *insequi* enim idem quod urgere, instare, et sine intermissione ac mora rem statim aggredi vel prosequi. Sic *fossor, pampinator insequitur* apud Colum. (V, 5, 13.) et infra v. 155. *insectari terram rastris.* Hesiod. *"Εογ.* 469. *ὁ δὲ τυτθὸς ὄπισθεν Δμωὸς, ἔχων μαχέλην πόνον ὀρνίθεσσι τιθείη, Σπέρματα κακκρύπτων."* *Heyn.* Cf. etiam Geo. II, 407., ubi *persequi* eodem sensu legitur. — *cumulos ruit,* glebas maiores et tenaciores ligonis vel sarculi ope contundit et agrum omni ex parte aequat. Cf. Voss. ad h. l. Mitsch. ad Hor. Od. III, 6, 38. Fea ad Hor. Od. I, 1, 11. alii. Activa significatione *ruere* etiam legitur Geo. II, 308. Aen. I, 85. IX, 516. XII, 454. alibi; *cumuli* autem secundum Colum. II, 4, 8. dicebantur media inter sulcos latius distantes spatia. — *male pinguis* per se quidem id significare posse, quod Heyn. et cum eo Voss. et Iahn. statuunt, *nimium pinguis,* nemo negabit; cum *male* omnino dicatur de rebus in alterutram partem modum excedentibus (cf. v. c. Hor. Od. I, 7, 25. Sat. I, 3, 31. I, 4, 66. Ovid. A. A. III, 699.); hic tamen ob versus sequentes, ubi de irrigatione agris adhibenda sermo est, cum Prenzelio in Seebodii *Archiv für Phil. u. Päd.* Vol. I. p. 189. et, qui hunc laudat, Wagnero pro *non pinguis, infecundus* positum censeo. Videtur enim poëta cogitare de solo arido quidem, sed condensato, quod, cum vomere subactum in magnas glebas solvatur, *pingue,* quatenus autem succo et humore destitutum parum habeat fecundicatis, *male pingue* vocatur, quamquam non nego, *male pinguis* etiam simplicius per *non pinguis* explicari posse. Cf. adnott. ad Aen. II, 23. Hinc patet, etiam *arenam* non ut Geo. IV, 291., ubi vid. adnott., sed proprie de terra sicca et pulverulenta intelligendam esse. — **106.** sqq. „Post arationem factam exoptanda pluvia; supplet eius defectum ars, inducta in agrum aqua. Poëta Hom. Il. XXI, 257 sqq. egregium locum ante oculos habuisse videtur." *Heyn.* Veteres enim non solum prata (cf. Ecl. III, 111.), sed etiam hortos (Geo. IV, 115.) et agros solebant irrigare; quare hic sequitur tertium praeceptum, aridum solum esse irrigandum. — *Deinde.* De synizesi vid. adnott. ad Ecl. III, 96. IV, 42. 78. etc. — *satis,* quod prius male habui pro Adverbio, est potius Dativus. *Sata* (*die Saat*) pro segetibus seu agris satis legitur etiam Ecl. III, 82. Aen. II, 306. alibi. — *fluvium inducit.* Cf. Colum. X, 143. *largos inducere fontes.* —*sequentes,* ultro sequentes, ex natura aquae, cuius *unda supervenit undam,* ut canit Hor. Epist. II, 2, 176. Quare etiam *undae sequaces* Aen. V, 193. Cf. Claud. laud. Stil. I, 139. *sequentibus undis obruimur,* ibique Barth. — **107.** De agro loquitur poëta ut de homine vel animante nimio aestu defatigato et confecto. — *ager morientibus aestuat herbis,* i. e. herbae in agro aestuantes moriuntur, s. aestu enecantur. Vid. adnott. ad Ecl. X, 67. — **108.** *Ecce* admirantis est et inexspectatam indicat celeritatem, qua unda adfluit. Cf. etiam infra v. 407. et adnott. ad Ecl. III, 50., de coniunctis autem Particulis *et ecce* adnott. ad Aen. V, 167. (Prius, deleto Commate post *Et,* cum Handio Turs. II. p. 493. coniunxi *Et cum.*) — *supercilio cl. tr. undam Elicit,* undae in cacumine montis molliter editi ortae tramitem per clivum facit. *Supercilium,* ut Graecorum *ὀφρύς* (Hom. Il. XX, 151. Apoll. Rhod. IV, 1300. Polyb. III, 71. Strab. XVII. p. 808.), per figuram, quam partem pro toto nuncupamus, pro fronte vel capite, hoc autem per metaphoram pro superiore montis parte ponitur. Sic Liv. XXXIV, 29, 11. *supercilium tumuli.* XXVII, 18, 10. *infimo stantem supercilio.* Auct. Bell. Afr. 58. *supercilium quoddam nacti.* Apul. Met. p. 169. Elm. *supercilium amnis,* i. e. alta et saxosa ripa. — *clivosi tramitis,* rivi, qui tramitis instar per clivum ductus

Elicit? illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.
Quid qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenera depascit in herba,
Cum primum sulcos aequant sata? quique paludis
Collectum humorem bibula deducit harena?
Praesertim incertis si mensibus amnis abundans

---

est. — 110. *scatebris*, undis, aquis scaturientibus, *temperat*, recreat. Cf. infra III, 337. *cum frigidus aëra vesper Temperat*, — 111. Etiam a gregibus depascenda est herba segetis nimis luxurians. — *Quid, qui*, h. e. quid dicam de eo, qui. Cf. v. 104. — *ne gravidis procumbat-- culmus aristis* verba sunt Hesiodi *Ἔργ*. 473. *Ὣδέ κεν ἀδροσύνῃ σταχύες νεύοιεν ἔραζε*. *Gravidae* sunt uberes, ut infra v. 319. *gravida seges*, II, 5. *gravidus ager* etc. Cf. etiam Ovid. Met. I, 110. *Nec renovatus ager gravidis carebat aristis* et adnott. ad Geo. III, 317. — *procumbat*. Cf. Plinii locus statim laud. et Ovid. Fast. I, 689. *neque pinguior aequo* (seges) *Divitiis pereat luxuriosa suis*. — 112. Heyn. comparat Plin. XVIII, 17, 44. *Inter vitia segetum et luxuria est, cum oneratae fertilitate procumbunt*, ibid. 45. *Luxuria segetum castigatur dente pecoris in herba duntaxat; et depastae quidem vel saepius nullam in spica iniuriam sentiunt*; et Theophr. h. pl. VIII, 7. *Ἐν δὲ ταῖς ἀγαθαῖς χώραις, πρὸς τὸ μὴ φυλλομανεῖν, ἐπινέμουσι καὶ ἐπικείρουσι τὸν σῖτον*. — *tenera in herba*, dum tenera est herba, necdum culmos agit. — 113. *sulcos aequant sata*. Heyn. censet, *sulcos* hic designare terram inter duo sulcos proprie dictos elatam, s. *porcam;* sed rectius de sulcis ipsis deque eo tempore cogitas, quo nova seges altitudine sua aequat sulcos porcis (de quibus vid. supra ad v. 97.), ita ut omne inter sulcos et porcas discrimen evanescat, omnisque ager aequa planities videatur. Colum. II, 11, (12,) 4. idem sic expressit: *cum sata sulcos contexerint*. — 114. „Spectat praeceptum ad agros, in quibus aquarum colluvies facta locis cavis ac depressis. — *paludis collectum humorem*, *Wassergalle*. Collecta et stagnans lacunae aqua, putris colluvies, deducitur sulcis aquariis factis, quos *collicias* dixere Plin. XVIII, 19. sect. 49, 2. Colum. II, 8, 3. *elices* apud Festum [p 57. ed. Lindem.]." *Heyn.* Secundum Voss. autem *elices* erant sulci aquarii per ipsos agros ducti, quibus aqua derivabatur in *colliquias* s. fossas circa vel extra agrum factas. Hic autem agitur de alia exsiccandi ratione, scil. iniecta arena, quae aquam imbibat. Nescio enim, quomodo Heyn. Ablativum instrumenti *arena* explicare possit „ad arenosum locum, ubi aqua in sabulum se insinuans tandem exarescit" coll. Colum. II, 2, 9. et Pallad. VI, 3.; quam explicationem etiam Wagn. in edit. min. repetit. Non tamen opus esse dixerim Bossleri coniectura *diducit* (vid. Philol. XXI. p. 158 sq.) a Ladew. recepta, etiamsi non nego, eam interpretationi illi, quam mecum Ladew. et Conington proferunt, melius respondere vulgata *deducit*, quam tamen contra omnium Codd. consensum deserere dubitavi. Bryce, Ablat. *bibula arena* pro *a* bibula arena, hanc autem ipsam pro solo spongioso et *paludis humorem* pro aqua in sulcis collecta positum censens, paullo artificiosius locum sic explicat: *„And he who draws of* (*i. e. by drains*) *from the spongy soil* (*of the corn fields*) *the collected moisture of the marshy furrows,*" Conington vero rectius nobiscum *bibula arena* pro Ablat. instrumenti habet et Colum. II, 2. respiciens cogitat de arena in elices (*the drains*) iniecta. — *bibula arena* etiam apud Lucr. II, 376. legitur. Praeterea cf. Aen. VI, 227. *bibula favilla* et Geo. II, 348. *lapis bibulus* (pumex), — 115. *„incertis mensibus*, veris et auctumni, quod anni tempus incertae tempestatis est (cf. Ovid. A. II, 318. *Cum modo frigoribus premitur, modo solvitur aestu, Aëre non certo*); hic tamen de vernis potissimum agitur." *Heyn.* Ita etiam Salmas. Exerc. Plin. p. 631. rectissime iudicat. Vere enim flumina et rivi haud raro super ripas diffunduntur, ita ut humor in agris relictus, cum a sole tepefactus putrescat, segetem quam maxime corrumpat. Ceterum Voss. cum h. l. comparat Pind. Isthm. IV, 30.,

Exit et obducto late tenet omnia limo,
Unde cavae tepido sudant humore lacunae.
Nec tamen, haec cum sint hominumque boumque labores
Versando terram experti, nihil inprobus anser
Strymoniaeque grues et amaris intiba fibris 120

---

qui menses hibernos ποικίλους, et Ovid. Met. I, 117., qui auctumnales vocat *inaequales*. Poterat etiam Val. Fl. I, 307. et Lucan. IV, 49. conferre, ubi *incertus aether* et *incertus aër* legitur, i. e. qui minatur imbres et tempestates, imprimis autem Colum. XI, 2, 88. *Idibus Nov.* et ibid. §. 93. *Calendis Dec. dies incertus, saepius tamen placidus*. Cf. Ladew. Progr. p. 14. vere disputans contra Peerlk. p. 124. pro *incertis* comicientem *hibernis*. — 116. *exit*, evagatur ripas. Cf. Aen. II, 496. — *et obducto tenet* non idem esse, quod simplex *obducit*, ut Heyn. censet, sed inundationem aliquamdiu durantem significare, vix est quod moneam. Ceterum Ladew. coll. locis Geo. III, 347. et Aen. V, 171. docet, Vergilium haud raro duas res ita Copula coniungere, ut alteram priorem cito secutam esse significet, qua de re iam Wagn. Qu. Virg. XXXV. p. 692. egerat, hos locos afferens: Aen. I, 82. II, 692. V, 504. 857. VIII, 520. XI, 296. 864. alios. Quare non opus est Peerlk. (p. 124.) coniectura *Exiit, obducto et late* etc. — 117. *sudant humore tepido*, madent loca, in quibus lacuna existit, humore putrido et noxio eumque vaporantes exhalant. Cf. Curt. V, 39, 5. *solum resudet humore*. Lucr. VI, 942. *saxa Sudent humore*. Aen. II, 582. *sudarit sanguine litus* ibique adnott. — 118. Quamvis haec omnia facta sint, restant tamen alia incommoda et impedimenta, novo labore arcenda; haec omnia non sufficiunt, ut agrum habeas speratos fructus ferentem, nisi etiam alia, quae segeti noceant, arceas. Macrob. VI, 2. extr. cum h. l. comparat Lucr. V, 214 sqq. — *hominumque boumque labores* ut Hesiod. Op. et D. 46. ἔργα βοῶν et Hom. Il. XVI, 392. XIX, 131. Od. VI, 259. et alibi ἔργα ἀνθρώπων dixit. Cf. etiam infra v. 325. Aen. II, 284. 306. et Colum. X, 330. *Iuppiter — Grandine dilapidans hominumque boumque labores*. Copulam geminatam et terminationibus eiusdem fere soni adiectam repetitae rei notionem eo vividius et fortius exprimere, docet Voss., comparans Geo. II, 441. *franguntque feruntque*. Adde Geo. II, 456. Aen. I, 229. II, 262. VI, 775. IX, 309. 516. etc. De simili re infra ad v. 157. dicetur. Cf. etiam adnott. ad Ecl. VIII, 79. — 119. *Versando*. Cf. Ovid. A. A. I, 725. *qui vomere adunco Et gravibus rastris sub Iove versat humum*. id. Rem. Am. 173. *Obrue versata Cerealia semine terra*. Prop. V, (IV,) 1, 129. *Nam tua cum multi versarent rura iuvenci* etc. Supra v. 2., infra v. 147. et Aen. VII, 539. *vertere* usurpatum legimus. — *inprobus*, edax, cibi avidus, et hoc ipso noxius, ideoque nocentium et rapacium bestiarum epitheton. Cf. Geo. III, 431. Aen. IX, 62. XII, 250. Deinde omnia significat, quae modum excedunt, immodica, nimia, iniusta ideoque improbanda (Geo. I, 388. Aen. II, 356. XII, 687. Martial. XII, 18, 13. *improbo somno, Quem nec tertia saepe rumpit hora* etc.); denique etiam sine reprehensione est i. q. acer, vehemens, pervicax. (Vid. infra v. 146. *inprobus labor*. Aen. XI, 767. *iaculator inprobus* etc.) Cf. Orell. ad Hor. Od. III, 9, 22. et quos Obbar. laudat ad Hor. Ep. I, 10, 40. Fasc. V. p. 79 sqq. De forma autem *inprobus*, quam cum recentissimis editoribus recepimus, cf. Wagn. Orth. Verg. p. 411. et Ribb. Prol. p. 433. — *anser*, non domesticus, sed ferus, cani coloris, qui tanta est voracitate, ut herbas cum ipsa radice evellat, ideoque agris pernoxius. Cf. Pallad. I, 30. *Anser locis consitis inimicus est, quia sata et morsu laedit et stercore*. — 120. *Strymoniae grues*; nam e Thracia, cuius flumen est *Strymon* (cf. Geo. IV, 508.), hieme ingruente grues in Graeciam migrant. Redit hoc epitheton Aen. X, 265. Vid. etiam Martial. IX, 30, 8. *quae Strymonio de grege ripa sonat*. Cf. autem de eiusmodi epithetis geographicis adnott. ad Ecl. V, 27. IX, 13. 30. X, 59. 66. etc. — „*intubum* [s. intibum, intubus, intybus] e cichoreorum genere, erraticum, fibris s. radicum minutis filis late serpens. Theophr. h. pl. VII, 11. [Adde Dioscor. II, 159. (160.) Plin. XIX, 8, 39. XX, 8, 29. Acronem ad Hor. Od. I, 31, 16. etc.] Non modo hortense, nobis *Endivie*, infra IV,

Officiunt aut umbra nocet. Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros curis acuens mortalia corda,
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.
Ante Iovem nulli subigebant arva coloni; 125
Ne signare quidem aut partiri limite campum

---

120. memoratum, sed etiam silvestre genus est, *πιχρίς* [s. *σέρις*] dictum; id persequuntur anseres et aliae aves domesticae. Vid. Colum. VIII, 14, 2." *Heyn.* Conington conferri iubet Turnebi Advers. XXVII, 25. Wagn. (quem nunc cum recentissimis editoribus secuti sumus) Vol. V. et in edit. min. hic et Geo. IV, 120. ex optimorum Codd. auctoritate edidit *intiba*, formam *intuba* ex prava scriptura *intyba* ortam esse ratus. Cf. eius Orth. Verg. p. 485 sq. Harles. ad Cellar. Orthogr. p. 264. et Ribbeck. Proleg. p. 176. — 121. *umbra*, scil. arborum et herbarum inutilium. Cf. Ecl. X, 76. Ceterum respondent his versibus infra v. 155—157. — „A Iove ita constitutum est, ut labore omnia paranda sint. Felix transitus ad digressionem [de aurea aetate] ornamentis poëtis fecundam. Redit ad propositum v. 150. 155. Adumbratus locus ex Hesiodi *"Εργ.* 42 sqq. [cf. etiam Arat. v. 6. a Wagn. laud.] Nostrum ante oculos habuit Manil. I, 79 sq. et Claudian. XXXVI, 20 sq." *Heyn.* — *Pater ipse*, Iupiter, qui argentea aetate mundum regebat, ut aurea Saturnus; quare, quae illa aetate facta sunt, Iovis iussis tribuuntur. *Pater κατ' ἐξοχήν* Iupiter etiam Aen. II, 617. appellatur. Ceterum cf. adnott. ad v. 163. De Pron. *ipse* cf. adnott. ad Ecl. VIII, 96. — 122. *primus* scil. illorum, qui mundum rexerunt. Cf. adnott. ad Ecl. IV, 1. — *per artem*. Ut hic de agricultura, ita in Gratii Cyneg. *ars* saepissime de venatione dicitur. Cf. interpp. ad eius v. 1. et 151. — 123. *Movit agros*, fecit moveri, arari, omninoque coli, i. e. coëgit, ut artificiose culti fructus proferrent. Homines victus quaerendi necessitate coëgit, ut agrum *per artem* colerent. Eodem fere sensu *movendi* voc. legitur Geo. II, 316., ubi vid. not. Cf. etiam supra v. 99. *tellurem exercere*. — *mortalia corda*, mentes, sollertiam hominum. Nam fuerunt, qui in corde animi ideoque etiam prudentiae, sollertiae, acuminis sedem collocarent. Cf. Cic. Tusc. I, 9, 18. Quare Lucr. IV, 51. *Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.* id. V, 1105. *ingenio praestare et corde valere.* Sil. XIII, 803. *corde aequantem Peleïa facta*, i. e. astutia; et apud eundem XII, 737. *Punica corda* pro Punicis fraudibus. Ceterum imitatus est h. l. Manil. I, 79 sqq. *Sed cum longa dies acuit mortalia corda, Et labor ingenium miseris dedit* etc. — 124. *sua regna*, homines, quibus imperabat, qui vivebant Iove regnante. — *torpere*, quod infra v. 507. *squalere*. — *veternus*, substantive usurpatum, idem fere significat quod vetustas, imprimis sordes inveteratas; tum vero etiam est i. q. lethargus, et inde omnino torpor, inertia, segnities nulli operi apta. Cf. Wernsd. ad Rut. Itin. p. 391. et quos laudat Obbar. ad Hor. Ep. I, 8, 10. Fasc. V. p. 16. Similis locus est Colum. VII, 5, 3. *Pecudes mediocriter exercere, et quasi torpentes excitare, nec pati veterno consenescere atque extingui.* Praeterea cf. Cic. ad Fam. II, 13. med. et VIII, 6. med. Tenebat autem hic veternus, haec ignavia homines ante Iovem viventes, cum omnia iis terra sua sponte largiretur. Heyn. comparat Nemes. Ecl. I, (= Calpurn. Ecl. VIII,) 60. *Nec segnem passus nobis marcere iuventam* etc. — 125. „Expressa ex Hesiod. *"Εργ.* 90 sqq. et Arato 110 sq. Inde locus a multis tractatus, imprimis a Tibullo I, 3, 35 sq., ubi vid. Broukh." *Heyn.* Adde Ovid. Am. III, 8, 35 sqq. Met. I, 89 sqq., ubi vid. Bach., XV, 96 sqq. et supra Ecl. IV, 1 sqq. Hunc versum respexit Seneca ep. 86. de Scipione scribens: *terram, ut mos fuit priscis, ipse subigebat.* Vers. autem 125—128. leguntur apud eundem Senecam ep. 90. — *Ante Iovem*, ante Iovis regnum, sub Saturno. Cf. Aen. VIII, 319 sqq. — *subigebant*. Cf. Ovid. Met. XI, 31. Cic. Legg. II, 18, 45. et permulti loci, ubi, verbis a re militari ad agriculturam translatis, *domare, pacare terram aratro, vomere* et similia leguntur, quae collegit Obbar. ad Hor. Ep. I, 2, 45. Tom. I. p. 173 sq. — 126. Expressit

Fas erat: in medium quaerebant, ipsaque tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris
Praedarique lupos iussit pontumque moveri,

---

haec Ovid. Met. I, 136. et Am. III, 8, 42. — *Ne - - quidem.* Voss. et Iahn. cum paucis libris exhibent *Nec - - quidem*, quod, pro *et ne quidem* positum, ferri quidem potest, sed meliorum librorum auctoritati repugnat. (Ex Ribbeckii Codd. unus Bern. c. *nec* exhibet. Ceterum ne rebus magis necessariis spatium circumciderem, omisi nunc omnia, quae in prioribus editt. contra discrimen inter *ne quidem* et *nec quidem* a Wagn. et Gernh. ad Cic. Cat. mai. 9, 27. et 10, 83. statutum itemque contra eos disputavi, qui *nec quidem* non Latinum et ubique in *ne quidem* mutandum esse censuerunt.) — *signare*, scil. vel limite, ut ap. Ovid. Am. III, 8, 42. *Signabat nullo limite mensor humum* et Met. I, 136. *Cautus humum longo signavit limite mensor*, vel potius, cum in seqq. diserte de limite agatur, lapide posito. — *partiri limite.* Romani, ut nos, terminos agrorum lapidibus, palis, arboribus signare, ipsos vero agros fossis vel limitibus gramineis (*Raine*) distinguere solebant (cf. Voss.). Haec igitur agrorum decempeda dimensorum divisio, quam Ovid. Met. I, 135. ferreae demum aetati assignat (cf. etiam Tibull. I, 3, 35.), aurea aetate nondum locum habebat. — 127. *Fas erat*, licebat, decebat, fere i. q. usitatum erat. — *in medium quaerebant;* quidquid acquirebant, in commune conferebant. Vid. infra Geo. IV, 157. de apibus: *in medium quaesita reponunt.* Aen. XI, 335. Liv. VI, 6. extr. Cic. Off. I, 7, 22. etc. De ipsa re autem cf. Iustin. XLIII, 1, 3. — *ipsa tellus.* Cf. adnott. ad Ecl. IV, 21. et simillimus locus Lucr. II, 1158 sqq. — 128. „*liberius*, liberalius, felicius, *ἀφθόνως*. Expressum est enim ex Hes. *Ἔργ.* 118. *καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον.* Lucr. V, 940. *Plurima tum tellus etiam maiora ferebat.* Aut dictum esse voluit *liberius*, quam nunc, pro libere, cultu non coacta, ut Hor. Carm. III, 24, 12. *Liberas fruges - - immetata ferunt iugera.*" *Heyn.* Posterior interpretatio verior; arcte enim cohaerent *liberius, nullo poscente* et opponuntur quodammodo verbis, quae supra v. 99. legimus, *imperat arvis;* quia nemo aliquid poscebat ab agris, nemo agros aliquid proferre cogebat, eo liberius (*williger*) ideoque etiam largius omnia proferebant; nunc, coacti a possessoribus, ea modo proferunt, quae ipsis extorquentur. (Consentit mecum Ameis Spicil. p. 18.) Quod hic *nullo poscente*, idem est infra II, 10. et apud Ovid. Met. I, 103. *nullo cogente*, Ecl. IV, 18. autem *nullo cultu.* — 129. Sub Iovis demum imperio s. argentea aetate subnata sunt vitae nostrae mala. Haec per partes declarat. Serpentes facti sunt venenati, lupi rapaces etc.; quae animalia antea fuerant innoxia. Cf. etiam Ecl. IV, 24. 25. — *malum virus*, noxium. — *serpentibus atris* Heyn. proprie dictum putat, coloris ratione habita, ut etiam apud Hor. Od. III, 4, 17. *atras viperas;* sed rectius, ni fallor, Iacobs. Anthol. Lat. poët. T. II. p. 382. *diris* interpretatur. Haud raro enim hoc epitheton non tam nigrum colorem, quam foedum, dirum et terribilem adspectum respicit. Cf. infra IV, 107. *atra tigris*, Hor. A. P. 3. *ater piscis*, Bentlei. ad Hor. Sat. II, 8, 95. et quae ad Geo. III, 430. Aen. IV, 384. VII, 525. adnotavimus. Orellio ad Hor. l. l. *atris* hic est i. q. venenatis. — 130. *Praedari lupos iussit.* Lupi non amplius inter cetera animalia tranquilla pace et herbis vescentes vivebant, sed carnem appetentes alia animalia atque adeo homines lacerare incipiebant. Per *lupos* omnes bestias rapaces poëta intelligit. — *pontumque moveri.* Burm. (coll. Ovid. Am. II, 11, 5. et Met. VI, 721. ibique adnott.) *remis motum mare* intelligit et ad navigationem refert (ut *mare movere* simili ratione dicatur, qua supra v. 123. *agros movere*), Heynius vero, cum sic v. 136. inanis esset repetitio eiusdem sententiae, hic autem mala physica enarrentur, quae mutata naturae facie supervenerint, ad *moveri* supplet: ventorum vi et procellis. Utrumque tamen arcte cohaeret. Simul cum navigatione inventa mare ventis moveri coepit; antea tranquillum fuerat, cum nihil adesset, in quod furorem suum dirigeret. Imprimis huc facit Lucretii locus V, 1000

Mellaque decussit foliis ignemque removit
Et passim rivis currentia vina repressit,
Ut varias usus meditando extunderet artis
Paullatim et sulcis frumenti quaereret herbam,
Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem. 135

---

sqq. (Videtur haec probare Conington.) Ceterum ut hic uno eodemque versu *iubendi* voc. cum Infinitivo Activi (Deponentis) et Passivi construatur, ipsa loci natura postulat. Alia igitur eius ratio est, atque Ecl. VI, 85., ubi vid. adnott. — 131. „*Mellaque decussit foliis.* Non iam, ut ante, folia rorem aliquem melleum eliquabant; (vid. ad Ecl. IV, 30. Plin. XVI, 8, 11. et adnott. ad Tibull. I, 3, 45.) detersum hoc mel est foliis; ut *silvis decussus honor* infra II, 404. [et IV, 12. *decutere rorem.*] — *ignemque removit*, ut is in venis silicum absconditus, *abstrusus* (ut mox v. 135. et Aen. VI, 7.) lateret, diuque ignoraretur, usque dum discerent homines silicum attritu eum elicere. *Κρύψε δὲ πῦρ*, Hesiod. *Ἔργ.* 50." *Heyn.* — 132. Vinum, lac, oleum omninoque omnes humores veteribus grati et accepti aurea aetate in fluminum et rivorum alveis fluxisse feruntur; quo nihil nisi maxima earum rerum copia, qua illa aetas abundabat, declaratur. (Cf. Ecl. III, 89. Ovid. Met. I, 111. Hor. Od. II, 19, 10 sqq.) Sed Iupiter *repressit* hos rivos, i. e. in fontes repressit, fluere non amplius est passus. — *passim* non minus quam *rivis* cum *currentia* coniungendum et ad copiam vini referendum, quae per rivorum alveos quaqua versus promovetur. Cf. Mitscherlich. Lectt. in Catull. p. 150. ad Carm. LXIX, 358. et Heyn. ad Tibull. IV, 1, 22. — 133. „Omnia haec Iupiter ita moderatus est eo consilio, ut usu invenirentur artes et ingenia hominum [ipsa inopia] acuerentur et ad industriam excitarentur." *Heyn.* — *usus* (*χρεία, das Bedürfniss*) pro ipsis hominibus, quos necessitas cogit, quibus re aliqua opus est. Cf. adnott. ad Ecl. II, 71. — *meditando* Heyn. male explicat *exercendo, experiundo;* immo proprie est dictum, nam ad inveniendum meditatione opus est. — *extunderet*, de eo quod faciunt homines necessitate coacti et iterato conatu tandem efficiunt. Hinc de artibus humanis quae e necessitate ortae sensim exercitatione perficiuntur. Cf. Schirach. p. 406. Redit eadem dictio *artem extundere* infra IV, 315. — 134. *Paullatim.* Conington confert Lucr. V, 1452. *Usus et impigrae simul experientia mentis Paullatim docuit pedetentim progredientis.* Videtur hunc locum respexisse Gratius Cyn. 8. *contiguas didicere ex artibus artes Proserere.* — *sulcis.* omissa Praepositione, ut saepissime apud poëtas. Plura hac de re dicta invenies ad Aen. I, 2. — *in sulcis quaerere* autem nihil aliud est, quam aratione et satione parare. Sic etiam Iustin. XLIV, 4. *frumenta sulco quaerere docuit. Quaerere* pro quaerendo invenire, sibi parare, legitur etiam apud Lucr. V, 214. et alibi. Voss. confert Cic. Agr. II, 35, 95. *Docuit ager ipse nihil ferendo, nisi multa cultura et magno labore quaesitum.* — *frumenti herbam*, i. e. frumentum, segetem. Cf. adnott. ad Ecl. V, 26. — V. 135., qui minus huc videtur quadrare, adiectum dixeris, quia igne opus erat ad grana torrenda et panem inde coquendum. (Vide tamen infra.) *Ut silicis* Heins. e melioribus libris revocavit pro vulg. *Et silicis*, quod pauci tantum Codd., v. c. uterque Goth., tuentur. Heyn. quidem antiquiorem lectionem meliorem habet, cum praecedat *et sulcis*, non *ut sulcis*; sed hoc nihili est; nam prorsus eadem ratio infra obtinet II, 259 sqq. *ante - - et - - ante;* duplex autem *ut* numerosius est et vividiorem reddit locum. Cf. Ecl. VI, 31 sqq. VIII, 41. Aen. I, 486. etc. — *silicis venis abstrusum.* Cf. Aen. VI, 6. *quaerit pars semina flammae Abstrusa in venis silicis.* — *excuderet* pro vulg. *extunderet* (quod e v. 133. huc translatum videtur) iam dudum e melioribus libris restitutum. Cf. Aen. I, 174. Plin. XVI, 40, 77. *ad excudendum ignem non semper lapidis occasio est*, Avien. prognost. 105. *elisos fulguris ignes Excudit* et Heins. ad Ovid. Am. III, 5, 34. Ceterum Wagn., qui malit Vergilium sic scripsisse: *Ut varias usus - - Paullatim; ut sulcis - - herbam, Et silicis* etc., versum 135. posterius demum a Vergilio margini adscriptum et ita in contextum receptum esse censet. (Vid. ad Geo. IV, 203.) Ribbeck. autem, cui

Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas,
Navita tum stellis numeros et nomina fecit,
Pleïadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton;
Tum laqueis captare feras et fallere visco

---

adsentitur Ladew., hunc versum spurium et ab interpolatore aliquo ex duobus illis Aen. locis consutum putat (cf. eius Lect. Verg. p. 4.) et in Proleg. p. 50. simul cum eo etiam v. 134. sine ullo damno desiderari posse iudicat. Adversatur tamen Tittler *Ueber d. Zeit* etc. p. 5. — 136. Tum primum navigatio inventa. Vide Tibull. I, 3, 35. Prop. IV, 6, (III, 7,) 31. Manil. I, 78 sq. aliosque locos idem argumentum tractantes. — *sensere:* non adsueti antea huic oneri vel levi primarum navicularum pondere gravabantur. Sic Petron. 124. *sentit terra deos.* Hinc *gemere* mare et similia dicuntur poëtis. Vid. Heins. ad Ovid. Fast. II, 390. et Burm. ad h. l. — *alnos cavatas.* Plerumque *pinus* pro navi dicitur (cf. adnott. ad Ecl. IV, 38.); hic autem *alnus* commemorata videtur, quia in fluminum ripis et locis palustribus nascitur (Geo. II, 110. et 451.), ideoque navem facturis prima se obtulit. Hinc aliis etiam poëtis pro navi usurpatur. Cf. Lucan. III, 520. IV, 426. Iuven. III, 266. Stat. Theb. III, 23. Claud. Rapt. Pros. praef. I, 3. et II, 178. Sil. XII, 522., ubi vid. Drak. Quod ad epitheton attinet, cf. Plin. XVI, 40. sect. 76, 2. *Germaniae praedones singulis arboribus cavatis navigant.* Ammian. XIV, 2. p. 9. Bip. *cavatis arboris truncis amnem permeare.* Vid. etiam infra v. 262. — 137. *numeros et nomina fecit.* Nautae, ut cursum ad eas regere possent, singulas stellas in sidera quaedam coniungebant suis nominibus insignita, ad quae distinguenda numerum stellarum observabant, quibus unum quodque constabat. Cf. Macrob. Somn. Scip. I, 19. p. 95. Bip. haec ipsa verba afferens, Prisc. Perieg. 850. *Et primi stellis numeros nomenque dedere* et Claud. in Stilich. II, 434. *Senex, numeros qui dividit astris Et cursus stabilesque moras.* — *Nomen facere* pro nomen dare legitur etiam Geo. IV, 272. Plaut. Men. I, 1, 1. Ovid. Met. XV, 96. Liv. I, 3, 9. et alibi. — 138. ex Hom. Il. XVIII, 486. sumptus, ubi legimus *Πληϊάδας θ' Ὑάδας τε, τό τε σθένος Ὠρίωνος, Ἄρκτον θ'* etc. *nomina fecit Pleïadas* etc. Vid. adnott. ad Aen. III, 18. et 693. Verba *numeros et nomina fecit* iterantur in Anth. Lat. Burm. III, 81, 6. — *Pleïades,* septem stellae in collo tauri, secundum mythographos Atlantis filiae, etiam *Vergiliae* vocabantur, quia ortum eorum (22. Apr. — 10. Maii) ver et serena tempestas, occasum (20. Oct. — 11. Nov.) hiems sequebatur. (Cf. Voss.) Nautis autem maximi momenti erant, quod cum earum ortu navigatio incipiebat, cum occasu cessabat; unde etiam nomen acceperunt (*ἀπὸ τοῦ πλέειν*, ut Serv. dicit). Ceterum *Pleïades, Πληϊάδες* (ion. pro *Πλειάδες*), hic est tetrasyllabum, ut apud Propert. IV, 4, (III, 5) 36. et Ovid. Met. I, 670. Ultima autem syllaba arsis vi producta. Cf. adnott. ad Ecl. IV, 51. VI, 44. 53. al. — *Hyades,* pluviales dictae a Graeco verbo *ὕειν*, item septem stellae in capite tauri, quorum ortum (7—12. Maii) plerumque diuturnae pluviae comitabantur. Rustici Romani *suculas* eas nominabant, falsa etymologia nomen a Graeco *ὗς*, sus, deducentes, quam tamen etymologiam propter brevem vocalem *y* defendunt Nitzsch. ad Hom. Odyss. T. II. p. 42. et Schiller. *Commentar zu einigen Oden des Horatius* p. 7. — *Arctos,* ursa maior, Helice, olim Callisto, *Lycaonis,* Arcadici regis, filia, quam, ex Iove gravidam, Diana in ursam mutavit, postea autem in venatione occisam Iupiter inter astra recepit; quamquam alii aliter rem narrant. Cf. Apollod. III, 8, 2. Pausan. VIII, 3. Hygin. Astron. II, 1. Ovid. Met. II, 410 sqq. Fast. II, 155 sqq. Eratosth. Catast. c. 1. et 2. Ad hanc ursam maiorem, splendidissimum sidus, Vossio auctore imprimis Graeci nautae cursum dirigebant, Phoenices autem ad Cynosuram s. ursam minorem. (Ovid. Fast. III, 107.) *Lycaonis Arcton,* scil. filiam. Cf. supra Ecl. VI, 74. *Scyllam Nisi.* Conington comparat Ovid. Met. XIII, 293. *Pleïadasque Hyadasque immunemque aequoris Arcton.* — „*claram,* tamquam sidus. Sic supra v. 5. *clarissima mundi lumina.* Nisi forte Vergilius Graecum versum ante oculos habuit: *Πληϊάδας θ' Ὑάδας τε, κλυτήν τε Λυκάονος Ἄρκτον.*" *Heyn.* Sed vide supra. — 139. Venatio et aucupium inventum; et artis quidem feras laqueis capiendi

Inventum et magnos canibus circumdare saltus; 140
Atque alius latum funda iam verberat amnem
Alta petens, pelagoque alius trahit humida lina;
Tum ferri rigor atque argutae lamina serrae, —

---

secundum Geo. IV, 317. Aristaeus auctor fuit. Cf. Plin. XVI, 44, 94. Aurea aetas laqueorum et retium usum ignoravit. Cf. Ecl. V, 60. — Inter *feras* etiam aves comprehensae latent. Eadem ratio est Lucr. III, 901. *malis morsuque ferarum tractari*, ubi *ferae* pariter aves quoque complectuntur. Cf. etiam Plin. X, 38, 54. *Vultur et ferae graviores, nisi ex procursu aut altiore cumulo emissae, non evolant.* — *viscus* s. *viscum*, gluten e baccis visci (*Mistel*), herbae sine radicibus e truncis et ramis arborum prodeuntis, coctum. — *Tum.* Memorabilis hic locus, quod unum *tunc* (v. 136.) quater excipit *tum*, nulla tamen varietate lectionis enotata, nisi quod v. 139. in Medic. a m. pr., uno Bern. et Senecae Ep. 90, 11. Codd. *tunc* legitur, v. 137. autem Serv. ad Aen. VI, 64. male exhibet *Navita cum*, (ibi tamen etiam Nonio p. 184. et hic Probo I, 18, 3. *tum* tuente). Cf. Wagn. Qu. Virg. XXV. p. 496. et adnott. ad Ecl. III, 10. Neutiquam tamen adsentiri possum Iahnio, qui ad Ecl. III, 10. p. 370 sq. *tum*, h. l. ter repetitum non pro temporali Particula habet, sed pro enumerante et per *praeterea* explicat. — 140. *canibus circumdare saltus* iam legimus Ecl. X, 57. Sic etiam Nemes. Cyn. 303. *magnos circumdare saltus.* Plenius *nemorum saltus* Ecl. VI, 56. Laudantur hi duo versus a Seneca Ep. 90, 9. — 141. Etiam piscatus inventus. — *funda* (*ein Wurfnetz*), a *linis* v. seq. commemoratis diversa, idem est quod Graeci *βόλος*, Romani etiam *iaculum* (Ovid. A. A. I, 763. Auson. Epist. IV, 56.) vel *rete iaculum* (Plaut. Truc. I, 1, 14.) vocant, rete minus, infundibuli formam habens et glandibus plumbeis gravatum, quod celeriter in fluvium proiicitur (cf. Voss.); qua de causa aptissime dicitur: *verberat amnem*, nam funda globulis illis utique ferit fluvium. — 142. Prius cum Heynio, Wagnero (Qu. Virg. XXXIV. p. 553.), Schirachio p. 422. et Beckero Eleg. Rom. p. 56., locum sic distinxi *amnem; Alto petens pelagoque*, non haerens in Copula tertio demum sententiae vocabulo adiuncta, quae hic non duas illas sententias *alius funda verberat amnem* et *alius alta petens trahit lina*, sed tantum verba *alta petens* et *pelago* coniungat, ut *pelagoque* per epexegesin addatur et verbum *trahit* bis intelligendum sit: *alta petens trahit* et *pelago trahit* atque haec prodeat sententia: alius in flumine tantum piscatur: alius, alta petens, in ipso pelago pisces captat. Scilicet mihi nondum innotuit locus, ubi *altum* etiam de flumine diceretur; nunc vero, cum sciam, Livium quoque XXI, 28, 10. de *alto* Rhodani fluvii loqui, Ladew., Wagn. in min. edit., Coningtonem et Ameisium Spic. p. 18. secutus, deserui quaesitam illam explicationem et mutata distinctione locum sic interpretor: audet piscator ad medium fluminis alveum procedere, etiamsi illud tam *latum* est, ut ipse *altum* mare petere sibi videatur. Ceterum Peerlk. p. 125. coni. *Alta petens pelago alius* et Hanovius in Mützell. *Zeitschr.* XVII. p. 78 sq. et in Sched. crit. p. 3. *Alta petens alius pelago*, quod arridet Ribbeckio in Proleg. p. 54. Utraque autem coniectura non opus esse docet Ladew. Progr. p. 15. — *lina* (*das Zuggarn*), Graec. *σαγήνη*, i. q. everriculum (Varr. R. R. III, 17, 3.), quo voc. Cicero Verr. IV, 24. in. utitur, ad Verris nomen alludens. — 143. „*ferri rigor*, pro rigido ferro, ad imitationem Lucretii dictum, qui I, 493. commemorat *auri rigorem*. *Ferri rigor* etiam apud Manil. II, 780. Cassiod. III, ep. 25. et alibi, *chalybis rigor* Anthol. Lat. Burm. III, 134. legitur. [Conington comparat Lucr. VI, 1011. *validi ferri natura et frigidus horror* et II, 410. *serrae stridentis acerbum Horrorem.*] Intelligitur autem h. l. usus ferri ad instrumenta procudenda, securim imprimis, durati: adiicitur serra, ferro iam in laminas cudi coepto." *Heyn.* Male Wakef. ad Lucr. VI, 367. *rigorem ferri* h. l. interpretatur „durum ferri frigus vel glaciem ferri." Verbum sententiae e v. 145. petendum: *venit*, i. e. provenit, innotuit, inventus est. Cf. adnott. ad v. 54. — *arguta serra.* Vid. adnott. ad Ecl. VII, 1. Serram secundum Plin. VII, 56, 57. et Senec. Ep. 90, 11. Daedalus ipse,

Nam primi cuneis scindebant fissile lignum —
Tum variae venere artes. Labor omnia vicit
Improbus et duris urguens in rebus egestas.
Prima Ceres ferro mortalis vertere terram
Instituit, cum iam glandes atque arbuta sacrae
Deficerent silvae et victum Dodona negaret.

---

secundum Ovid. Met. VIII, 244. Daedali nepos invenit ad exemplum spinarum piscium. — 144. *Primi* enim (i. e. omnino homines antiquissimorum temporum, qui nondum ferreis instrumentis utebantur, ut etiam nos dicimus *die ersten Menschen*, nisi praefers Wagneri explicationem: „qui primi scindebant lignum, scindebant cuneis") lignum *fissile* (quod facile findebatur) non nisi cuneorum ope scindebant. Ceterum Heyn., Peerlk. p. 125., Ladew. et Ribbeck. in Proleg. p. 50. hunc versum, quem tamen non solum omnium Codd., sed etiam Servii ad h. l. et ad Aen. VII, 509. atque Senecae Ep. 90, 9. auctoritas tuetur, pro alieno a re additamento habent, quo sententiarum nexus interrumpatur et languorem trahat; et sane negari nequit, eum sine ullo damno desiderari posse, neque minus verum est, quod Ribbeck. adnotat, offendere cunei commemorationem, „quasi eo post inventam serram uti desiissent homines", et potuisse eum ex Aen. VI, 181. *cuneis et fissile robur Scinditur* et XI, 137. *Robora nec cuneis - - scindere - - cessant* consarcinari, quod Peerlk. et Ladew. censent; omnium tamen Codd. et h. l. et apud Senecam consensum a simplici assensione me cohibere fateor. — 145. *venere*. Vid. supra ad v. 54. — *vicit*. Ita plurimi et optimi Codd., quos omnes fere editores sequuntur. Voss. tamen defendit alteram lectionem *vincit*, ut communem hic habeamus sententiam ad omnia tempora pertinentem. — 146. *labor improbus*, pervicax, perstans, qui nullam molestiam fugit, nulla aerumna vincitur. Cf. supra v. 119. ibique adnott. Ceterum hunc versum, qui in proverbii consuetudinem venit, satis illustravit Erasm. Adag. I, 5, 22. et II, 2, 53. — *duris urguens in rebus egestas*. Cf. Theocr. XXI, 1. *ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα ἰὰς τέχνας ἐγείρει*, quem Iacobs. laudat ad v. 133. Sed ne v. 145. eadem, quae supra v. 133. dixerat poëta, repetere videatur, Wagn. tenendum esse docet, v. 145. *varias artes* proprie dici varia artium genera, artificia; superiora autem strictiore sensu capienda et ad agriculturae inventionem referenda esse. Ceterum mirum est, Cod. Med. in Georgicis ubivis offerre formam *urgere*, in Aeneide autem saepius alteram *urguere;* sed etiam in illis libris Cod. Rom. interdum praebet formam *urguere*, ut IV, 290.; quare nos eam ubivis Vergilio vindicavimus. Cf. Harles. ad Cellar. Orthogr. p. 387. virisque doctis ab eo laudatis adde Oudend. ad Lucan. I, 147. Drakenb. ad Liv. IX, 21, 4. Schneid. ad Caes. B. G. II, 25, 1. et Wagn. Orth. Verg. p. 478. Ribbeck. edidit *urgens*. — 147. A digressione ad propositum reversurus, poëta sibi transitum parat hac sententia: Egestas fuit, quae, ut ad alias artes inveniendas et exercendas, ita etiam ad agros colendos homines impelleret. Nexus sententiarum hic est: Ante Iovem nullus erat agrorum cultus, v. 125., sub Iovis autem imperio variae artes inventae sunt et Ceres agri colendi rationem homines docuit. — *Cereris* merita praeter Orphei hymnum in hanc Deam concelebrat Ovid. Met. V, 341 sqq. Fast. IV, 395 sqq. Amor. III, 10 sqq. — *ferro*, vomere, rastro, ligone. — 148. „*cum iam silvae*, quae poëtis diis *sacrae* dicuntur, deficerent quod attinet ad *glandes et arbuta*; et cum *quercus*, cuius generis nobilissimae apud Dodonam silvae, non amplius satis magnam glandium copiam suppeditarent." *Heyn.* Ita etiam Manso *glandes* et *arbuta* quartum Casum habet, suppl. *quod attinet ad*. Rectius vero Wund. censet, collocationem verborum hanc iubere constructionem: *cum glandes atque arbuta silvae s. deficerent*. — *Silva sacra* scil. Iovi, cum de luco Dodonaeo cogitandum sit (cf. supra v. 8.). Alibi silvae, ut etiam singulae arbores, *quercus* Ecl. VII, 13., *pinus* ibid. v. 24., propter Dryadas eas incolentes *sacrae* dicuntur. Cf. adnott. ad Ecl. V, 59. — *arbuta*. Vid. adnott. ad Ecl. III, 82. — *Dodona*, poëtice pro quercetis. Cf. quae ad Ecl. IX, 13. et supra ad v. 8.

Mox et frumentis labor additus, ut mala culmos
Esset robigo segnisque horreret in arvis
Carduus; intereunt segetes, subit aspera silva,
Lappaeque tribolique, interque nitentia culta
Infelix lolium et steriles dominantur avenae.

---

adnotavimus. — 150. Redit ad propositum, v. 121. Mox etiam mala et damna invaserunt segetes; nam *labor* (ut Graec. πόνος pro πῆμα, βλάβη) haud raro pro damnis, incommodis. Cf. supra v. 79. et Geo. II, 343. 372. Frumenta igitur malis laborare coeperunt. — *mala robigo*, ut etiam Columellae X, 342. dicitur, est exitiosa, quae culmos exedit, ut apud Hor. Od. III, 23, 6. *sterilis robigo*, i. e. quae efficit sterilitatem. *Robigo* autem (ut hic in melioribus Codd. et, Wagnero teste, bis in Fastis Praenest. p. 326. edit. Suet. Wolf. pro vulg. *rubigo* scriptum legitur; cf. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 907. et Orell. ad Hor. Od. III, 23, 7., qui docet, vanum esse discrimen inter robiginem frumenti et rubiginem ferri, cum sit idem vocabulum) pulvis est rufus et lentus, qui a malis nebulis advectus herbas exedit (nobis *Mehlthau*.) Varr. L. L. V, 3. Colum. II, 12, 5. X, 342. Plin. XVIII, 10, 20. ib. 17, 44. 28, 63. Hor. Od. III, 23, 7. Colebant propterea Romani *Robiginem* deam (Varro l. l. Fest. s. v. Robigalia p. 134. ed. Lindem. Serv. ad h. l.) vel *Robigum* deum (Ovid. Fast. IV, 907. 920. Colum. l. l. Gellius V, 12. Tertull. Spect. 5.), cui sacra fiebant, ut robiginem a segetibus averteret, et quotannis a. d. VII. Kal. Maias *Robigalia* celebrabantur, in quibus canem rufum immolabant, Syrium illius mali causam habentes. (Cf. Ovid. et Colum. ll. ll. Plin. XVIII, 29, 69. Merkel. ad Ovid. Fast. p. CXCI. et CXV. Scheiffele in Pauly *Realencycl.* VI, 1. p. 483. al.) — *Esset*, exesset; constat enim voces *esse* et *edere*, ut sunt significatione maxime cognatae, ita etiam omnes formas a literis *es* incipientes habere communes. Aurea tamen aetate pronuntiando discernebatur *ēst* (*er isst*) et *ĕst* (*er ist*). — „*segnis*, qui efficit segne et retardat, ad quodcunque adhaerescit [quam explicationem probat Schirach. p. 582.]; aut, quod praestat, sterilis, infecundus. Nam *segnis*, qui motu caret, atque etiam qui nil gignit. Sic supra v. 72. *segnis campus*, Geo. II, 37. *terrae segnes*, et Geo. II, 275. *in denso ubere*, solo, *Bacchus non segnior*, vitis non minus ferax est.“ *Heyn.* Mihi quoque haec altera interpretatio, utpote simplicior, praeferenda videtur. Cf. etiam supra v. 94. *glaebae inertes*, et Geo. II, 208. *ignava nemora*. *Carduus* autem iure inter haec mala refertur, quod late serpere et semen quaqua versus disseminare solet. — *horreret* erectus staret, ut pili in metuentis corpore et similia, quod hic, ubi de planta spinis hirsuta sermo est, i. q. cresceret, proveniret. Cf. infra II, 69. 142. Aen. XI, 602. ibique adnott. — 152. *intereunt segetes* etc. Animadvertendum ad constructionem suaviter variatam; nam proprie sic pergi debebat: *interirent segetes* etc., ut etiam haec, quemadmodum antecedentia, penderent a verbis *labor additus frumentis*. — *silvam* vocat lappas, lolia etc., ut v. 76. leguminum *silvam sonantem* legimus. Ea *subit*, succedit in segetis locum. — 153. „*lappae*, nostris *Kletten*. Plin. ἀπαρίνην ita reddidit.“ *Heyn.* Ubinam? Immo ἀπαρίνη (*Klebkraut*), quam Dioscor. III, 94. (104.) et Plin. XXVII, 5, 15. describunt, longe alia est planta. Coniungit autem Plin. XVIII, 17, 44. eodem modo *lolium*, *tribulos*, *carduos* et *lappas*, quas herbas *inter frugum morbos potius*, *quam inter ipsius terrae pestes* numerat. *Lappaeque tribolique*, ut Ecl. IV, 51. *Terrasque tractusque*, ubi vid. adnott. — *tribolus*, (quam scripturam pro vulg. *tribulus* ex Med. et aliis bonis libris cum recentissimis editoribus recepimus: cf. Wagn. Orth. Verg. p. 476. et Ribbeck. Proleg. p. 437.) τρίβολος, herba spinosa, a semine triangulari dicta, et in Italia frequentissima, *Burzeldorn*. Cf. Dioscor. IV, 15. Theophr. h. pl. VI, 5. Plin. XXI, 15, 54. XXII, 10, 12. Ovid. Met. V, 485. *Lolium tribolique fatigant Messis et inexpugnabile gramen*. ibid. XIII, 803. *Asperior tribolis*. — *inter nitentia culta*. Sic saepe *nitere* de laetis campis et pratis. Cf. Aen. VI, 677. *campi nitentes*. Ovid. Fast. IV, 126. *Vere nitent terrae*. Petron. c. 99. *aratro domefacta tellus nitet* etc. — 154. *Infelix lolium, steriles avenae*. Vid.

Quod nisi et adsiduis herbam insectabere rastris 155
Et sonitu terrebis aves et ruris opaci
Falce premes umbram votisque vocaveris imbrem,
Heu magnum alterius frustra spectabis acervum,

---

adnott. ad Ecl. V, 37., ubi totum fere hunc versum iam legimus. — 155. *Quod nisi.* Cf. adnott. ad Ecl. IX, 14. — *herbam insectabere.* Vulgo *terram insectabere*, quod Heyn. ad glebarum tenacitatem refert; sed iam Wund. bene perspexit, non de tenacitate glebarum hic agi, sed ad herbas inutiles et noxias (v. 151—154.) hunc versum esse referendum; quare prorsus adsentior Wagnero, Med., Gud. et aliorum bonorum Codd. lectionem *herbam insectabere* contra vulgarem (a Rom. in ras., Bern. c. et Servii Codd. exhibitam), quae ex v. 104. *arva insequitur* orta esse videatur, ita defendenti, ut dicat, de terra insectanda, i. e. de glebis comminuendis, iam supra satis esse dictum, nunc vero etiam exponendum, quomodo illis incommodis medendum sit, quae ex lappis, tribulis aliisque id genus herbis modo commemoratis oriantur. Sententia igitur haec est: Ut ager his herbis inutilibus liberetur, rastri vel sarculi ope strenue sarriendum vel manu runcandum est; qua de re cf. Plin. XVIII, 21, 50. Colum. II, 11, 12. X, 88. XI, 2, 7. 40. Varr. R. R. I, 30. Vid. etiam Ovid. ex P. I, 8, 59. et Hor. Epist. I, 14, 27. (ibique Düntzer. et Obbar.) — *adsiduis* (de qua scribendi ratione vid. Wagn. Orth. Verg. p. 408. Cf. tamen etiam Ribbeck. Proleg. p. 400.) pro assidue. Cf. Tibull. II, 1, 51. *Agricola assiduo primum satiatus aratro.* Vid. adnott. ad Aen. VIII, 559. — *insectabere* pro insectatus fueris. Wund. inter alia exempla utriusque Futuri simplicis et exacti a poëtis interdum confusi confert etiam Ter. Ad. I, 1, 30. *Nam qui mentiri aut fallere insuerit patrem, aut Audebit, tanto magis audebit ceteros*, ubi tamen Fleckeisen *Fraudare* tanto etc. coniicit. Minus offenderent haec Futura simplicia, nisi v. 157. sequeretur *vocaveris.* Sed vide Ruddim. II. p. 345. not. 7. — 157. Frondes arborum umbram facientium amputandas esse dicit. — *rus opacum*, arboribus consitus ager, pro ipsis arboribus, ut *umbra* pro umbrosa fronde. (Cf. adnot. ad Ecl. IX, 20.) — *Falce premes umbram*, falce vineatica s. cultello incurvo vinitoris comprimes, compesces nimiam pampinorum luxuriem. Vid. Hor. Od. I, 31, 9. *Premant Calena falce vitem.* Ovid. Met. XIV, 638. *aduncā - - falce, Qua modo luxuriem premit et spatiantia passim Brachia compescit.* Calpurn. V, 110. *molle salictum premes* (coll. v. 98. *incipe falce nemus vivasque recidere frondes*). Cf. etiam Geo. IV, 131. et Catull. LXIV, 41. *Non falx adtenuat frondatorum arboris umbram.* Ceterum Wagn., quem secuti sumus, ex Med., Rom., Gud. multisque aliis et Vergilii ipsius et Servii Codd. pro vulg. *umbras* (quod tamen Ribbeck. servavit, Pal., duo Bern. et Philarg. secutus) restituit lectionem *umbram*, „nihil reveritus τὸ κακόφωνον, quod quis deprehendere sibi videatur in vocc. *umbram — imbrem*," utque Vergilium probaret „haud raro studiose quaesivisse verborum quandam similitudinem, qua orationem per se concitatam etiam alacriorem redderet," his exemplis usus est: Aen. IX, 634. X, 735.; in vivida descriptione: Geo. II, 441. Aen. VIII, 644 sq.; in re atroci: Geo. III, 421. Aen. VIII, 669. IX, 621.; in re lugubri: Aen. XI, 189 sq.; in re horroris plena: Geo. I, 479. Adde Aen. X, 735. et XI, 189 sq. atque cf. adnott. ad Ecl. VIII, 80. Ceteri recentiores editores nobiscum *umbram* receperunt. — *votisque vocaveris imbrem.* Eiusmodi vota maxime in feriis sementivis, quae satione peracta hieme celebrabantur, facta esse, coll. Ovid. Fast. I, 679 sqq. docet Voss. Respicit autem ad Iovis Pluvii invocationem: *ὗσον, ὗσον, ὦ φίλε Ζεῦ* (M. Antonin. V, 7.); de qua re vid. Burm. ad illa Petronii c. 44. *Iovem aquam exorabant* etc. — 158. 159. „Messem parcam fore dicit Vergilius. Ex Hesiod. Ἔργ. 394 sq. *ὥς τοι ἕκαστα Ὥρι' ἀέξηται· μή πως τὰ μεταξὺ χατίζων Πτώσσῃς ἀλλοτρίους οἴκους καὶ μηδὲν ἀνύσσῃς.*" *Heyn.* — Ceterum apud Senecam de Benef. VII, 5. legitur *Heu frustra magnum alterius.* Sed vulg. scripturam praeter Codd. tuetur etiam Nonius p. 402, 12. Wakef. ad Lucr. II, 2. defendit unius Cod. Mus. Brit. lectionem *sperabis*, e cuius interpretamento *exspectabis* (quod praebet Rib-

Concussaque famem in silvis solabere quercu.
Dicendum et, quae sint duris agrestibus arma,
Quis sine nec potuere seri nec surgere messes:
Vomis et inflexi primum grave robur aratri
Tardaque Eleusinae matris volventia plaustra
Tribulaque traheaeque et iniquo pondere rastri;

---

beckii Cod. Bern. c.), vulgatam ortam censet parum probabiliter. Ceterum Ribbeck. et Haupt. cum Palat. a. m. pr. hic et infra v. 185. scripserunt *acervom.* — 159. *famem solabere quercu.* Sic Calp. IV, 32. *viridique famem solarer hibisco.* — 160. sqq. De instrumentis operis rustici agit. *Arma* enim de omnibus omne genus instrumentis dici constat. Sic Aen. I, 177. *arma Cerealia*, Aen. V, 15. VI, 355. et saepius *arma navalia*, Liv. XXXV, 23, 11. *arma equestria*, Martial. XIV, 36. *Tondendis haec arma tibi sunt apta capillis.* — *duris agrestibus.* Cf. Aen. VII, 504. — 161. De forma *quis* s. *queis* vid. ad Ecl. I, 72. Praepositiones autem imprimis Pronomini relativo saepissime postponi, res est notissima. Cf. exempla a Ruddim. II. p. 335 sq. et Ramsh. §. 151. 3. et 4. collecta, quibus adde Aen. I, 348. *quos inter.* Lucr. III, 851. *quibus e.* Cic. Manil. 16, 47. *quo de.* id. Acad. prior. II, 15, 47. *quos contra.* Tac. Ann. XV, 1, 4. *quem penes* etc. — *potuere* ἀοριστικῶς pro possunt. Cf. supra ad v. 49. — 162. *Primum* in enumerationis principio positum, non sequente Adv. *tum* vel *deinde*, ut saepe; cuius tamen vice interdum aliae Particulae funguntur, *vero, etiam, autem* etc. Cf. Geo. III, 384. Cic. N. D. II, 17, 45. Fin. II, 1, 1. Tusc. I, 24, 57. et quae disputarunt Viri docti a Kühnero ad Cic. Tusc. IV, 35, 74. et Kritz. ad Sall. Iug. 45, 2. laudati, quibus adde Beneck. ad Cic. Cat. II, 10, 21. et Wagner. Qu. Virg. XXVIII, 1. — *vomis*, rarior forma pro vulgari *vomer*, qua utuntur etiam Cato R. R. 135, 2. et Colum. II, 2, 26. Cf. etiam quae supra ad v. 46. adnotavimus, Heins. ad Ovid. Fast. IV, 927., ubi unus certe Cod. hanc formam praebet, et Serv. ad Aen. I, 293. — *robur aratri* eadem ratione dictum, qua supra v. 143. *ferri rigor* et multa similia. Cf. Aen. VII, 609. *aeternaque ferri Robora.* Lucr. I, 881. (fruges) *robore cum saxi franguntur*, et II, 449. *Et validi silices et duri robora ferri.* Imitatur nostrum Val. Fl. VII, 555. *pars diri portant grave robur aratri. Gravi* autem aratro opus est ad pingue Italiae solum subigendum, ut quam altissimi fiant sulci; nam quo gravius est aratrum, eo altius terrae vomer infigitur. Cf. etiam Plin. XVIII, 18, 47. Varro R. R. I, 19. Colum. II, 2. et Voss. ad h. l. — *inflexi.* Cf. infra v. 169 sq. ibique adnott. — 163. *plaustra* (*Feld-, Getreidewagen*), quorum rotae, aut binae, aut ternae, non habebant radios, sed solidis orbibus constabant, quapropter *tympana* vocabantur. Cf. Geo. II, 244. Eiusmodi autem plaustra a bubus tracta graviterque onerata non nisi tarde promoveri posse, per se patet. — *tarda volventia* pro tarde se volventia. De Adiectivo pro Adverb. posito vid. adnott. ad Aen. VIII, 559., de verbo activo reflexiva, quam vocant, significatione usurpato ad Aen. I, 234. — *Eleusinae matris.* „*Cereri* sacra erant, quippe a qua omnino operis rustici ratio profecta; non vero, quod eorum usus in *pompa Eleusinia* praecipuus fuerit, ut inter instrumenta Orgica essent; in pompa enim Eleusinia Ceres in thensis, ἐπ' ὀχήματος, quadrigis candidis ducebatur. Vid. Spanh. ad Callim. Cer. 122." *Heyn. Mater* Ceres hic eodem iure dicitur, quo alias dii haud raro *patres, genitores* (cf. supra v. 121. II, 4. 617. IV, 369. Aen. I, 155. II, 617. V, 14. VII, 327. XII, 703.); quamquam alias Cybele tantum, magna mater deorum, hoc nomine appellari solet (Aen. III, 111. IX, 619.). Eleusis autem s. Eleusin, Atticae civitas maritima (cuius reliquiae apud vicum *Levsina* s. *Lessina* inveniuntur: cf. liber meus *Handb. d. alt. Geogr.* III. p. 950.), ob Cereris cultum et mysteria celeberrima, quod ibi Ceres Triptolemum instituisse ferebatur. (Vid. supra ad v. 19.) Cf. Hyg. f. 157. Ovid. Fast. IV, 507 sqq. Cic. N. D. II, 42, 119. et Serv. ad h. l. — 164. *tribulum* et *trahea* instrumenta erant, quae frumentis terendis inserviebant (*Dreschmaschinen*); et *tribulum* quidem, τρίβολον

Virgea praeterea Celei vilisque supellex, 165
Arbuteae crates et mystica vannus Iacchi.
Omnia quae multo ante memor provisa repones,
Si te digna manet divini gloria ruris.

(*den Dreschwagen*, quem Coningtone teste Itali etiamnum *trebbio* et Hispani *trillo* vocant), Varro R. R. I, 52, 1. ita describit: *Tribulum fit e tabula lapidibus aut ferro asperata, quae imposito auriga aut pondere grandi trahitur iumentis iunctis, ut discutiat e spica grana.* Cf. id. L. L. IV, 3. et Plin. XVIII, 30, 72. Servius ad h. l. addit, omni parte dentatum et apud Afros maxime in usu fuisse; quare etiam *plostellum Poenicum* vocabatur. (Varro R. R. l. l.) Turcos eo instrumento etiamnunc uti, auctor est Heyn., qui confert P. Lucas *Voyage dans la Grece* T. I. p. 182., ubi etiam forma eius expressa sit. *Trahea* s. traha (*die Dreschwalze, Dreschschleife*) a trahendo dicta, ἕλκηθρον Graecorum, genus vehiculi sine rotis, infra lapidibus acuminatis vel dentibus ferreis obsitum. Etiam apud Colum. II, 21. cum *tribulo* coniungitur. De utroque conf. Scheffer. de re vehic. II, 7. — *iniquo pondere*, paene nimis gravi, quod vires fere superat, ut Geo. III, 347. *iniusto sub fasce.* De *rastro* vid. adnott. ad Ecl. IV, 40. (Bryce omnium horum instrumentorum imagines exprimi curavit.) — **165.** Per reliquam *supellectilem*, quae utpote ex *viminibus et materia rustica* facta, quemadmodum Varro ait I, 22, 1., *vilis* appellatur, intellige orbes, fiscellos, formas casearias et similia vasa. *Celei* dicitur Eleusinii, quia eius filius Triptolemus (vid. supra ad v. 19., ut de Celeo ipso Ovid. Fast. IV, 508. et Hygin. fab. 147.) a Cerere hospitio excepta sationem frugum didicerat. Vid. Callim. h. in Cer. 97 sqq. et Apollod. I, 5, 1. ab Heynio laud. Referuntur autem ad illam supellectilem *crates* (ad occandum, vid. supra v. 95.) et *vannus*, s. cribrum cereale, quo paleae post triturum a frumento ventilando excernebantur (cf. Geo. III, 134.), cuiusque usus erat in *mysteriis* Eleusiniis; portabatur enim tamquam signum lustrationis et purgationis in pompa *Iacchi* (vid. ad Ecl. VI, 15.), quae certo die ex Ceramico Eleusinem ducebatur. Cf. Meurs. Eleusin. c. 27. Ceterum Hesiodi locum Ἔργ. 423 sqq. ante oculos fuisse Vergilio, Heyn. iam adnotavit. — *mysticus* raro tantum apud poëtas (v. c. Tibull. III, 6, 1. Martial. VIII, 81, 1.), numquam apud pedestres aureae aetatis scriptores invenitur. „Vocabatur *mystica vannus Iacchi*, inquit Pomponius Sabinus, quia Isis fratrem suum Osirim, i. e. Liberum patrem, mutilatum a Typhone, vanno collegit. Inde adhiberi potuit mystificis s. arcanis sacris huius Dei.“ — **167.** „Ex Hesiod. Ἔργ. 457. τῶν πρόσθεν μελέτην, ἔχεμεν οἰκήια θέσθαι. — *ante*, quam usus erit. — *memor* ad ornatum adiectum, ut ibid. v. 422. μεμνημένος, providus, non omittens et obliviscens. Cf. Colum. I, 8, 8.“ *Heyn.* Vide etiam infra II, 347. *et multa memor occule terra.* — *provisa repones*, non tantum pro *providebis* positum, ut Heyn. censet; sed utrumque suam habet vim et significationem; nam sensus est: omnia haec instrumenta mature conficienda curabis, tibi parabis in futurum usum, et ad eum diligenter servabis. Ceterum cf. Hor. Epist. I, 18, 109. *provisae frugis in annum Copia.* — **168.** Si satis magnum ex opere et re agresti laudem consequi cupis. — *si manet* pro: si vis, ut te maneat. Vid. etiam ad Aen. XII, 568. — *digna gloria*, quae tibi debetur propter industriam tuam, quae respondet labori tuo. Sic *praemia digna* Aen. I, 605. Ovid. Fast. I, 678., *fructus dignus* B. Alex. 32., *poena digna* Sall. Cat. 51, 8. et similia. — *divini ruris* Heyn., comparans Graec. θεῖος, δῖος, explicat per *praeclarus;* rectius interpretaris de arvis a diis agrestibus ex vulgi opinione habitatis, vel certe iis gratis et acceptis. Cf. supra v. 10. *Agrestum praesentia numina Fauni* et modo v. 163. et 166. commemorata Cereris et Bacchi numina. Aliter Wagn., haec adnotans: „ut philosopho sapientia, artifici ars sua, alia aliis divina videntur et dicuntur, ita ei, qui praeter cetera amat rem rusticam, rus;“ quam explicationem erunt fortasse qui nostrae praeferant. Peerlk. p. 126. [et p. 244., ubi per errorem tota eius disputatio iteratur] hunc versum spurium censet, cum langueat epitheton *divini* totaque eius Latinitas displiceat; sed recte pro eo intercedit Ribbeck. Proleg. p.

Continuo in silvis magna vi flexa domatur
In burim et curvi formam accipit ulmus aratri.
Huic ab stirpe pedes temo protentus in octo,
Binae aures, duplici aptantur dentalia dorso.
Caeditur et tilia ante iugo levis altaque fagus

52., qui defendatur et explicetur Eleusinae matris et Iacchi numinibus (v. 163 sqq.). — 169 sqq. De *aratri* partibus singulis agitur. Vide autem, quam bene spondaici numeri vim huic rei adhibendam exprimant. — *Continuo*, statim principio (vid. ad v. 60.), *in* ipsis *silvis* ulmus, dum novella est et tenera, in *burim* inflectenda est, i. e. a rustico ita incurvanda, ut curva adolescat. Cf. Hesiod. Ἔργ. 427 sq. *Buris* s. *bura* (*der Krümmel, ὁ γύης* Graecorum), quae praeter h. l. non nisi apud Varronem I, 19, 2., commemoratur, proprie est pars aratri veteris posterior, cui et temo iunctus est et vomer ipse, h. e. lignum seu ferrum rostratum glebas eruens. (Nomen eius, de quo cf. Salmas. Exerc. Plin. p. 576. et Schneider. ad Varr. l. l., contractum est ex *βοὸς οὐρᾶ*. Vergilius utique distinguit inter buram et temonem; saepe vero etiam utraque pars aratri ex uno continuoque ligno conficiebatur, ut burae nomine temo quoque comprehenderetur, v. c. apud Varr. L. L. IV. p. 33., et Graec. *αὐτόγυον* significaretur.) — *curvi - - aratri*, proprie tantum curvae buris, sed cum bura praecipua pars aratri haberetur, interdum *aratrum* pro sola bura ponebatur; quare etiam ap. Lucr. V, 931. VI, 1252. et alibi *curvum aratrum* legimus. Huic buri *ab stirpe* (quod e Med. a. m. sec. aliisque libris Wagn. pro vulg. *a stirpe* a Ribbeckio et Ladew. servato restituit: cf. Aen. I, 626. VII, 99. VIII, 130. IX, 603. Wagn. Qu. Virg. I, 1. et quae ad Ecl. III, 59. VII, 6. adnotavimus), in inferiore parte trunci (ut Geo. II, 53. 312. Aen. XII, 208.), *temo* (*ἰστροβοεύς, der Pflugbaum, Grengel*) *pedum octo*, tum aures et dentalia iunguntur. Ceterum ut hic *pedes protentus in octo*, sic Anth. Lat. Burm. III, 81, 4. legitur *protentus in octo dies*. — *Aures* (*πτερά*) sunt duae tabulae inferiori burae parti utrimque applicatae, quibus sulcus latior et porca altior efficitur. Cf. Varro R. R. I, 29. Palladius I, 43, 1. *Aratra simplicia, vel, si plana regio permittit, aurita, quibus possint contra stationes humoris hiberni sata celsiore sulco attolli;* unde patet, Vergilium non simplex aratrum hic describere, sed plenissimum, ad omnes usus instructum. Conington putat id aratrum describi, quod Angli vocent *strike furrow plough*. — 172. *Dentale* Heyn. (coll. Colum. II, 24., ubi iunguntur vomer et dentale) de ipso vomeris dente intelligit, ut *duplex* eius *dorsum* ad duo vomeris crura referendum dicat. Sed ex ipso illo Columellae loco dentale et vomerem res diversas et Servii explicationem, ex qua *dentale* (*ἔλυμα, der Schaarbaum, das Pflughaupt*) lignum est illud, quod vomerem recipit, cui ferreus dens vomeris induitur, veriorem esse patet. Cum enim Vergilius non nisi de ligneo aratri apparatu loquatur, vomerem ipsum (quem alibi, v. c. infra v. 262. et ap. Varr. L. L. IV. p. 33. *dentem* quidem, nusquam vero *dentale* vocatum videmus) prorsus silentio praetermitti, non potest offendere. *Duplex dorsum* Voss. rectissime interpretatur *die Sohlhölzer, die beiden Schenkel des Schaarbaums, die spitz in den Pflugschaar zusammenlaufen*; quare etiam *dentalia* plerumque Plurali numero commemorantur. Cf. Pers. I, 73. *sulco terens dentalia*. (Schirachio p. 383. *dentalia* per appositionem adiecta videntur verbis *binae aures*, ut utrumque eandem rem, asserculos illos modo dictos significet; quod nemo facile probabit.) Est autem *duplici dorso* non Casus tertius, sed Ablativus, quem vocant, qualitatis, ita ut ad verbum *aptantur* supplendus sit Casus Obiecti *aratro*. Ceterum *dorsi* nomen Wagn. inde repetit, quod vel dentalibus velut dorso binae istae aures impositae sint, vel vomeris dens indutus sit illorum extremae parti velut capiti, a quo, ut in equis, tauris etc., longum dorsum protendatur. — 173. Mox ex *levi* ligno *iugum*, cui subiungebantur tauri ope subiugiorum lororum, ac *stiva* (*Sterze*), lignum per burim in dentale descendens eique infixum atque manubrio praeditum, quo aratrum regebatur vomerque vel tollebatur vel deprimebatur, confi-

Stivaque, quae currus a tergo torqueat imos,
Et suspensa focis explorat robora fumus.
Possum multa tibi veterum praecepta referre,

---

cienda dicuntur, *quae currus imos a tergo torqueat*, h. e. aratrum ipsum rotis subnixum. (Vid. tamen, quae infra scripsimus). Cf. Plin. XVIII, 18, 48. Ceterum non temere in h. l. haerentes Io. Schrader. v. 174. et 173. transponendos esse censuit, et re vera transposuit Ribbeck. Martinus autem pro vulg. *altaque fagus Stivaque* legendum esse suasit *altaque fagus Stivae* (sc. *caeditur*, ut antea *tilia iugo:* caeditur fagus in usum stivae, ut inde stiva fiat); quam coniecturam cum parallelismus membrorum maxime commendet et vulgatae origo, vel a sequente *quae*, vel a librariorum perversitate deducenda, qui *altaque fagus* male ad priora traherent, facillime possit explicari, cum Vossio, Mansone, Wunderl. et Iahnio (in priore edit.) prius recipiendam duxi; nunc vero cum Wagn., cui molestissima videtur haec ratio, qua versus meris decurrens dactylis exciperetur versu spondaico, (cf. eius Qu. Virg. XIII. p. 433. et XXXIII. p. 545.) et recentissimis editoribus Codd. lectionem revocavi, quam per epexegesin s. figuram *ἑνὸς διὰ δυοῖν* (de qua vid. adnott. ad Ecl. II, 8.) explicamus per stivam fagineam s. fagum, quae caeditur, ut inde stiva fiat. Iahn., qui in edit. II. et ipse restituit Codd. lectionem eam sic interpretatur: caeduntur tilia et fagus in usum iugi, et caeditur stiva, quae currum torqueat; quae tamen ratio hoc habet incommodi, ut praeter necessitatem duo arborum genera iugo assignentur, stiva autem nimis nude ponatur, ligno, ex quo conficienda sit, non commemorato. Praeterea Wagn. (quem hic in prima edit. temere secuti sumus) ex Paris. 2. 3. pro vulg. *currus* recepit *cursus*, quod Schulz. de aratri Romani forma et compositione (Jenae 1820. 8.) p. 34 sqq. vetus aratrum curru s. machina rotis instructa (*ein Pfluggestell*) caruisse evicerit, *cursus* autem non semper celeritatem, sed etiam quandam motus aequabilitatem et perpetuitatem significet. Cum tamen Servius adnotet: „*currus* dixit propter morem provinciae suae, in qua aratri habent rotas, quibus iuvantur", nunc in ceterorum librorum omnium lectione acquiescendum esse censui, quam etiam Iahn. et recentissimi editores retinuerunt et Wagn. ipse in edit. min. revocavit. *currus imi* igitur sunt humiles illae rotae primo temoni adiunctae. Ceterum Ribbeck. v. 174. et 175. fortasse secundis curis a poëta in margine adiectos suspicatur. (Cf. etiam eius Proleg. p. 43.) — 175. „*Robora*, h. e. materia s. lignum, unde haec conficiantur, *fumo durata* esse debent. Cf. Hesiod. *Ἔργ.* 45. 629. — *explorat* videtur exprimere naturam fumi, cum lente per minutas particulas sese insinuat, ut *iter, vias, tenebras explorare* dicimur. Potest tamen etiam dictum esse, ut poëtis alibi *probare*, ut de bonitate ligni inde constet, nisi enim firmum et probum sit, exarescens rimas aget." *Heyn.* Hanc alteram explicationem, iam a Servio propositam, cum Vossio praefero; quamquam Schirach. p. 404. priori calculum suum addit, comparans Hesiod. *Ἔργ.* 627. *πηδάλιον δ' ἐνεργὲς ὑπὲρ καπνοῦ κρέμασθαι.* Pro recepta autem lectione *explorat*, quam Med., Goth. 2. aliique boni libri exhibent, vulgo in codd. et editt. male legitur *exploret*; nihil enim praecipit Vergilius, sed narrat, quae fieri soleant, (*domatur, aptantur, caeditur*) et hic quoque e v. 173. repetendum est *ante*. Coniunctivus librariis debetur deceptis praecedente Coniunctivo *torqueat*. Ceterum de omni hoc loco cf. Heynii Exc. I. ad h. l. *de aratro Virgiliano*, cum Wagneri additamentis et praeter Brycei accuratam aratri descriptionem imaginibus illustratam, qui de duplici dorso („*the two sloping ridges joined in one*"), de dentalibus („*the two flaps, or ears of flukes of the share and share beam*") et de hodierno Italorum aratro nova quaedam proponit, et Coningtonis hac de re longiorem disputationem, imprimis Ginzrot. *über d. Wagen u. Fuhrw. d. Gr. u. Röm.* I. p. 26 sqq. Richtsteig. Excurs. de aratro Hesiodi et Virgilii. Vratisl. 1812. Schulz de aratri Rom. forma et constructione. Jen. 1820. et Rein. in Pauly *Realencycl.* I. p. 1410 sqq. ed. II. — 176. sqq. Excusat poëta argumentum carminis, cuius ratio postulet, ut etiam de eiusmodi tenuioribus rebus, quae per se non magni momenti sint, sermo instituatur. — *Pos-*

Ni refugis tenuisque piget cognoscere curas.
Area cum primis ingenti aequanda cylindro
Et vertenda manu et creta solidanda tenaci,
Ne subeant herbae, neu pulvere victa fatiscat,
Tum variae inludant pestes: saepe exiguus mus

---

sum. Cum in seqq. re vera multa praecepta referat Vergilius, Conington minus apte confert Plaut. Trin. II, 2, 104. *Multa ego possum docta dicta et quamvis facunde loqui* et Lucr. I, 400. *Multaque praeterea tibi possum commemorando Argumenta fidem dictis conradere nostris,* ubi pro *possum* (opp. sed nunc nolo) nos ex nostra dicendi ratione scripsissemus *possem* (si vellem). — 177. *refugis.* Cf. Aen. II, 12. — *curas*, opera, quae rusticis sunt curanda. Conington comparat Lucr. I, 410. *Quod si pigraris paulumve recesseris ab re.* — 178. De *area*, *ἀλωᾷ*, veterum cogitandum est; quae erat locus in ipso agro editior et leniter declivis, plerumque rotundus, qua ventus perflare posset, solidus ac complanatus, in quo frumentum ex agro congestum statim tribulis traheisque terebatur et vanno ventilabatur; tum purgatum corbe in horrea deportabatur. Vid. Cato R. R. 91, 129. Varr. R. R. I, 51. et Colum. II, 19. (20.) Scilicet sub miti et illo quidem anni tempore sicco Italiae caelo ad trituram non tecto loco s. horreo opus erat, ut apud nos; in iis tamen regionibus, ubi caelum inconstantius aut nubilaria vicina fuerint, etiam in horreis grana per hiemem perticis extrita esse, Heynius docet coll. Varrone I, 13, 5. et Colum. II, 21, 4. „Modum conficiendi aream eundem fere ac nostrum tradit praeter Varr. I, 51. Cato R. R. 91. et 129. Colum. II, 20. Vid. ad Tibull. I, 5, 21." *Heyn.* Voss. praeterea affert Colum. I, 6. XI, 2. Pallad. I, 36. VII, 1. — *cum primis* plerumque dicitur in comparationibus de iis, quae praecipue excellunt, sed interdum etiam de ordine et principio pro *primum, ante alia.* Cf. Hand. Tursell. II. p. 172. Quae in prioribus editt. Handii causa disserui de discrimine faciendo inter *cum primis* (= inter primos) et *cumprimis* (= praecipue), hic nolo repetere, quamquam a Coningtone probantur. „Pro *cylindro* Pallad. VII, 1. *rotundum lapidem vel columnae fragmentum* memorat. Eundem usum praestabat *pavicula*, instrumentum terrae paviendae et solidandae aptum. [Interdum etiam lapidibus molaribus ad aream condensandam utebantur. Cf. Colum. II, 10, 1.] Imitatur hunc locum Colum. X, 318 sqq. et respexit Plin. XVIII, 29, 71." *Heyn.* — 179. *vertenda manu*, perdepsenda. Recte autem Serv. adnotat: „*vertenda manu* per hysteron proteron; nam primum est, ut terra vertatur, deinde solidetur glarea, postmodum aequetur cylindro." — *creta* hic et infra II, 215. pro *argilla* posita videtur; nam Varro R. R. I, 51. diserte dicit: „*Aream esse oportet---solida terra pavitam, maxime si est argilla, ne aestu paeminosa in rimis eius grana oblitescant, et recipiant aquam, et ostia aperiant muribus et formicis.* — 180 sqq. Praeterea mures, talpae, bufones aliaque reptilia non minus quam curculiones et formicae nocent frumento; quod quo ornatu et copia poëta exponat, non est quod moneam. — *subeant* poëtice pro surgant e terra, procrescant. Sic de barba succrescente apud Martial. VII, 82. — *neu pulvere victa fatiscat*, neu aestu in pulverem solvatur et attenuetur. *pulvere* pro siccitate, effectus pro causa, ut iam Philarg. adnotat. „*Fatiscere* proprie est viribus fractis deficere, solvi, laxari, dilabi. Ita Aen. I, 123. *naves rimis fatiscunt*, solvuntur compagibus, ita ut rimae fiant. Infra Geo. II, 249. terra pinguis ac tenax *haud umquam manibus iactata fatiscit*, solvitur, dilabitur in grumas. Aen. IX, 809. *Saxis solida aera fatiscunt*, repetitis ictibus galea rumpitur. Apud Lucr. III, 459. *arva fessa fatisci* dicuntur, i. e. vetustate labefactari, solvi, dilabi." *Heyn.* Compara etiam similem locum Geo. II, 353. — 181. *Tum variae inludant pestes*, h. e. ne variae bestiolae nocivae invadant et eludant operam et curam agricolae. *Inludere* enim (*mitspielen, misshandeln*) est vexare, laedere, violare. Cf. Geo. II, 375., ubi capreae frondibus saepium inludere dicuntur. Tac. Ann. I, 71. XIII, 17. Hist. II, 94. etc. Pauci codd. (Med. et fragm. Ver. a m. sec., Pal. et duo Bern.) et editt. vulg. ante Heins. *illudunt*, male. *Tum* enim (quod alii in *Cum*, alii in *Nam* mutarunt), ut Wagn. docet, est

Sub terris posuitque domos atque horrea fecit,
Aut oculis capti fodere cubilia talpae,
Inventusque cavis bufo et quae plurima terrae
Monstra ferunt, populatque ingentem farris acervum
Curculio atque inopi metuens formica senectae.
Contemplator item, cum se nux plurima silvis

Copulae loco, et oratio sic se habet: ne fatiscat, et ubi hoc factum fuerit, variae pestes illudant. Cf. etiam Iahn. ad Ecl. III, 10. p. 372. ed. 2. Hinc cum Wagn. Semicolon, quod erat in fine v. 180., in Comma mutavimus. — *pestes* hic sunt animalia perniciosa, ut apud Colum. II, 9, 10. *Quaedam subterraneae pestes adultas segetes enecant.* Cf. etiam infra III, 419. et Aen. III, 215. Eodem modo de hominibus perniciosis et sceleratis usurpari constat. Cf. v. c. Cic. Sext. 14. extr. Verr. II, 3, 54. et in Plur. numero de har. resp. 2. extr. ad Fam. V, 8. etc. — *exiguus mus.* Haec clausula iam Quinctiliano VIII, 3, 20. mire placuit. Similiter Hor. A. P. 139. *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.* Omnino eiusmodi clausula versus monosyllaba lectoris animum attentum reddit aut ad magnum aliquid et maiestatis plenum (Geo. I, 247. *intempesta silet nox.* Aen. II, 250. *ruit oceano nox.* Geo. II, 321. *cum rapidus sol.* Aen. I, 65. *divum pater atque hominum rex*), aut ad grave aliquid et magnum, licet non excelsum et sublime (ut Aen. III, 390. *ingens inventa sub ilicibus sus.* Aen. V, 481. *procumbit humi bos.* Aen. I, 105. *insequitur cumulo praeruptus aquae mons.* X, 864. *aperit si nulla viam vis*, infra v. 313. *ruit imbriferum ver* etc.), aut denique ad minimum aliquid et ridiculum (ut II. supra II.), ita ut etiam ironiae interdum inserviat. Bene hoc perspexit Voss.; neque adsentiri possum Mansoni, eos omnes ridenti, qui eiusmodi clausulae monosyllabae aliquid tribuant, quam tamen vel in pedestri oratione interdum cum singulari quadam vi usurpatam scimus. Cf. Schütz. ad Cic. Mil. 4, 10. Hic igitur multum valet ad parvulum murem vivide depingendum. — 182. *posuit--fecit*, ponere, facere solet. Cf. adnott. ad v. 49. — *que--atque*, *τε--καί*, sibi respondent etiam Geo. III, 434. Aen. VIII, 486. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXXV, 23. — *domos.* Pauci Codd. *domus* (cf. Cortius ad Lucan. VIII, 216.); sed formam *domos* constanti fere potiorum Codd. auctoritate apud Verg. defendi, docet Wagn. — 183. *Oculis capti*, (pro quo unus Nonius p. 249, 23. exhibet *oculos capti*) i. e. caeci, *talpae* saepius dicuntur, quia oculi eorum sunt admodum parvi et obtecti. Ceterum *talpa*, alibi semper vocabulo femin. generis, Vergilius per licentiam poëticam mascul. genere utitur, ut etiam voc. *dammae* (Ecl. VIII, 28. Geo. III, 539.), quare utrumque locum memoratu dignum censet Priscian. V, 2, 7. p. 642. P. Cf. etiam Arusian. p. 243. Lind. Charis. p. 241. et A. de gen. nom. 102. Haupt. — 184. *Inventus*, scil. est. — *bufo, die Kröte*, praeter hunc locum nusquam videtur commemorari. — *quae plurima*, qualia multa, *οἷά τε πολλά*. Haud raro enim vocc. *multus* et *plurimus* praecedenti Pronomini relat. per appositionem adduntur eodem Casu. Vid. Aen. II, 178. IV, 333. XI, 352. Tibull. I, 2, 13. *quae plurima voce peregi Supplice*, ubi vid. Wunderl. Cf. etiam adnott. ad Ecl. VII, 60. — 185. *monstra*, animalia tetrae foedaeque formae. Vid. ad Geo. III, 152. — *„populat ingentem farris acervum* expressit Colum. II, 20., ubi de amurca, qua aream conspergere solebant veteres: *nam ea res a populatione murium formicarumque frumenta defendit.* Cf. Prudent. in Symm. I, 1052.“ *Heyn.* Cf. etiam Aen. IV, 402. *formicae farris acervum cum populant.* Aen. I, 527. XII, 263. Hor. Od. III, 5, 24. Prop. VI, 17, (III, 18,) 29. Pacuv. ap. Nonium I. n. 185. pluresque alios locos, ubi verbum activum *populare* legitur; de formicarum autem industria et providentia Hor. Sat. I, 1, 33. Iuven. VI, 361. Proverb. 6, 6. alios. — 186. De *curculione* vid. Varr. R. R. I, 63. Cato R. R. 92. Scribebatur etiam *gurgulio.* Cf. Pallad. I, 19, 2. Priscian. p. 614. 643. P. Schneider. Gramm. Lat. I, 1. p. 236. — *metuens senectae.* Eadem constructio redit Geo. II, 419. et Aen. X, 94. — *senectae*, i. e. hiemi, nam formicae unum modo annum vivere dicuntur. — 187. Sequitur locus de indiciis futurae fertilitatis vel inopiae. Ut enim de futuro

Induet in florem et ramos curvabit olentis:
Si superant fetus, pariter frumenta sequentur
Magnaque cum magno veniet tritura calore;
At si luxuria foliorum exuberat umbra,
Nequiquam pinguis palea teret area culmos.

---

anni proventu coniectura capi possit, observandum esse dicit poëta, an *nux amygdala*, quae primo vere (secundum Plin. XVI, 25, 42. iam m. Ianuario) floret, abundet multis floribus, ita enim magnam fertilitatem anni fore; sin pro flore arbor foliis luxuriet, frugum sterilitatem futuram esse. Idem fere de hoc rusticorum quasi oraculo etiam Theophyl. probl. nat. c. 16., et Philo vita Mos. II. p. 163. Mang. (iam a Cerda laud.) referunt. — *Contemplator* Heyn. putat esse τεχμαίρου Graeci poëtae; proxime tamen noster Lucretium imitatus videtur, apud quem II, 113. et VI, 189. legitur *Contemplator enim*. Inde etiam repetit Avien. descr. 772. — „*Nux plurima*, vel nux, quae multa est in silvis, h. e. quibus silvae abundant, vel, quod melius et poëta dignius, ut sit, quando nux *plurimum*, h. e. cum maxime, se induit, [ut sit i. q. plurimo flore se induit]. Geo. II, 163. Italia *auro plurima fluxit*. Cf. Ecl. VII, 60. [ibique et ad Ecl. I, 33. adnott.]" *Heyn.* *Nux* autem est generis nomen pro nuce amygdala, quae hic pro ipsa arbore amygdala ponitur. Cf. etiam adnott. ad Geo. II, 69. Conington conferri iubet Isidor. XVII, 7. et Theophyl. Nat. Qu. 17. — **188.** *Induet se in florem*, vestiet sese floribus, ut Aen. VII, 20. *quos - Induerat Circe in vultus ac terga ferarum*. Cf. etiam Cic. Verr. II, 42. in. *induere se in laqueum*. Usitatius esset *induit se flore*, ut apud Colum. IV, 24, 12. *induunt se uvis vites*, h. e. vestiunt se, et infra Geo. IV, 142. *Quotque in flore novo pomis se fertilis arbor Induerat*. — Verba *ramos curvabit olentis*, cum fructibus, non floribus, curventur rami, Wagn. sic explicat: cum curvi nucis rami multo flore olebunt; et sane poëtae licuit huius naturalis curvitatis causam etiam in floribus quaerere, qui copia sua videantur ramos deflectere (quod bene perspexit Ladew.); quare non opus est Peerlkampii (p. 126.) coniectura *curvabit olentis Se superans fetus*, quod explicat per: se maior, μείζων ἑαυτοῦ, i. e. uberior quam umquam antea fuit, coll. Plin. H. N. V, 27. XXXVI, 5. et Senec Med. 393. — **189.** *Si superant*, i. e. si florum maior est copia, quam foliorum, si amygdali floribus abundant. Vid. adnott. ad Geo. II, 331. — *fetus*. De floribus loquitur, ideoque tantum futuri fetus, in floribus adhuc latentes, intelligendi; ut Geo. l. modo l. *in flore novo pomis se fertilis arbor induerat*. — *pariter frumenta sequentur*, etiam frumenti maior erit copia. — **190.** *trituram* Heyn. putat pro *messe* dici; sed proprie est accipienda. Laboriosa tritura magnum frugum sequitur proventum. — *Magnus* autem *calor* solis iuvat trituram, cum aristas faciat exarescere. Cf. etiam infra v. 298. et III, 132 sqq. — **191.** *exuberat*, abundat. Cf. Geo. II, 516. *pomis exuberat arbor*. Lactant. de ira 13, 7. *ut vites fetibus, arbusta pomis exuberent*. — *umbram* pro ipsa arbore umbrosa, frondosa positam censent Burm. (comparans Geo. IV, 511. *populeam umbram*, i. e. populum) et Heyn., quibus quodammodo adsentitur Wagner., Qu. Virg. IX. p. 413., *umbram* h. l. de ipsis arborum frondibus densioribus, quas coronas vocemus, interpretans. Rectius, puto, Voss. et Wunderl. et hic proprie locutum Maronem censent, ut sensus sit: abundat umbra, effecta per luxuriam foliorum. Non tamen recitendum, Codd. fluctuare inter *luxuria*, *luxurie*, *luxuriae*; quare Heins. coni. *luxurians*, cui coniecturae Wagn. auctore fides accedere possit ex Serv. Dresd., in quo *luxuriam*. Plurimi vero et optimi Codd. consentiunt in vulg. lectione; quare nihil mutandum puto. — **192.** „*Area teret culmos*, poëtica ratione non infrequente pro: culmi terentur in area. Vid. infra v. 298. adnott. ad Tibull. I, 5, 22. [*Area dum messes sole calente teret*] et Cerda ad h. l. Reliqua sic iungere praestat: *Area nequidquam teret culmos*, utpote *pingues* (i. e. abundantes) *palea*, non granis. Potest enim etiam iungi: *area teret culmos nequidquam* (frustra, inutiliter) *pingues*, cum non granis sint pingues, sed *palea*." *Heyn.*

Semina vidi equidem multos medicare serentes
Et nitro prius et nigra perfundere amurga,
Grandior ut fetus siliquis fallacibus esset
Et, quamvis igni exiguo, properata maderent.

Pinguis cum sexto Casu iunctum invenimus etiam apud Hor. Od. II, 1, 29., quem imitatur Stat. Theb. VII, 545., ap. eundem Stat. II, 2, 21. et Iuven. III, 247. Cf. etiam supra v. 8. *pinguis arista.* Ceterum Hanovius Sched. crit. p. 6. hanc totam sententiam v. 187—192., quae praecepta de rebus ab agricola faciendis incommode interrumpat, non inepte ab hoc loco alienam, sed minus probabiliter post v. 203. transponendam censet. Probabilius cum Ladew. suspiceris, eam a poëta margini esse adscriptam, qua alio loco de eiusmodi signis uberius dicturus uteretur; quamquam et hoc negat Ribbeck. Proleg. p. 55., hos versus prorsus suo loco hic positos esse demonstrans. — **193.** Agitur de medicandis seligendisque seminibus; et primum quidem suadet auctor, ut semina leguminum liquore quodam medicato macerentur, quo siliquarum fructus et maiores fiant et facilius molliantur coquendo. — „*Semina:* leguminum, fructus, qui siliquis continentur, intellige; nam paullo post *siliquis fallacibus;* et confirmat Plin. XVIII, 17, 45. et Colum. II, 10, 11. III, 10, 18., qui Vergilium de faba loqui affirmant. Cf. Pallad. XII, 1. Geopon. II, 35. In aliarum frugum seminibus idem tentatum, v. c. tritico (Plin. XVIII, [30,] 73.) et amygdalis (Pallad. II, 15, 7.)." *Heyn.* — *medicare*, inficere, macerare succis alienis, et hic quidem *nitro* (diluto) et *amurga.* Vid. Hor. Od. III, 5, 28. (ibique Orell.) Colum. II, 3, 64. II, 10, 11. Plin. XVI, 27, 51. XIV, 21, 27. et infra Geo. IV, 65. Deponentis forma hac significatione non usurpatur. — **194.** De *nitro* (*mineralisches Laugensalz*) cf. Plin. XXXI, 10, 46., de *amurga* (*ἀμόργη* Graecorum,) i. e. olei sordibus, quae praecedunt (nam quae sequuntur, faeces vocantur) vid. infra Geo. III, 448. Cat. R. R. 66. Varr. R. R. I, 51. Plin. XV, 8, 8. et Schneider. ad Cat. c. 99. Formam autem *amurga* pro vulg. *amurca* cum recentissimis editoribus (praeter Ribbeck.) ex Codd. Med. et Gud. nunc recepimus, cum Romani, etiam si vocem per *c* scripserunt, per *g* tamen pronuntiasse (ut C. *Gaium*, Cn. *Gneum*) Grammatici referant. Cf. Serv. ad h. l. Terent. Maur. p. 2402. Oudend. ad Appul. Met. p. 272. Schneid. Gramm. Lat. I, 1. p. 235. Lindem. ad Gramm. Lat. I. p. 124. not. 1. Wagn. Orth. Verg. p. 416. et Ribbeck. ipse Proleg. p. 392. Ceterum respexit hunc locum Colum. X, 352. *Profuit interdum medicantem semina pingui Palladia sine fruge salis conspergere amurga.* — **195.** *fallaces.* Epitheton inde petitum, quod siliquae vel folliculi grandes fetus saepe parvos reddunt (ut Wunderl.), vel inanes, ventosi sunt (ut Schirach. p. 408. procul dubio rectius interpretatur.) Vid. Wund. ad Tibull. II, 1, 19. *Neu seges eludat messem fallacibus herbis*, i. e. aristis inanibus, quae grana non habent. Ceterum *siliquis fallacibus* tertium esse Casum, vix est quod memorem. — **196.** *Maderent* pendet a Part. *ut*, et significat percoqui, coquendo molliri (*gar kochen*), ut Plaut. Men. II, 2, 51. *Iam ergo haec madebunt faxo;* ap. eund. Pers. I, 3, 12. *collyrae facile ut madeant et colliphia*, ap. Cat. R. R. 156. *brassicam coquito donec ea commadebit bene* et ap. Colum. XI, 3. *ut in coctura celeriter madescat* (brassica). — *properata maderent* igitur significat: ut, cum coquantur, citius mollescant. Cf. Colum. II, 10. Geopon. II, 35. 41. Peerlk. p. 127. coni. *domarent*, coll. Ovid. Met. VIII, 649. et Sammon. de Med. 301. 420. — *quamvis igni exiguo*, quamvis ignis exiguus sit, adhibeatur. Alii male iunxerunt *quamvis maderent*, et maiorem distinctionem post *maderent* sustulerunt, ut sensus esset: quamvis legumina vel exiguo igni celeriter percoquerentur, tamen vidi ea degenerare; quod quam perversum sit, quisque videt. Alii denique (v. c. Manso), et ipsi hunc versum cum sequente coniungentes, legumina, ut mollescerent et citius virescerent, ante sationem exiguo igne cocta esse putarunt. Sed nusquam Geoponici veteres tale quid narrant; contra vero Pallad. XII, 1. diserte dicit: *Graeci asserunt, fabae semina - - nitrata, aqua respersa, cocturam non habere difficilem.* Hanc falsam interpretationem secuti Brunck. et Wakef.

Vidi lecta diu et multo spectata labore
Degenerare tamen, ni vis humana quot annis
Maxima quaeque manu legeret. Sic omnia fatis
In peius ruere ac retro sublapsa referri,
Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si bracchia forte remisit,

Et in *At* mutarunt. — **197.** Sequitur plane aliud praeceptum. Quovis anno nova semina et maxima semper gravissimaque sunt eligenda. — *Vidi.* Verbo, quo iam antea usus est poëta v. 193., Copulae loco repetito ad novam rem exponendam transit. „*Vidi ego* laudat Colum. II, 9, 12., sed altero loco III, 10, 8. abest [ut Ribbeckio teste etiam in illo loco Cod. Pol. Goes. Pronomen omittit.]. Utrobique enim vss. 197—200. adscripti sunt." *Heyn.* — *diu et multo sp. labore. Diu* non solum cum Adv. *multum*, sed etiam cum Adiect. *multus* saepe coniungi, ut et diuturnitas temporis et simul assiduitas vel animi attentio significetur, Hand. docet in Tursell. II. p. 289 sq., praeter h. l. afferens Cic. p. Sulla 26, 73. Qu. Cic. in Epist. ad Fam. XVI, 26, 1. et Suet. Aug. 63. — *spectata*, dum eliguntur accurate inspecta et explorata. — **198.** *vis humana*, hominum opera, h. e. homines. Obversabatur poëtae locus Lucr. V, 207, 208. *Quod superest arvi, tamen id natura sua vi Sentibus obducat, ni vis humana resistat.* — **199.** *maxima quaeque.* Etiam Colum. II, 9, 11. 12. Varro I, 52, 1. et Plin. XVIII, 24, 54. grandissima semina legi iubent. — *Sic omnia fatis* etc., i. e. fatali necessitate in rerum natura dominante, legibus, quae rerum naturae praescriptae sunt. „Suaviter a poëta in re tenui gravissima sententia generalis interponitur; omnia mortalia in deterius vergunt, nisi assiduam curam iis tuendis adhibueris." *Heyn.* — **200.** *ruere - - referri.* De Infinitivi historici vel potius absoluti usu Vergiliano docte disputavit Wagn. Qu. Virg. XXX., ubi §. 4. per eum interdum id, quod fieri soleat, exprimi docet his exemplis: Geo. I, 199. IV, 134. 140. Aen. IV, 420. XI, 820. (Cf. etiam Ladew.) Pro *ruere* Wakef. ad Lucr. I, 1038. coni. *fluere.* Sed quis umquam dixit *in peius fluere?* et Codd. lectione celeritatem et impetum multo fortius exprimi, recte observavit Iahn., comparans Ovid. Met. VI, 51. *In sua fata ruere.* — Verba *retro sublapsa referri* redeunt Aen. II, 169. et Wagnero auctore ducta videntur a navigio, quod adverso flumine subactum cessante remige *sublabitur*, i. e. deorsum labitur s. secundo flumine abripitur. Nos similiter de re in deterius vergente: *es geht damit zurück.* Similes autem loci, ubi Adverbium, cuius notio iam continetur Praepositione Verbo adiecta, pleonastice additur, (ut *retro, rursus re* —, *clam sub* —, *prius, ante prae* — etc.), haud rari. Cf. praeter Vergilii editores et eos, quos laudat Kritz. ad Sall. Cat. 18, 6. et 32, 1. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 5, 4. et Adelph. IV, 1, 9. Markland. ad Stat. Silv. V, 3, 273. (p. 401. Sillig.) Heyn. ad Tibull. I, 7, 14. Doederl. *Lat. Synon.* I. p. 128. Bremi ad Nep. Alcib. 6, 5. Bach. ad Ovid. Met. III, 331. et mea ad Lucr. IV, 311. Imprimis huc faciunt Lucret. I, 785. *retro reverti*, II, 283. *retro residere*, ib. 516. *retro remetiri*, l. iam l. *retro redire*, V, 270. *retro remanere* etc. E Vergilii carminibus huc pertinent Aen. IX, 794. *retro redit* et ibid. 797. *retro refert.* Ceterum Bryce, qui vult post *legeret* Semicolo distingui, verba *Sic omnia - - referri* per parenthesin interiecta putat, ut in toto loco tria sibi respondeant, „*unremitting exertion, temporary cessation* et *injourious result*", hac quidem ratione: assidua contentio (*lecta diu et multo spectata labore, — qui adverso - - lembum remigiis subigit*), tempestiva intermissio (*ni vis humana quotannis - - legeret, — si bracchia forte remisit*) et noxius exitus (*degenerare — praeceps p. rapit alveus amni*); quae vix assensum invenient. — **201.** Comparatio aptissima et elegantissima, in qua Vergilius non sine idonea causa spondaico metro et elisione usus videtur, laborem nautae adverso flumine remigantis significanter expressurus. — De comparandi ratione per *aliter quam*, qua potissimum Quinctilianus delectatur (cf. Spalding. ad Inst. IV, 5, 5.), vid. Hand. Tursell. I. p. 268. — *adverso flumine.* Cf. Lucr. VI, 719. et Liv. XXI, 27, 2., ubi vid. Drakenb. — **202.** *Remigiis subigit.*

Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.
Praeterea tam sunt Arcturi sidera nobis
Haedorumque dies servandi et lucidus Anguis, 205

Remigia pro remis, quo sensu alibi non nisi Singularis numerus legitur; v. c. Plaut. As. I, 3, 5. Hor. Od. I, 14, 4. Tac. Ann. II, 24. *Subigere* eadem sursum agendi signif. invenitur Aen. VI, 302. *Ipse ratem conto subigit*, ap. Liv. XXVI, 7. extr. *Naves - - subigi ad id castellum iussit*, et Silium XV, 218. *Classem ad moenia subigere*. Cf. Gronov. ad Liv. XXVI, 7, 9. Heins. et Drakenb. ad Silium XV, 218. Ruhnken. ad Albinov. p. 124. ed. Friedem. et Unger de Valgio Rufo p. 466. — Pro *brachia* cum recentissimis editoribus nunc ubique scripsimus *bracchia*, Codd. Med., Vat., Rom. et Fragm. Sangall. auctoritatem secuti. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 419. et Ribb. Prol. p. 391. — **203**. *Atque* Gellius X, 29. et Serv. per *statim* interpretati sunt, ut in XII. tab. *si in ius vocat, atque eat*. (Cf. etiam Nonius 12, 44. Hand. Tursell. I. p. 481., qui illis adsentitur, et quos in prima edit. laudavi viros doctos. Ribbeck. conferri iubet Wichertum de arte stil. p. 169.). Alii rectius *atque* pro simplici Copula habent, sed minus recte de ellipsi cogitant, quam non opus est ut statuamus, et *illum* adeo ad *lembum* referunt (ut Heyn., Wund. et Coningt.). Omnis scilicet difficultas in eo sita est, quod poëta ad Graeci sermonis similitudinem a Passivo ad Activum transit, et propterea Pronomen demonstr. *illum* ponit, cuius loco proprie Pron. rel. *quem* ponendum erat. Intellige igitur locum, ac si scriptum esset: Non aliter, quam qui - - lembum remigiis subigit atque, si brachia forte remiserit, retro refertur et in praeceps rapitur. Sic etiam Peerlk. p. 128. locum intelligit, qui comparat Cic. Brut. 74. *Omnes tum fere, qui nec extra hanc urbem vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur*, haud dubie nesciens, eodem Ciceronis loco iam Bryceum esse usum ad eandem sententiam comprobandam. — *in praeceps*. Ribbeck. contra Med. Gud., aliorumque Codd., Gellii X, 29. et Nonii p. 530, 6. auctoritatem omisit Praepositionem coll. Ecl. VIII, 59. Geo. III, 236. et IV, 29. Ceteri recentiores editores eam retinuerunt. — *prono amni*. *Pronus* enim est epitheton omnium rerum, quae natura deorsum eunt. Cf. Aen. VIII, 548. V, 212. Hor. Od. I, 29, 11. Avien. Descr. orb. 2. Manil. IV, 417. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 10, 20. Fasc. V. p. 67. — *rapit*. Cod. Rom. *trahit*. Sed *rapit* utpote fortius voc. praeferendum. Cf. Ovid. Trist. I, 4, 15. *Si non quo voluit, sed quo rapit impetus undae* (ubi etiam tres Codd. *trahit*), id. ex Pont. II, 7, 8. *Ne toties contra, quam rapit amnis, eam*, et Met. I, 311. *Maxima pars unda rapitur*. — De toto, qui nunc sequitur, loco v. 204—310. cf. doctissima Ribbeckii disputatio Proleg. p. 40 sqq., qua docere studet, hos versus non ita, ut in libris legantur, a Vergilio ipso edi potuisse, cuiusque summa eo redit, ut statuamus, a poëta primum editos esse v. 204—230. et 276—310., postea vero loco retractato in schedis relictos esse vv. 231—275., in quibus nondum absoluti fuerint v. 233—251. et 259—275., ceterum omnia sic fere in contextum fuisse inserenda, ut omissis v. 204—207. (quorum argumentum repetatur v. 252—258.) singuli versus sic se exciperent: 257 sq. 252—256. 231—251. 208—230. 276—286. 259—275. 287—310. — V. **204—310**. docetur, quibus quodque opus rusticum temporibus faciendum sit; quare v. 204 sqq. significatur, agricolis siderum ortus et occasus non minus observandos esse, quam navigantibus. Vid. Colum. XI, 7, 31. Nominat autem poëta instar omnium tria sidera celeberrima et septemtrionalia, quorum cum ortu procellae ingruunt, ut postea duo itinera maritima, quae ob magna, quibus obnoxia sunt, pericula praeter cetera animi attentionem in se convertunt, per Pontum Euxinum et Hellespontum. — *Arcturus*, stella maxima et splendidissima Bootae s. Arctophylacis, cuius ortum (inde a 5. Sept. et 13. Febr.) pariter atque occasum (inde a 22. Maii et 29. Oct.) vehementes procellae comitari solent (cf. Colum. XI, 2, 63. et supra adnott. ad v. 67.); quare etiam apud Plaut. prol. Rud. v. 71. de se ipse dicit: *Vehemens sum exoriens, quom occido, vehementior*. Cf. Voss. — **205**. *Haedi*, duae stellae in brachio Aurigae, quae orientes d. 25. Apr. et 27—29. Sept. et ipsae pessimam so-

Quam quibus in patriam ventosa per aequora vectis
Pontus et ostriferi fauces temptantur Abydi.
Libra die somnique pares ubi fecerit horas

---

lent adferre tempestatem. (Plin. XVIII, 28, 69. et 31, 77. et, quem Voss. conferri iubet, Pfaff. de ort. et occ. sid. p. 85.) — *Anguis*, sidus haud procul a polo septemtrionali quaerendum, ideoque imprimis navigantibus, sed, cum etiam ad tempestates faciat, non minus rusticis spectandum. — *servandi*, i. e. observandi. Vid. adnott. ad Ecl. III, 75. — 206. *Quam quibus* etc. significanter pro simplici: quam iis, qui longinquam navigationem suscipiunt. — *in patriam*, i. e. Italiam, quo ex Asia redeunt, per Pontum Euxinum et Hellespontum navigantes. — *vectis*, i. e. qui vehuntur, ut Aen. VI, 335. *per aequora vectos Obruit Auster*. Constat enim, Participium Perfecti imprimis in carminibus haud raro Participii Praesentis loco poni, quo sermo Latinus careat. Inde autem factum esse, ut etiam tum Perfectis uterentur poëtae, in Deponentibus duntaxat, ubi nulla nisi metri necessitas hoc eos facere cogeret, Wagn. docet Qu. Virg. XXIX, 3., comparans v. c. Aen. I, 481. II, 277. IV, 589 sq. V, 113. et quod attinet ad Deponentium exempla: Geo. I, 293. 339. IV, 72. Aen. V, 708. Adde Geo. IV, 320. Aen. I, 708. II, 514. V, 628. VI, 335. IX, 565. In Adiectivorum vim et potestatem abeunt Participia Aen. III, 275. *formidatus*, i. e. formidabilis, IV, 534. *irrisus*, i. e. irrisibilis, VIII, 588. *conspectus*, i. e. conspicuus. Vid. etiam Gronov. ad Tac. Ann. III, 43. Wunderl. et Dissen. ad Tibull. I, 5, 33. Loers. ad Ovid. Her. V, 114. Bach. ad Ovid. Met. VII, 746. alii. — 207. *Pontus*, scil. Euxinus, quem constat saepe *Πόντον*, *Pontum*, *καὶ ἐξοχήν* dici. Cf. v. c. Xen. Cyr. VI, 4, 1. Agathem. I, 3. II, 4. Cic. Verr. II, 4, 58. Val. Fl. VIII, 180. Plin. IV, 12, 24. etc. — *fauces Abydi*, Hellespontus. Erat enim *Abydus* oppidum in Asiatico Hellesponti litore e regione Sesti situm fabulaque de Hero et Leandro celeberrimum, cuius nomen servavit vicus *Aidos* s. *Avido* nunc ibi situs. Cf. liber meus geogr. II. p. 131 sq. Etiam *ostreis* excellebat; quare Ennius p. 155. Hessel. canit: *Mures sunt Aeni, ast aspra ostrea plurimi Abydi*. Cf. etiam Catull. XVIII, 4. *Ora Hellespontiaca ceteris ostreosior oris*. Voss. tamen etiam de purpuris s. muricibus, quae ostrum praebent, cogitari posse censet, cum Senec. Med. 10. purpuram Iliacam, et Athenaeus magnas purpuras circa Sigeum degentes celebret. Prior autem explicatio cum ob Ennii et Val. Flacci I, 456. (*surgis ab ostrifero medius, Neptune, Geraesto*) et Catulli locos laud., et Lucani IX, 959. (*ostriferam dirimat Chalcedona cursu*), qui haud dubie de ostreis loquuntur, auctoritatem, tum ob recentiorum, qui illas regiones perlustrarunt (v. c. *Guys Voyage litteraire de la Grece*. T. II. p. 238.), narrationes praeferenda. — *quibus--temptantur*, qui adire audent. Cf. Geo. III, 8. *temptanda via est* etc., et adnott. ad Ecl. IV, 32. „Ceterum Plinius ad h. l. respexit XVIII, 24, 56., et omnem, qui sequitur, locum de temporum observatione accurate ante Maronem tractaverat Varro R. R. I, 27—37." *Heyn.* — 208. Sermo est de sationis tempore, quod incipiebat ab aequinoctio auctumnali (24. Sept.), ubi sol, in librae sidere versans et ab utroque polo aequis spatiis distans, diem pariter atque noctem in duodenas dividit horas, et finiebatur solstitio brumali s. die brevissimo (25. Dec.). Cf. Varro R. R. I, 34. Colum. II, 9. Plin. XVIII, 10, 1. Primum vero omnium frumentorum hordeum serebatur (Plin. XVIII, 7, 13.). Vid. Voss. ad h. l. Ceterum Vergilium secutus non minus eleganter ludit in huius sideris nomine Lucan. IV, 58. 59. *iterum aequatis ad iustae pondera Librae Temporibus vicere dies*. VIII, 467 sqq. *Tempus erat, quo Libra pares examinat horas* etc. et Auson. de rat. librae v. 31. (vid. infra.) Cf. etiam Colum. X, 42. *Cum paribus Titan orbem libraverit horis*. — „*Libra*, h. e. sol in Libra constitutus, *dividit orbem*, caelum, (vid. adnott. ad Cirin v. 38.) *medium luci atque umbris*, h. e. partitur orbi, caelo, diem et noctem, in linea aequinoctiali constitutus, cum nec versus arcticum neque antarcticum polum processit, neque alterutri parti longiores dies noctesve attulit." *Heyn.* — *die*, quod hic omnes fere Codd. et

Et medium luci atque umbris iam dividit orbem,
Exercete, viri, tauros, serite hordea campis
Usque sub extremum brumae intractabilis imbrem;
Nec non et lini segetem et Cereale papaver

Gramm. exhibent (dum *diei* unus modo Rom. et a m. sec. Med., in quo I colore rubro superscr., ostendunt), antiquior est Genitivi et Dativi forma, de qua agunt Prisc. VII, 19, 93. p. 354. Krehl. Val. Probus II, 1, 1. p. 1440. P. s. p. 101. Lind. et Gellius IX, 14. extr., cuiusque exempla praebent v. c. Plaut. Amph. I, 1, 120. Poen. IV, 2, 68. Hor. Od. III, 7, 4. Ovid. Met. III, 341. VI, 506. VII, 728. Cic. Rosc. Am. 45, 131. Sall. Iug. 21, 2. et 52, 3. Tac. Ann. III, 34. etc. Praeter interpp. ad hos locos cf. Oudend. ad Caes. B. G. II, 23. Drakenb. ad Liv. IX, 37, 4. et ad Sil. III, 88. Burm. ad Anthol. Lat. I. p. 703. Wernsd. ad Poët. Lat. min. Vol. VI. p. 169. Obbarius in Seebodii Bibl. crit. 1828. p. 117. Ruddim. I. p. 105. Schneid. Gr. Lat. II, 1. p. 356 sq. Struv. de Declin. p. 38 sq. Orell. ad Hor. Od. III, 7, 4. Alschefski ad Liv. V, 13. Dietsch. ad Sall. Iug. 16, 3. alii. Wagn. propensus est ad opinionem Gellii IX, 14., Vergilium hic scripsisse *dies*, quae forma Accus. Plur. in veterrimo exemplari appareat, quod ipsius Maronis idiographum sit habitum; ita ut sequens vocabulum a consona *s* incipiens praecedens *s* absorpsisse videatur. Sed cum minus apte coniungantur *dies* et *somni* (s. noctis) *horae*, illud *dies* potius pro Gen. Sing. habendum est (cf. Schneid. Gramm. T. II. P. 1. p. 355 sq.), quem tamen Ribbeck. Prol. p. 137. iure dubitavit recipere, cum nulla prorsus appareat causa, cur poëta duplicare sibilantem literam, quam cum Caesare et Sallustio forma *die* uti maluerit; quare cum etiam Ausonius de rat. librae (carm. 368.) v. 31. ex aperta nostri imitatione scripserit: *Libra die somnique pares determinat horas*, equidem facio cum Codd. nobis cognitis. — *somnus* poëtice pro nocte, ut apud Sil. III, 200. *Miscuerat lucem somno Deus.* Cf. etiam Aen. I, 474. *tentoria Rhesi primo prodita somno*, quod nihil aliud est, quam prima nocte. — *pares*, aequales. Aequinoctii enim tempore duodenae illae horae, quibus apud Romanos et dies et nox divisa erat, vere erant aequales; aliis autem temporibus, cum duodecim horae diurnae temporis spatium ab ortu usque ad occasum solis complerent, si longior erat dies nocte, etiam horae diurnae nocturnis erant longiores, ubi vero nox longior die, nocturnae horae longiores diurnis. — **209.** Sensus est: Si Solis *lux* et *Noctis* umbrae per aequale temporis spatium (per *pares horas*) caelum (*orbem*) tenent. Imitatus est hunc locum Lucan. VIII, 467. *Tempus erat, quo libra pares examinat horas.* Conington ex Codd. Rom., Gud. aliisque et Serv. Dresd. pro *dividit* propter praecedens Fut. exact. *fecerit* restituit vulgarem ante Heinsium lectionem *dividet*, coll. Geo. IV, 282. Sed comparatis Geo. I, 450 sq. IV, 401 sq. et similibus locis de veritate alterius lectionis, quam Med. cum aliis melioribus libris praebet, non dubitabimus. — **210.** *exercete tauros*, arate. Alibi *exercere tellurem, rura* legitur. Cf. supra ad v. 99. — *hordea*. Vid. not. ad Ecl. V, 36. — **211.** *usque ad extremum imbrem*, quamdiu humores nondum gelu consistunt. „*extremum imbrem* noli urgere; usque ad solstitium brumale [quod in extremum anni tempus incidit]. Cogitetur de caelo Italiae, in quo hiemale tempus magna sui parte pluvium est; quodque nobis brumale frigus est, illic sunt pluviae brumales. Seritur autem hordeum auctumnali tempore in terris benigniori caelo subiacentibus. Colum. II, 9. Varro I, 34. Plin. XVIII, 10. §. 1. 24, 56. imprimis Geopon. II, 14.; hinc messis nec minus maturior." *Heyn.* — *bruma intractabilis*, dura, aspera, ut alibi *indomita*, quae vix superari, tolerari potest. Voss. minus probabiliter interpretatur: in qua propter frigoris rigorem nihil tractari, agi potest, ut apud Iustin. XXIV, 4. legitur *loca frigore intractabilia*, i. e. inhabitabilia. *Bruma*, cuius nomen secundum Varr. L. L. V, 2. eadem fere ratione, qua *imus* ex *infimus*, contractum est ex *brevissima* (*brevima, breuma, bruma*, sc. *dies*), significat tempus solstitii hiemalis, ut *solstitium κατ' ἐξοχήν* pro solstitio aestivo ponitur. Cf. Drakenb. ad Liv. XXXV, 49, 7. Ruhnk. ad Ter. Phorm. IV, 4, 28. supra ad v. 100. et ad Aen. II, 472. adnott. — **212.** Ad lini et papaveris sationem (quorum illud ab initio m. Octobris

Tempus humo tegere et iamdudum incumbere aratris,
Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.
Vere fabis satio; tum te quoque, Medica, putres
Accipiunt sulci et milio venit annua cura,

---

usque ad initium Decembris, hoc autem Septembri et Octobri serebatur) terra aretur. Diversa tamen de lino tradere Plinium XVIII, 24, 56., Heyn. auctor est. *segetem* proleptice pro semine. — *papaver Cereale*, ut etiam Colum. X, 352. dicitur, quia Cereris ornamentum symbolicum esse solet. Causa est, quod secundum Etym. M. s. v. *Μηκώνη* et Serv. ad h. l. papaver a Cerere primum inventum ad Meconem oppidum, quod postea Sicyon vocabatur, deae dolorem ob raptam Proserpinam filiam mitigasse ferebatur. Potest vero etiam alia respici narratio, ex qua Ceres Triptolemum papavere nutrivisse dicitur, ut eum Deum faceret. Cf. Ovid. Fast. IV, 547. — 213. *Tempus - - tegere.* Cf. adnott. ad v. 305. — *humo tegere* hic de satione dicitur, ut III, 558. de sepultura. — *iamdudum* interdum etiam de praesenti tempore usurpatur, ut fere idem sit, quod *statim*, cum significet, opus esse ut tandem aliquid fiat, quod dudum fieri debebat. Cf. Aen. II, 103. Ovid. Met. XI, 482. id. A. A. I, 317. II, 457. Senec. Med. 191. Sil. Ital. XV, 352. Lucan. V, 423. cett. et Hand. in Tursell. III. p. 160 sq. (qui immerito vituperat Vossium, *iamdudum* hic per *sogleich* vertentem, cum potius sit *nun eben*.) Sic etiam de futuro tempore pro *mox* apud Stat. Theb. VI, 855. Ceterum Wagn., cui Particul[illegible] hic significare videtur „per omne illud tempus", Vol. V. constanter scripsi[illegible] *Iandudum* ex Cod. Med. auctoritate, quem in eo sequuntur Haupt. et Ribbeck. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 453. — Pro *incumbere aratris* Med. et Pa[illegible] a m. sec., Rom. aliique Codd. praebent *incumbere rastris*, quos Brunck. Wakef., Martin. male sunt secuti; nam aperte de aratione sermo est, e[illegible] verissime iudicat Wagn.: „Vitiosa Mentel. lectio *rutris* mendi videtur origine indicare; fraudi fuit elidendi ratio." (Ribb. tamen haec adnotat: „*ratris* Mentel. II. m. pr. Fuit cum *rutris* coniicerem.") *Incumbendi* verbum illustrat *curvus arator* Ecl. III, 42. — 214. *sicca tellure*, quamdiu tellus sicca est, Ablat. absol., ut v. 260. *caelo sereno* et sexcentis aliis in locis. — *dum nubila pendent;* nubibus nondum in imbres solutis. Laudat hunc versum Colum. II, 8, 3., qui ipse X, 420. de *caeli pendentibus undis* loquitur. — 215. Vere seruntur faba, Medica et milium. Se hic quoque Vergilius patriae suae, superioris Italiae, morem et consuetudinem respicit. Circa Padum enim ob hiemes gelidiores vere fabae serebantur Plinio teste XVIII, 12, 30. *Vergilius eam* (fabam) *per ver seri iube, Circumpadanae Italiae ritu.* In aliis autem Italiae regionibus magis ad meridiem vergentibus harum quoque semina auctumno terrae mandabantur. „*Fabae*, cuius diversum a nostra faba genus, et rotundum ac parvum legumen veteribus in usu erat (vid. Ind. scriptt. R. R. et Plin. XVI, 6, 9.) non idem omnibus serendi tempus, imprimis si Columellam II, 10, 9. comparet." *Heyn.* — *tum te* etc. Seneca, Ep. 86. h. l. afferens, pro more aetatis suae scripsit *tunc te.* Sed vide adnott. ad Ecl. III, 10. — *Medica*, sc. herba (*ἡ Μηδικὴ [πόα], die Lucerne, der Schneckenklee, burgundische Klee*) a Medis per bella Persica in Graeciam advecta, pabulum pecudum, imprimis equorum, praestantissimum; quam Plin. XVII, 16, 43. ita describit: *Similis est trifolio, caule foliisque geniculata; quidquid in caule assurgit, folia contrahuntur.* Cf. etiam Dioscor. II, 17. Theophr. h. pl. VIII, 8. de caus. pl. II, 20. Varro R. R. I, 42. Pallad. II, 6. et Billerbeck. Flor. class. p. 197 sq. Serebatur secundum Plin. l. l. a Maio, secundum Colum. II, 11, 2. m. Aprili exeunte. — „*putres sulci* fractis et comminutis crebra aratione, stercoratione et frigoris penetrabili vi glebis. Vid. Geo. II, 204. et Colum. II, 11, 3. *Locum, in quo Medicam proximo vere saturus es, proscindito circa Cal. Octobr., et eum tota hieme putrescere sinito.*" *Heyn.* — 216. *Milium*, cui calidiore tempestate opus est, in terris frigidioribus et ipsum vere serebatur, m. Martio exeunte (Colum. II, 9, 18.) vel m. Aprili (Plin. XVIII, 26, 66. cf. etiam Pallad. IV, 4. Geopon. II, 38.); in Graecia vero et Asia demum sub hiemem. Quod

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus et adverso cedens Canis occidit astro.
At si triticeam in messem robustaque farra
Exercebis humum solisque instabis aristis,

---

variorum locorum discrimen non respiciens, temere ob h. l. Vergilium vituperat Seneca Epist. 86., qui poëtae nostro opponit, se *m. Iunio iam proclivo in Iulium eodem die vidisse fabam metentes, milium serentes.* Cf. Voss. ad h. l. — *milio venit annua cura* poëtice pro: milium quotannis seritur sed, ut Heyn. adnotat, *medicae* respectu habito, quae ex uno *denis* (nam apud Plin. l. l. corrupte *tricenis* legitur) annis durat, i. e. semel sata per decem annos fructus fert, non iterata satione. — 217. „*Vere - - cum*, sole in Taurum ingresso, h. e. ineunte vere. Ad tempora autem designanda amant poëtae siderum motum commemorare, quoniam ea ratio poëticum ornatum admittit. — *Taurus* est signum verni temporis; eum Sol illo tempore adibat IV. Cal. Maias. Cf. Petav. Auctar. Op. de doctr. temp. VII, 3." *Heyn.* Colum. XI, 2, 36. autem auctore *XV. Kal. Maias sol in Taurum transitum facit* et *Canis pridie Kal. Maias se vespere celat.* — *Candidus*, tamquam sidus clare fulgens, *auratis cornibus*, rutilantibus propter lucidissimas in fronte stellas, *aperit annum*, cum illud anni tempus, quo tellus reclusa novos flores herbasque effundit, tum incipit; ideoque reducit id tempus, quo, si naturam ducem sequimur, vere annus initium capit; quare etiam ab *aperiendi* vocabulo nomen m. *Aprilis* deducunt Varr. L. L. V, 4. p. 60. Bip. et Ovid. Fast. IV, 87. Admodum bene autem Taurus fingitur capite quasi depresso et cornibus protentis viam sibi facere per caelum et ita annum *aperire;* quemadmodum supra v. 208. Libra horas quasi *librare* dicitur. — Tum *Canis*, i. e. Sirius, *occidit* heliace, h. e. conspici amplius non potest, sole nimium vicino. Proprie autem aliquot diebus post, quam Taurus oritur, ultimis m. Aprilis diebus, occidit. Cf. Colum. II, 2, 26. *XV. Kal. Maias sol in Taurum transitum facit. Pridie Kal. Maias Canis se vespere celat.* Cedit autem *astro adverso* (qui tertius est Casus), h. e. Tauro astro ex adverso illi posito; is enim instat cornibus minacibus. In sphaera cedit Canis, adversam habens Tauri frontem. Hanc autem lectionem tuentur Med., Rom. (? cui tamen Ribbeck. alteram lectionem tribuit) aliique boni Codd. et hic et apud Macrob. Comment. in somn. Scip. I, 18, 15. Alii libri (Palat., Gud., duo Bern.), et Probus p. 37, 2. K., quos sequitur Ribbeck., minus bene exhibent *averso astro;* quae verba (sexto Casu edita) ad Canem, qui cederet aversus, pertinerent. Recte autem Voss. docet, Canem etiam cedentem Tauro semper *adversum* manere, *aversum* esse non nisi astrologo; ideoque omnino reiiciendam esse lectionem *averso astro*, ab aliis aliter, etiam artificiosissime, defensam (vid. Heins. ad h. l. Burm. ad Anthol. Lat. T. II. p. 312. et Conington); quae si nihil aliud sibi vellet, quam astro fugiente, abscedente (ut v. c. Manso interpretatur, qui praeterea *averso astro* de sole dictum accipit), admodum langueret iuxta Partic. *cedens.* (Recentiores editores praeter Ribb. et Coningt. omnes nobiscum *adverso* receperunt.) — 219—224. Tritici et farris satio fiat demum post matutinum occasum cosmicum Pleïadum et post ortum heliacum Coronae, h. e. m. Octobri. Validiora igitur et duriora frumentorum genera sub hiemem sunt serenda. Cf. Colum. II, 8. Argumentum huius loci refert Plin. N. H. XVIII, 24, 56. — *triticeam in messem* etc., i. e. ut triticum et farra seras metasque. — „*Triticum* veterum diversi a nostro generis fuisse, inde colligit Martinus, quod v. 220. et apud Varr. R. R. I, 48, 1. *arista*, i. e. acus tenuis e gluma prominens, ei tribuatur. Verum eius sunt omnino plures, quas vocant, species." *Heyn.* — *Far* (de quo vid. not. ad v. 73.) *robustum* dici videtur, quod ventorum, pluviarum ac frigoris iniurias melius, quam alia frumenti genera, ferre potest; quare apud Theophr. de causis pl. IV, 6. *πυρὸς ἢ κριθῆ* inter *τὰ ἰσχυρότατα* referuntur, et apud Plin. XVIII, 8, 19. legimus: *Ex omni* (frumentorum) *genere durissimum far et contra hiemes firmissimum.* — 220. *exercere humum.* Vid. supra ad v. 99. — *solis instabis aristis*, frumenti solius, tritici et farris curam habebis. *Solae* autem *aristae*

Ante tibi Eoae Atlantides abscondantur
Gnosiaque ardentis decedat stella Coronae,
Debita quam sulcis committas semina quamque
Invitae properes anni spem credere terrae.

---

non spectant ad *vanas aristas* v. 226. (ubi vid. adnott.), sed opponuntur *leguminibus* v. 227. commemoratis, ut sensus sit: Si sola frumenta, quae aristas ferunt, vis serere, ante medium Novembrem sationem non incipias; sin autem praeter frumenta etiam legumina seminare constituisti, iam ineunte Novembri initium facias. Ita cum Vossio etiam Iahn. interpretatur, qui iure reiicit Waddelii (Animadvv. critt. p. 7.) coniecturam *solidisque*. Ceterum *instare* alicui rei idem est, quod sedulam et assiduam dare operam (vid. Aen. I, 504. IX, 350. al.), et construitur etiam cum quarto Casu, v. c. Aen. VIII, 433. de Cyclopibus: *Marti currumque rotasque volucres instabant*, i. e. urgebant fabricando, et Naev. apud Nonium III, 134. *Instat mercaturam.* — 221. *Pleïades* s. Vergiliae (vid. adnott. ad v. 138.) *absconduntur Eoae*, matutinae, h. e. occidunt matutino tempore, mane submerguntur in occidentali plaga, dum sol interea ab oriente emergit. Occasus autem Pleïadum incidit in tempus a d. XX. Oct. usque ad d. XVIII. Nov., idque tempus Vergilius respicit. Cf. Plin. XVIII, 24, 56. Colum. II, 8, 1. XI, 2, 77. et Didymus in Geop. II, 14. Heyn. haec addit: „Respexisse autem noster Hesiodum putatur in notis versibus Ἔργ. 383. 615. Omnino tenendum, Graecos a Pleïadum ortu, medio Maio, aestatem ac messem, ab occasu hiemem cum aratione ac semente duxisse. Vid. Arat. Phaen. 264 sqq. Plin. XVIII, 29, 69. Theophr. de caus. pl. III, 28. Schol. Aesch. Prom 457. et infra ad Geo. IV, 231 sqq." Ceterum *Eous* prima syllaba producta legitur etiam infra II, 115. Aen. I, 489. Hor. Od. I, 35, 31. Ovid. Am. II, 6, 1. Lucan. II, 720. VI, 680. Val. Fl. V, 245. et alibi; correpta vero Geo. I, 288. Aen. II, 417. III, 588. VI, 832. XI, 4. Ovid. Am. I, 15, 29. Val. Fl. II, 643. Stat. Silv. III, 3, 33. etc. — 222. *Gnosia stella Coronae ardentis* est sidus Coronae a corona Ariadnes, quam Bacchus caelo affixit, appellatum. *Gnosia* autem dicitur a Cretae, cuius rex erat Minos, Ariadnes pater, urbe nobilissima *Gnoso* (unde *Gnosia spicula* Aen. XII, 858., ubi vid. adnott.). Cf. Arat. Phaen. 71. Ribbeck. cum Cod. Pal. et Probo Inst. p. 17, 3. K. scripsit *Cnosia*. — *Ardet stella*, dum lucet, fulget; *stella* autem pro sidere, ut alibi etiam contra *sidera* pro *stellis* ponuntur. Cf. Cic. de Or. III, 45, 178. *ut eadem spatia quinque stellae* [i. e. signa caelestia] *dispari motu cursuque conficiant.* Non autem de una modo stella luculentissima huius sideris novem stellas complectente cogitandum. *Decedat.* Si stella *decedere* dicitur, id nihil aliud est, quam occidere aut occultari (cf. Ecl. II, 67. Geo. I, 450. et IV, 466. de solis occasu); sed ad eam anni partem, de qua hic agitur, adultum auctumnum, occasum sideris huius non pertinere, sed ortum, Heynio teste docent Hygin. Astron. 5. Colum. XI, 2, 51. et 73. Plin. XVIII, 74. pr. Hanc difficultatem post Servium viri docti ita tollere student, ut stellam oriri et emergere heliace non aliter dicant, quam ut recedat a sole, quo conspici iam non possit; hoc autem numquam per *decedere*, sed per *succedere* exprimi solet. Quare etiam Reisk. *succedat*, Schrader *procedat* coni. Cf. etiam Schirach. p. 378 sq. Nihil igitur aliud restat, quam ut Vergilium in eundem errorem incidisse statuamus, quem invenimus apud Ptolemaeum Demetrium (in Geopon. II, 14.) aliosque Graecos, qui Coronam altero m. Novembris dimidio (25. Nov. — 19. Dec.) occidere perhibent. Quare non opus est, ut cum Wagnero Qu. Virg. XL, 3. aliquando dormivisse bonum poëtam censeamus (ut Ecl. VI, 74. et X, 66., ubi vid. adnott.), ad occidentis sideris tempus referentem, quod sub eius ortum faciendum esset. Ceterum Colum. X, 52. aperte hunc locum respiciens, canit: *Exspectetur hiems, dum Bacchi Gnosius ardor Aequore caeruleo celetur vertice mundi, Solis et adversos metuant Atlantides ortus.* — 223. *debita semina*, quae terrae debentur, quae terra iure suo potest poscere. — 224. *invitae;* quia terra, nondum bene stercorata, arata, culta, cum praevideat, messem votis agricolae non responsuram esse, invita modo semina recipit. Non minus ele-

Multi ante occasum Maiae coepere; sed illos
Expectata seges vanis elusit avenis.
Si vero viciamque seres vilemque phaselum
Nec Pelusiacae curam aspernabere lentis,
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes:

---

ganter dictum, quam *spes anni* pro semine, unde annuum speramus frugum proventum. — Vs. 225. et 226. quodammodo in parenthesi et explicandi causa adiecti sunt causamque indicant, cur satio non prius incipienda sit. — *„ante occasum Maiae*, h. e. Pleïadum, e quibus una est Maia. Ad rem cf. Xenoph. Oecon. 17, 2. Colum. XI, 2, 80. *Vetus est agricolarum proverbium, Maturam sationem saepe decipere solere, seram numquam, quin mala sit;* quod et Plin. memorat XVIII, 24, 56. Posterius iam Hesiodus monuerat *"Εργ.* 479 sqq." *Heyn.* — 226. *Expectata.* Vid. Wagn. Orth. Verg. p. 436. et Ribbeck. Proleg. p. 446. — *vanis elusit avenis.* Difficile de hoc loco iudicium; Codd. enim fluctuant inter duas lectiones *aristis* et *avenis*, ita tamen ut meliores libri (Med. et Rom.) cum Nonio p. 301. et 416. (coll. Quinct. Inst. I, 4. et Schol. ad Pers. Sat. 5.) priorem, ab Heinsio revocatam atque ab Heynio et Wagnero servatam, (qui censet, *avenis* deberi librariis propinqui vocis *vanis* sono deceptis et *vanis avenis* iam aurium iudicio reprobari, praeterea etiam Quinctil. I, 3, 1. de *inanibus aristis* loquentem hunc locum videri ante oculos habuisse) tueri videantur, quamquam vix perspicitur, qui factum sit, ut simplex illa et plana lectio in alteram abierit; quod enim Heyn. dicit, „procliviorem errorem fuisse, ut ad *avenis* aliquis deflecteret, quam vice versa," ei nemo facile subscripserit. Immo, cum constans fuerit antiquorum opinio, semen frumenti ante Pleïadum ortum terrae mandatum diuturno situ degenerare in *avenam vanam* s. *fatuam* (*Flughafer, wilder Hafer:* cf. Plin. XVIII, 17, 44. Verg. Ecl. V, 37. et supra v. 154.), eam tamen non omnibus librariis innotuisse, admodum sit verisimile, per se probabilius videtur cum Vossio statuere, veram lectionem *avenis* ab indoctis librariis in alteram esse mutatam, imprimis cum v. 220. praecedat vox *aristis*. Quare nunc cum recentissimis editoribus (Ribb., Ladew. et Hauptio) praeter Coningtonem illam restituimus, quam exhibent Pal., Gud., duo Bern. et Probus p. 38, 17. K. (cf. Keil. in Philol. II. p. 164.) Quod enim Wagn. dicit de aurium iudicio, cum interposita sit vox *elusit*, minus verum videtur et Quinctiliano hunc potissimum locum obversatum fuisse, quis poterit probare? — 227. Etiam qui non solum frumentum, sed leguminum quoque varia genera serere constituerint, ab initio m. Novembris usque ad multam hiemem serere iubentur. Ceterum in his omnibus clementioris caeli memores esse debemus. — *viciam* sub occasu Arcturi, Novembri mense incipiente, satam esse, ex Plinio XVIII, 15, 37. coniecit Voss. Colum. autem II, 10, 29. eas bis quotannis seri perhibet, tempore aequinoctii auctumnalis et m. Ianuario. — *phaselus* (*φάσηλος*), qui etiam *phaseolus* (*φασήολος, φασίολος*) dicitur (*türkische Bohne, Saubohne*), genus fabarum, quod Romani m. Octobri exeunte, vel, imprimis si eo viridi una cum siliquis vesci volebant, m. Septembri serebant. (Plin. XVIII, 12, 33. Colum. XI, 2, 72. Cf. Billerb. Flor. class. p. 184.) Vulgari autem nominis scribendi rationi per *f*, quam nos quoque prius secuti sumus, hic et Geo. IV, 289. adversatur Med. ceterorumque vetustissimorum Codd. auctoritas. Cf. etiam interpp. ad Catull. IV, 1. et Schneid. Gramm. Lat. I, 1. p. 201.) — *vilis*, ob magnam copiam et vile pretium. — *Lentis* magna praestantia et copia apud Aegyptios (vid. Plin. XVIII, 12, 31.); quare epitheto ab Aegypti aliqua urbe petito ornatur. *Pelusium* autem, celeberrimum Aegypti oppidum, unde etiam vestes linteae maximi pretii veniebant (Phaedr. II, 5, 12.), ad extremum Nili ostium orientem versus erat situm. (Cf. de eo liber meus geogr II. p. 784.) Huc imprimis facit Martial. XIII, 9, 1. *Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem.* — 229. Si viciam serere constituisti, idoneum serendi tempus certissime cognosces ex Bootae occasu. — *„Bootes*, qui et Arctophylax, cum stella Arcturo [vid. v. 204.], occasu suo tempus serendae viciae *certum* indicat. Colum XI, 2, 78. IV. Kal. Nov.

Incipe et ad medias sementem extende pruinas. 230
Idcirco certis dimensum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus astra.
Quinque tenent caelum zonae; quarum una corusco
Semper sole rubens et torrida semper ab igni;

Arcturus vespere occidit. Adde Plin. XVIII, [31,] 74. Vide de lentis satione Colum. II, 10, 15. et Plin. XVIII, 12, 31. cum emendat. Hard. XII. Pallad. XII, 1, 1. *Novembri - - nunc seritur prima lenticula.“ Heyn.* Adde Colum. XI, 2, 78. — *mittere signa*, i. q. dare. Sic apud Prop. IV, 9 [III, 10], 3. *Natalis nostrae signum misere puellae*, ad quem l. Passeratium conferri iubet Burm. — **230.** De verbis *medias pruinas* vid. not. ad v. 340. — **231** sqq. Locus splendidissimus de cursu solis, de zonis caeli et zodiaco s. signis caelestibus; qui propterea hic inseritur, quia agricolae ex annuo solis decursu discere possunt, quando omnia opera rustica fieri debeant. — *Idcirco*, ut ex annuo solis per zodiacum decursu operis rustici tempora definiri possint, *sol aureus*, (vid. infra) *regit orbem*, scil. annuum, non diurnum, ut supra v. 209., (cf. Aen. V, 46. *Annuus exactis completur mensibus orbis*, et infra ad v. 337.) *per astra*, i. e. facit, ut ipse cum his XII astris anni tempora definiat et certis partibus describat. Ordo autem, quo verba collocavit poëta, iubet coniungi *mundi astra;* quemadmodum in loco simillimo Aen. V, 835. *Iamque fere mediam caeli nox humida metam Contigerat.* Alii *orbem mundi* (i. e. caelum), alii denique satis languide *sol mundi* cohaerere censent. Adumbravit autem haec poëta ex Eratosthenis versibus apud Heraclid. Pont. de Alleg. Homer. p. 476., quod Heyn. adnotavit. Adde Achill. Tat. isag. in Phaen. Arati v. 29. Tibull. IV, 1, 151 sqq. et Ovid. Met. I, 46 sqq. — *mundus* pro caelo etiam carm. in Cirin v. 7. et alibi legitur. Cf. Drak. ad Silium XII, 336. *Mundus caeli* plene dicitur ab Ennio ap. Macrob. VI, 2. Ut hic *mundi astra*, sic ap. Lucr. I, 788. II, 228. V, 514. *sidera mundi.* — *duodena* non pro *duodecim* positum, ut interpretibus videtur (cf. adnott. ad Ecl. VIII, 73.); sed propria significatione dictum, cum de solis cursu quotannis repetito sermo sit; ideoque *per duodena* idem est, quod uno quoque anno per duodecim, quam explicationem non improbat Conington, quamvis simplicius esse putet *duodena* pro *duodecim* positum haberi. — *regit.* Cf. Aen. VI, 350. XII, 405. — *aureus Sol*, ut apud Ennium Annal. I, 95. p. 24. Hessel. Sic infra v. 431. *aurea Phoebe* (i. e. Luna), Aen. II, 488. et XI, 832. *aurea sidera* etc. — **233.** Geographi veteres inde ab Eudoxi temporibus orbis terrarum circuitum s. circulum meridianum in sexaginta partes aequales dividebant, quarum quaevis sex gradus nostrae mensurae adaequabat; quemque autem huius circuli quadrantem, a linea aequinoctiali ad alterutrum polum pertinentem et quindecim partibus constantem, dissecabant in tres partes inaequales, quarum prima, lineae illi proxima, quatuor, secunda quinque, tertia, polo proxima, sex illarum quindecim partium continebat. (Cf. Hipparch. ad Arati Phaen. I, 26., a Voss. laud.) Quatuor partes a dextram totidemque ad laevam lineae aequinoctialis usque ad circulos tropicos pertinentes (1—24. grad. nostr.) *torridam*, quinque proximae, quae circulos polares attingebant (25—54. grad.), *temperatas*, extremae sex, usque ad polos ipsos porrectae (55—90. grad.), *frigidas zonas* efficiebant. Postea autem, inde a Posidonii aetate, temperatae fines polos versus usque ad duodecimam illarum partium (s. gradum 66. nostr.) proferebantur, ut ipsa septem, frigida autem, quemadmodum torrida, quatuor partibus constaret. (Cf. liber meus geogr. I. p. 543 sqq.) Vid. de his quinque zonis s. cingulis Firmicus Astr. I, 4. (a Bentl. ad Hor. Od. III, 24, 39. ex nostro loco correctus) Ovid. Met. I, 45. Eleg. ad Messal. 152 sqq. Tibull. IV, 1, 15 sqq. Claud. de R. Pr. I, 259 sqq. Macrob. Somn. Scip. II, 5. et Wernsd. Poët. L. min. V. p. 1403. *Caeli* igitur *zonae* sunt eae caeli regiones, quibus illae terrae zonae subiectae sunt. — **234.** Eratosthenes l. l. scripsit ἡ δὲ μία ψαφαρή τε καὶ ἐκ πυρὸς αἰὲν (vulgo οἷον) ἐρυθρή. Zona torrida a Vergilio et Eratosthene *semper rubens* vocatur, ut frigida *caerulea*, aut ob nativum ipsius caeli colorem (ut equidem puto), aut, quod Voss.

Quam circum extremae dextra laevaque trahuntur
Caeruleae, glacie concretae atque imbribus atris;
Has inter mediamque duae mortalibus aegris
Munere concessae divom, et via secta per ambas,

---

suspicatur et Claud. XXXIII, 244. indicare videtur, propter rubrum et caeruleum pigmentum, quo (Firmico teste l. l.) in tabulis geographicis inductae apparebant, quod, si forte de *caeruleis* zonis infra commemoratis valere possit, huc tamen non quadrat, et si hic de nativo colore sermo est, etiam infra de tabulis caeruleo colore illitis cogitari vix potest. *Sole rubens* igitur (*von der Sonne geröthet*) non aliter intelligendum, atque infra v. 251. *rubens Vesper*. Cf. etiam Ovid. Fast. VI, 727., ubi Cancri signum, quod zonam torridam a septemtrione terminat, eadem de causa *rubescere* dicitur. — Verba *torrida semper ab igni* iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 171, 5. Quod attinet ad hunc usum Praepositionis Coningt. comparat Ovid. Met. I, 66. *pluvioque madescit ab Austro*. Cf. Ruddim. II. p. 211. et Hand. Turs. I. p. 27 sq., multa etiam pedestrium scriptorum exempla afferens. Alii minus recte *ab igne*. Formam *igni* non solum apud poëtas, verum etiam apud pedestris orationis scriptores optimorum Codd. auctoritate probari docet Schneider. Gr. Lat. II, 1. p. 229. Cf. etiam Drakenb. ad Liv. I, 41, 3. IV, 9, 8. Bentl. ad Hor. Sat. I, 5, 72. et Epist. I, 17, 30. Iahn. ad h. l. Bach. ad Ovid. Met. I, 53. Ruddim. I. p. 85. Ceterum per *ignes* zona torrida significatur etiam Horatio Od. III, 3, 57., qui alio loco III, 24, 37. eam vocat *partem fervidis inclusam caloribus*. — 235. Cf. Eratosth. l. l. *αἱ δὲ δύω ἑκάτερθε πόλοις περιπεπτηκυῖαι Ἄξεὶ κρυμαλέαι - - - γλαυκοῖο κελαινότεραι κυάνοιο*. — *Quam circum* non de proxima vicinia intelligendum, sed de latiore ambitu, cum temperatae zonae interiaceant. — *extremae*, i. e. zonae frigidae in extremis partibus positae, *trahuntur*, extensae sunt (*ziehen sich*). — 236. *Caeruleae* nunc edidimus cum Ribb. et Ladew., Codd. Med., Pal., Rom., Gud., aliorum auctoritatem secuti, quod hae zonae *caeruleae* bene opponuntur zonae *rubenti* antea commemoratae et librarii multo facilius de caerulea glacie, quam de zonis caeruleis cogitare poterant, imprimis cum etiam *imbribus* epitheton adiectum viderent. Et Ladew. quidem has zonas extremas *caeruleas* dici putat ob tenebras eas tegentes, coll. Aen. III, 194. (*caeruleus imber*), VI, 410. (*caerulea puppis*, quae v. 303. *ferruginea* vocatur) et Ciris v. 214. (*caeruleae umbrae*), quibus addere poterat Aen. III, 64. *caeruleae vittae* (lugentium) et V, 10. *caeruleus imber*, Stat. Theb. II, 528. *umbra caerula*, eiusd. Silv. I, 6, 85. *nox caerula*, Ovid. Fast. IV, 446. *caerulei equi Plutonis* etc.; eamque explicationem nos quoque iam supra probavimus, quamquam ex Firmici loco supra laud. discimus has zonas extremas etiam in tabulis *caeruleo colore signatas* fuisse. Haupt. tamen et Conington cum Wagn. servarunt vulg. lectionem *Caerulea* (*glacie*). — *concretae* i. e. glacie rigentes, proprie ad solam *glaciem* pertinet, sed cum ipsa glacies ex pluvia concreta orta sit, per zeugma etiam ad imbres potest referri. Accedit, quod imbres plerumque comitantur procellae, quae gelu afferunt. — *imbres atri*, *ὄμβροι ζοφόεντες*, quia imbres aërem inumbrant et obscurant. Cf. infra v. 323. et Aen. V, 693. cum Geo. II, 308. Aen. II, 356. 516. V, 512. VIII, 258. X, 264. et similibus locis. — 237. *mediam*, torridam. — *duae*, temperatae. Cf. Varro Atac. ap. Wernsd. Poët. L. min. V, 1403, 3. *sic terrae extremas inter mediamque coluntur*. — *mortalibus aegris*, miseris (*δειλοῖσι βροτοῖσι* Homeri Od. XI, 19. et alibi); ut Aen. II, 268. et Lucr. VI, 1. Eodem sensu *miseri mortales* Geo. III, 66. et Aen. XI, 182. — 238. *divom* edidimus cum recentissimis editoribus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 446 sq. et Ribbeck. Proleg. p. 438. — *et via*. Addidimus cum Wagn. ex plerisque Codd. et Ald. 3. Copulam, quae unde illata sit, non apparet et, cum haec ad v. 231 sq. respiciant, aegre desideratur. Sensus secundum Wagn. hic est: „Concesserunt has singulari beneficio mortalibus dei, viamque per ambas secuerunt, qua se verteret.“ Recte igitur recentiores editores omnes Copulam adiecerunt. — *via secta*, i. e. dirimens ea, quae utrimque adiacent, e Lucr. V, 273. *Qua via secta semel liquido pede de-*

Obliquus qua se signorum verteret ordo.
Mundus, ut ad Scythiam Rhipaeasque arduus arces
Consurgit, premitur Libyae devexus in Austros.
Hic vertex nobis semper sublimis; at illum
Sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi.

---

tulit undas sumptum videtur. Eadem ratione de solis orbita Ovid. Met. II, 130. *Sectus in obliquum est lato curvamine limes* etc. Cf. etiam Geo. II, 278. Aen. V, 658. et VI, 899. Ovid. Fast. I, 142. Am. III, 1, 18. II, 16, 16. — *per ambas*, inter ambas, ut v. 245. *per duos Arctos*. Sic enim *per* haud raro spectat ad rem, quae media extenditur inter duas alias. Vid. Macrob. Somn. Scip. II, 8. ab Heyn. laud. Nam temperatas zonas sol non permeat, sed attingit modo, cursum suum in signis Cancri et Capricorni a circulis tropicis retorquens. — 239. *Obliquus se vertere* dicitur zodiacus, quia solis illa via, quae ecliptica vocatur, et per quam eius sidera disposita sunt, ipsa est obliqua. — 240. „Omnia ad sensus nostros dicta, si sphaeram ante oculos positam habemus." *Heyn.* Sermo est de parte caeli septemtrionali et australi s. de polo arctico et antarctico. — *Scythia* pro omnibus Europae et Asiae partibus septemtrionalibus. Cf. infra ad Geo. III, 349. — *Rhipaeasque arces*. *Arx* de omnibus locis excelsis, etiam de montium iugis dicitur. Ita Geo. IV, 461. *Rhodopeïae arces*, Ovid. Met. I, 467. *Parnasi arx*, Val. Fl. I, 575. *Pangaea arx* etc. Cf. etiam infra II, 172. 535. et Aen. III, 531. IX, 86. ibique adnott. *Rhipaei* autem s. *Rhiphaei*, ut aliquot Codd. (*Ripheas*: Med., Pal., Rom. et duo Bern: *Ripaeas*, superscripta *h*: Gud.) et Serv. (quos tamen Ribbeck. sequitur) hic et Geo. III, 382. IV, 518 minus recte scribunt, nomen collectivum erat omnium montium Europae septemtrionalis usque ad Pontum Euxinum, ad quos Hyperborei habitare fingebantur. Cf. infra Geo. III, 381. Mela III, 5, 1. Plin. IV, 26, 57. et liber meus geogr. III. p. 1113. Per *Scythiam* igitur et *Rhipaeas arces* septemtrionalis, per *Libyae* (Africae) *Austros*, ad quos *mundus* (caelum: cf. v. 232.) *devexus premitur* (descendit), australis poli regio describitur. — 242. Cf. Arat. 25. et ex eo Cic. N. D. II, 41, 105. *extremusque adeo duplici de cardine vertex Dicitur esse polus.* — *Hic vertex*, polus arcticus, *nobis semper sublimis*, super nos eminens ideoque nobis conspicuus. Cum Cod. Rom. pro *sublimis* exhibeat *sublimes*, Ribbeck. ex coni. posuit Adverbium *sublimen*, Rietschelium in Mus. Rhen. VII. p. 556 sqq. (qui tamen ipse dubitat, num haec vox etiam Vergilio vindicanda sit) et hic et infra v. 404., Aen. I, 259. X, 144. XI, 67. 722. al. paullo cupidius secutus. (Cf. idem et Fleckeisen. in Novis Annal. phil. LXXVII. p. 184 sqq.) Si enim Comici hoc Adverbio sermonis quotidiani utebantur, inde non sequitur, idem Vergilio quoque esse obtrudendum, cuius unus modo Codex (Gudian.) hic ibi ei videtur patrocinari. Cf. etiam quae Klotz. in Exc. ad Ter. Andr. p. 197 sq. disputavit. — 243. „Pulcherrime pro: polus antarcticus latet, *οὐκ ἐπίσσιτος*, ut Arat. Phaen. v. 25., unde haec expressit Vergilius, *non cernitur*, ut *ἀϊδής*. At suspiciunt illum, eodem modo ut nos polum caeli arcticum supra caput nostrum suspicimus, inferi, qui subter terrarum orbe [cf. Serv. ad Aen. VI, 532. et Macrob. Sat. I, 21., a Voss. allati] Orcum et Tartarum habitare putantur. Igitur iungenda: *illum sub pedibus*, qui nobis est sub pedibus." *Heyn.* Ita mihi quoque verba coniungenda videntur. Wagn. (coll. locis Aen. IV, 491. et VI, 256.) iungit *Styx sub pedibus*, i. e. quae est sub pedibus nostris, cui rationi et collocatio verborum et usus dicendi adversari videtur. Voss. denique et Iahn. verba *sub pedibus* cum *videt* cohaerere putant, ut, quemadmodum nobis polus arcticus supra caput sit, ita Manibus australis sub pedibus esse dicatur; quae sane simplicissima esset ratio, dummodo probari posset, veteres Manes in media terra collocasse; quamquam vel sic haererem aliquantulum in hac sententia: Manes in medio terrarum orbe inclusi sub pedibus *vident* polum antarcticum. *Styx* autem pro toto Orco, ut saepe. — *Manes profundi* Voss. vertit *die Geister der Tiefe*, ut *profundi* pro Genetivo accipere videatur. Sed praestat, *profundi* epitheton habere Manium, ut Aen. V, 387. *Manes imi*, ubi vid. adnott. Manes autem pro loco, in quo ver-

Maxumus hic flexu sinuoso elabitur Anguis
Circum perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentis aequore tingui.
Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox,
Semper et obtenta densentur nocte tenebrae,

---

santur, commemorati, ut sexcenties *inferi* pro sedibus inferorum. Prosae orationis scriptor pro *Manibus* hic antipodes, *ἀντίχθονας*, commemorasset; quo spectant etiam illa Servii ad Aen. VI, 532.: „Antipodes, quantum ad nos spectat, Inferi sunt, sicut nos illis." Ceterum cf. Aen. VI, 641., ubi in Elysio degentes *solem suum, sua sidera norunt*, ibique adnott. — Cum v. 244 sqq. cf. Arat. Phaen. 45 sqq. — *hic*, in polo arctico, *flexu sinuoso elabitur Anguis*. Anguis enim s. Draco (vid. supra v. 205.) incurvato tergo circumflectitur, Ursae utrique implicitus, ita ut sub Ursa minore se convolvat, caudem vero inter caput minoris et tergum maioris Ursae in septemtrionem versus porrigat. — *Elabitur* minime pro simplici *labitur* positum, ut vulgo interpretantur, sed de Angue ultra utramque Ursam porrecto intelligendum (cf. Geo. II, 305. Aen. IX, 632.). Verba enim composita numquam prorsus idem significare, quod simplicia, iam ad Ecl. II, 57. contendimus. — 245. Omisi cum Wagn. Comma vulgo post *Circum* positum, quae Particula non cum Verbo, sed cum Substantivo coniungenda est, ut sensus sit: *Circum Arctos et per Arctos*. — *in morem fluminis*, sinuosum fluminis cursum imitans. Servius laudat fragmentum Hesiodeum (fr. 237. Göttl.): *ποταμῷ ῥείοντι ἐοικώς*. Sed totam sententiam conversam esse ex Arato Phaen. 45—48. *οἵη ποταμοῖο ἀποῤῥώξ* etc., Heyn. iam docet. De anadiplosi in nomine *Arcti* obvia cf. adnott. ad Ecl. VI, 20., de ipsa Arcto supra ad v. 138. — 246. „Septemtrionalia illa sidera, interque ea Ursas maiorem et minorem, Helicen et Cynosuram, numquam occidere, infra *ὁρίζοντα* seu finitorem non descendere, semper nobis conspici, notum. Fundus poëtici ornatus Hom. Il. XVIII, 489. et Od. V, 273., ubi cf. Intpp. Iis intervolvitur Draco." *Heyn.* Causam, cur utraque Ursa s. Helice et Cynosura numquam occidant, poëtice refert Ovid. Met. II. 496 sqq., cui Met. XIII, 727. propterea *Arctos aequoris expers* vocatur, quemadmodum Hom. Il. l. l. *οἵη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν ὠκεανοῖο*. — „*metuentes tinguĭ* pro: *non* tinguntur, *numquam* occidunt; quasi ab hoc sibi caveant, quod numquam faciunt. *Ἄρκτοι κυανέου πεφυλαγμέναι ὠκεανοῖο* dixerat Aratus l. l. Sic Hor. Od. II, 2, 7. *penna metuente solvi*, non solvenda." *Heyn.* Adde eund. Od. III, 11, 10. *metuitque tangi* (i. e. tangi se non patitur). Γ , 5, 20. *culpari metuit fides* (i. e. nemo est, qui eam violare velit). Ep I, 16, 60. *metuens audiri* cett. Ad rem cf. Ovid. Met. II, 171. *Trion. s - - vetito frustra tentarunt aequore tingui. — Oceani aequor.* Vid. infra ad v. 469. — 247 sqq. *Illic*, sub polo antarctico aut nox est perpetua, aut dum in nostro caelo nox exoritur, ibi dies incipit, et contra. Cf. de hac veterum opinione Strab. II. p. 94 sqq. Cas. Macrob. in Somn. Scip. II, 9 sq. et Lucret. V, 649—654. — *perhibent*, ferunt, tradunt, ut saepe apud Vergilium. Cf. Geo. II, 238. IV, 323. 507. Aen. IV, 179. VIII, 135. 324. Burm. ad Aen. VIII, 324. et Voss. ad Geo. II, 238. — *intempesta* est *nox*, quia tum res agere non est tempestivum. Ita iam Aelius apud Varr. L. L. V, 2. et, qui eum secutus videtur, Macrob. Saturn. I, 3. p. 209. Bip. (*nox intempesta, quae non habet idoneum tempus rebus gerendis*) rectissime interpretantur; a quibus non multum discedit Servius ad Aen. III, 587. haec adnotans: *nox intempesta dicta est media, tamquam inactuosa*. Cf. etiam Festus, qui dicit (p. 82. Lindem.): *intempestam noctem dicimus pro incertiore tempore, quia non tam facile noctis horae quam diei possunt intelligi*, Gerh. Voss. Etym. p. 513. Drakenb. ad Liv. XXXVII, 14, 3. Cort. et Kritz. ad Sall. Cat. 27, 3. Utuntur hoc noctis epitheto iam Ennius Ann. 106. et 172. p. 45. et 122. et Lucr. V, 984. — De clausula monosyllaba vid. supra ad v. 181. — 248. Male Wunderl. Obs. ad Tibull. I, 5, 52. Adv. *semper* ad praegressa referendum et Comma, quod post *nox* ponitur, tollendum censet. Recte potius Wagn. docet, sexta decima caesura ubi admittatur, necesse esse ut vox paulum subsistat in

Aut redit a nobis Aurora diemque reducit;
Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis,
Illic sera rubens accendit lumina Vesper.

---

fine versus; Adverbium autem *semper* interdum in versuum principiis ita inter duas similes sententias collocari, ut ipso quidem positu ad solam alteram pertineat, vi autem, quae maior ex ea re existat, ad utramque, velut apud Tibull. III, 6, 1 sq. *Candide Liber ades, sic sit tibi mystica vitis, Semper sic hedera tempora vincta geras.* Cf. eiusdem Qu. Virg. XIII, 3. p. 432. et quae ad Ecl. V, 21. et Aen. VI, 716. adnotata vides. — „*obtenta densantur nocte.* Nox (ut tenebrae) obtenditur, obducitur caelo et terrae. Hom. Od. XI, 19. Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὁλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι." *Heyn.* — Pro *obtenta - - nocte*, cum unus Cod. *obducta* praebeat ex interpret., Schrader. temere coniecit *obducta nube*, ut Peerlk. p. 128. *luce* pro *nocte*, quod vocabulum statim repetitum displiceat; sed haud pauci inveniuntur apud Vergilium loci, in quibus eadem vox in versibus se excipientibus vel post breve intervallum iteratur. Cf. Geo. II, 125. Aen. I, 315. II, 207. 633. VI, 901. VIII, 243. etc. Ceterum coniecturam suam artificiose sic explicat: *luce* peplo s. amictu Noctis *obtenta* ideoque non apparente. De *obtendendi* verbi usu pro tegendi, velandi, cf. Barth. ad Stat. Theb. V, 45. Gronov. ad Senec. Oed. 625. Drak. ad Sil. X, 228. Burm. ad Ovid. Her. X, 147. Ceterum Codd. variant inter *densantur* (quod. Med. cum aliis exhibet) et *densentur* (Romani, Pal., Gud. aliorumque lectionem), quae varietas etiam alibi deprehenditur; velut infra v. 419. Aen. X, 432. XI, 650. Aen. XII, 264. etc. Quare Wagn., comparatis inter se Servio et Cod. Med., Vergilium in Georgicis formam *densare*, in Aeneide autem (excepto uno illo loco XII, 264., ubi plenior et gravior forma magis conveniat Imperativo) alteram *densere* secutam esse arbitratur, quod parum probabile videtur. Quidni Vergilium utraque forma promiscue utentem variare orationem voluisse statuamus? Burmann. lectionem *densentur*, quam servarunt Ribbeck et Conington, vel ob *ἐνφωνίαν*, ne syllaba *en* toties deinceps redeat, reprobandam censet. Ceterum de utriusque formae confusione cf. Heins. ad Aen. VII, 794. et ad Ovid. Fast. III, 820. Pareus in Ind. Lucret. s. v. Bentlei et Orell. ad Hor. Od. I, 28, 19. Iahn. ad Aen. VII, 744. Ramsh. Gr. Lat. § 74. p. 212 sq. aliique. — **249.** *Aurora* (ideoque etiam Sol, quem Aurora semper comitatur) *redit*, scil. ad eos, *diemque* iis *adducit*. Verba *redire, reducere, recurrere, referre* et alia similiter composita, saepe pon ubi de rebus, imprimis naturae, statis vicibus redeuntibus agatur, Wund docet coll. Hor. Od. II, 10, 15. *Informes hiemes reducit Iupiter, ide submovet*, eiusdem IV, 7, 1. 12. et infra 336. 339. 440. 458. Adde v. c. Lucr. I, 312. *multis solis redeuntibus annis*, et III, 1018. *annorum tempor circum Quom redeunt* etc. et cf. Val. Fl. II, 56. *Integer* (Titan) *in fluctu rediturus decidit auro* (ex Heinsii coni.) et Claud. I, 1 sq. *Sol, qui - - Vol vis inexhausto redeuntia secula motu.* — **250.** *Oriens* hic Solem matutinum significat, ut ex equis commemoratis certissime apparet. Aurae vero s venti, qui ante solis ortum spirare solent, ex anhelitu equorum solis poë tice deducuntur. Ceterum *Oriens* pro sole legitur etiam in loco huic simil limo Aen. V, 739., ap. Ovid. Fast. I, 653. et alibi. Poëticum epitheton *anhelu* solis equis tribuitur ab eodem Ovidio Met. XV, 418. — „*equis anhelan tibus* tribuitur *adflare* id, quod ante se habent, ut in cursus certamin eos, quos ante se decurrentes cursu attingunt. *Afflant equi solis* eas ter ras, quas sol oriens illuminat. Iam poëtica inversione dixit: *Sol orien affiat nos equis;* ut Aen. V, 739." *Heyn.* Cf. etiam Avien. descr. 62. *ha oras ardor Titanius adflat* et similes loci. — **251.** Pro *Illic* apud Senec. Ep. 122. legitur *Illis*, quod etiam Wakef. ad Lucr. I, 1065. e coniectura restituendum censet et Ribbeck. edidit. (Cf. eius Prol. p. 201. et 240.); sed quamquam negari nequit, praecedenti *nos* magis respondere *illis*, quod e v. 247. facile in *illic* mutari potuit, contra omnium tamen Codd. consensum nihil mutandum puto, cum Vergilius de regionibus, non de earum incolis loquatur; quare ceteri recentiores edidit. *illic* servarunt. — Verba *accendit lumina Vesper* Heyn., recte reiiciens vulgarem rationem satis languidam, qua de facibus et candelis accipiuntur, quae ut incendantur, vesper causa sit, ipse intelligit de

Hinc tempestates dubio praediscere caelo
Possumus, hinc messisque diem tempusque serendi,
Et quando infidum remis inpellere marmor
Conveniat, quando armatas deducere classis,
Aut tempestivam silvis evertere pinum.

Hespero cum Solis occasu in conspectum veniente et lumen suum proferente, coll. Silio, qui XI, 514. 515. hunc locum sic expresserit: *Invadunt campum et late fulgentibus armis Accendunt ultro lucem surgentis Eoi;* eique adsentitur Conington. Sed Silii locum nihil probare, et *sera accendit lumina* artificiose tantum et contorte ad ipsius Hesperi lumen referri posse, quisque videt. Magis probanda eorum ratio, qui *sera lumina* de ceteris caeli luminibus, de stellis, interpretantur, quas Hesperus, primus omnium apparens, quasi *accendere* dicatur, (quam Bryce amplectitur); equidem tamen praefero Vossianam, ex qua *vesper* de tempore vespertino, *sera* autem *lumina* de caeli vespertini rubore intelligendum est; hanc enim explicationem non solum epitheton *rubens* (quod Conington non debebat simpliciter per voc. lucidus (*bright*) explicare coll. Hor. Od. II, 11, 10. *luna rubens*), sed etiam oppositio *Aurorae* quam maxime iuvat. (Wagn. et Ladew. nihil prorsus ad h. l. adnotant, quod miror.) Ceterum cf. similis Lucretii locus I, 1064 sqq. *Illi quom videant solem, nos sidera noctis Cernere* etc. — In seqq. Ribbeck. et Hanovius Sched. crit. p. 7 sqq. transpositionem versuum suadent, et ille quidem v. 257. et 58. ante v. 252. ponendos et ante v. 259. lacunam sumendam esse putat, quae haec fere continuerit: „sunt enim suis quaeque temporibus opera adsignata, etiam eis, quae nullum omnino negotium videntur admittere;" hic autem v. 252—56. post v. 207. collocandos et v. 257. et 58. prorsus reiiciendos censet. — **252.** „*Hinc*, ex hoc solis per Zodiacum occursu, a v. 231., instantem tempestatum mutationem discimus, vel *dubio caelo*, i. e. etiamsi ex caeli nubibus obducti conditione nihil potest divinari. Memor autem erat poëta versuum Arati Diosem. 10 sqq." *Heyn.* — *Tempestates* de quatuor anni partibus dici, ex v. 258. patet. Heyn. conferri iubet Tibull. IV, 1, 169. qui de temperata zona agens canat: *Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus: Hinc et colla iugo didicit submittere taurus* etc. — **253.** *messis diem*, i. e. aestatem; *tempus serendi*, auctumnum et hiemem. — **254.** Navigatione et lignatione incipiente veris tempus significatur. Vide supra ad v. 138. — *marmor*, Homerum (Il. XIV, 273. χειρὶ-ἕλε-ἅλα μαρμαρέην, coll. XVII, 594. XVIII, 480.) secuti, iam Ennius (Annal. XIV. p. 103. Hessel. *Verrunt extemplo placide mare marmore flavo*) et Lucretius (II, 766. *Ut mare - - Vortitur in canos candenti marmore fluctus*) de mari instar politi marmoris in sole fulgente et resplendente usurparunt. Cf. etiam Aen. VI, 729. et VII, 28. 718. 208. Imitantur hunc versum Silius XIV, 464. *mutare casas infido marmore* et Petron. ap. Wernsd. Poët. L. min. IV, 759, 34. *pulsumque marmor abiete.* — **255.** *armatae classes*, ὡπλισμέναι, simpl. instructae ad navigandum naves. Cf. Hesiod. Ἔργ. 631 sq. et 671 sq. Recte enim Heyn. adnotat, alienam a re rustica fore classem ad bellum armatam. Cf. autem Aen. IV, 299. *armari classem cursumque parare.* — *deducere.* Nam per hiemem naves *subductae* (Aen. III, 135.) et trabibus impositae in litore iacebant, unde vere novo machinarum ope rursus in mare detrudebantur. Cf. Aen. III, 71. et IV, 398. *Deducunt naves* et Hor. Od. I, 4. in. *Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni, Trahuntque siccas machinae carinas.* Sic apud Graecos καθέλκειν (s. ἐρύειν εἰς ἅλα) et ἀνέλκειν. Cf. Taubmann. ad Plaut. Most. III, 9, 50. Mitscherl. ad Hor. l. l. Ruperti ad Liv. VIII, 26, 1. Herzog. ad Caes. B. G. V, 1. alii. Ceterum Voss. per *remos* cymbas et minores piscatorum naviculas, per *classes armatas* maiores naves, velis et rudentibus instructas, intelligit. — **256.** Macrob. Sat. VI, 4. et Schol. Horatii Cruqu. ad Od. I, 23. *Et* pro *Aut*, minus probabiliter. — *tempestivam silvis evertere pinum*, h. e. ligna, materiem domorum et navium aedificandarum (cf. Geo. II, 443.) tempestive s. iusto, legitimo tempore caedere, quod Pallad. XII, 15. mense Februario commodissime fieri docet. Vid. etiam Cato R. R. 31.

Nec frustra signorum obitus speculamur et ortus
Temporibusque parem diversis quattuor annum.
Frigidus agricolam si quando continet imber,
Multa, forent quae mox caelo properanda sereno,
Maturare datur: durum procudit arator
Vomeris obtunsi dentem, cavat arbore lintres,

---

et Plin. XVI, 39, 74. 75. De Adiectivis pro Adverbiis positis vid. adnott. ad Geo. III, 538. — 257 sqq. Etiam cum pluvium tempus domi continet rusticum, inveniet, quae hac iniqua tempestate, et aptius quidem quam sereno caelo, agere possit. Atque hoc quoque tempus praevidere eique negotia rustica accommodare docet siderum observatio. Usui autem agricolarum, qui non erant astrologi, inserviebant tabulae astronomicae ab Eudoxo (de quo vide adnott. ad Ecl. III, 40.), Metone aliisque confectae et calendaria oeconomica, quae nunc vocantur, et quale composuit Colum. XI, 2., in quibus ortus et occasus siderum, tempestates quovis tempore exspectandae et alia rusticis cognoscenda erant indicata. (Cf. Colum. IX, 14 XII, 2. et, qui hunc laudat, Voss. ad h. l.) Ceterum etiam Cato R. R. 2, 3. et Varro R. R. I, 36., quibuscum Plin. XVIII, 6, 8. conferendus, eadem et alia opera rustica pluviarum tempore ut suscipiant, rusticis suadent. — 258. *parem*, quod constat ex quatuor partibus sibi paribus (vere, aestate, auctumno, hieme), quae iisdem semper temporum vicibus sibi succedunt. — *quattuor* ex Med., Vat. et Rom. auctoritate nunc cum recentissimis editoribus scripsimus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 467. et, qui ibi laudantur, Schneider. Gramm. Lat. I, 2. p. 446 sq. (contra quem disputat Ellendt. ad Cic. de Or. II, 83, 339.) et Fr. Haasii not. 314. ad Reisigii *Vorlesung. über d. Lat. Spr.* p. 284. Adde Lachm. ad Lucr. III, 917. p. 193. Rietschel. ad Plauti Most. 630. et Ribbeck. Proleg. p. 443. — 259. Cf. Hesiod. O. et D. 494. *ὥρη γειμερίη, ὁπότε κρύος ἀνέρας ἔργων Ἰσχάνει.* Hanovius Sched. crit. p. 8 sq. etiam in hoc loco haeret, cum, quod sane negari non potest, nos praeter exspectationem subito ad res progressos esse sentiamus, ad quas via haud quaquam munita sit (quare etiam Ribbeck. adnotat, „ante v. 259. quaedam in hanc sententiam desiderari: „sunt enim suis quaeque temporibus opera adsignata, etiam eis, quae nullum omnino negotium videntur admittere"), sed fatetur etiam, sibi non constare, quae medela loco sit adhibenda. — *frigidus* Vossio iudice non solum de pluvia hiberna intelligendum, sed omnino epitheton est pluviae et ventorum. (Cf. infra III, 279. IV, 261.) — *continet*, domi tenet, exire in campum non patitur. Cf. Burm. ad Petron. c. 65., qui ad h. l. laudat Iustin. XLII, 4. *Ille simulato timore diu continuit se*, sc. castris. Conington confert Iuven. V, 100. *Dum se continet Auster, Dum sedet et siccat madidas in carcere pennas.* — *caelo sereno*, quamdiu caelum serenum est, Abl. abs.; vid. supra ad v. 214. — 261. *Multa* — *Maturare datur*, i. e. datur occasio multa maturandi, licet maturare. *Dare* cum Infin. constructum, pro sinere, permittere, quod poëtis satis usitatum, e pedestris orationis scriptoribus imprimis Plinius Iunior usurpat, v. c. Paneg. 29, 3. 50, 4. 51, 4. 79, 3. Epist. I, 10, 5. Ceterum, quod iam veteres Grammatici (Servius ad h. l. Gellius X, 11. Macrob. VI, 8.) perspexerunt, opponuntur sibi *properare*, raptim et praecipitanter facere (*übereilen*), et *maturare*, efficere, ut aliquid diligentiae tarditate eo magis maturum fiat, (*bedachtsam fördern*). Quare Tacito dial. de or. 3. scribere licuit *Ideo maturare huius libri editionem festino*, et Quinctiliano Inst. VI, 10. *Observatum fere est, celerius occidere festinatam maturitatem*, quos locos debeo Doederleinio, docte hac de re disputanti in Synon. Lat. II. p. 138 sq. (Voss. comparat Graecum proverbium *σπεῦδε βραδέως, spude dich, aber eile nicht*). Mala igitur tempestate domi maiore diligentia in antecessum parari possunt, quae serena tempestate, qua multa alia curanda, instituenda, agenda sunt, festinando, subito et confuse faciendo, bene fieri nequeunt. — *procudere* hic significat malleo cudendo, tundendo exacuere, ut apud Lucr. V, 1263. *Et prorsum quamvis in acuta ac tenvia posse Mucronum duci fastigia procudendo.* — 262. *Vomeris dentem*. Cf. supra ad v. 172. — *obtunsi*. Sic Med., Rom., aliorum Codd., Servii et Eutychii II, 4. auctoritate cum recentissimis editoribus scripsimus. Cf.

Aut pecori signum aut numeros inpressit acervis.
Exacuunt alii vallos furcasque bicornis
Atque Amerina parant lentae retinacula viti.
Nunc facilis rubea texatur fiscina virga,
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quaedam exercere diebus

Wagn. Orth. Verg. p. 457. et quos ibi laudat, quibus adde Ruddim. I p. 234. not. 69. — *arbore*, Ablat. materiae. Vid. adnott. ad Aen. I, 167. — *lintres* sunt vasa lignea concava et alvei (*Tröge, Mulden, Butten:* cf. Varr. R. R. I, 11.). Sic alveos, quibus uvae portantur in vindemia, *lintres* dixit Tibull. I, 5, 23. (ubi vid. Dissen.) Manso cum Servio minus probabiliter de scaphis cogitat. Ceterum Ribbeck. edidit *lyntres*, quod Med., Pal., Rom., Gud., unum Bern. et duo Codd. Prisc. p. 891. exhibere affirmat. (Cf. eius Proleg. p. 254.) — 263. *pecorum signum.* Nota aliqua, imprimis nomen domini (Calpurn. V, 84.), pice liquida inurebatur pecori (Colum. VII, 9, 12.), quod maxime m. Ianuario et Aprili exeunte fieri solebat, ut Voss. docet, coll. Colum. VII, 9. XI, 2, 14. 38. et Pallad. II, 16. Vid. etiam Geo. III, 158. *Continuoque notas et nomina gentis inurant.* — „*numeros impressit acervis, ἐνέγραψε*, pro imprimit. [Vid. quae ad v. 49. adnotavimus.] Aut cum Servio tesserae et tabellae intelligendae acervis impositae, quibus frumenti [i. e. modiorum] numerus designatur, aut *acervi* sunt frumenta saccis seu vasis condita, quibus vasis inscribit paterfamilias, quot modios contineant." *Heyn.* Prior ratio praestat. — *inpressit*, cum tantum ad *signum pecori* inurendum quadret, per zeugma interpretandum, ad *numeros* autem *acervis* supplendum esse *inscripsit* quisque videt. De Perfecto autem pro Graecorum Aoristo de re, quae fieri solet, posito cf. adnott. ad v. 49. — 264. *valli* hic et infra II, 25. sunt pali, *furcae bicornes* autem vitibus fulciendis inserviebant. Cf. Geo. II, 359. et Colum. XI, 2. — 265. „*Amerina retinacula. Amerina salix* inter terna salicis genera memoratur Columellae IV, 30, 4., ubi de pedaminum in vineis, iugorum ac viminum prospiciendorum cura agit. Cf. Plin. XVI, 37, 69." *Heyn.* Adde Plin. XXIV, 9, 37. Voss etiam nunc in Gallia meridionali genus quoddam salicis *l'Amerine* vocari affirmat. De ipso autem Ameriae oppido, Umbriae municipio, quod nunc *Amelia* vocatur, vid. librum meum geogr. III. p. 622. — 266. Cf. Ecl. X, 71. ibique adnott. — *Fiscinae*, calathi aliaque vasa viminea, quae supra v. 165. *virgeam Celei supellectilem* poëta dixit, non solum e salicis, sed etiam ex *ruborum* (de quibus vid. adnott. ad Ecl. III, 89.) virgis texebantur, quibus non minus quam virgis saligneis utebantur etiam ad alligandum. Cf. Plin. XVI, 37, 69. et Colum. IV, 31, 1. Neque tamen prorsus reticenda est diversa Servii explicatio, qui haec adnotat: „*Rubea virga*, quae abundat circa Rubos, Italiae oppidum: Hor. Serm. I, 5, 94. *Inde Rubos fessi pervenimus*," ad quem locum etiam Schol. Cruqu.: „hi Rubi oppidum; hinc putant aliqui dixisse Vergilium *Nunc facilis Rubea texatur f. v.*" Nihil vero praeterea constat de viminibus circa hoc ignobile Apuliae oppidulum (nunc *Ruvo* appellatum: cf. liber meus modo comm. III. p. 751.) crescentibus. Ribbeck. tamen *Rubea* scribere non dubitavit. — *facilis*, quia ex viminibus facta, quae facile flecti et texi possunt. *Mollem iuncum* dixerat Ecl. II, 72. Cf. Tibull. I, 1, 40. II, 3, 15., ubi *pocula facili luto* (argilla, quae facile tractari et fingi potest) *composita* et *fiscella levi detexta vimine iunci* commemorantur. Pal. minus apte praebet *facili.* — 267. *torrete fruges.* „Notum, antiquos aliquando tostis igne granis vesci solitos fuisse; sed hic de eo more agitur, cum, vita iam ad meliorem cultum perducta, far igni torrerent, ut facilius mola, et quidem manuaria, qua utebantur [cf. Moret. v. 23.], frangi et glumis exui posset." *Heyn.* Cf. Aen. I, 179. et Plin. XVIII, 2, 2. — *frangere saxo*, i. q. molere. Cf. Aen. I, 179. Lucr. I, 881. Val. Fl. II, 448. etc. — 268. Supplenda est ex antecedentibus sententia illa, iam ab Heynio indicata: Non mirum videri potest, me suadere rusticis, ut per pluviarum tempus varia negotia domestica exerceant; cui nunc adiungitur haec: cum vel diebus festis, salva religione,

Fas et iura sinunt: rivos deducere nulla
Religio vetuit, segeti praetendere saepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.

---

plura opera suscipere iis liceat. Similem sententiarum nexum per *enim* iam supra vidimus v. 77. — Locum, qui sequitur, laudat et copiosius persequitur Colum. II, 21 (22), 1., longum proponens indicem operum rusticorum, quae, cum dilata magnum agricolis detrimentum afferre possint, etiam festis diebus fieri sacerdotes Romanorum permittant. Cf. etiam id. XI, 1, 20 sq. et Moret. v. 67 sq. — 269. *Fas et iura*, h. e. divina humanaque iura, ut iam Serv. observavit. Verba *Fas et iura sinunt* repetuntur in Anth. Lat. Burm. I, 172, 65. — *nulla religio*, scrupulus, metus peccandi et deos offendendi (*religiöse Bedenklichkeit*), quamquam etiam de definitis pontificum interdictis (*Religionsverbot*) cogitare possumus. Cf. Ameis Spicil. p. 19., qui explicat: „religio, quae per deorum cultum praecipitur (*Religionsgesetz*.)" — *vetuit*, adhuc numquam vetuit, neque nunc vetat, ideoque non solet vetare, ut supra v. 49. — *rivos deducere*. „*Quod autem Vergilius ait deducere, nihil aliud est, quam detergere; nam festis diebus rivos veteres sordidatos detergere licet, novos facere non licet.* Ita Macrob. Sat. III, 3. Consentit Colum. II, 22, 3. *Rivum deducit* ac *ducit* is, qui aquam ex rivo vel lacu per prata irriganda ducit. *Satis fluvium induxit rivosque sequentes* supra v. 106. dixerat. *Deducitur* etiam rivus s. aqua, cum fossa exsiccatur: ut *collectus humor* (supra v. 114.) cum educitur et emittitur. Ut in sententiam Macrobii dictum sit, de aqua cogitandum, quae, ut per pratum deducatur, ne via praecludatur, sordibus purganda est. Cf. Serv. ad v. 172." *Heyn.* Ceterum receptam lectionem *deducere* (*fortleiten*) contra alteram minus aptam *diducere* (in plures rivulos dividere), cui tamen patrocinatur Bossler in Philol. XXI. p. 159., tuetur optimorum Codd. praeter Med. auctoritas. Vid. infra ad v. 283. — 270. *seget praetendere saepem* cum eadem exceptione intelligendum. Nam secundum Colum. l. l. (*Quamquam Pontifices negent, segetem feriis sepiri debere*), Macrob. Sat. III, 3. et Serv. ad h. l. pariter novas saepes facere festis diebus non licuit rusticis; veteres reficere et reparare haud dubie licuit. Conington, Keightleium mecum consentire memorans, ipse de mea opinione dubitat, difficultatem autem expedire non conatur. — 271. *Insidias moliri avibus* non nisi de avibus rapacibus et noxiis intelligi potest, de quibus v. c. supra v. 119. sermo erat; nam aucupium instituere festis diebus erat vetitum; *moliri* autem, quod proprie est iactare (vid. infra ad. v. 329.), latiore sensu dicitur de quovis motu et conatu, de cuiusque operis susceptione, imprimis cum qua coniuncta est aliqua virium contentio. Sic infra v. 494. *moliri terram*, Aen. I, 424. *moliri arcem* etc. — *incendere vepres*, vel etiam recidere. Cf. Cato R. R. 2. — 272. *Balantum gregem* commemorari puto, quod oves intra lavandum continuum fere balatum solent edere. Simili ratione etiam locus Geo. III, 457. *ima dolor balantum lapsus ad ossa Cum furit* etc. et Lucr. VI, 1130. *venit - - etiam pigris balantibus aegros*, iudicandi videntur; quamquam negari nequit, interdum etiam *balantes* simpliciter pro ovibus poni, ut Aen. VII, 538. (Consentit mecum Conington.) — *fluvio mersare*, lavare s. c. scabie laborantem. Cf. Geo. III, 440 sqq. — *salubri* enim non est epitheton ornans; nam Macrob. Sat. III, 3. extr., quem argutari in hac voce adiecta temere censet Heyn., hunc locum respiciens scribit: *Cavetur enim in iure Pontificio, ut festis diebus purgandae lanae gratia oves lavare non liceat; liceat autem, si curatione scabies abluenda sit; ideo hoc quoque inter concessa numeravit Balantumque greges fluvio mersare; quod si hucusque dixisset, licita et vetita confuderat, sed adiiciendo salubri causam concessae ablutionis expressit;* et Servius ad h. l.: *Sane sciendum, secundum Varronem contra religionem esse vel si irrigentur agri, vel laventur animalia festis diebus. Nymphae enim sine piaculo non possunt moveri, sed scimus, necessitati religionem cedere;* ex quo Macrobii loco ne colligas, Vergilium vere scripsisse *balantumque greges*, scito, omnium Codd. lectionem *gregem* agnoscere etiam Priscian. VII, 11, 57. et Colum.

Saepe oleo tardi costas agitator aselli
Vilibus aut onerat pomis, lapidemque revertens
Incusum aut atrae massam picis urbe reportat.
Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum. Quintam fuge: pallidus Orcus

II, 22. in., qui omnino hic conferendus, ut etiam Ovid. Fast. IV, 757 sqq. Ceterum cf. adnott. ad Geo. III, 541. — 273—275. „Haec ex duriorum patrumfamilias ratione, ut Catonis c. 138. Vid. Colum. II, 22, 5." *Heyn.* Rusticis, ceteris diebus in agro colendo occupatis, diebus festis *oleum* et *poma* in urbes portare et pecunia eorum venditione parta alias res, ut picem et lapides molares, emere licebat; nam etiam feriatis diebus mercatus in urbibus habitos esse, ex v. 274 sq. patet. Cf. Varronis locum apud Serv. ad v. 275. — *agitator aselli* non est asinarius, sed rusticus, qui utitur asello sarcinario. — 274. „*vilia poma* dicuntur ad magnam copiam denotandam. Sic v. 227. *vilis phaselus.* — *Lapis incusus*, sive rudis, asper, sive cusus et incisus. De mola manuali fere accipitur post Servium." *Heyn.* Ego tamen non novi locum, ubi *incusus* idem sit, quod *non cusus*, rudis, natura asper. Sed ut apud Pers. II, 52. *incusa auro dona* sunt caelata, signis aspera, ita hic de lapide molari cogitandum, qui cudendo exasperatus et ad moliendum aptus est factus. Cf. etiam Scaliger. Lect. Auson. II, 21., a Burm. laud. Consentiunt mecum Wagn. in ed. min. et Ladew.; Peerlk. autem p. 374. pro *Incusum* coni. *In cotem*, ut sensus sit: Reportat lapidem, unde cos fiat. — *massam picis*, durae picis copiam (ut apud Calpurn. V, 80. *nec Brutia desit Dura tibi*, ubi vid Interpp.) ad lignea vasa intus picanda, mustum condiendum et varia medicamina conficienda. Cf. Colum. XII, 22 sqq. — *urbe*, pro ex urbe. Verbis cum *re* compositis haud raro nudus Ablativus adiungitur. Cf. Geo. III, 520. IV, 88. Aen. I, 358. 679. X, 473. etc. — 276 sqq. Etiam dies lunares observandos esse dicit. Ex superstitione enim Romanorum certi cuiusque mensis dies erant fausti ad opera facienda (*felices operum*), alii infausti. Hesiodus Ἔργ. 765 sqq., quae Vergilius recto iudicio ductus tam paucis absolvit, non minus quam sexaginta versibus persequitur. Secundum Plinium tamen Vergilius potius Democritum secutus est; XVIII, 32, 75. enim sic scribit: *His quae sunt necessaria adiicientur de luna ventisque et praesagiis - - Namque Vergilius etiam in numeros* (tempora) *lunae dirigenda quaedam putavit, Democriti secutus ostentationem.* Ceterum a tali superstitione ne principes quidem Romanorum viri, veluti Augustus ipse (Sueton. c. 92.), abhorrebant. Vid. Voss. ad h. l. — *dies alios.* Voss. *dies alias* legendum esse censet, cum in seqq., ubi de certis et quasi statis diebus sermo est, legamus *quintam - - septuma - - nona.* Sed Grammatici Pluralem femin. huius vocabuli inusitatum esse docent. Cf. Sosip. Charis. I. p. 18. *sciamus pluraliter feminine hae dies et has dies non oportere nos dicere.* Schneider Gr. Lat. II, 1. p. 351 sq. Zumpt. §. 86. alii. Wund. aptissime comparat Tibull. III, 6, 32. *Venit post multos una serena dies*, ubi Heynii et Huschkii adnott. conferendae. — *Luna dedit* pro dat, dare solet, ut infra v. 287. et Aen. IX, 266. *quem dat Sidonia Dido.* Cf. quae supra ad v. 49. adnotavimus. — 277. *Felices operum*, faustos ad opera rustica feliciter faciendа. (Cf. supra adnott.) Cum Genitivo rei, cuius ratione habita felix aliquis praedicatur, ex Graecorum consuetudine (cf. v. c. Plat. Phaed. p. 58. E. εὐδαίμων τοῦ τρόπου καὶ τῶν λόγων) hoc Adject. construitur etiam Aen. VII, 725. Hor. Sat. I, 9, 11. (ubi vid. Orell.) Ovid. Met. V, 267. (ubi vid. Iahn. et Bach.) Iuven. XIV, 119. Sil. II, 570. IV, 359. 398. 731. Stat. Silv. IV, 4, 46. Claud. Stilich. I, 89. *infelix* autem Geo. III, 498. et Aen. IV, 529. ap. Silium IX, 627. XII, 432. alibi. Cf. Ruddim. II. p. 74. atque etiam adnott. ad Geo. IV, 491. *Opera* autem καὶ' ἐξοχήν de operibus rusticis legitur etiam infra II, 472. Tibull. I, 4, 48. (ubi vid. Lachm.) et alibi. — „Quinto die ab lunae ortu natos ait Orcum, Furias, Titanes et Gigantes; antiqua et ignota superstitione, ad numerorum rationes spectante. Recedunt haec ab Hesiod. Ἔργ. 802 sqq., qui non eo Orcum et Furias natos memorat, sed Furias periuria hominum ultum ire." *Heyn.* — *Orcus*

Eumenidesque satae; tum partu Terra nefando
Coeumque Iapetumque creat saevumque Typhoea
Et coniuratos caelum rescindere fratres. 280

(cuius nomen Schneid. Gr. Lat. I, 1. p. 208. deducit a Graec. voc. ὄρχος, *Höhle*, *Hölle*, quare nescio, an iure Ribbeck. ex uno Cod. Pal. receperit scripturam *Horcus*, non tamen miror, Romanos etiam *Orchus* scripsisse, quod e Servii Comment. apparet: cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 139.) est deus Orci, Pluto, Ἅιδης (ut apud Cic. Verr. II, 4, 50. *Ut Verres, alter Orcus, venisse Ennam et non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur*), qui *pallidus* dicitur, quia Manes ei subiecti sunt pallidi; pallor enim mortis est color. De Manibus pallidis cf. v. c. Tibull. I, 11, 38., de Charonte Stat. Theb. VIII, 18. Praeterea observanda brevitas dicendi *quintam fuge; pallidus O. E. satae*, pro: qua vel nam ea -- satae. Idem asyndeton ex Particularum causalium omissione ortum etiam pedestris orationis scriptoribus satis usitatum esse constat. Cf. praeter alios Kritz. ad Sall. Cat. 39, 4. et Iug. 28, 5. Wund. comparat similem locum supra v. 230. *mittet signa Bootes; Incipe.* — 278. *satae*, natae, genitae, ut saepe. Cf. Aen. IV, 198. V, 244. 424. VI, 331. VII, 152. 656. VIII, 36. X, 540. Ovid. Met. IV, 282. XII, 93. Fast. IV, 54. etc. — *tum*, i. q. porro, praeterea. Serv. et Nonius p. 220. minus recte *tunc* exhibent, quod esset „eodem illo tempore." Cf. adnott. ad Ecl. III, 10. — 279. *Coeus* et *Iapetus* sunt Titanes, Caeli et Terrae filii, de quibus vide Hesiod. Theog. 133. 404 sqq. Apollod. I, 1, 3. Diod. III, 47. alios. — *creat* Heyn. dicit pro *creavit* esse positum, et Wund. confert Ecl. VIII, 45. *edunt* pro ediderunt, et Ecl. VI, 30. *mirantur* (vel potius *miratur*) pro mirati sunt, ad quos locos vid. adnott. Hic autem poëta de Coei et Iapeti partu ita videtur locutus, ac si quinto quoque die iteraretur. — *saevum.* Ribbeck. et Haupt. cum Palat. a m. pr. scripserunt *saevom.* — *Typhoea*, pro Typhoea (*Τυφωέα*, a Nomin. *Τυφωεύς*: ut apud Ovid. Met. V, 347. *Trinacris - - urget Aetherias ausum sperare Typhōĕă sedes*) quatuor syllabis in tres contractis eadem fere ratione, qua Ecl. VI, 30. *Orphea* pro Orphea legimus. Cf. Lachmann. ad Lucr. II, 829. p. 122. Alibi poëtae Latini hoc nomen tribus syllabis pronuntiatum ad secundam declin. formare solent, v. c. Aen. IX, 716. Ovid. Met. III, 303. Sil. XIV, 196. etc. Apud Graecos haec inveniuntur nominis formae: *Τύφων* (att. *Τυφώς*) *Τυφῶνος*, *Τυφωεύς*, *Τυφωνεύς*, apud Romanos duae potissimum, *Typhon* in pedestri oratione et *Typhoeus* in carminibus. (Cf. etiam adnott. ad Aen. I, 665.) Erat autem monstrum centum capitibus anguinis praeditum, a Tartaro et Terra progenitum, quod, cum lovem ad certamen de mundi imperio provocasset, fulmine ictum sub Aetna monte sepultum esse, ibique vivere et spirare pergens ignem evomere putabatur. Cf. Hesiod. Theog. 821 sqq. Apollod I, 6, 3. Apollon. Rhod. II, 1214 sqq. ibique Schol. Klopferi Lex. mythol. II. p. 608 sqq. — 280. „*fratres* sunt Aloidae, Otus et Ephialtes. Vid. Apollod. I, 7, 4. Aen. VI, 582. *Aloidas geminos - - qui manibus magnum rescindere caelum Adgressi.* Nisi hic locus [ubi vid. adnott.] ad manum esset, non appareret, quidni et Gigantes esse possent, et ipsi fratres *γηγενεῖς* et eadem facinora ausi." *Heyn.* Quare etiam *Wagn.* adnotat „*vel* Aloidae, *vel* Gigantes."; sed praestat de Aloidis cogitare, qui eodem modo simpliciter *fratres* dicuntur Horatio Od. III, 4, 51. Aloidarum autem fabulam disce ex Hom. Od. XI, 304 sqq. Apollod. l. l. Diod. IV, 87. Ovid. Met. I, 151 sqq. Hygin. f. 28. aliis. Vid. etiam Ovid. Met. VI, 117. et Claud. B. G. 73 sqq. — *rescindere* pro exscindere cum notione perrumpendi, irrumpendi positum esse, recte docet Wakef. ad Lucr. II, 406. Cf. praeter parallelum illum Aen. locum etiam Aen. IX, 524. *Rescindit vallum* et adnott. ad Geo. III, 454. *coniurati* autem *rescindere* ita dictum, ut Ecl. VII, 5. *respondere parati.* (Vide etiam infra v. 284. et adnott. ad Ecl. IV, 54. et V, 1.) Prorsus eadem ratione Hor. Od. I, 15, 7. *Graecia coniurata tuas rumpere nuptias* (ubi vid. Orell.). Cf. etiam Sall. Cat. 52, 24. *Coniuravere nobilissimi cives patriam incendere*, ibique Kritz.

Ter sunt conati inponere Pelio Ossam
Scilicet atque Ossae frondosum involvere Olympum;
Ter Pater exstructos disiecit fulmine montis.
Septuma post decumam felix et ponere vitem
Et prensos domitare boves et licia telae

Bach. ad Ovid. Met. XV, 121. Beneck. ad Iustin. XXXVII, 2, 8. Iahn. ad Ovid. Trist. V, 3, 44. Ruddim. II. p. 225. et nos ad Aen. I, 527. — 281. „Ex Odyss. XI, 314., fonte huius fabulae, quae inde nata, quod motu terrae graviore Ossa ab Olympo revulsa fuerat. Vid. Strab. IX. p. 658." *Heyn.* Numeris huius versus tardioribus et asperioribus duplicique hiatu impeditis labor illorum hominum summa vi nitentium optime depingitur. Ultima syllaba nominis *Pelio* corripitur, quia hiatus admittitur et syllaba in thesin cadit. Vide adnott. ad Ecl. II, 53. — Voss. e Schol. Cruqu. Hor. Od. III, 4, 51. Graecam recepit formam *Ossan*, comparans Ovid. Fast. I, 307. et Lucilii Aetnam 49. Sed, quamvis Vergilius nominum Graecorum in *as* et *es* desinentium Accusativum ubique in *an* et *en* terminare soleat (vid. adnott. ad Ecl. I, 65.), hic tamen, cum librarii omnino proniores fuerint ad Latinam terminationem in Graecam mutandam, quam contra, (quare vel in Romanis nominibus, v. c. infra v. 472. Moret. pr. scribit *Aetnan*, Aen. X, 561. Gudian. *Lucan*, et v. 562. Medic. *Numan*), Codicibus invitis nihil mutandum puto. Ceterum de his Thessaliae montibus (quorum *Pelion* nunc *Plessidhi* s. *Zagora*, *Ossa* autem *Kissavo* et *Olympus* etiamnum *Elymbo* nominatur) cf. liber meus geogr. III. p. 855 sq. — 282. *Scilicet* hic non tam ironice s. cum irrisione affirmat (de qua vi Particulae egimus ad Aen. II, 577.), quam potius, quae prima est Particulae potestas, lectorem ad rem magnam, miram, inexspectatam attentum facit, et idem fere est, quod *ecce! siehe! o Wunder!* Ita iam Voss. interpretatur, laudans infra v. 493. II, 245. 534. III, 266. Hor. Od. II, 14, 9. et Claud. XXXVII, 116. Cf. Cort. ad Cic. Fam. XV, 15, 3. Heindf. ad Hor. Sat. II, 5, 87. et Ramsh. §. 172. 1. — *involvere*, sursum, in altiorem locum, in superficiem Ossae montis volvere. Sic Ovid. Met. XII, 507. *Saxa trabesque super totosque involvite montes.* — 283. Plures Codd. *deiecit;* male. Verissime enim Burm. adnotat, plus esse *disiicere*, i. e. scindere in plures partes, quam *deiicere*, s. humi sternere. Cf. supra ad v. 269. Videtur hunc locum respicere auctor Aetnae in Wernsd. Poët. L. min. IV, 101, 62. *et iacto perturbat fulmine montes.* — 284. Heyn. incertus est, quid statuat de verbis *Septuma post decumam*, utrum sit dies XVII. intelligendus, an duo dies VII. et X., quorum prior multo felicior dicatur altero; (nonne *post* potius contrarium significaret?) Sed praestat sumere, Vergilium Graecorum rationem (ἑβδόμῃ ἐπὶ δέκα) secutum loqui de die XVII., licet Heynio teste Hesiod. Ἔργ. 770. et 794. septimam et decimam faustas esse affirmet, qui tamen, quae hic Vergilius enumerat, v. 794 sqq. potius ad diem XIV. refert. Eadem est Vossii sententia, qui comparat Manil. IV, 462. *Septima post decimam luctum et vicesima portat*, et ibid. v. 449. *similis quoque tertia pars est Post decimam*, pro tertia decima. (Wagn. et Ladew. de hoc loco prorsus tacent.) Ceterum *septuma post decumam* scripsimus ex Cod. Med. auctoritate, quamquam alibi hic Codex *septimus* et *decimus* exhibet. Cf. Drakenb. ad Liv. XXX, 18, 9. et Wagn. Orth. Verg. p. 432. — *felix ponere*, pro: idoneus ad ponendum. Vide modo ad v. 280. Ita Aen. IX, 772. *quo non felicior alter Ungere tela manu ferrumque armare veneno*, ubi vid. adnott. coll. iis, quae ad Ecl. V, 1. observavimus. — *vitem*, non *vites*, in omnibus libris suis Heins. videtur invenisse; neque aliter Medic. apud Foggin.; *vites* Potter. ex uno tantum Paris., at recentiore, Codice enotavit; quare non debebat hoc ab Iahnio recipi, qui tamen in edit. II. Singularem tacite revocavit. Vitatur etiam Singulari nimia aequabilitas, cum sequantur Pluralia *boves, licia*. Eadem lectionis varietas invenitur Geo. II, 273., ubi pariter ex Med. aliisque Heinsius Singularem restituit. — 285 „*prensi boves*, qui libere, nec dum iugo iuncti, errabant. Hesiodus, quem respicit, v. 797. εἰλίποδας ἕλικας βοῦς - - Πρηΰνειν, ἐπὶ χεῖρα τιθείς." *Heyn.*

Addere; nona fugae melior, contraria furtis.
Multa adeo gelida melius se nocte dedere,
Aut cum sole novo terras inrorat Eous.

Cf. etiam infra III, 207. Ovid. Rem. 235. *Adspicis, ut prensos urant iuga prima iuvencos?* id. Am. I, 2, 14. *Detrectant prensi* (al. pressi) *dum iuga prima boves.* Aliquot Codd. etiam hic *pressi*, quod significaret iugo impositio pressos, ut Ovid. Met. I, 124. *Pressique iugo gemuere iuvenci*, sed minus huc quadraret. Brevior autem voc. *prehendendi* forma Vergilio usitatissima. Vid. Geo. III, 207. Aen. II, 322. III, 450. VI, 61. IX, 558. XII, 775. etc. Iuvencos, usque ad tertium aetatis annum libere per pascua vagantes (Colum. VI, 2.), tum demum, plerumque m. Martio ineunte (Pallad. IV, 12.), captos et domitos esse, Voss. docet. Wagn. conferri iubet Gronov. Diatr. p. 52. (97.) ibique Hand. — *domitare.* De ratione boves ad agriculturam domandi infra agitur III, 163 sqq. — *licia telae Addere*, h. e. adnectere (nostrum *anzetteln*). Cf. Tibull. I, 6, 79. *adnectit licia telis*, ubi Wunderl. haec adnotat: „*Licia* sunt vincula, quibus textores induunt atque implicant stamina et iugo annectunt; *telae* autem stamina, quae radius textorius percurrit. Utrum vero licia telis, an telae liciis annecti dicantur, nihil interest." Cf. etiam quae infra ad v. 294. adscripsimus. — 286. „Nonus dies servis fugitivis faustus. Quorsum hoc? Scilicet cautionem tanto maiorem adhibebit eo die diligens paterfamilias, ut contra de furtis non sollicito esse licet; est enim is dies furibus non faustus." *Heyn.* Cur vero? Haud dubie, quia luna iam plena est claraque luce fulget; quare haec dies amica est fugientibus, qui vident, quo fugiant, inimica autem furibus, qui amant noctem et tenebras. Haec simplicissima videtur explicatio, iam Vossio probata. — *contraria furis.* Conington confert Lucr. VI, 741. *Averna - - avibus contraria cunctis.* — 287—296. Sunt etiam noctu vel summo mane nonnulla tractanda, et quidem aestiva (v. 289 sq.) non minus quam hiberna (v. 291 sq.) nocte. — *Multa adeo, πολλά γε, Vieles sogar.* Haud raro enim haec Particula Adiectivis coniungitur, quae aliquam magnitudinem significant (*magnus, multus, totus* etc.), ut Handius docet Tursell. I. p. 147., cum h. l. comparans Sil. X, 488 *multa adeo nequidquam ausi*, Aen. XII, 548. III, 203. etc. Cf. etiam adnott. ad Aen. VII, 629. — *melius se nocte dedere*, i. e. dare se solent (cf. supra ad v. 49.) et de forma — *ere* vid. ad Ecl. X, 13.; *se dare* autem i. q. se offerre, occurrere (de loco, tempore, occassione); inde se accommodare, voluntati alicuius obsequi, ideoque etiam bene procedere, bene perfici posse. Recte igitur Serv.: *melius nostro obsequuntur labori;* nos *Vieles fügt, macht sich besser bei Nacht.* Cf. Aen. IV, 627. *Nunc, olim quocumque dabunt se tempore vires.* Ter. Hec. III, 3, 30. *Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.* Burm. ad Grat. Cyneg. 143. et Gronov. Elench. Antidiatr. p. 84 sq. Praeterea Heyn. adnotat: „*melius gelida* alii; minus concinne: sed praestat forte, ne utroque versus alterum hemistichion *melior, melius* initium habeat." Sed tantum abest, ut hoc vituperandum sit, ut praeceptis hic propositis singularem quandam addat gravitatem, praesertim cum utriusque versus numeri ceteroquin satis differant. Cf. Iahn. ad Aen. I, 315., Ovid. Met. XV, 104. et Hor. Od. I, 3, 28., qui multos eiusmodi locos, ubi eiusdem vocabuli post pauca verbi repetitionem ab Romanorum elegantia abhorrere editores censuerunt, recte defendit. — 288. „*Eous* pro Lucifero atque pro matutino tempore. Ἑῷος sc. ἀστήρ, Ἑωσφόρος. Cf. Aen. III, 588." *Heyn.* Vid. Heins. ad Ovid. ex P. II, 6, 38., qui affert Cinnae versus in Smyrna: *Te matutinus flentem conspexit Eous, Et flentem paullo vidit post Hesperus idem*, et Rutil. Itin. I, 430. *Cum primum roseo fulsit Eous equo*, ubi Luciferum intelligendum esse patet ex locis Ovid. Am. II, 11, 56. et Fast. II, 314., Lucifero et Hespero equum tribuentibus. Adde etiam Auson. carm. CLIII, 12. *editus ante Quam iubar et rutilus caelum illustraret Eous*, eundemque carm. CCCLXI, 45. *Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous.* — „*terras inrorat sole novo* [irrigat mane terras humore], quia aëris humor te in herbis ros sub sensum venit mane, die orto; nam *solem novum*

Nocte leves melius stipulae, nocte arida prata
Tondentur, noctes lentus non deficit humor.
Et quidam seros hiberni ad luminis ignis
Pervigilat ferroque faces inspicat acuto;
Interea longum cantu solata laborem
Arguto coniunx percurrit pectine telas,

---

dicunt poëtae pro oriente [cf. Gronovii Diatr. p. 234.]." Ita Heyn., qui comparat etiam Geo. III, 324—26. recteque refutat Wakefieldum ad Lucr. V, 283 sq. (*aetherius sol Irrigat assidue caelum candore recenti*) h. l. ita interpretantem, ut *sole terras inrorare* idem esse dicat, quod solis luce irrigare, perfundere terras. Vid. etiam Geo. III, 304. *cum - - extremoque inrorat aquarius anno*, i. e. irrigat terras pluviis (coll. Geo. IV, 115.) et Ovid. Met. XIII, 622. *Aurora - - Nunc quoque dat lacrimas et toto rorat in orbe.* — 289. Romani frumenta falcibus ita demetere solebant, ut dimidia pars calami in agris relinqueretur; quae *stipulae* relictae aut agri stercorandi causa comburebantur (vid. supra v. 85.), aut mense Augusto, infra dies XXX, quam messis desecta erat (Colum. VI, 3, 1. XI, 2, 54.), falce longiori manubrio affixa (*Stocksense*) *siciliebantur* (*nachmähen*), quibus vel pabulo vel substratu uterentur. (Plin. XVIII, 30, 72.) Haec autem stipularum messis optime fiebat noctu, quia tum rore madidae facilius desecari, nec asperitate sua falcem evitare poterant. Cf. etiam Varro I, 50. Colum. II, 21. Pallad. VII, 2. Eandem ob causam etiam foenum, ut apud nos, plerumque noctibus roscidis demetebatur, maxime in pratis aridis, quae irrigari non poterant. Aliter enim pridie irrigabantur. (Cf. Plin. XVIII, 28, 67.) Ita *Voss.* h. l. rectissime interpretatur, de quo mirum in modum ambigit Heynius. — 290. *lentus*, quia gramina arida et rigida facit lenta ideoque ad secandum aptiora. Ameis in Iahnii Novis Annal. LXII. p. 36. potius explicat: „*die langsam sich herabsenkende Feuchtigkeit.*" (?) — 291. In seqq. de iis negotiis poëta loquitur, quae hibernis noctibus ad lucernam suscipere soleant diligentiores rustici. — *quidam*, ut Graec. τίς, pro: sunt, qui etc. — *ad seros luminis ignes*, ad lucernae flammam, lucubrando. Voss. adnotat, in rusticorum Rom. casis s. tuguriis amplas fuisse culinas, in quibus illi circa focum sedentes eiusmodi opera nocturna fecerint; quam in rem conferri iubet Varr. I, 13. et Colum. I, 6. — 292. *facibus*, taedis, quae interdum cera vel sulfure inducebantur (Ovid. Her. VII, 23. Met. III, 373.) pauperiores rustici pro lampadibus vel candelis utebantur. Cf. supra Ecl. VII, 49. et infra Geo. II, 431. Eiusmodi igitur taedae noctu solebant confici. Vid. Plin. XVIII, [26,] 63. Colum. XI, 2, 90., ab Heyn. laud. — *inspicare* nove dictum pro: in spicae formam, in acutam cuspidem concidere, quod Ecl. VIII, 29. *novas incidere faces*. Sic *spicatas faces* legimus apud Grat. Cyneg. 484., ubi vid. Interpp.; imprimis Ulitius, qui paullo subtilius discrimen facit inter *incidere* et *spicare faces*. — 293. Uxores interea texunt. Ars enim texendi omnibus et Graecorum et Romanorum feminis exercebatur; ut vel nobilissimae matronae in atriis, quae hieme calefieri solebant igni in foco candente (Geo. II, 242.), instrumenta textoria suspensa haberent et huic arti operam navarent. Sic Augustum non facile alia veste indutum fuisse constat, quam ab uxore, filia, sorore domi texta. (Cf. Voss. ad h. l.) Consueverant autem feminae non minus quam viri manibus tantum operantes interea canendo vel fabulis narrandis tempus fallere. Vid. infra Geo. IV, 345. Ovid. Met. IV, 39 sq. Trist. IV, 1, 13. Tibull. I, 3, 85. II, 1, 65. Theocr. XXIV, 75. Leonid. Tarent. LXXVIII, 3. et ante omnes Hom. Od. V, 61. et X, 221. — *solata*. Participium Perf. pro Praesentis positum, ut Aen. V, 708. *Isque his Aenean solatus vocibus infit*. Cf. supra ad v. 206. adnott., de *solandi* autem vocabuli usu ad Aen. I, 239. Ceterum verba *cantu solata laborem* iterat Vergilii perpetuus imitator in Anth. Lat. Burm. I, 178, 307. — 294. „*argutus pecten* est, qui stridorem inter texendum edit. Hoc verum esse docet idem versus Aen. VII, 14. *Arguto tenuis percurrens pectine telas*, ubi vid. adnott. Cf. etiam Brunck. ad Aristoph. Ran.

Aut dulcis musti Volcano decoquit humorem
Et foliis undam trepidi despumat aëni.

1316." *Heyn. Pecten* (*der Kamm*, *das Weberblatt*), margo ligneus formae quadrangulae suspensus et mobilis, in cuius dentes arundineos (Ovid. Met. VI, 55., ubi vid. Bach.) immittuntur fila staminis (*des Aufzugs*, quod hic *tela* vocatur), ut intexto per radium (*Weberschiff*) subtemine (*Einschlag*) tela percutiendo densetur. Vid. Schneideri doctissima de arte texendi disputatio in Indice rerum et vocabb. in Scriptt. Rei Rust. reperiend. s. v. tela. Ceterum cf. Auson. Mos. 397. *tenuique aptas subtemine telas Percurrent.* — Quam nunc cum recentissimis editoribus recepimus formam *coniunx* in plerisque locis exhibent Med. et Vat. atque confirmant Voll. Herculan. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 422. et Ribbeck. Prol. p. 434. — 295. Veteres mense Octobri aut nocte aliqua lunae lumine non illustrata (Plin. XVIII, 31, 74), aut plenilunii tempore interdiu, mustum cum variis condimentis decoquere solebant, quo uterentur vel aliis vinis admixto, quae eo per longius tempus servari putabantur, vel lacte diluto et festis diebus poto. (Ovid. Fast. IV, 779.) Mustum ad tertiam partem decoctum vocabatur *sapa*, ad dimidium *defrutum*. Cf. Geo. IV, 268. *igni pinguia multo Defruta* et Voss. ad h. l. „Sedula in variis e musto defruti generibus conficiendis veterum fuit opera: vid. Plin. XXIII, 1, 18. XIV, 9, 14. Colum. XII, 19, 21. *Dulce mustum* laudat Quinct. Inst. VIII, 2, 10. inter epitheta, quae id, quod rei proprium sit, exprimant. *Humor musti* poëtica periphrasis." *Heyn.* Wagn. autem, cum in Medic. ultima litera voc. *dulcis* transfixa et puncto etiam notata sit, Vergilium *dulcem* scripsisse suspicatur. — *Volcanus* pro igni, ut Aen. II, 311. VII, 77. et Plaut. Amph. I, 1, 185. *Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu* (i. e. in laterna cornea: vid. adnott. ad Ecl. X, 59.) *conclusum geris?* Cf. adnott. ad Ecl. IV, 32. et V, 59. De scribendi autem ratione *Volcanus*, quam nunc cum recentissimis editoribus secuti sumus, cf. Wagn. Orth. Verg. p. 446. et Ribbeck. Proleg. p. 438. — *decoquit | humo | rem.* Habemus hic primum exemplum versus hypermetri, quod genus versuum Gellio teste N. A. XII, 2. apud Romanos Ennius (cf. Annal. XV, 6. et XVII, 26. p. 158. et 173. ed. Spangenb.) primus in usum induxit (quod tamen dubitat Lachmann. ad Lucr. II, 118. p. 81.) et posteriores poëtae fere omnes haud raro admiserunt. Constat autem, poëtas Romanos eiusmodi versus semper ita composuisse, ut syllaba abundans in brevem vocalem aut literam *m* exiret, proximus autem versus a vocali inciperet, itaque syllaba illa elisione quodammodo periret; quare etiam plerumque talis versus hypermeter cum sequente arctissime cohaeret neque maiore distinctione ab eo seiungitur (cf. Geo. II, 344. III, 242. 377. Aen. I, 332. 448. II, 745. IV, 558. V, 422. 753. VI, 602. VII, 160. VIII, 228. IX, 650. X, 781. XI, 608.); quamquam interdum etiam huius arctioris connexus nulla habetur ratio (cf. Geo. II, 443. Aen. IV, 629. VII, 470. X, 895.). Praeterea studiose videntur evitasse poëtae, ut illam syllabam elisam brevis antecederet, ne voce quasi repente intercepta et haerente pronuntiationis pausa, quae est in fine hexametri, prorsus fere interiret vixque audiretur. Qui autem huic observationi (a Weicherto in libro mox laud. p. 23. primum propositae) ex vulgari scriptura adversantur tres Vergilii loci, Geo. II, 69. III, 449. et Aen. XI, 333., dudum ex meliorum Codd. auctoritate emendati sunt. (Cf. ad ea adnotata.) Vid. imprimis Weicherti Comment. de versu poëtt. epic. hypermetro. Grimae 1819., praeterea autem Santen. ad Terent. Maur. p. 153. Heins. ad Aen. III, 684. Iahn. ad Geo. II, 69. idemque ad Ovid. Met. IX, 191. Lachm. ad Lucr. II, 118. alii. — 296. Foliis, vitigineis haud dubie, defrutum facientes mustum despumare solebant, quod, si ligno attingeretur, saporem fumi attrahere putabatur. (Cf. Plin. XIV, 9, 11.) Pro aeneis autem vasis Colum. XII, 20, 9. plumbea vult adhiberi, ne in aeruginem incidant. Pro *despumat*, i. e. spumam deiicit in humum, Gellius II, 3, 6. cum Cod. Moret. minus apte *dispumat* exhibet, i. e. spumam foliis dispellit. Cf. adnott. ad Geo. II, 8. — *undam trepidi aëni* per transpositionem; proprie enim mustum est trepidum, quod, dum ebullit, quasi tremere videtur.

At rubicunda Ceres medio succiditur aestu
Et medio tostas aestu terit area fruges.
Nudus ara, sere nudus: hiemps ignava colono.

Heyn. comparat Aen. VII, 463. *undans ahenum.* Cf. etiam Heins. ad Ovid. Met. XII, 279. Peerlk. quidem p. 129.: „Ipsum, puto, ahenum super Vulcanum tremit. Vergilius hoc apud agricolas videre potuit;" sed fateor, me de hac re dubitare. Ceterum Gellium II, 3. et Serv. ad Aen. I, 213. non curantes, ex optimorum Codd. (Med., Vat., Rom., Gud. et duorum Bern.) auctoritate ubique *aënum, aënus* non *ahenum, ahenus*, edidimus. Cf. Schneid. Gramm. Lat. I. p. 130. et 190. atque Wagn. Orth. Verg. p. 439. Ribbeck. tamen *aheni* scripsit Gellium et Servium II. ll. secutus. (Cf. eius Proleg. p. 202.) — 297. Iam, nocturnis negotiis opposita, ea referuntur, quae interdiu sint peragenda, et primum quidem aestivo die, tum hieme (v. 300.), denique auctumno et vere (v. 311 sqq.). Haec simplicissima locum intelligendi ratio. — *rubicunda Ceres* (i. e. frumentum maturum ideoque flavum: cf. adnott. ad Ecl. V, 69.) legitur etiam in Anth. Lat. Burm. I, 171, 6. Cf. Priap. LXXXVI, 7. *rubens arista.* Colores flavus, fulvus et luteus a Gellio II, 26. adnumerantur rubris coloribus. Supra v. 96. eodem sensu *flava Ceres*, ubi vid. adnott. Ceterum cf. Colum. II, 21, 2. *aequaliter flaventibus iam satis, antequam ex toto grana indurescant, cum rubicundum colorem traxerunt, messis facienda est*, et Pallad. VII, 2, 2. (Tritici messem) *paratam esse cognosces, si aequaliter spicarum populus maturato rubore flavescat.* — *medio aestu* cum Servio et Vossio (a quo Wagn. in eo tantum recedit, quod ipsum medium diem, ubi messores quiescant, excipit,) interpretor: per totum diem aestivum (qui opponitur hibernis noctibus v. 291.: *mitten in der Sommerhitze*, i. e. *den vollen, heissen Tag hindurch*) coll. Theocr. X, 47. Σῖτον ἀλοιῶντας φεύγειν τὸ μεσαμβρινὸν ὕπνον. Ἐκ καλάμας ἄχυρον τελέθει ταμόσδε μάλιστα, et Appian. I, 129., qui idem fieri iubet μέσου ἥματος. Accedit quod *medius aestus* ubivis fere significat meridiem aestivam, ut infra IV, 401. Ovid. Met. XIII, 811. Claud. XXXV, 106., qui Vossio laudantur. Cf. etiam infra III, 154. (*mediis fervoribus*) et 331. (*aestibus mediis.*) Heyn., Wund. et Conington *medio aestu* minus probabiliter pro media aestate positum accipiunt (ut Ecl. X, 63. *frigoribus mediis* pro hieme media, Luer. VI, 714. *medium per calorem*, Liv. II, 5, 3. *mediis caloribus* etc.); nam ridiculum profecto esset, si Vergilius hic distinctis verbis praeciperet agricolis, ut messem media aestate instituerent, ac si etiam de messe alio anni tempore facienda cogitari posset. In Italia autem iam m. Iunio messis et tritura fieri solebat. Cf. Pallad. in Iunio. Ceterum cf. adnott. ad Ecl. X, 63. — *succiditur* Voss. cum Ascensio interpretatur: sub ipsis spicis demetitur, ut stipulae vel siciliendae (v. 289.) vel cremandae (v. 85.) relinquantur. Cf. adnott. ad Geo. I, 85. Ceterum Peerlk. p. 375. pro *At* atque *Et* potius coniicit *Nec* et *At*, cum medio aestu numquam frumentum succidatur, quia tum grana ex aristis decidant, sed messores eo tempore quiescant et moreto suo vescantur. At quam supervacanea sit haec coniectura nimis subtili verborum *medio aestu* interpretatione provocata, ex iis, quae supra disputavimus, satis apparebit. — 298. *Area terit fruges*, quia in ea fruges teruntur. Vid. supra ad v. 192. — 299. „Ex Hesiodo petita esse satis constat, Ἔργ. 391. 392. γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν etc. Docet autem, mature, auctumno, arationem et sationem esse faciendam, (cf. sup. 208. II, 315. 316.) cum tepor aëris satis magnus, ut arator veste non egeat. *Nudum* esse tantum tunica [eaque succincta] indutum, toga aut paenula reiecta, post Cuperi Obss. I, 7. satis notum." *Heyn.* Voss. comparat Hesiod. Scut. 286. et Plin. XVIII, 3, 4., qui narrat, a legato Senatus Cincinnatum nudum inventum esse arantem. Ita etiam Aur. Vict. Vir. ill. 17. *Quinctius dictator dictus: ad quem missi legati nudum eum arantem trans Tiberim offenderunt.* Praeterea cf. Iustin. XLIII, 1, 7. *Dei simulacrum nudum, caprina pelle amictum.* Cic. pr. Rosc. Am. 49. 50. atque Burm. ad h. l. et ad Petron. 92. — „*hiemps ignava colono* esse dicitur, quae colonum otiosum esse iubet, et ab opere suo sub dio faciendo avocat." *Heyn.* Similiter

Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur
Mutuaque inter se laeti convivia curant.
Invitat genialis hiemps curasque resolvit,
Ceu pressae cum iam portum tetigere carinae,
Puppibus et laeti nautae inposuere coronas.
Sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus

---

apud Hor. Od. II, 9, 5. *glacies iners*, et IV, 7, 12. *bruma iners*, i. e. nihil producens. Per hiemem autem intelligendum est illud pluviarum tempus circa diem brevissimum per quatuor fere hebdomadas in Italia non remittentium, ubi, cum omnia negotia rustica cessarent, rustici convivia et comissationes frequentantes ingenio suo indulgebant. Ceterum cum Wagn. Vol. V. et in edit. min., Ribbeckio et Coningtone constanter scripsimus *hiemps* ex Med., Vat. et Rom. auctoritate. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 442. (et Ribbeck. Proleg. p. 441.) — 300. *frigoribus*. Vid. Ecl. II, 22. V, 70. X, 65. — *parto*. Cf. Aen. VIII, 317. *parcere parto*. — *plerumque* de maxima hiemis parte accipiendum. — 301. *laeti convivia curant*. Cf. Anth. Lat. Burm. III, 81, 89. *laetique animos convivia curant*. — 302. *genialis hiemps*, (quam etiam ap. Auson. precat. 19. invenimus), qua genio indulgetur, convivia hilaria habentur. Cuivis enim homini ex veterum opinione Genius erat tutelaris (vid. Censorin. de die nat. 3. Serv. ad h. l. et ad Aen. VI, 743. Gori Inscr. Ant. I, 323., interpp. ad Hor. Ep. II, 2, 187. Hartung. *Relig. d. Röm.* I. p. 32. Krause in Pauly *Realencycl.* III. p. 693. alii), quem Romani conviviis epulisque maxime celebrari et delectari putabant (cf. Hor. Ep. II, 1, 144. Ovid. Am. I, 8, 94. Trist. III, 13, 18. V, 5, 11. Tibull. II, 2, 5. Senec. Ep. 114, 6. Plin. XVIII, 8, 19. etc.); quare, cum hoc genio hilaritatis et laetitiae, festivorum maxime conviviorum notione semel coniuncta, quidquid hilare, festivum, iucundum erat, animum corpusque recreabat, *geniale* vocabatur, unde dictiones *genio indulgere*, *genium defraudare* et similes. Eadem de causa mensis December, quo imprimis eiusmodi convivia curabant Saturnalium tempore, ab Ovidio, Fast. III, 58. *Geniis acceptus* dicitur. Cf. Voss. ad h. l. Paullo aliter Lindemann. ad Plaut. Capt. II, 2, 40. „*Genius* est proprie non tam tutelaris uniuscuiusque hominis deus, quam potius melior et divina eius natura quaedam. Inde factum, ut quidquid mansuetius, hilarius, et beatae deorum vitae propius humana ferret natura, Genio tribueretur, atque eius auctor Genius haberetur." De festis autem Genio celebratis vid. Dissen. ad Tibull. I, 7, 49 sq. — 303. sq. Faustum reditum ad Lares naves declarabant coronata puppi, in qua tutela navis collocata erat. Omnino autem mos erat quavis fausta occasione oblata (etiam in discessu optato, post victoriam reportatam, vel die festo) puppes coronare. Cf. Aen. IV, 418. (ubi totus v. 304. redit, de qua re vide quae ad Ecl. V, 37. adnotavimus), Propert. IV, (III,) 24, 15. (qui haud dubie hunc locum respiciens canit *Ecce coronatae portum tetigere carinae*) Ovid. Met. XV, 696. Val. Fl. I, 301. Sil. It. XI, 486. Suet. Vitell. 10. Frontin. II, 13, 9. alii. Naves autem cum mercibus feliciter litori appulsae comparantur h. l. frugibus a rusticis feliciter demessis et in horrea congestis. — *pressae carinae* sunt mercibus oneratae naves. Vid. Tibull. I, 3, 40. ibique Heyn. et Ovid. Fast. IV, 300. iam ab Heynio laudati. Quare nec Heinsii coniectura *fessae*, quam Burm. probavit, nec Reiskii commentis *piceae* vel *Thressae* opus est. Non minus supervacanea est Peerlkampii (p. 130.) coni. *pressa carina*. Ceterum comma ab Heynio post *Ceu* positum hic et in similibus locis (Aen. II, 471. 626. IV, 402. 441. VI, 707. VII, 699. etc.) cum Wagn. omisimus. Cf. etiam Handii Turs. II. p. 46 sq. — 305. *Sed tamen*, h. e. *quamquam* hiems ignava est colono (v. 299.), *tamen* non deest, quod per eam agere ipsi liceat. Vid. adnott. ad Aen. III, 541. *quernas* non otiosum est epitheton; nam varia fuerunt glandium genera. Colum. IX, 1, 5. distinguit *quernam*, *iligneam* et *cerream glandem*: quare etiam in Geopon. V, 9, 24. δρυΐνην βάλανον commemoratam videmus. Colligebantur autem glandes m. Novembri ineunte. Cf. ad Ecl. X, 20. et Voss. ad h. l. — *stringere glandes*, *oleam*,

Et lauri bacas oleamque cruentaque myrta;
Tum gruibus pedicas et retia ponere cervis
Auritosque sequi lepores, tum figere dammas,

---

bacam, h. e. decerpere, ut alibi *frondes stringere* dicitur. Errat Voss., qui existimat, hoc verbum, quod interpretatur: *mit den jungen Laubsprossen abscheeren*, ad solas glandes quadrare, ad oleas autem et myrti baccas non nisi per zeugma referri posse. Cf. enim Cat. R. R. 55. *Oleam, ubi nigra erit, stringito.* Varr. I, 55. (*Olea*), *quae manu stricta, melior ea, quae digitis nudis legitur, quam illa, quae cum digitalibus; durities enim eorum non solum stringit baccam, sed etiam ramos glubit*, et Colum. XII, 38, 7. *Multi nigram vel albam myrti baccam destringunt* etc. — *glandes stringere*, ut sues et boves iis vescantur. Cf. adnott. ad Ecl. X, 20. — *stringere* autem *tempus*, ut supra v. 213. *tempus tegere, incumbere.* In eiusmodi locis non Graecismum statuendum, neque Infinitivum pro Gerundio positum esse, ut Corte ad Sall. Iug. 89, 3. Drakenb. ad Liv. III, 4, 9. Oudend. ad Caes. B. G. VIII, 44. Heind. ad Hor. Sat. II, 4, 1. Bremi ad Nep. Lys. 3, 1. et Ages. 3, 4. Schmid. ad Hor. Ep. II, 3, 215. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 26. et 71. Benek. ad Iustin. XII, 7, 13. Zumpt. Gramm. §. 598. aliique censuerunt (quibus nuper etiam Conington supra ad v. 213. se adiunxit, in aliis eiusmodi locis Infinitivum Nominativi, in aliis Genitivi vicem praestare ratus), sed etiam sensu prorsus differre duas illas constructiones per Infinitivum et Gerundium, nunc satis notum. Constat enim, in illa Infinitivum Subiecti, Verbum *esse* merae Copulae, Substantivum denique Praedicati munere fungi, in hac vero Substantivum esse Subiectum sententiae, a quo pendeat Genitivus Obiecti, et Verbum *esse* continere Praedicatum, ut v. c. *tempus est facere* significet: facere est tempestivum (*zeitgemäss*; nam *tempus* haud raro idem est quod *opportunum tempus:* cf. Drak. ad Liv. VI, 18, 12. XXI, 54, 2. Bremi ad Nep. Alcib. 5, 2. Kritz. ad Sall. Iug. 89, 3.); sed *tempus est faciendi* (s. tempus faciendi — est) sit i. q. suppetit tempus ad faciendum. Similis ratio est locorum, ubi legimus *consilium cepit, iniit, cupido incessit facere* etc., in quibus non magis Infinitivus pro Genitivo Gerundii positus et a solo Substantivo aptus est, sed a Substantivo et Verbo simul pendet, quae coniuncta vim simplicis Verbi habent, cui Infinitivus Obiecti loco additur, cum *consilium cepit, iniit*, idem sit quod *decrevit, cupido incessit* i. q. cupivit etc.; ut verissime docent Rosenhayn. in Iahnii Annal. phil. et paed. 1826. II. p. 48. Kritz. ad Sall. Cat. 30, 5. Fabri et Dietsch. ad eiusd. Cat. 4, 1. Ramsh. §. 168. 4. not. 1. aliique Grammatici (quos laudavi in libello meo *Aufgaben* etc. XXX, 22. p. 91. ed. VI.) Cf. etiam quae ad Geo. II, 73. adnotavimus. — 306. Lauri et myrti nigrae baccis utebantur ad vinum condiendum. Vinum his conditum vocabatur myrtites, de cuius conficiendi ratione cf. Colum. XII, 38. — *bacas* ex Med., Vat. et Rom. auctoritate cum recentissimis editoribus nunc edidimus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 418. et Ribbeck. Proleg. p. 391. De olivitatis tempore vid. adnott. ad Geo. II, 519. — *cruenta myrta*, baccas myrti nigrae, quae sunt succo rubicundo. Voss. intelligit rubras ferae myrti baccas, quae magis sint aromaticae, quam nigrae sativae myrti baccae, et Serv. adnotat: „*cruenta* quia matura cruoris imitantur colorem." Equidem nihil decernere audeo, cum et Colum. l. l. Plin. XV, 29, 37. de *nigra* tantum et *alba* myrto loquantur, et ex utraque myrtitem confici prodant. Ceterum Ribbeck. cum Cod. Pal. et uno Bern. (cf. eius Proleg. p. 453. ubi conferre iubemur Probi Append. 199, 7.) scripsit *murta*. — 307. Tunc etiam venationis tempus incipit. *Gruibus pedicas ponebant* Romani, quia avibus illis inter cibos lautiores vescebantur. Quare Hor. Epod. II, 35. canit: *Pavidumque leporem et advenam laqueo gruem Iucunda captat praemia.* Vid. etiam Plinius H. N. X, 23, 30. Gellius VII, 16. et Stat. Silv. IV, 6, 8. — 308. „*Auritos lepores* Afranio debebat Maro. Vid. Macrob. Sat. VI, 5. p. 600." *Heyn.* Sic apud Ovid. Am. II, 7, 15. *auritus asellus*, quem Phaedro I, 11, 6. absolute *auritulum* vocari constat, et apud Avien. Phaen. Arat. 788. *auritus* absolute pro lepore. — *figere*. Vid. adnott. ad Ecl. II,

Stuppea torquentem Balearis verbera fundae,
Cum nix alta iacet, glaciem cum flumina trudunt.
Quid tempestates autumni et sidera dicam,
Atque, ubi iam breviorque dies et mollior aestas,
Quae vigilanda viris? vel cum ruit imbriferum ver,

---

29. — *dammas*. Vid. not. ad Ecl. VIII, 28. Respexit hunc locum Nemes. Cyn. 51. *nos timidos lepores, imbelles figere dammas - - - Gaudemus.* — **309**. *Stuppea verbera fundae* poëtice pro funda e stuppa facta, quae saxo emisso verberat, ferit. Fundae autem Vegetio de re mil. III, 14. auctore (a Coningt. laud.) e crinibus, vel stuppa, vel corio fiebant. Aliter Voss., qui censet, verber hic pro funiculo fundae positum esse, haud dubie quia flagella, quae proprie verbera vocantur, plerumque e funibus erant facta. Poëtam nostrum imitatus est Sil. I, 314. *Hic crebram fundit Baleari verbere glandem.* Balearium autem insularum incolas (secundum Diod. Sic. V, 17. 18. ab hoc ipso nominatos, a *βάλλειν*, quamquam Strabone auctore XIV. p. 654. Cas. nomen est Punicae originis, quod magis probabile, cum ab ipsis Graecis insulae illae *Γυμνήσιαι* s. *Γυμνήτιδες* potius quam *Βαλ(λ)ιαρίδες* s. *Βαλ(λ)ιαρεῖς* nominentur) in arte glandes funda mittendi praeter ceteros excelluisse, satis constat; (cf. Strab. et Diod. ll. ll. Lycophr. 637. Flor. III, 8. Silius III, 364. alii). Inde perpetuum hoc fundae epitheton (vid. v. c. Ovid. Met. II, 727. Lucan. III, 710. Sil. VII, 279.); ut infra III, 345. *Cressa pharetra*, quia Cretenses celeberrimi erant sagittarii. — **310**. *trudunt*, prius sic explicui: flumina glaciei fragmenta detrudunt, volvunt secum in mare; neque aliter Ladew. locum intellexit. Cum tamen hic de prima vel certe media, non de extrema hieme agatur, nunc potius adsentior Coningtoni, qui his verbis actum congelandi (*the process of freezing*) indicari censet, et *trudendi* verbum simili ratione dictum arbitror, qua Geo. II, 335. *pampinus trudit gemmas* et ibid. v. 31. *truditur radix e ligno*, ad quos locos Conington, nihil omnino adiiciens, quod ad hanc vocem explicandam faciat, provocare poterat. — **311** sqq. „Tempestates subiungit, quae duabus praecipue anni partibus frequentius ingruere solebant, sub auctumni initium inde a medio Augusto, v. 311—13. (Colum. XI, 2, 57. 58.), et sub veris exitum, Aprili medio, v. 313—15. (Colum. ibid. §. 36 sqq.)" *Heyn.* Illis enim temporibus aëris conditio repente et saepe mutata plerasque totius anni tempestates adferre solet. Cf. Lucr. VI, 356 sqq. Plin. II, 50, 51. et Sen. N. Q. IV, 4. — *sidera* addit tempestatibus, quod veteres ab eorum ortu et occasu tempestatum causas solebant repetere. (Vid. v. 335.) Ea autem sidera, ex quibus tempestates auctumnales pendere putabantur, sunt Arcturus, Centaurus, Haedi et Corona. Vid. Voss. — **312**. Primum agit de auctumni tempestatibus, ubi remisso aestatis calore, dies iam breviores fieri incipiunt. — *Atque*, scil. quid dicam, *quae vigilanda viris*, quae diligenter curanda sint agricolis sub auctumnum, ubi *iam brevior dies* et *mollior aestas*, i. e. lenior, cum iam remissior sit solis calor (der *Spätsommer*, quam Serv. ad Geo. I, 43. *aestatem praecipitem* et Cicero Fragm. 21. p. 476. Orell. *aestatem affectam* vocat). Invenitur etiam in Anth. Burm. I, 176, 28., ut *mollis hiemps* ap. Stat. Silv. III, 5, 83. Unus Cod. Mead. *iam mollior aestas*, quod Heynio placet, displicet Iahnio ad Aen. I, 90., cum ita Copula *que* voc. *brevior* adiecta non habeat, quo referatur. Id vero, si plures Codd. addicerent, huic lectioni haud dubie doctiori recipiendae non obstare, ostendit Wagn. ad Ecl. IV, 6., ubi vid. adnott. — **313**. *vigilanda*, i. e. providenda (cf. infra v. 335 sq.). *Vigilare aliquid* pro vigilare alicui rei (v. c. apud Prop. II, 3, 7. *studiis vigilare severis*) legitur etiam ap. Ovid. A. A. II, 285. et Fast. IV, 109. (*vigilatum carmen*), ap. Iuven. VII, 27. (*vigilata proelia*) et in Apulei. Apol. p. 304. Elm. (*magis occulta plerumque noctibus vigilata*). Eadem constructione, sed alio sensu, apud Ovid. Her. XII, 169. A. A. I, 725. *noctes*, et apud Gell. praef. med. *vigiliae vigilatae* commemorantur. — *vel* quae curanda sint extremo vere, *cum ver ruit*, i. e. ad finem festinat; ut Aen. VI, 539. *nox ruit*, Val. Fl. I, 274. *sol ruit*, Apulei. Met. III. p. 136. Elm. *sol ruit caelo* etc. Wagn. autem ad imbrium vim refert, de quibus *ruere*

Spicea iam campis cum messis inhorruit et cum
Frumenta in viridi stipula lactentia turgent?
Saepe ego, cum flavis messorem induceret arvis
Agricola et fragili iam stringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere proelia vidi,
Quae gravidam late segetem ab radicibus imis

---

proprie dicatur. (Cf. infra ad v. 324.) — *imbrifer*, ὁμβροφόρος, legitur etiam apud Martial. I, 62, 5. Colum. V, 5, 4. VII, 6, 4. et alibi. — **314.** *spicea messis*, seges iam spicas gerens, iam fere matura messi, quae propterea *inhorrere* dicitur. *Horrere* enim, ut Graec. φρίσσειν, (Hom. Il. XXIII, 599. ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι) vulgo de rebus cuspidatis et exstantibus usurpatur (cf. supra ad v. 151.), neque aliter hic verbum compositum intelligendum; quo eadem significatione utuntur etiam Petron. 63. (*mihi pili inhorruerunt*) et Apulei. Met. VIII. p. 202. (*aper pilis inhorrentibus*). Minus recte Wund. in hac voce invenit agitationis notionem, ut Aen. VIII, 195. *inhorruit unda*, i. e. intremuit fluctibus motis. Sed hic nondum sermo est de vi ventorum, quibus commota seges in agris fluctuet; immo cum verbis *spicea messis* coniunctum *inhorrere* nihil aliud est, quam *emporstaren*. — *et cum*. Hanc versus ordinandi rationem, ut sexto hexametri pede nova incipiat sententia, Vergilius tum maxime sequitur, cum eandem, qua antea usus est, Particulam repetit (cf. supra v. 80. et 223., infra v. 370., ubi vid. Voss., II, 539. III, 24. 133. etc.); quamquam etiam loci inveniuntur, ubi haec causa non obtinet (ut IV, 6. 71. etc.). Cf. etiam, quae de voce dissyllaba novam sententiam in fine versus incipiente ad Aen. IV, 593. adnotavimus. — **315.** *in stipula*, h. e. culmo, vagina; Varr. I, 48, 3. Heyn. etiam Iliad. XXIII, 598 sq. conferri iubet. — *lactentia*, (quod praebent Rom., Med. a m. sec., Serv. et Schol. Bern. p. 196. Ribb.) lactis plena. *Lactere* (succo lacteo compleri) agricolae dicebant novam segetem, et singularem colebant deum *Lactentem*, qui hoc efficere putabatur. Cf. Serv. ad h. l. et Ovid. Fast. I, 351. *sata teneris lactentia succis* etc. Habuerunt h. l. ante oculos Nemes. Cyneg. 290. *Inde ubi pubentes calamos duraverit acstas Lactentesque urens herbas siccaverit omnem Messibus humorem* et Colum. X, 325 sqq. — **316.** „Quid? quod, id quod multo maius est, in ipsa messe [ideoque media aestate] procellae aut imbres saepe ingruunt. Repetit locum Plin. XVIII, 35, 79. Cf. Colum. II, 21, 2. Similiter de vitibus infra II, 419. *et iam maturis metuendus Iuppiter uvis*." *Heyn.* — **317.** *fragili hordea culmo* non de certo quodam genere hordei, sed in universum dici patet. „Hos culmos *stringunt*, qui falce secant; dum falcem admovent, tangunt scilicet et stringunt. - - Vir doctus *stringere* pectinibus decerpere interpretabatur: est id inter metendi genera ap. Colum. II, 21, 2. 3. De his cf. Varro I, 50." *Heyn.* Usurpatur autem hoc vocabulum caedendi, amputandi significatu tum potissimum, cum de rebus sermo est, quae facile et uno ictu caeduntur; quare sollemne est de arborum frondatione. Cf. infra II, 367. Ecl. IX, 60. Colum. VI, 3, 7. adnott. ad Geo. II, 300. et Burm. ad Ovid. Nucem v. 135. Ceterum hordeum omnium frumentorum primum demetebatur iam m. Iunio. (Pallad. VII, 2, 2. Plin. XVIII, 7, 18.) — **318.** *ventorum proelia*, i. e. ventos sibi adversantes, ideoque i. q. ventos ad proelia concurrere vidi. Imitatus est Vergilium Ovid. Am. II, 11, 17. *At vobis alii ventorum proelia narrent*, quem cum Apoll. Rhod. IV, 819. laudat Burm. Contra Lucr. V, 1230. *ventorum paces* commemorat. Eiusmodi autem ventorum proelium descriptum habemus Aen. II, 416 sq. — *concurrere*. Rom. et unus Mead. *consurgere*, per se non minus apte (vid. de hac varietate lectionis Burm. ad h. l.); sed voc. *concurrere* h. l. tuetur Plinii XVIII, 35, 78. auctoritas. Conferri potest Lucr. VI, 116 sqq. *Fit quoque enim interdum, ut non tam concurrere nubes Frondibus adversis possint* etc. — **319.** *seges gravida* (scil. granis) nihil aliud videtur esse, quam supra v. 111. *gravidae aristae*, ubi vid. adnott. — *segetem ab radicibus*, i. e. totas aristas *cum* ipsis radicibus. Vid. supra ad v. 20. *ab radicibus imis* legitur etiam ap. Lucr. I,

Sublimem expulsam eruerent; ita turbine nigro
Ferret hiemps culmumque levem stipulasque volantis.
Saepe etiam inmensum caelo venit agmen aquarum

---

352. — 320. Venti segetem *sublimem* (i. e. sublime, in sublime) *expulsam eruunt*, in aërem extollunt. *Sublimem* autem est Med. et Reg. a m. pr., Rom., Potter. 3. et Serv. Dresd. lectio, quam cum Wagn. et Iahnio alteri, *sublime*, haud dubie ex interpretamento ortae, praetulimus (ut omnes recentiores editores). Cf. quae de hoc genere dicendi ad Aen. VIII, 559. adnotavimus. Ceterum Wagn. rem horridam et asperam apte etiam verbis paullo horridioribus describi memorat. — *expulsam eruerent*, i. e. eruendo expellerent, ita eruerent, ut expulsa sit; per prolepsin illam Participii, qua pro re efficienda res iam effecta commemoratur. Iahn. hanc dicendi rationem ita explicare studet, ut eam ab usu Supini repetat (*eruere segetem expulsum*) atque Supini formam eadem attractione, qua Gerundium in Gerundivum transit, in Participium Perf. mutatam esse statuat. Ita infra v. 400. *solutos iactare maniplos*, Geo. II, 167. (seges) *digesta feratur*, IV, 546. *placatam Eurydicen venerari*, Aen. I, 69. *submersas obrue puppes*, II, 736. *confusam eripuit mentem*, Hor. Epod. XVII, 5. *refixa devocare sidera* etc., neque alius generis sunt ii loci, de quibus ad Geo. II, 353. disputavimus. Cf. omnino Iahn. ad hunc et Hor. l. l. Gierig. ad Ovid. Met. I, 303. Bach. ad Ovid. Met. I, 32. et V, 358. Heinr. ad Iuven. VI, 160. Obbar. ad Hor. Ep. I, 2, 45. et I, 10, 17. alii. Ceterum Vergilius videtur ante oculos habuisse Attii Med. fragm. I. *sublime ventis expulsum rupi Saxum aut procellis* et Lucr. VI, 140. (flatus venti) *alta Arbusta evolvens radicibus haurit ab imis. — ita turbine nigro ferret* etc. Heynius, qui miratur, neminem coniecisse *ut turbine* etc., duplicem proponit explicationem, ut aut variata oratione et omissa Copula pro: vidi ventos concurrere et hiemem ferre culmos et stipulas poëta dicat: *vidi concurrere*, et vidi, ut *ita hiemps ferret* — aut, quod ipsi probabilius videtur, haec verba dicta sint comparative, „ita haud aliter *hiemps ferret*, diriperet, hieme diripi videas stipulas, quam nunc media aestate radicitus aristas fert." Hanc posteriorem rationem iure probant Wund. et Ladew., qui adnotat: „*Indem der Dichter sich lebhaft einen Sommerorkan vorstellt, ruft er aus: Das ist ja nicht anders, als wenn im Winter* etc.! *Also ita ferret: so würde der Wirbel im Winter* (*wenn wir jetzt Winter hätten*) *das Stroh* etc. Aliter Wagn., qui Coniunctivum pendere putat ab omissa quidem, sed ex Pron. relativo *quae* v. 319. (i. e. *tanta quidem ut*) repetenda Particula *ut*, *ita* autem pro *tum*, *sic*, positum habet; ut *ita ferret* significent „erutamque ferret;" (quam rationem prius ipse perperam secutus sum.) Conington denique *ita* pro *tantopere* positum (ut ap. Lucr. I, 275. et 286., de qua signif. provocare poterat ad Hand. Turs. III. p. 492.). Coniunctivum autem *ferret*, cuius loco tum Indicativus exspectandus esset, a praecedente *eruerent* quasi attractum censet, quod probari non potest. — „*hiemps* est tempus anni procellosum ineunte auctumno et exeunte vere. 311. 312. Cf. Lucr. V, 218. *flabraque ventorum violento turbine vexant.*" *Heyn.* Ceterum Peerlk. hunc locum ita mutatum cupit: *aut turbine nigro Ferre hiemem culmosque leves.* — 322. Interdum procellosi imbres ingruunt, agros inundant messemque deperdunt. Imitatus videtur poëta Hom. Il. XVI, 385 sqq. et Lucr. IV, 353 sqq., quos iam alii laudarunt. Ceterum Wagn. iure lectorem attentum facit „ad rhythmos versuum sequentium cum ipsa re, quae describitur, mire concinentes." — *agmen aquarum* (quod ex hoc loco repetit Silius XII, 619.) eleganter de densis et continuis imbribus. Ita v. c. Lucr. V, 272. et VI, 638. de fluviorum aqua: *inde super terras fluit agmine dulci*, qui I, 607. et VI, 100. etiam de *primordiorum* et *nubium agmine* (ut loco infra laud. de *picis e caelo demisso flumine*) loquitur; et Vergilius ipse Aen. II, 782. *leni fluit agmine Tibris*, Ennium imitatus, cuius locum servavit Macrob. Sat. VI, 4. *Quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen.* Cf. Salmas Exercitt. Plin. p. 59. — *caelo venit*, tendit ad caelum (*zieht am Himmel herauf*), de quo usu Dativi cf. adnott. ad Geo. II, 406. Quod autem Ladew. adiicit,

Et foedam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectae ex alto nubes; ruit arduus aether
Et pluvia ingenti sata laeta boumque labores
Diluit; inplentur fossae et cava flumina crescunt
Cum sonitu fervetque fretis spirantibus aequor.
Ipse Pater media nimborum in nocte corusca

---

fortasse etiam adiunctam esse significationem Dativi ethici („*dem Himmel zum Grausen*"), id mihi quaesitum videtur. De verbo *veniendi*, quod haud raro dicitur de malis et calamitatibus ingruentibus vel de hominibus metuendis, qui impetum faciunt etc., cf. adnott. ad Aen. III, 138. 417. al. — 323. *foedam tempestatem*. Cf. Lucr. IV, 170. *Tempestas perquam subito fit turbida foede Undique*. Wakef. ad eiusd. Lucr. VI, 258. (ubi *fulminibus gravida tempestas* commemoratur) comparans Aen. I, 51. *loca feta faventibus Austris* etiam hic coni. *Et fetam glomerant* etc. — *glomerant* Wund. interpretatur „glomeratim demittunt"; minus recte. Valet potius, ad *tempestatem* relatum, ut Aen. VIII, 254. (*glomeratque sub antro Fumiferam noctem*) et alibi, ita etiam h. l. nihil aliud, nisi in glomum convolvere s. conglobare; quare Mansonem rectissime puto convertere: *Aus der Höhe* (?) *sammlet vereintes Gewölk sich zu schwarzen, furchtbaren Regengewittern*. Nubes, antea dispersae, nunc vero in unum coactae efficiunt foedam tempestatem cum imbribus vehementioribus coniunctam. — 324. *ex alto* hic et infra v. 443. prius explicui: ex alto caelo, quemadmodum Aen. I, 297., ut *collectae nubes* (cf. Aen. I, 143.) ex aëre descendere dicantur; putabam enim, si poëta *altum* de mari intelligi voluisset, ei aliquid addendum fuisse, quod clarius de mari cogitari iuberet. Cum tamen Voss. doceat, in Italia imbres plerumque cum Austro exsurgere ex mari Tyrrheno, Ladew. autem Austrum numquam ex summo aëre in terram deferri contendat et nubes vaporibus marinis quam maxime ali satis constet, nunc mutata sententia et ipse de mari cogito, quamquam Bryce priorem explicationem meam probavit. — *ruit arduus aether* (quod ex hoc loco repetitur in Anth. Lat. Burm. IV, 251, 5. *ruat arduus aether in caput*) h. e. nubes collectae s. agmen aquarum ex nubibus collectis effusum, ut in simili loco Geo. II, 325. *Ruere* autem verbum proprium de imbribus. Vid. Aen. V, 695. *Ruit aethere toto turbidus imber aqua*. Martial. III, 100, 3. *Imbribus immodicis caelum nam forte ruebat*. Liv. XL, 58, 6. (ubi sermo est de simili tempestate cum scissae nubis effusione [*Wolkenbruch*] coniuncta) *caelum in se ruere aiebant*. Cf. etiam Aen. I, 129. Explicat hunc locum quodammodo Lucretii versus VI, 290. *Omnis uti videatur in imbrem vortier aether*, i. e. in pluviam liquescere et decidere. Vid. etiam Geo. II, 325. Ceterum de toto hoc loco cf. Ameis Spicil. p. 20. — 325. *boum labores*. Vid. supra ad v. 118. et cf. locus parallelus Aen. II, 306. — 326. *fossae*, colliciae, quales v. 114. commemorantur. Vid. etiam infra v. 372. — *cava flumina*, quae in alveis cavatis s. inter altas ripas ideoque tenui aqua fluunt, non tamen prorsus *sicca*, aestatis calore exsiccata, ut alii explicant comparantes infra IV, 427.; nam si sicca sunt, non possunt *crescere* et litus exire. Ceterum cf. etiam Lucan. II, 421. *Dexteriora petens montis declivia Thybrim Unda facit Rutubamque cavum*, Ovid. Met. VI, 371. *Et modo tota cava submergere membra palude*, idemque A. A. III, 94. *Quisve cavo vastas in mare* (Ablat. pro *mari*) *servet aquas?* et Burm. ad Lucan. I, 396. idemque ad Ovidii Ibin 228. Etiam Ameis Spicil. p. 21. locum recte explicat, *cava flumina* prope accedere ad *sicci Tanagri ripam* (Geo. III, 151.) et *plenis fluminibus* (Geo. III, 143.) opposita esse memorans. — 327. *fervet aequor*. Cf. Lucr. VI, 427. *freta circum Fervescunt graviter spirantibus incita flabris*. — *freta spirantia* sunt aestuantia (vid. Heins. ad Aen. X, 291.) *Spirant* enim, quae effervescunt, ebulliunt. (Cf. adnott. ad Aen. X, 291.); *freta* autem, ut *vada*, poëtice pro mari. Vid. Ecl. I, 60. Geo. I, 356. II, 503. III, 260. Aen. I, 557. 607. multosque alios locos. — 328. „Interdum etiam fulmina et tonitrua cum ventis pluviisque miscentur. Ita acceptus locus reprehendi non

Fulmina molitur dextra; quo maxuma motu
Terra tremit; fugere ferae et mortalia corda 330

---

potest tamquam a re alienus." *Heyn. Ipse pater.* Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 95. — *nimborum in nocte.* Voss., paucos quosdam Codd. secutus, Praepositionem omisit. Sed plurimorum et meliorum Codd. consensus non flocci pendendus, imprimis cum *nox* hic non proprie dicatur de tempore nocturno, quod etiam Wagn. Qu. Virg. XIV. p. 437. censet. — *corusca dextra*, i. e. manu a fulmine, quod tenet, coruscante, splendente, ut in notissimo Horatii loco Od. I, 2, 2. *Pater - - rubenti Dextera iaculatus arces.* Lambin., Cerda, Bentl. (ad Hor. Od. III, 5.) et Voss. *corusca fulmina* cohaerere putant, et quod, quicunque haec audiat recitata, necesse sit iungat cogitatione *corusca fulmina*, nondum praevidens, secuturum esse vocab. *dextra*, boni autem scriptores auditorum quoque rationem habere, neque ita eos deludere soleant, et quod *corusca fulmina* multo melius opponantur *nimborum nocti*, quam *fulmina* simpliciter. Sed nonne simplex *dextra* sine epitheto addito vehementer languet? Quare mihi quidem p.ior illa ratio posta longe dignior videtur et vel propterea amplectenda, quod veteres ipsi Vergilium nostrum non aliter intellexerunt, quem aperte imitati sunt Senec. Hippol. 155. *Quid ille, qui mundum quatit, Vibrans corusca fulmen Aetnaeum manu*, et Prudent. *περὶ στεφ.* hymn. IV, 9. *Cum Deus dextram quatiens coruscam Nube subnixus veniet rubente.* (Consentiunt mecum Ladew., Bryce et Conington, item Ameis in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 37. Wagn. nihil prorsus adnotat.) Ceterum cf. infra ad v. 366. adnott. — *moliri fulmina* est cum vi iaculari. Sic infra IV, 331. *validam in vitis molire bipennem*, Ovid. Met. V, 367. *Inque Dei pectus celeres molire sagittas* etc. Vid. supra ad v. 271. adnotata. Praeter ceteros autem comparandus Lucr. VI, 253 sqq., quem Vergilius ante oculos habuit, *Usque adeo, tetra nimborum nocte coorta, Impendent atrae Formidinis ora superne, Quom commoliri tempestas fulmina coeptat.* Cf. etiam imitatio huius loci ap. Silium V, 385. (ubi alia ratione *Iuppiter fulmine molitur Alpes et Ceraunia.*) — *quo motu*, i. q. qua re commota. Wagn. comparat Nep. Cat. 2. *multas res novas in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur.* Magis, quam Nepotis verba allata, eiusmodi locos huc quadrare censeo, ubi Pronomen relat. vel demonstr. attractione quadam cum sequente aliquo Substantivo ita coniungitur, ac si notio eius in praecedente sententia iam expressa esset, quamquam verbis certis non expressa est: ut apud Sall. Cat. 43, 2. *Statilius et Gabinius opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad Consulem fieret.* id. Iug. 114, 1. *Per idem tempus adversum Gallos male pugnatum; quo metu Italia omnis contremuerat*, et similes. Cf. Krüger in *Untersuch. über d. lat. Spr.* Fasc. III. p. 127 sq. et de attr. linguae lat. p. 127. Kühner. ad Cic. Tusc. I, 19, 45. Kritz. ad Sall. Iug. 54, 6. Dietsch. ad Sall. Cat. 8, 5. Madvig. ad Cic. de Fin. p. 258. et 410. Unger de Valg. Rufo p. 380. alii. *Quo motu* autem hic imprimis respicit tonitrua cum fulminibus modo commemoratis coniuncta. — *maxima terra* est *γαῖα πελώρη* Hesiodi (Theog. 173. 479. 505. et alibi) et fere i. q. tota terra. — 330. De hiberna procella similia vide apud Hesiod. *Ἔργ.* 511. 512. et 529—533., quem Heyn. comparat. Similis est etiam Orphei locus, a Voss. laud., hymn. XVIII, 13. *ὃν καὶ γαῖα πέφρικε θάλασσά τε παμφανόωσα, Καὶ θῆρες πτήσσουσιν ὅταν κτύπος οὐρανὸς ἐσέλθῃ.* — *tremit.* Wakef. ad Lucr. VI, 288. temere coni. *fremit.* — *fugere*, quod Heyn. simplicissima ratione accipit pro *fugiunt, fugere solent*, positum (cf. adnott. ad Geo. I, 49.), aliter explicat Wagn. Qu. Virg. VII, 6., qui Perfectum, rem plane absolutam significans, interdum ita pro Praesente poni docet, ut inter initium alicuius rei et finem vix ullum videatur spatium intercedere; quod probaturus praeter h. l. comparat Geo. II, 81. (*exiit*), Aen. IX, 418. (*iit*), V, 336. (*iacuit*), XII, 154. (*profudit.*) Sensum igitur hunc esse putat: simulatque tonitrua audiuntur terraque tremiscit, statim fugiunt ferae. — *mortalia corda.* Vide supra ad v. 123. Praecedentem Copulam Martin. sustulit, probante Heynio; sed cum hic non diversa ponantur, sed similia (ferae et homines pariter expavescentes) con-

Per gentes humilis stravit pavor; ille flagranti
Aut Athon aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo
Deicit; ingeminant austri et densissimus imber,
Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.

---

iungantur, optime se habet Copula. — 331. *humilis pavor* vulgo explicatur, qui reddit humiles, qui sternit, affligit homines, ut ab effectu *humilis* dicatur, qua de re vide quae infra ad Geo. II, 376. adnotavimus. Rectius autem Ladew. et Ameis in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 37. *pavorem* ipsum per se *humilem*, i. e. angustum (*kleinlich*) dici censent. Cf. *animus humilis* ap. Cic. Fin. I, 15. et Lucr. V, 51., *mens humilis* ap. Cic. red. Sen. 4., *curae humiles et sordidae* ap. Plin. Epist. I, 3. et similia. Ceterum in toto hoc loco auctor videtur memor fuisse Lucretii V, 1218 sqq. — *sternere*, percellere, καταπλήττειν, unde etiam *consternare* ductum. — *flagranti telo*, ψολόεντι κεραυνῷ. — 332. Versus ex Theocr. VII, 77. Ἢ Ἄθω, ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἰσχατόεντα sumptus. Unde fortasse defendenda vulgaris (Servii) lectio *Atho*, quam tamen invitis omnibus, quotquot collati sunt, libris et Schol. Crucq. ad Hor. Od. I, 16. nolui servare, imprimis cum etiam Val. Flacc. I, 164., hunc locum imitatus, scripserit: *ruentem Aut Athon aut Rhodopen* etc. Wagn. praeterea provocat ad Servii silentium; praesertim cum is Aen. XII, 701. dicerte doceat, *Athos* in brevem exire syllabam, concinente Prisciano VI, 13, 70. p. 710. Putsch. Nihilominus Wagn. vulgatam in contextu retinuit. Equidem vero eo minus dubitavi Codd. lectionem restituere, cum Graecam formam *Athon* (pro Romana *Athum:* cf. adnott. ad Ecl. VI, 13. et Aen. XII, 513.) non solum apud pedestris orationis scriptores (Vitruv. praef. ad l. II. §. 2. Liv. XLV, 30, 4. Plin. H. N. VI, 2, 2. Pomp. Mel. II, 2, 9. Val. Max. I, 6. extr. 1.), sed etiam apud poëtas (cf. praeter parallelum illum Val. Flacci locum Catull. LXVI, 46. et Ovid. Met. XI, 554.) Codices tueantur, alio autem Val. Flacci loco II, 76. fluctuent certe inter *Atho* et *Athos*; cumque parum probabile sit, omnes librarios hiatu et ultimae syllabae correptione adductos esse, ut scripturam *Atho* in alteram mutarent, praesertim si cogitamus, hanc rationem Vergilio satis usitatam esse. Vid. adnott. ad Ecl. II, 53. 65. et alibi. [Ceterum non reticendum, in min. edit. etiam Wagnerum, ut reliquos recentiores editores, mecum edidisse *Athon.*] Est autem *Athos* celeberrimus mons Macedoniae, in mare Aegeum inter Strymonium et Singiticum sinum procurrens, qui hodie ob multa coenobia in eo condita *Monte Santo* s. Ἅγιον Ὄρος vocatur. Cf. Strab. VII. extr. Mela II, 2, 10. Plin. IV, 10, 17. alii cum Tzschuckii adnot. ad Melae l. l. et meis in libro *Handb. d. alt. Geogr.* III. p. 1052 sq. et in Pauly *Realencycl.* I. p. 2005. ed. II. De *Rhodope* monte vid. adnott. ad Ecl. VI, 30. — *alta Ceraunia* (Κεραύνια, s. *Acroceraunia*, Ἀκροκεραύνια) satis noti Epiri montes, qui in mare Ionium procurrunt, ut Athos in mare Aegeum. Nomen ab hac ipsa re, quod saepe fulminibus feriebantur, eos accepisse, in promptu est. Vid. Eustath. ad Dionys. v. 389. Serv. ad Aen. III, 506. (ubi iterum commemorantur) Interpp. ad Hor. Od. I, 3, 20. et Plin. III, 23, 26. IV, 1, 1. cum Ovid. Am. II, 9, 19. Rem. am. 739. Prop. I, 8, 19. et similibus locis. Ceterum cf. de his montibus, qui nunc *Khimara* dicuntur, etiam Agathem. II, 9. Oros. I, 2. Dio Cass. XLI, 44. alii et liber meus modo comm. III. p. 854. — 333. *Deicit* poëtica hyperbola pro *ferit*, *icit* fulmine. „Ex Aen. I, 43. 44. facile incidas in *disiicit*; idque video factum a Wakef. ad Lucr. V, 404. Quis tamen cogat poëtam semper eandem formulam decantare?" *Heyn.* Cf. potius Aen. VI, 581. XI, 665. et Lucr. V, 1125. a Coningt. laud. Ribbeck. recepit Med. et Rom. lectionem *Deiĕcit*, cui etiam patrocinatur Lachm. ad Lucr. II, 951. p. 128., ubi edidit *eiĕcit*. Cf. Ribbeck. Proleg. p. 416. — *ingeminant*, pro se ingeminant s. ingeminantur, ut saepe, v. c. Aen. III, 199. IV, 531. V, 227. et apud Lucr. IV, 452. simplex *geminare*. Vid. ad Aen. I, 234. Serv. explicat: „repetunt suos flatus." Post fulminis ictum procella et imber vehementer augeri solent; in quam rem Voss. comparat Lucr. VI, 289. *Quo de concussu sequitur gravis imber et uber* etc. — 334. *plangunt*, plangorem, sonitum querulum edunt.

Hoc metuens caeli menses et sidera serva,
Frigida Saturni sese quo stella receptet,
Quos ignis caelo Cyllenius erret in orbis.

Sic nunc locum cum plurimis interpretibus intelligo, cum certe Participium huius verbi sine Accus. Obiecti legatur Aen. XI, 145. (*plangentia agmina*), ap. Iustin. XIX, 2. extr. (*gemitus plangentium*) al. (Prius de hoc usu Verbi activi dubitans et cogitans de nostro *der Regen, der Wind peitscht das Meer*, cum Iahn. *nemora* et *litora* pro Accus. habui et Verbum ad Austros et imbrem referendum censui coll. Lucr. II, 1156. VI, 114. et Silio I, 588. quamquam hoc languidius esse me non fugit.) Ladew. comparat Soph. Ant. 593. στόνῳ βρέμουσι δ' ἀντιπλῆγες ἀκταί. Wakef. e nonnullis Codd. (inter quos Rom.) Singularem recepit *plangit*, ad Iovem (*ille* v. 331.) relatum; Reisk. autem per coniecturam supervacuam, quam Heyn. elegantem dicit, omnem locum ita constituit: *ille* (v. 331. Iupiter) *Deiicit ingeminans; austri et densus imber Nunc nemora - - plangunt.* Ribbeck. denique totum versum tamquam spurium uncis inclusit. (Cf. eius Lect. Verg. p. 5.) — **335.** Sunt igitur anni tempora diligenter observanda et planetarum cursus. Redit poëta ad propositum v. 311. 312. — *Hoc metuens;* Voss. e paucis Codd. *Haec metuens.* — *caeli menses et sidera* Heyn. et Wund. ita distinguunt, ut illis duodecim zodiaci signa, his planetas indicari putent; sed rectius Wagn. (coll. v. 232.) de solis zodiaci sideribus s. de signis caelestibus agi putat, de epexegesi illa cogitans, de qua ad Ecl. II, 8. diximus. Wakef. ad Lucr. I, 279., collato, quem supra legimus, v. 51., per merum ingenii lusum coni. *caeli mores.* — *serva,* pro observa, ut supra in simillimo loco v. 205. Vid. adnott. ad Ecl. III, 75. et Thiel. ad Aen. V, 25. Imitatur hunc locum poëta in Anth. Lat. Burm. II, 189, 5. *quae sidera servet Agricola.* Cf. etiam Manil. II, 192. *caelumque et sidera servant.* — **336.** Planetarum quoque cursus observandus; instar omnium autem planetarum unum modo et alterum commemorat. — *Frigida S. stella,* quia Saturnus tam procul a sole remotus extremo orbe movetur. Cf. Plin. II, 8, 6. — *quo sese receptet* Servius, quem Heyn. sequitur, explicat: in quod signum se recipiat, cum quo sidere se coniungat; neque aliter locum intelligit Conington, qui confert Pers. VI, 8. *multa litus se valle receptat;* sed rectius Wunderl.: „*sese receptet* proprie; nam *se receptare, recipere* dicuntur ii, qui eo, unde aliquando discesserunt, proficiscuntur. Atqui planeta easdem semper in cursu suo stellas ingreditur. Cogites velim, Saturni sidus in cursu suo permultas stellas unius signi ingredi, et ex his coniunctionibus omnibus de tempestatibus coniecisse veteres." Imprimis autem *Saturni transitum* observare et notare consueverunt veteres. Cf. Plin. II, 39, 39. XVIII, 25, 57. et Geopon. I, 12. Servius docet, Saturnum in Capricorno facere gravissimas pluvias (coll. Hor. Od. II, 17, 20.), praecipue in Italia, ut in Scorpio grandines, in alio fulmina, in alio ventos. Ceterum laudant hunc locum Sen. Ep. 88. Schol. Stat. Theb. I, 305. (qui praebet: *qua sese rec.*) et Schol. Iuven. Sat. VI. (*sese cum receptat* exhibens.) — **337.** *Cyllenius ignis.* Mercurius, quem in Cyllene, Arcadiae monte, Maia peperit (cf. Aen. VIII, 138. ibique adnot.), *ignis* vocari videtur ob insignem splendorem suum, unde etiam Graecis ὁ στίλβων appellatur. — Abl. *caelo* cum recentioribus editoribus (quibus in edit. II. etiam Iahn. se adiunxit, in priore vulgatam amplexus) pro vulg. Genit. *caeli* (quem praebent Codd. Rom., Gud., Bern., Servius ad h. l. et ad Aen. IV, 239., Arusian. p. 239. Lind. et Seneca Ep. 88, 14., v. 336. et 337. afferens) recepi, et propter Med. Probique 43, 20. K. (cf. Keil. in Philol. II. p. 164.) auctoritatem, et quod verba *quos in orbes caeli* diversos orbes caeli significarent, planeta vero eundem cursum, *orbem in caelo* peragit. Accedit etiam, quod ita vitatur ingrata eiusdem Casus iteratio, cum iam v. 335. *caeli menses* praecedant, librarii autem facilius *caelo* in *caeli* mutasse, quam contra, putandi sunt. Nihilominus Conington coll. Aen. VIII, 97. *caeli orbes,* Lucr. V, 648. *aetheris orbes* et Geo. II, 477. *caeli vias* ad vulgarem lectionem rediit, quamquam eum non fugit Catulli locus LXII, 20. *Hespere, qui caelo fertur crudelior ignis?* quo tamen le-

Inprimis venerare deos atque annua magnae
Sacra refer Cereri laetis operatus in herbis
Extremae sub casum hiemis, iam vere sereno. 340

---

ctionem a nobis receptam leviter fultam (*slightly supported*) censet. Ceterum (quod iam docuit Wund.) *in orbes errare* dicitur Mercurius, quippe qui ex planetis, si Lunam exceperis, *minimum orbem*, infra spatium dierum 87 et 23 horarum, percurrit, itaque plures orbes peragat, dum Saturnus *maximum orbem*, infra spatium annorum 29, dierum 166 et horarum 19 peragit. Bene igitur ad omnes planetas notandos *Saturnus* et *Mercurius* delecti. — 338. Ut harum tempestatum et procellarum vim avertant, poëta rusticis suadet religionem et deorum, imprimis Cereris, cultum. Loquitur autem de duobus festis in Cereris honorem celebrandis, altero, quod vere ineunte (v. 338 sqq.), altero, quod aestate, messe iam instante (v. 347 sqq.), peragendum sit. Et illud quidem, de quo cf. etiam Hesiod "Εργ. 465 sqq., vocabatur vel *Ambarvalia* (*die Feldumwandelung*), quod a fratribus arvalibus pompa sollemnis circum arva ducebatur, vel *Suovetaurilia*, quod sus, ovis et taurus solebant immolari (vid. tamen Charis. I. p. 84. et Weichert. ad Valgii fragmm. 6. p. 235., contra quem recte disputat Unger de Valg. p. 169 sq.); et celebrabatur in Cereris et Bacchi honorem m. Aprili exeunte, post ortum Pleiadum, die a sacerdotibus vel ipsis patribus familiarum ad cuiusque arbitrium constituto. Precabantur autem rustici illos deos, ut omnia mala a frugibus, pecore et omni agrestium turba arcerent. Cf. Tibull. II, 1, 1. ibique Interpp. Cato R. R. 141. Varr. R. R. II, 1, 10. Liv. I, 44, 2. Strab. V. p. 230. Plin. XVIII, 2, 2. Gell. VI, 7. Paul. Diac. p. 5. Müll. Festus s. v. Ambarvales p. 5. Lindem. supra Ecl. V, 74. et 75. Marini *Atti e monumenti de' fratelli Arvali*. 1795. 2 Voll. 4. Herzberg. de ambarvalibus et amburbialibus sacris in Seebodii *Archiv* etc. 1837. Vol. V. P. III. et in Iahnii Annal. 1839. V, 3. p. 413 sqq. quosque praeterea laudat Rein. in Pauly *Realencycl.* I. p. 1830. ed. II. Alii cogitant de *festo sementivo* (cf. Ovid. Fast. I, 657.) ante Ambarvalia celebrato. De altero festo infra exponetur ad v. 348. — 339. *Sacra refer Cereri. Referendi* vocabulo iam Vossius annuam huius festi repetitionem significari arbitratur, ut Aen. V, 605. *referunt sollemnia ludis* (cf. etiam supra ad v. 249. adnotata); ideoque non pro simplici *fer, facias* positum, ut Heyn. censet, qui conferri iubet Heins. ad Ovid. Fast. II, 532. — *operatus. Operari* i. q. sacrum facere (cf. adnott. ad Ecl. III, 77.,) et *operatus* vi Praesentis dictum pro sacrificans. Cf. Orell. ad Hor. Od. III, 14, 6. Dissen. ad Tibull. I, 5, 33. et adnott. ad v. 206. — *laetis in herbis*, ut infra II, 525. *in gramine laeto*. (Cf. adnott. ad Geo. I, 1.) Haec enim sollemnia agrestia sub dio in herbis, h. e. in agris, institui solebant. Cf. Tibull. II, 5, 95. *Tunc operata Deo pubes discumbit in herba*. Multi Codd. et Schol. Crucq. Hor. Od. III, 14. *in arvis*, quod quomodo ortum sit, Wagn. docet Cod. Medic. comparato, ubi, „cum librarius, aberrantibus ad v. 337. oculis, inde verba *in orbis* huc transtulisset, alius *a* supra scripsit, unde ducta lectio *arvis*." Tuentur etiam vulgatam Nonius s. v. *operari* et Schol. Iuven. Sat. XII, 92. — 340. „Vel hic locus docere potest, quam parum subtilis interdum sit poëtica ratio. *Extremae sub casum hiemis* putes esse primum veris initium; at subiiciuntur ea, quae adultum satis significant; quamvis non immemor sim, clementioris caeli in nostro poëta rationem esse habendam. Similiter supra v. 230. *ad medias pruinas;* quod sane severe exigi nequit." *Heyn.* De hac significatione Praepos. *sub*, qua, idem fere quod *statim post* indicans, de tempore modo praeterito usurpatur, cf. infra III, 402. Aen. V, 494. Cic. ad Fam. X, 16. Liv. XXV, 7. in. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 1, 10. Herzog. ad Caes. B. G. VIII, 49. Fabri ad Liv. XXI, 2, 1. Grysar. *Theorie d. lat. Stils* p. 459. Zumpt. Gramm. §. 319. etc. Inde patet, reiiciendam esse plurimorum Codd., etiam Romani, lectionem *sub casu*, quam Wagn. elisioni deberi recte iudicat. *Sub casum* tuentur Medic., Gud. a m. pr., Servius aliique libri, quos etiam Iahn. sequitur, minus tamen recte *sub* reddens per: *gegen das Ende hin*. Ceterum Wagn. Vol. V., potissimum Cod. Rom. secutus (qui Aen. IX, 292. *cassus* et Aen.

Tum pingues agni et tum mollissima vina,
Tum somni dulces densaeque in montibus umbrae.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret;
Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho,
Terque novas circum felix eat hostia fruges, 345
Omnis quam chorus et socii comitentur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta; neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,

VIII, 375. *cassurus* exhibet), ubique scripsit *cassus*. Cf. eius Orth. Verg. p. 469. et Ribbeck. Proleg. p. 444. — 341. ex Hesiod. Ἔργ. 585., ubi de aestatis initio: *Τῆμος πιόταταί τ' αἶγες καὶ οἶνος ἄριστος. Tum pingues agni*, quales epulis aut sacrificiis apti sunt. Sic autem meliores libri verba collocant. Ante Heins. vulgo legebatur *Tunc agni pingues*, quod videtur librariis deberi in hiatu offendentibus; sed vide adnott. ad Ecl. II, 53. et al. Wagn. praeterea docet, aures laedi verbis: *Tunc agni pingues -- Tunc somni dulces;* maximopere autem vitare Vergilium similes in versibus sese excipientibus primorum ordinum sonos. — Voss. coll. Theocr. XIII, 25. agnos, m. Novembri vel Decembri genitos, quatuor mensibus post, vere ineunte, ab ubere matris depulsos ipsosque pastum actos esse docet. Cf. etiam Dissen. ad Tibull. II, 5, 38. — *vina mollissima*, quae superiore anno condita, exuta per hiemem asperitate, mitia sunt facta et lenia. Vid. Hor. Od. I, 7, 19. *molli mero* et Iuven. I, 69. *molle Calenum* (a Conington coll.). Sic Graecis οἶνος σκληρός et μαλακός. Contra *durus Bacchi sapor* Geo. IV, 120. — 342. Verba *somni dulces densaeque in m. umbrae* eadem ratione explicanda, qua supra v. 335. *menses et sidera;* est enim somnus ob eam ipsam causam rusticis dulcis, quod in umbra silvarum eo fruuntur. — 343. Cf. Tibull. I, 1, 23. et II, 1, 13 sqq. — 344. Cereri libandum esse, poëta praecipit. „E lacte, melle, vino *mulsum* factum indicari, notat Macrob. III, 11., magis forte subtiliter, quam vere. Nam diis agrestibus libatur ex more lacte, melle, vino. Cf. idem VII, 12. et Serv. et Cato R. R. c. 134." *Heyn.* Secundum Voss. haec libatio vel hostiae mactandae vel igni infundebatur (coll. Geo. II, 192.). Mel autem non nisi lacte vel vino dilutum poterat libari. Serv. adnotat, temere quosdam contendere contra religionem dixisse Vergilium licere Cereri de vino sacrificari. Vid. etiam Alex. ab Alex. Gen. Dier. III, 12. p. 687. et Unger de Valgio Rufo p. 270. (Ceterum cf. quae Ribbeck. Proleg. p. 102. de hoc loco disputat.) — *Cui* una syllaba pronuntiandum, ut saepissime. Ribbeck. cum Med. a m. pr. scripsit *Quoi*. (Cf. eius Proleg. p. 413.) Sed vide Wagn. Orth. Verg. p. 452. — De adiecto Pronomine *tu* vid. adnott. ad Geo. II, 241. — 345. Ducitur hostia lustrandorum agrorum causa circa novam segetem. — *felix hostia*, secundum Serv. est fecunda, quemadmodum *felix ager, arbor;* sed rectius Heyn. cogitat de hostia, quae tamquam pura et diis accepta felicis est ominis et bonum frugum proventum portendit, aut quae, placatis per eam diis, ipsa huius felicis proventus causa haberi potest. — *ter eat*, laxo fune ducta, ut sponte ire videatur, non coacta et reluctans, quod mali erat ominis. *ter*. Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 73. — 346. *chorus et socii* est chorus, turba sociorum, sc. in operibus rusticis subeundis, sive vernarum. Cf. II, 528. — *ovantes*, laetantes, laete clamantes, cantantes. Cf. infra v. 423. Aen. III, 189. 544. IV, 543. 577. V, 563. etc. Interdum etiam de rebus inanimatis, ut Prop. IV, 8, (III, 9,) 53. *currus ovans*, Stat. Silv. I, 2, 249. *lyra ovans*. — 347. *clamore*, quia totus *chorus* precatur. Si de uno tantum sermo esset, poëta scripsisset *voce*, ut Aen. IV, 681. et IX, 403., quod verissime adnotat Ladew. — *vocent in tecta*, invocent ut adsit. Cf. Colum. X, 430. *Et te Maenalium, te Bacchum, teque Lyaeum Lenaeumque patrem canimus sub tecta vocantes*, et Hor. Od. I, 30, 3. *vocantis Ture te multo Glycerae transfer in aedem*. — 348. Nunc sermo e de altero festo instante messe, brevi ante eius initium, quod circa die longissimum solebat esse, in Cereris honorem celebrato. Cf. Cato R. R. 134. *Priusquam messim facies, porcam praecidaneam fieri oportet e*

Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompositos et carmina dicat.
Atque haec ut certis possemus discere signis,
Aestusque pluviasque et agentis frigora ventos,
Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moneret,
Quo signo caderent austri, quid saepe videntes
Agricolae propius stabulis armenta tenerent.

Porca igitur sacrificabatur, cuius exta, Iano, Iove et Iunone invocatis, cum vino Cereri offerebantur. — *falcem maturis - - supponat aristis*, i. e. messem incipiat. Imitatur hunc locum Colum. X, 328. *Et iam maturis quaerit supponere falcem.* — 349. *torta - - quercu*, i. e. corona quernea, quam Servio auctore gestabant Cereri operantes, ut in memoriam sibi revocarent priorum hominum victum, qui, agriculturam per Cererem nondum edocti, glandibus vescerentur. — 350. De *motibus incompositis*, i. e. incondita, non ex artis legibus instituta et cum carminibus messoriis coniuncta rusticorum saltatione cf. adnott. ad Ecl. V, 73. *Incompositus* hoc sensu haud raro legitur; sic *incompositus pes* (versus) ap. Hor. Sat. I, 10, 1. *incomposita oratio* ap. Quinct. IX, 4, 32. etc. *motus dare* pro saltando legitur etiam Hor. Od. III, 6, 21. et Liv. VII, 2, 4. — 351. Iupiter ipse in commodum agricolarum haec signa, indicia et prognostica edi voluit. — *haec* ad seqq. referendum, *aestus, pluvias, ventos* etc. — *possemus* pro vulg. *possimus* ex Med. a m. pr., Rom. et Pott. 2. 3. cum Voss., Wund. et Wagn. recepimus, quo Iovis voluntas et consilium melius indicatur: Iupiter haec omnia instituens id egit, ut possemus etc. Iahn. in priore edit. vulgatam defendit, quae „non solum Iovem hoc in animo habuisse, sed etiam homines idem nunc consequi indicet." At vero ita Particula *ut* non consilium Iovis, sed effectum modo indicaret: Iupiter haec instituit, atque ita factum est, ut etiam nunc homines discere possint, quod ab hoc loco alienum esse censeo. Utrumque autem, et consilium et eventum, Romani non solent confundere. Quod intelligens Iahn. in edit. II. et ipse recepit Imperfectum, quod recentiores editt. excepta Bryceana omnes exhibent. (Cf. Iahnii adnot. ad Aen. VI, 754.) - - 352. *Aestusquē*. Cf. adnott. ad Ecl. IV, 51. Inde facile patet, quid de altera Med. et aliorum quorundam librorum lectione *Aestusque et pluvias* iudicandum sit. — *agentis*, secum advehentes. Conington adnotat, Ovidium Met. I, 56. hunc locum sic imitatum esse: *facientis frigora ventos.* — 353. *Ipse Pater*, ut supra v. 328. — „*statuit*, h. e. fixum et constans esse iussit. Mutuatus autem est haec ex Arati Phaen. v. 10—13., e quo sequentia pleraque petita. Cf. Geopon. I, 2 sqq. — *monet* luna prognosticis, quae edit, ut solent vates monere, qui futura docent; et *menstrua luna* praeclare propter menstruas motus vices." *Heyn.* Cf. v. c. Catull. XXXIV, 17. *Tu cursu, Dea* (Luna), *menstruo Metiens iter annum*, et Plin. II, 10, 7. *menstrui non sunt defectus lunae.* — 354. *Quo signo caderent austri:* quod signum indicaret, ventos mox esse cessaturos. *Cadere* enim (cui opponitur *surgere* v. 356.) de ventis et maris fluctibus usurpatum i. q. residere. Cf. Ecl. IX, 58. Aen. I, 154. Ovid. Met. VIII, 2. *cadit Eurus et humida surgunt nubila* etc. et adnott. ad Geo. III, 138. Sic etiam Gr. πίπτειν. Cf. Hom. Od. XIV, 475. Hesiod. Ἔργ. 547. *Βορέαο πεσόντος*, et Aesch. Agam. 577. *πόντος πεσών*. Quod hic *cadere*, idem Aen. VII, 27. est (se) *ponere: Cum venti posuere omnisque repente resedit Flatus.* — *quid saepe videntes*, h. e. quo signo viso, quo occurrente prognostico moniti. Vid. infra v. 365 sqq. Voss. *quod* praetulit ex multis sane Codd., non tamen Med. et vetustioribus, putans vulgatam librariis deberi, praecedentia illa *quid menstrua Luna moneret* respicientibus. Sed verissime *Iahn.*: „Sic poëta diceret, agricolas eodem signo, quo austri caderent, admoneri, ut armenta prope stabula contineant. Sed diversum signum poëta intelligit." Cf. eiusdem adnot. ad Ecl. I, 19. p. 362. ed. II. — 355. *propius stabulis*, quam si in pascua consueta mitterentur. Continet ea pastor prope a stabulis propter imminentem tempestatem. Sic Calpurn. V, 43 sqq. *Nec tu longinquas pro-*

Continuo ventis surgentibus aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere et aridus altis
Montibus audiri fragor aut resonantia longe
Litora misceri et nemorum increbrescere murmur.
Iam sibi tum a curvis male temperat unda carinis, 360

---

cul a praesepibus herbas, Nec nimis amotae sectabere pabula silvae, Dum peragit vernum Iovis inconstantia tempus. De constructione voc. *propius* cf. Ruddim. II. p. 97. — 356 sqq. „Imminentes procellas nuntiat surdus aëris motus terra marique increbrescens, quo exterriti alites marini ad litus se recipiunt. Ex Arati Progn. 177 sqq., qui versus a Cicerone translati sunt in Lat. de Div. I, 7., ubi vid. Davis. Cf. Lucan. V, 565 sqq., qui in toto illo loco nostrum ante oculos habuit. Vergilium sequitur Plin. XVIII, 35, 85—87." *Heyn.* Ipse autem Vergilius Homerum Il. XIV, 16 sqq. imitatur, quem in eo certe superat, quod tempestatem sensim auctam et propius adpropinquantem melius depingit. Voss. praeterea comparat Aen. X, 97 sqq. — 356 sqq. Animadverte, quam bene ipsi numeri et verborum sonus rebus respondeant, in quibus narrandis poëta respexit Arat. 909 sqq. Cf. etiam eiusdem v. 177 sqq. *Continuo*, i. e. principio, initio, αὐτίκα. Cf. quae supra ad v. 60. Heyn. adnotavit, et Hand. Tursell. II. p. 107, Brunck. de hac vocis significatione conferri iubet Koenium ad Greg. Cor. p. 194. — *ventis surgentibus:* mox v. 365. *vento impendente.* Vide modo ad v. 354. — *freta ponti* poëtice pro ponto, mari ipso. Vid. supra ad v. 327. et infra ad v. 469. — 357. *„aridus fragor*, qualis asper et acutus lignorum aridorum, cum franguntur. Ita etiam Lucr. VI, 111 sqq. [119. *aridus sonus*, ut paullo ante v. 112. *fragilis sonitus.* Cf. Wakef. ad eiusd. V, 318.] et Homericum αὖον ἄϋσεν, ut Il. XIII, 441., et χαροπαλέος ἄϋσεν ibid. v. 409. Effert autem haud paullo ornatius Aratea l. l. 180 — χορυφαί τε βοώμεναι οὔρεος ἄκραι." *Heyn.* — *altis montibus*, in silvis montium. — 359. *Litora miscentur resonantia*, ita miscentur, ut resonent (vid. supra ad v. 320.), i. e. mare perturbatur et fluctus litori cum fremitu alliduntur. Heyn. confert Aratum v. 178 sq. [s. 910 sq. Bekk.] μακρὸν ἐπ' ἀγκιαλοὶ βοόωντες, Ἀχταί τ' εἰνάλιοι, ὁπότ' εὐδίοι ἠχήσασι et Plin. XVIII, 35, 58. *Littora ripaeque si resonabunt tranquillo* [mare, hoc praedicit] *asperam tempestatem.* De *nemorum murmure* s. mugitu cf. Aen. X, 97—99. Sic alibi de maris (Aen. I, 124.), venti (Ecl. IX, 58.) caeli et nubium (Aen. IV, 160. Lucr. VI, 141.), saepissime autem de rivorum (Geo. I, 109. etc.) *murmure* sermonem esse, vix est quod commemorem. Expressit h. l. Lucan. V, 551 sqq. — *increbrescere.* Cf. Catull. Epith. Pel. 275. *Post vento crescente magis increbrescunt.* Hanc autem formam cum Wagn. restituimus ex Cod. Med. auctoritate, qui eandem etiam Aen. III, 14. exhibet, ut *crebrescere* Aen. VIII, 530. XII, 222. et 407. Cf. etiam Haase ad Reisig. *Lat. Gr.* p. 259. *Increbescere* dudum reiectum a VV. DD.; probatur tamen Heindorfio ad Hor. Serm. II, 5, 93. Voss. ad numerorum praestantiam v. 357—59. lectores attentos facit. — 360. Iam tum satis gravis est tempestas in alto, ut navis vix resistat fluctibus. — *male*, i. e. vix vel non. Vid. infra v. 448. et adnott. ad Aen. II, 23. — *a curvis carinis* post Heinsium et Bothium e Cod. Rom. et quatuor aliis libris (quibus accedunt duo Bern.), item ex Arus. Messio p. 264., (quocum conspirant Schol. Lucani V, 553. et Codd. Prisc. p. 1163.) pro vulg. *curvis carinis* recepit Wagn., cum *temperare* nusquam cum simplici Ablativo construatur, quominus autem *curvis carinis* pro Dativo habeamus, additum *sibi* impediat. Wunderl. tamen, cum nemo umquam dixerit *tempero mihi ab aedibus, ab urbe* et similia, *a curvis c.* manifestam habet librariorum correctionem, haec adiiciens: „Mihi difficultas ita expedienda videtur. *Sibi temperare* est se continere, sibi modum ponere. His addi potest tertius Casus, si quaeritur: *adversus quem* (quae constructio est apud Suet. Vit. Lucani) *tibi temperes.* Nam *temperare* cum tertio Casu est parcere. Cf. Cic. Verr. IV, 6. *Non recuso, quin ita me audiatis, ut, si cuiquam ulla in re umquam temperaverit, vos quoque ei temperetis.*" Sed quam hic Wund.

Cum medio celeres revolant ex aequore mergi
Clamoremque ferunt ad litora, cumque marinae
In sicco ludunt fulicae notasque paludes
Deserit atque altam supra volat ardea nubem.
Saepe etiam stellas vento inpendente videbis

---

proponit verbi illius construendi et explicandi rationem, ea et ipsa exemplis fulcienda erat, quae cum nusquam inveniri videantur (nam Suetonii verba *Neque verbis neque factis adversus principem temperavit* nihil omnino probant), satius duxi Praepositionem cum Bothio et Wagn. recipere (qua in re ceteri recentiores oditt. praeter Bryceum et Ribbeckium nos secuti sunt). Huius autem constructionis inter alia haec habes exempla: Aen. II, 8. Hor. Od. II, 3, 3. Auct. ad Heren. IV, 18, 25. Plin. Ep. II, 4. Voss. ex Guieti et Gebhardi coniectura parum felici edidit *tibi* (i. e. tuis) *--temperat unda carinis*. Ceterum sententia satis clara: Tum solent venti, procellae, ita increbrescere, ut navis vix resistat fluctibus, cum aves marinae in siccum confugiunt. — **361.** *mergi*. Vid. infra. *Clamorem ferunt ad litora*, dum ipsi litora petunt, ideoque i. q. clamantes fugiunt ad litora. — „Quod Aratus v. 182—84. [s. 913 sqq. Bekk.] de *ardea* dixerat, hoc ad *mergos* transtulit Vergilius. Contra Aratus v. 186. 97. [918 sq.] mergos (*αἰθυίας*) in litore alis plangere memoraverat [quod repetit Lucan. V, 553. *Aut siccum, quod mergus amat*]; unde videtur ductum, quod h. l. de *fulicis* narrantur, *ludere in sicco*." *Heyn.* Quo magis etiam incertum redditur, de quibus avibus aquaticis Vergilius hic cogitaverit. *Mergus* vulgo habetur *der Seetaucher*, vel etiam *die Scharbe*, *der Cormoran*, Keightleio autem ap. Coningt. videtur esse *die Seemoeve* (*the sea-gutt*), ad quam tamen non quadrat *longa cervix* ab Ovid. Met. XI, 794. *mergo* tributa; *fulix* contra s. *fulica*, quae solet haberi *das Blässhuhn*, *Wasserhuhn* (*the coot*), cum haec non habeat *cristam* (per *medium caput a rostro residentem*), quam Plin. XI, 37, 44. *fulicae* assignat, Keightleio potius est *der Cormoran*. — *marinae* additur modo propter opposita verba *in sicco*. De voce *siccum* vid. adnott. ad Aen. X, 301. — „In v. **364.** Aratus de ardea praeiverat: *Κινυμένου τε θάλασσαν ὑπερφορέοιτ' ἀνέμοιο*, vento moto volet super mare, in quo Vergilius videri potest poëtice exornasse *volare*. Lucan. V, 554. *Quodque ausa volare ardea sublimis pennae confisa natanti*. Ceterum Cicero Arateum *ἐρωδιόν* [ardeam, *den Reiher*] *fulicem* reddiderat de Div. I, 8, 14. [*Rufa fulix itidem fugiens e gurgite ponti Nuntiat horribiles clamans instare procellas* etc.], ubi vid. Davis. Nimium veteres sibi indulgebant in nominibus accurate reddendis." *Heyn.* Cum Codd. lectio fluctuet inter *supra volat*, *super volat*, *volitat super* et *super avolat*, Burm. (qui conferri iubet adnott. suas ad Ovid. A. A. II, 19. et ad Suet. Aug. 94.) coni. *super evolat*, Voss. autem in his variis lectionibus vestigia antiquioris formae *supera*, qua Lucretius (III, 386. IV, 674. V, 1460. etc.) et Cicero in Arateis (v. c. de N. D. II, 42. in.) aliquoties utuntur (cf. etiam Priscian. XIV, 2, 11. p. 980. et XIV, 6, 52. p. 1001.), haud temere sibi videtur invenisse, quam Ribbeck. recepit. Ceterum hunc locum respexit Lucan. V, 553. — **365.** Etiam stellarum traiectiones s. discursus (*Sternschnuppen*, *ἀκοντισμοί* s. *διαδρομαὶ ἀστέρων*) inter ingruentis tempestatis indicia referuntur; qua de re plures veterum consentiunt, ita quidem ut Plin. II, 36, 36. XVIII, 35, 80. et Geopon. I, 11. contendant, stellas cadentes portendere procellas ex ea regione venientes, in quam ferantur, Aratus vero v. 194 sqq. (s. 926 sqq. Bekk.) et Sen. Nat. Qu. I, 14. (non c. 6., ut apud Voss. legitur) ex ea caeli plaga ingruentes, ex qua veniant. Cf. Voss. ad h. l. et liber meus geogr. I. p. 627 sq. Ceterum hunc quoque locum ex Arati v. 926. sumpsit Vergilius, imitatus autem est Lucan. V, 561 sqq. Cf. etiam Aen. II, 693. V, 527. Hom. Il. IV, 75. 366. et Lucr. II, 206 sqq. *Nocturnosque faces caeli sublime volantes Nonne vides longos flammarum ducere tractus, Non cadere in terram stellas et sidera cernis?* Hunc ipsum autem Lucretii locum Vergilio hic ante oculos fuisse putat Macrob. Sat. VI, 1. p. 156. Bip. — *inpendente*. Voss. sine iusta causa ex paucis Codd. minoris auctoritatis recepit *impellente*, comparans Senecam, qui l. c. dicat:

Praecipites caelo labi noctisque per umbram
Flammarum longos a tergo albescere tractus;
Saepe levem paleam et frondes volitare caducas,
Aut summa nantis in aqua colludere plumas.
At Boreae de parte trucis cum fulminat et cum
Eurique Zephyrique tonet domus: omnia plenis

Attritu aëris ignis incensus vento praeceps impellitur, et Sen. Trag. Hippol. 736. *Stella cum ventis agitata longos Corripit ignes*, eandemque lectionem collato praeter Senecam etiam Arato 926 sq. Bœssler quoque in Philol. XXI. p. 157 sq. (a Ladew. laud.) probat, cum vulgaris scriptura tantum repetat sententiam iam supra v. 356. lectam (*ventis surgentibus*). Sed quamquam verum est, stellas cadentes vento impelli, hic tamen non tam hoc dicendum erat, quam id, quod indicant ventum impendere, instare. Prorsus congruit cum hac lectione Theocr. XIII, 50. *ὡς ὅτε πυρσὸς ἀπ' οὐρανοῦ ἤριπεν ἀστὴρ Ἀθρόος ἐν πόντῳ· ναύτας δέ τις εἶπεν ἑταίρους· Κουφότερ', ὦ παῖδες, ποιεῖσθ' ὅπλα· πλευστικὸς οὖρος.* *Impendere* autem idem fere, quod v. 356. *surgere*. — **366.** *per umbram Flammarum - - tractus*. Solent poëtae orationem ita instituere, ut contrariae notiones proxime se excipiant, quo magis oppositio eluceat. Sic supra v. 328. *in nocte corusca Fulmina*. — *umbra* Singul. numero de nocte nocturnisque tenebris usitatum. Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 14. Quare altera lectio *per umbras*, a Codd. quibusdam deterioris notae et Isidoro de nat. rer. 25. suppeditata, minus probabilis, quamvis simillime loco Aen. II, 693. *per umbras* scribere poëta maluerit. - - *flammarum tractus* ex Lucretii l. l. deprompti. Intelligendae autem sunt scintillae ipsum corpus igneum sequentes *a tergo;* unde etiam patet, cur poëta Plurali numero utatur de flammis longe tractis, ut Aen. V, 526. *Signavitque viam flammis*. Cf. etiam Aen. VI, 550. Accuratius Vergilius Aen. II, 693. *de caelo lapsa per umbras Stella facem ducens multa cum luce cucurrit*. Arat. v. 19. *τοὶ δ' ὅπιθεν ὑμοὶ ὑπολευκαίνωνται*. Ceterum laudant hunc versum Senec. Nat. Qu. I, 14. VII, 20. et Macrob. Sat. VI, 1., uterque memoria deceptus. — **368.** Plinius XVIII, 35, 86. refert, „folia sine aura, quae sentiatur, ludentia, lanuginem populi, aut spinas volitantes et plumas aquis innatantes" tempestatem venturam indicare; idemque Aratus v. 190 sqq. (s. 921 sqq. Bekk.) de *πάπποις* contendit. — *frondes caducae*, quae ab arboribus deciderant, ut Ovid. Met. VII, 840., ubi vid. Bach., et Calpurn. V, 116. *Caducus* enim poëtis non solum de eo dicitur, quod natura sua ita comparatum est, ut facile cadat, verum etiam de eo, quod iam cecidit (Aen. VI, 481. Hor. Od. III, 4, 44. Ovid. Met. VI, 396. IX, 651. Varr. R. R. II, 2.), vel quod casurum est (Aen. X, 622.). — **369.** *colludere*, moveri inter se et circumagi saltantium modo. — *plumas* Wakef. ad Lucr. III, 387. docte magis, quam vere, de ipsis illis *pappis*, s. alba lanugine vel canitie defloreseentium plantarum interpretatur. — **370.** „Iam praesagia pluviarum enarrantur. Primum est fulminum ex omnibus caeli partibus concursus. -- Quando ab omnibus caeli partibus tonat, imbres ingruunt. Conversi ex Arato v. 200—205. [933 sqq. Bekk.], qui ultimus versus haud dubie suppositicius est. Cf. Plin. XVIII, 35, 81. et 87." *Heyn.* — Tres ventos nominat pro omnibus, ut Aen. I, 85. et alibi. Cf. Voss. ad h. l. Apud Lucr. V, 744. legimus *Altitonans Volturnus et Auster fulmine pollens*. — *et cum*. Vid. supra ad v. 314. — **371.** *Euri - - domus* pro ea caeli parte, unde ille spirat. *Euriquĕ*. Vid. supra v. 352. Quae enim sequitur litera Z, causa productionis non videtur. Cf. Schneider. Gr. Lat. I, 2. p. 713. et quae ad Aen. III, 270. adnotavimus. Secundum Voss. Vergilius h. l. sequitur antiquiorem illam fabulam, ex qua Venti, tamquam Dei, domus suas habent in extremo orbis terrarum margine; Aeneidis autem I, 56. posteriorem refert narrationem de Aeolo, ventos in spelunca inclusos tenente atque coërcente. Oppositi autem sibi sunt *Eurus* ab oriente et *Zephyrus* ab occidente flans, quamquam Eurus proprie est ille ventus, qui etiam *Volturnus* et *Euronotus*, nobis autem *Südost* vocatur. Cf. quae de his ventis exposui

Rura natant fossis atque omnis navita ponto
Humida vela legit. Numquam inprudentibus imber
Obfuit: aut illum surgentem vallibus imis
Aëriae fugere grues, aut bucula caelum
Suspiciens patulis captavit naribus auras,
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo

---

in libro meo geogr. I. p. 610 sq. — 372. *Rura natant*, inundantur. Sic *campi natantes* apud Lucr. V, 489. et VI, 1141. Cf. etiam Aen. III, 625. Ovid. Am. II, 16, 34. Stat. Theb. II, 337. — *fossis*. Vid. supra ad v. 326. — *ponto* Wakef. ad Lucr. I, 372. coniungit cum *humida*, ut sermo sit de velis, quae pontus humectaverit, quemadmodum Geo. IV, 430. legamus: *vasti gens humida ponti*. At non ponto, sed imbre madida sunt vela; *ponto* autem, i. e. in mari, opponitur vocabulo *rura*. — 373. *vela legere*, i. e. colligere, convolvere. Cf. Aen. III, 532. Ovid. Her. XV, 216. Val. Fl. II, 13. etc. — Pierius in quibusdam libris invenit *omnis navita -- vela legunt*, pro *legit*; quae lectio Heinsio (qui conferri iubet adnot. suam ad Ovid. Met. IX, 426.) temere arridet. Wagn. autem Qu. Virg. VIII. p. 404. vicinitatem Pluralis *vela* librariis obfuisse suspicatur. — 373. *Numquam inprudentibus* (qui antea non essent moniti) *imber Obfuit*, damna attulit, nocuit, i. e. nocere solet. (Cf. adnott. ad Geo. I, 49.) Signa venturi imbris tam manifesta sunt, ut agricolis improvisus ille supervenire et nocere non possit. Male igitur Schrader. ex Cod. Med. *prudentibus* praefert. Similis sententia legitur infra v. 425. Wakef. ad Lucr. VI, 70. *obfuit* satis mire interpretatur per *obversatus est* vel *se coram dedit*. — 374. „Aratum Diosem. 299. 300. ante oculos habuit, et ille Aristotelem H. A. IX, 10., qui notavit, grues (*quae* alias, *silentio per sublime volantes, serenitatem portendunt*, Plin. XVIII, 35, 87.), ubi in altum evolaverint, animadversa tempestate, statim se demittere et imbrem fugere. (Cf. etiam Antig. Caryst. 46. et ibi Beckm.)" *Heyn.* — Grues, ut frondibus arborum se tegant (cf. Geo. IV, 473.), fugiunt *vallibus imis*, h. e. in valles (non: ad valles, ut Heyn. interpretatur). Ablativo autem poëta utitur, tempus fugam secutum respiciens, quo in vallibus se tegunt. Manso et alii (non autem Heyn., cui Iahn. hunc errorem imputat) coniungunt *imbrem surgentem vallibus imis*, h. e. nebulam; quae sententia ab h. l. aliena est. Heyn. conferri iubet Theophr. de signis pluv. (unde plura hic illustrari possint): *ὅταν γέρανοι πέτωνται καὶ μὴ ἀναχάμπτωσιν, εὐδίαν σημαίνει· οὐ γὰρ πέτονται, πρὶν ἢ ἂν πετόμεναι καθαρὰ ἴδωσιν.* — *fugere*, fugere solent. Vid. supra ad v. 49. — 375. Totus, qui sequitur, locus Servio teste „de Varrone [Atacino] est" (cf. eius fragm. 8. ap. Wernsdorf. Poët. Lat. min. V. p. 1410.), qui ipse hausit ex Arato v. 210 sqq. s. 942 sqq. Bekk. Varronis verba, a quorum ordine Vergilius discessit, apud Servium haec sunt: *Tum liceat pelagi volucres* (cf. v. 383.) *tardaeque paludis Cernere inexpleto studio certare lavandi* (v. 387.), *Et velut insolitum pennis infundere rorem* (v. 385.): *Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo* (v. 377.), *Et bos suspiciens caelum — mirabile visu — Naribus aërium patulis decerpsit odorem* (v. 375 sq.), *Nec tenuis formica cavis non evehit ova* (v. 379 sq.). *Aëriae*, i. e. alte volantes, neutiquam supervacaneum est epitheton, cum ex summo aëre fugiant in vallium et arborum tutelam. Wagn. adnotat: „*ἠέριαι γέρανοι* dictae iam Homero Il. III, 7.", immemor, ut videtur, eorum, quae Buttmann. in Lexil. I. p. 118 sqq. de huius Homerici epitheti significatione satis probabiliter disputavit. Vid. potius Ecl. III, 69. ibique adnott. cum iis, quae ad Ecl. I, 58. observavimus. Ceterum cf. Arat. 1031. — 376. *Aut bucula* etc. Cf. Arat. 954 sq. — „*captavit* (captare solet, captat) *naribus auras*, h. e. ducit, olfacit, *ὠσφρήσατο*. Plin. XVIII, 35, 88. *Et boves caelum olfactantes sequi lambentes contra pilum.*" *Heyn.* Adde Ciceronem de Div. I, 9, 15. (ex Arato) *Mollipedesque boves, spectantes lumina caeli, Naribus humiferum duxere ex aëre succum.* — V. 377. qui totus est Varronis, ex Arato 944. petitus. *arguta* ad vocem refertur, *die zwitschernde, zirpende*. Cf. Ecl. IX, 36. *arguti olores*, Prop.

Et veterem in limo ranae cecinere querellam.
Saepius et tectis penetralibus extulit ova
Angustum formica terens iter et bibit ingens
Arcus et e pastu decedens agmine magno

I, 18, 30. *argutae aves*, Martial. IX, 19, 5. *argutae cicadae* cett. et adnott. ad Ecl. VII, 1. Heyn. comparat Plin. l. l. §. 87. *hirundo tum iuxta aquam volitans, ut penna saepe percutiat.* Ceterum *circumvolitavit* coniunctim scripsimus ex meliorum Codd. auctoritate. Vid. etiam Obbar. ad Hor. Ep. I, 3. 21. Vol. I. p. 194. — 378. Cf. Arat. 946. Bekk. „Plinio l. l. sunt *ranae ultra solitum vocales.* — *veterem querellam* [ut ex Cod. Med. et Servii ad Aen. IV, 360. auctoritate cum recentissimis editoribus scripsimus pro *querelam:* cf. Schneid. Gr. Lat. I, 2. p. 414. Wunder. ad Cic. pro Plancio p. XV. Freund. ad Cic. Or. pro Mil. p. 36. Lachm. ad Lucr. I, 313. p. 32 sq. Corssen. de pronunt. etc. I. p. 81 sqq. Wagn. Orth. Verg. p. 467. et Ribbeck. Proleg. p. 429.] ad fabulam transformationis ranarum (vid. Ovid. Met. VI, 316 sqq.) referunt [cf. Ribbeck. Proleg. p. 121.]: sed verbis simpliciter inest notio clamoris continui semperque eiusdem. Poëtis enim *querelam* de quacunque animalium voce dici notum est." *Heyn.* Causa rei haec videtur, quod idem sonus semper repetitus lamentationi est simillimus. Cf. Lucr. IV, 547. de cycnis: *liquidam tollunt lugubri voce querelam* (ubi vid. Wakef.) Cic. Div. I, 8, 14. (ex Arato) *acredula - - assiduas iacit ore querelas.* Ovid. Met. III, 239. de cervo: *moestisque replet iuga nota querelis.* Mart. I, 54, 10. *Improba Cecropias offendit pica querelas* (Philomelae, quae fuit Atheniensis). Plin. X, 34, 52. de columbis: *Plenum querela guttur* etc. Unde tamen non sequitur, poëtam noluisse simul alludere ad lamentationem ranarum, quod, qui antea homines fuissent, facti sint ranae. Probe autem animadvertendum, Vergilium pro more veteribus satis usitato ipsorum verborum sono (per *ὀνοματοποίησιν*) ranarum strepitum esse imitatum: *kekinere* (ita enim veteres Romani pronuntiabant literam *c*) *querelam;* propterque ea hunc locum de ranis comparandum esse cum Ovidiano illo Met. VI, 366. *Quamvis sunt sub aqua sub aqua maledicere tentant.* — 379. Cf. Arat. 224. 25. s. 956 sq. Bekk. *penetralia* (*tecta*) adiective ut Aen. II, 762. *adytum penetrale* et Lucr. I, 1088. (ubi tamen ex melioribus libris nunc editur *tonitralia*), *templa penetralia caeli.* Intelligenda autem h. l. cava foramina terrae, quibus formicae pro cellis utuntur, quaeque eadem metaphora Phaedrus IV, 23, 20. *formicae copiosam domum* vocat. — 380. *angustum iter* Heyn. dubitat, utrum secundum Aratum, qui habet *κοίλης ὀχῆς*, de foramine, an, coll. Aen. IV, 404. 5. *praedamque per herbas convectant calle angusto*, de calle, quo incedant, intelligendum sit; Wunderlichio autem (cui adsentitur Wagn.), cum praecedat *efferre ova tect. pen.*, h. e. cavis, necessario ad foramen referendum esse videtur. Sed rectius, ni fallor, Vossius, qui comparat Aen. l. modo l. et Ovid. Trist. V, 6, 40. *Quam multae gracili terrena sub horrea ferre Limite formicae grana reperta solent*, per *angustum iter* intelligit angustum callem, in quo formicae per gramina incedunt, cum constet, formicas omnes eodem tramite e cavis suis exire (cf. Arist. H. A. IX, 38. *ἀεὶ μίαν ἀτραπὸν πάντες βαδίζουσι*); quare Plin. XI, 30, 36. tramites ab iis in durissimis saxis factos se vidisse narrat. (Consentiunt mecum Bryce, Ladew. et Conington.) — *terens* aptissime de via, quam toties it reditque formica. Cf. Hor. Epod. IV, 14. *Et Appiam mannis terit*, i. e. frequentat. Sic Arat. 250. s. 791. *Μεσσόθι δὲ τρίβει μέγαν οὐρανόν*, quod Cicero Arat. 2. vertit: *caeli mediam partem terit.* — 381. *Arcus* caelestis, iris, cornibus suis vapores e mari aliisque aquis *bibere*, i. e. haurire, attrahere, et rursus per pluviam demittere putabatur. Cf. Aratus v. 208. s. 940. Bekk., qui duplicem arcum habet (*διδύμη Ἶρις*), „ex repercussa luce in nubibus," ut Heyn. interpretatur; Sen. N. Qu. I, 6., qui nostrum locum commemorat, Plaut. Curc. I, 2, 41. (*Ecce autem bibit arcus! pluet, credo, hercle hodie*) Ovid. Met. I, 271. (*Concipit Iris aquas*) Tibull. I, 4, 44. et Stat. Theb. IX, 405. (*imbrifer arcus*). Cf. Passerat. ad

Corvorum increpuit densis exercitus alis.
Iam variae pelagi volucres et quae Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores, 385

Propert. p. 430. Heyne et Dissen. ad Tibulli, Bach. ad Ovid. l. l. alii. — **381. 82.** Corvos quoque vehementiore alarum agitatione et clamore imbres instantes praedicere affirmant Arat. v. 231 sqq. s. 963 sqq. Bekk. et Plin. l. l. §. 87. Vid. etiam Lucr. V, 1084. *Corvorumque greges, ubi aquam dicuntur et imbres Poscere.* — „*increpuit densis alis* debebat exprimere Arati [969.] *τιναξάμενοι πτερὰ πυκνά*; in quo *πυκνά* pro *πυκνῶς* positum esse dubitari nequit, *crebro.* (Cf. etiam Brunck. Anal. T. III. p. 152. VI.) At Vergilius pro epitheto alarum accepisse videtur, cum *densas* reddit, ut ad multitudinem corvorum referat, qui, dum *denso* agmine volant, alis *densis* increpant. Ceterum ad hoc praesagium referenda sunt verba Horatii Od. III, 27, 9. *Antequam stantes repetat paludes Imbrium divina avis imminentum* [ubi tamem de cornice, non de corvo cogitandum videtur]." *Heyn.* — **383** sqq. Ex avibus marinis et cycnis praesagia pluviarum poëta memorat. Haec quoque ex Arato v. 210 sqq. desumpta: *Πολλάκι λιμναῖαι ἢ εἰνάλιαι ὄρνιθες Ἄπληστον κλύζονται ἐνιέμεναι ὑδατεσσιν*, quae quomodo Varro transtulerit, supra vidimus. — *variae volucres.* Ita Med., Rom., Gud. a m. pr. et alii boni libri, quos recte secutus est Wagn. Plurimi Codd. cum Servio exhibent vulgarem lectionem *varias volucres* (recentioribus temporibus ab uno Coningtone servatam), quae Grammatico alicui deberi videtur, haec verba sequentibus *infundere videas* conciliaturo. *Variae volucres* est Nomin. absolutus, a quo poëta per synesin grammaticam ad constructionem Accus. cum Infin. deflectit. Exempla huius rationis vide apud Cort. ad Sall. Iug. 30. et Kritz. ad Sall. Cat. 37, 7. Iug. 66, 2. et cf. praeter Viros doctos iam ab his laudatos Bremium ad Nep. Epam. 9, 1. Beneck. ad Iustin. XI, 7, 6. Matth. de Anac. in Wolf. Ann. III. p. 20. Madvig. ad Cic. de Fin. III, 3, 11. p. 361. alios. Aliter tamen de hoc loco statuunt Bryce, Ribbeck. et Ladew., qui potius sequentem Infinitivum *infundere* absolute positum habent pro *infundunt* (de cuius Infin. absol. usu diximus supra ad. v. 200.) et propterea in fine v. 385. Colon ponunt; quae ratio aliis fortasse videbitur praeferenda. — Aves circa Caystrum versantes sunt cycni, quorum magna ibi inveniebatur copia. *Cayster* autem s. Caystrus, fluvius Asiae minoris, haud procul ab Epheso in mare se effundens saepe ripas egreditur et vicinas regiones inundans stagna et paludes efficit variis avibus, imprimis cycnis, frequentatas. De cycnis eius cf. Hom. Il. II, 460. (*Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα*) Nicand. Ther. 630. Dion. Per. 833 sqq. Ovid. Met. II, 252. III, 386. Martial. I, 56. alii, de ipso autem fluvio, qui nunc *Kara Su* (flumen nigrum) s. *Kutschuk Meinder* (parvus Maeander) appellatur, librum meum geogr. II. p. 175 sq. — *Asia prata*, pro quibus alio loco, Aen. VII, 701., *Asiam paludem* dixit Vergilius. Noli autem confundere *Asiam* (brevi antepenultima), totam orbis terrarum partem, cum *Asia* (longa antepenult.), eius regione, quae est angustus tractus paluster Lydiae ad Caystrum haud procul a Tmolo situs atque iam Homero notus Il. II, 461. *ἢ κύκνων δουλιχοδείρων Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα* (quem expressit Vergilius v. 383. 84.) Dionysio Per. v. 836. dicitur *λειμὼν ἐν Ἀσίδι*. Cf. liber meus modo comm. II. p. 38. not. 77. et p. 169. not. 47. Reliqua partim a Varrone Atacino, partim ab Arato (vid. supra) sumpta esse, docet Heyn. — „*stagna* recte *dulcia*, utpote vivi et perennis fluvii, non situ putrescentis aquae." *Heyn.* Rectius dixeris, *dulcia stagna* opponi salsis pelagi, quod antea commemoratur, fluctibus. Mira autem est Schirachii (p. 392.) explicatio: stagna, quae cycnis dulcia, grata sunt. — *rimari prata* pro simplici: versari in pratis (flumine inundatis.) *Rimari*, quod etiam de suibus et canibus venaticis dicitur, proprie significat omnes rimas inveniendi causa perquirere (hic igitur herbas vel alia pabula ex rimis s. cavis ripae et alvei eruere), deinde omnino, quae abscondita sunt, quaerere, scrutari. Cf. Aen. VI, 597. *vultur - - viscera rimatur epulis*, et Barth. ad Nemes. Cyn. 49. — **385.** Cf.

Nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas
Et studio incassum videas gestire lavandi.
Tum cornix plena pluviam vocat inproba voce
Et sola in sicca secum spatiatur harena.
Ne nocturna quidem carpentes pensa puellae
Nescivere hiemem, testa cum ardente viderent

Arat. 951. *humeris*. Wagn., quem sequuntur Haupt., Ladew. et Ribbeck. ex Med. auctoritate edidit *umeris*. Cf. eius Orth. Verg. p. 477. et supra ad v. 44. adnott. — *rores* (vid. ad Geo. IV, 431.) Plurali numero rarius inveniri contendit Ruddim. I. p. 144. not. 30., quamvis ipse satis multa Pluralis exempla afferat, ut Aen. XII, 399. Hor. Od. III, 3, 56. Cic. Div. I, 8, 41. Sil. Ital. IV, 165. VII, 206. Lucan. IX, 701. etc. — 386. *caput obiectare fretis*, i. e. aquis identidem immergere. Simili ratione Aen. II, 751. dicitur *caput obiectare periclis*. — 387. Cf. Arat. 942 sq. — *incassum*, temere, frustra, ut apud Lucretium maxime (II, 1060. 1166. V, 1128. 1429.) haud raro. Cf. etiam Geo. III, 100. et Hand. Tursell. II. p. 6 sq. Imitatur poëta Varronis verba *inexpleto studio certare lavandi*. Causam esse dicunt, quod cycni, ut omnes aves, rostri ope plumas oleo quodam humectent, quod vesiculae inclusum sub cauda gerant, quo fiat, ut aqua ad ipsum corpus non penetret. Sic etiam Wagn.: „temere, quia humor non penetrat ad vivum." Sed rectius Voss.: „*die Flatterer treiben nur eiteles Spiel, sie sind gleich wieder heraus, um von neuem in das Bad zu rennen.*" Consentit nobiscum Ladew.; Bryce autem in incerto relinquit, utram probet explicationem. De ipsa re vid. etiam Plin. XIII, 35, 87. — 388. „Aratus plenius vss. 217—221. [s. 949—953. Bekk.], conversis a Cic. de Div. I, 9, 15. [Adde Plin. l. l.] Nostrum expressere Claudian. XV, 493. et Lucan. V, 555. 556." *Heyn.* — *cornix inproba*, propter *inprobum*, nimium clamorem, quo desiderium suum significat, ut pluvia veniat, eamque quasi advocans praenuntiat. Recte Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 37. *inproba* explicat: „in crocitando modum non servans." Cf. Lucr. V, 1083 sqq. *Raucisoni cantus cornicum - - aquam dicuntur et imbres Poscere.* Alii minus recte cogitant de cornice infausti ominis, qua de re diximus ad Ecl. IX, 15. Ceterum de epitheto *inprobus* vid. supra ad v. 119. — *plena voce*, e pleno gutture emissa, voce crassa; Arat. 953. παχέα κρωζουσα. *Rauca voce* Serv. (in vulg. certe editt., nam Serv. Dresd. exhibet: Tunc cornix plena: plena dicit rauca, contra naturam suam") et vulg. editt. quaedam ex glossemate. *Tunc* autem, quod cum Servio etiam Nonius p. 220. affert, i. e. eodem tempore, quo aves marinae et cycni praesagia illa edunt, minus aptum h. l., quam *Tum*, i. e. porro, praeterea. Vid. ad Ecl. III, 10. — 389. *sola secum* (αὐτὴ καθ' ἑαυτήν, *für sich allein*) *spatiatur*, non gregatim, ut, qui antea commemorantur, corvi et cycni. Egregie hoc a poëta expressum. Videmus quasi oculis nostris cornicem in arena spatiantem seque iactantem, cum ipsis versus numeris et sibila litera toties repetita tumida et lenta eius ambulatio significanter depingatur. Vertas: *Und spaziert* (vel *stolzirt*) *einsam für sich im staubigen Sande.* Ceterum *secum spatiari* eadem ratione dictum, qua alibi *secum esse, habitare* et similia. Cf. autem Geo. IV, 465 sq. — 390. „Etiam puellae lanam ducentes tempestatem seu pluviam ingruentem ex scintillatione lucernae et fungi, qui ex stuppa in fungi speciem excrescit, concretione divinare norunt." *Heyn.* Cf. cum h. l. Arat. v. 976 sqq. Plin. XVIII, 35, 84. Apulei. Met. II, 18. — *Ne nocturna* etc. Voss. praefert alteram lectionem *Nec*, a plurimis sane Codd., Servio et Nonio p. 252. exhibitam, quam etiam Wund. in Epist. ad Heeren. p. VII. defendit, *ne* hic et alibi (ut infra Geo. III, 485.) incuria in contextu a se relictum profitens. Sed praestat recepta Medic., Rom. et aliorum bonorum Codd. lectio. Cf. supra ad v. 126. adnotata. — *pensum* proprie de lanificio dici et certum lanae pondus, quod mulieri uno die, vel certe statuto quodam tempore, conficiendum imperetur, significare constat. Cf. infra IV, 348. Aen. VIII, 412. Plaut. Merc. II, 3, 62. Ovid. Her. III, 73. Am. I, 13, 24. etc. — 391. Cf. Arat. 302. et 307. et Aristoph.

Scintillare oleum et putris concrescere fungos.
Nec minus ex imbri soles et aperta serena
Prospicere et certis poteris cognoscere signis:
Nam neque tum stellis acies obtunsa videtur

Vesp. 262. a Coningtone comparatus. — *testa* est lucerna fictilis, testacea. Ita fortasse etiam Martial. XII, 64, 2. *Histra testa.* (Histria enim oleis abundabat.) — 392. *Scintillare oleum*, i. e. flammam oleo nutritam. — *putres fungi*, μύκητες, qui ex stuppa concresunt. — 393. „Sequuntur praesagia serenitatis, et primum quidem usque ad v. 400. ea declarata sunt per absentiam eorum, quae impendentes pluvias portendunt, duce Arato 206 sqq. [negativa sereni caeli praesagia]; tum v. 401. ea apposita sunt, quae fiunt, serenitate succedente [affirmativa praesagia]." *Heyn.* — *ex imbri*, vulgo pro *post imbrem* positum accipitur (de quo usu Praep. *ex* diximus ad Aen. VI, 497.), cui tamen explicationi obstat verbum *prospicere;* quare Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 37. rectius interpretatur: „dum adhuc pluit, *mitten in Regen.*" Librarii quidam huic loco obtruserunt *eximbres soles* (i. e. ex nubibus quasi emergentes), quam lectionem ex Rom. aliisque libris temere recepit Martin., cum huius Adiectivi compositi nec vola nec vestigium usquam appareat. — *soles* (i. e. radios solis), pro splendore solis, *heller Sonnenschein.* Cf. Geo. II, 332. Hor. Epod. XVI, 13. Martial. VIII, 14. Sen. Herc. Oet. 487. etc.; quare apud Ovid. Trist. V, 8, 31. *Si numeres anno soles et nubila toto* (i. e. dies serenos et nubilos). Vid. etiam supra ad v. 66. — *serena* absolute dictum pro caelo sereno, ut apud Val. Fl. I, 332. *Nec de te credam nostris ingrata serenis.* Sic etiam Singularis *serenum* apud eundem II, 404. Lucan. I, 530. Stat. Silv. III, 1, 81. Claud. B. Get. 49. Suet. Aug. 94. et alibi. Simili ratione apud Lucr. I, 1089. et VI, 96. *caerula caeli.* Cf. etiam infra v. 478. Geo. II, 284. Aen. I, 310. IV, 451. VI, 241. 750. X, 251. cett. et quae de hoc Adiectivorum neutro genere pro Substantivis positorum usu praeter me ad Lucr. I, 87. disseruerunt Vechner. Hellenol. I, 2, 9. p. 202 sqq. Ruddim. II. p. 120. Drakenb. ad Liv. VII, 21, 8. XXXVII, 58, 8. Iani ad Hor. Od. IV, 4, 76. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 2, 25. Hertel. ad Tac. Agr. 16. Kritz. ad Sall. Cat. 59, 2. Beneck. ad Iustin. XLI, 1, 11. alii. — *„serena aperta*, caelum nullis nubibus obductum. *Καθαρὸν φάος ἀμβλύνεσθαι* dixerat Arat. Progn. 281. et *φάτνην καθαιρομένην πάσης ὑπένερθεν ὁμίχλης* v. 265., ubi ad unam stellam hoc praesagium retulit, cum Vergilius omnino obtusam stellarum et obscuram lucem commemoret." *Heyn.* Sic *apertum caelum* Aen. I, 155. Ladew. tamen *aperta* hic eodem sensu dictum putat, quo Aen. IX, 363. *apertum periculum*, i. e. manifestum, praesens; et Peerlk. adeo p. 131. contrarium coni., *operta*, hac explicatione adiecta: „Sol et serena tunc haud dubiis signis prospiciuntur. Iam quasi adsunt, sed adhuc latent, mox proditura: tantum non cernuntur" et coll. infra v. 465. Reisk. coniecerat *soles per aperta serenos.* Quod autem attinet ad duo Adiectiva ita coniuncta, ut alterum pro Substantivo positum sit, cf. Ecl. VI, 31. Geo. III, 124. 291. 342. Lucr. I, 1096. et II, 121. *magnum inane.* Iuven. II, 9. *tristes obsceni.* id. III, 52. *secretum honestum.* Silius XII, 4. *tepidum serenum.* Pers. II, 74. *mordax verum.* Cic. de sen. 20, 72. *breve vitae reliquum* etc. Eadem ratione etiam Participia cum Adiectivis coniunguntur, ut Geo. III, 147. *plurimus volitans*, ubi vid. adnott. — 394. *cognoscere signis*, ut v. 351. *discere signis.* Cf. adnott. ad Ecl. IV, 60. — 395 sq. „Non tunc acies stellarum cernitur *obtusa* [vel potius *obtunsa*, ut nunc ex Med. auctoritate cum recentissimis editoribus scripsimus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 457.], obscurata [vaporibus]. Haec illustranda ex Arato, qui signum ingruentis tempestatis notat: cum lux stellarum repente obfuscetur, *nulla apparente causa*, nec nubibus inductis, nec luna suborta, *quae luce sua illis officiat.*" *Heyn.* Imitatus est Vergilium Claudian. I, 22 sqq. ita canens: *Haud secus ad tacitam Lunam regnante per Arcton Sidereae cedunt acies, cum fratre retuso Aemulus adversis flagraverit ignibus orbis.* Ceterum cum Gellius VII, 17. h. l. ita laudet: *tunc astris acies obtusa videri*, Heinsio et Heynio Infinitivus

Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna,
Tenuia nec lanae per caelum vellera ferri;
Non tepidum ad solem pinnas in litore pandunt
Dilectae Thetidi alcyones, non ore solutos

---

certe *videri* mirum quantum placet, ut *videri, surgere, ferri* sint Infinitivi historici. Sed recte docet Wagn., non esse hic locum Infinitivo absoluto, per quem ineptus quidam vigor orationi inferretur; ita ut Gellius tantum memoria lapsus sit, quod iam altera lectionis diversitas *tunc astris* satis comprobet. — 396. „*Nec* tum *Luna*, quae *fratris radiis obnoxia est* [cf. Geo. II, 439.], surgere videtur, h. e. surgit, oritur, in conspectum venit ita, ut stellae videri possint luce lunae obtusae, obfuscatae esse." Ita *Heyn.*, qui singularem ad h. l. Excursum conscripsit. Rectius autem Voss., Iahn., Ladew., Conington alii hunc locum sic interpretantur: Luna ita serena est, ut sua luce splendere, non a sole (a Phoebo *fratre*) eam mutuata esse videatur; quos equidem in summa rei sequor, non immemor Lucr. V, 575. *Lunaque sive notho fertur loca lumine lustrans, Sive sua proprio iactat de corpore lucem*, et Gellii VII, 17., qui, Adi. *obnoxius* explicaturus, hunc Verg. versum componit cum Sallust. loco (Cat. 23, 3.) *minari etiam ferro, ni sibi obnoxia foret*, et similibus. (Cf. etiam Drak. ad Liv. VII, 30, 2. et Kritz. ad Sall. Cat. 48, 5. Iug. 51, 3.). Mihi enim sensus hic videtur: Si luna clara luce fulgens, non pallida et lurida surgit, verecundia quadam et debiti quasi obsequii sensu fratris splendori cedens. Wagn. vero, aliter locum explicans putat, cum occidentis solis radii rutilent, hinc interdum Lunam fratri ita esse obnoxiam, ut ipsa rutilet sive rubicundum inde trahat colorem, cui tamen explicationi recte adversatur Ameis. l. modo l. p. 38. Ceterum poëta trag. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 190. hunc totum versum repetit. — 397. „Ex Arato ibid. v. 206. 207. [s. 939 sq. Bekk.] *vellera lanae*, nubeculas lanis similes, nostris hominibus *oviculas*, cum aliis intelligebam [ut etiam Wagn. et Ladew. explicant]; at illae sunt serenitatis nuntiae, ex poëtae autem sententia esse debet prognosticum instantis tempestatis; numerat enim inter ea, quae serenato caelo absunt: *Tenuia nec* —. Sunt ergo nubes per caelum sparsae, mox in densiorem nubem coiturae: Plin. XVIII, 35, 82. Lucr. VI, 503 sqq. [*veluti pendentia vellera lanae.*]" *Heyn.* Ceterum *tenuia* tribus syllabis pronuntiandum *tenvia*, ut apud Lucretium sexcenties. Cf. adnot. mea ad eius I, 874. Ut enim litera consonans *v* haud raro per diaeresin in vocalem *u* mutatur (*dissoluere, evoluisse, siluae* etc.), ita contra vocalis *u* saepe transit in consonam *v*, imprimis in hoc ipso vocabulo *tenuis* (cf. Geo. II, 121. 180. IV, 38., sicut etiam Aen. V, 432. et XII, 905. *Genua labant* etc.); eademque ratione interdum vocalem *i* in consonam *j* abire satis notum. Sic *abjete* Aen. II, 16. V, 663. VIII, 599. IX, 674. XI, 667.; *arjete* Aen. II, 492. VII, 175. XII, 706.; *arjetat* Aen. XI, 890.; *fluvjorum* Geo. I, 482.; *objice* Aen. VIII, 227. XI, 890.; *parjetibus* Geo. IV, 297. Aen. II, 442. V, 492. 589.; *stelljo* Geo. IV, 243. (ubi vid. adnott.); *consiljum* Hor. Od. III, 4, 41.; *principjum* III, 6, 6. etc. Cf. Schneider. Gr. Lat. I. p. 364 sq. Ramsh. §. 209 Not. 2. b. p. 1029. Iahn. ad Geo. IV, 243. Lachm. ad Lucr. II, 719. p. 115 sq. et adnot. nostra ad Aen. I, 2. — 399. Cf. Theocr. VII, 59. — *pinnas* pro *pennas* ex Cod. Med. a m. pr. et Rom. auctoritate cum recentissimis editoribus (praeter Wagn.) scripsimus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 465. et Ribbeck. Proleg. p. 441. — *alcyones*: Ita hic et III, 338. Medic., Rom. ceterique omnes, ut videtur, libri scripti; neque aliter umquam Romani poëtae hoc nomen videntur exarasse (cf. v. c. Ovid. Met. XI, 567. 746. Val. Fl. IV, 45. Senec. Agam. 680. etc.); quare Wagnero Vossium et Iahnium, alteri scripturae *halcyones* patrocinantes, deserenti adsentior. (Cf. etiam Lachmann. ad Lucr. III, 383. p. 165.) Verum est quidem, hanc avem nomen accepisse *ἀπὸ τοῦ ἐν ἁλὶ κύειν*, quia in mari nidificat; sed Auctor Lexici *περὶ πνευμ.*, quod adiunctum est Ammonio Valcken. p. 209., diserte negat, ullum vocabulum ab literis *ἁλ*, sequente *κ*, incipiens cum adspiratione esse scribendum; quod certe de Ionica dialecto valere videtur, quae multa voca-

Inmundi meminere sues iactare maniplos.
At nebulae magis iam petunt campoque recumbunt,
Solis et occasum servans de culmine summo
Nequiquam seros exercet noctua cantus.
Adparet liquido sublimis in aëre Nisus

---

bula ab Atticis adspirata dempta adspiratione pronuntiavit. Fuit autem Alcyone s. Halcyone Ceycis regis Trachinii uxor, quae, cum mariti naufragium passi corpus exanimum ad litus adnatans videret, ipsa se in mare praecipitavit; quo facto uterque coniux ob singularem amorem suum a Thetide in aves illas (*Eisvögel, Königsfischer*) mutatus est. Ita quidem hanc fabulam narrant Schol. Il. IX, 558. et Ovid. Met. XI, 268 sqq.; paullo aliter Apollod. I, 7, 3., ubi vid. Heyn. p. 41., Hygin. f. 63. Schol. Aristoph. Av. 251. Describunt has aves Aristot. h. an. IX, 15. (coll. cum V, 8, 2. 3. VIII, 5, 7.) et Plin. X, 23, 47.; quae, cum sereno caelo et tranquillo mari nidis incubantes non conspicerentur (unde eiusmodi dies *Alcyonii* vocati: cf. Colum. XI, 2, 21. ibique Schneid.), neque facile nisi sub Vergiliarum s. Pleiadum occasu et solstitio brumali, h. e. pluviali tempore, in conspectum venirent, ubi, mutationem aëris sentientes, alis expansis in litore apparebant, rusticis ingruentis tempestatis praesagium esse iure meritoque poterant. Cf. Aristot. h. an. V, 8. et Plin. X, 32, 87., iam ab Heyn. allati. Ut hic Thetidi (de qua vid. adnott. ad Aen. V, 825.), ita apud Theocr. VII, 59. Nereidibus dilectae vocantur: *Ἀλκυόνες γλαυκαῖς Νηρηΐσι ταῖτε μάλιστα Ὀρνίχων ἐφίλαθεν.* — **400.** De hoc signo instantis mutationis aëris satis noto Heyn. conferri iubet Plin. XVIII, 35, 88. *turpesque porci alienos sibi* (h. ipsis non factos) *manipulos foeni lacerantes. — non meminere*, quasi obliti, quod alias facere consueverunt; ut etiam nos: *sie dachten nicht daran zu* etc. Similiter adeo de re inanimata Lucr. IV, 154. *meminit levor praestare salutem.* Sues *manipulos* (foeni, graminis, straminis etc.) *iactant solutos*, i. e. ita, ut iactando solvantur. Vid. supra ad v. 320. adnott. Quare supervacanea est Peerlkampii (p. 132.) coni, *lutosos*. De syncope autem in forma *maniplus* (ut alibi haud raro in vocc. *periclum, vinclum, poclum, saeclum* etc., Aen. III, 166. etiam in voc. *circlus*) apparente vid. Wass. de Senario c. 12, Bentl. ad Ter. Eun. III, 2, 7. et Hecyr. III, 1, 1. Schneid. Gramm. Lat. I, 1. p. 172 sq. alii. — **401.** „Sequuntur ea, quae, cum adsunt, serenum caelum portendunt: subsidentes nebulae, noctuae cantus etc. Arat. ibid. 256 sqq. [s. 988 sqq. Bekk.] Plin. XVIII, 35, 83. *nebulae e montibus descendentes, aut caelo cadentes, vel in vallibus sidentes serenitatem promittunt.*" *Heyn.* Cf. etiam Aristot. Meteor. I, 9. Ut nebulae descendentes serenitatem, insurgentes pluviam afferunt. Cf. Ecl. VI, 38. — **402.** Cf. Arat. v. 267 sqq. s. 999 sqq. Bekk. et Plin. XVIII, 35, 87. *Sic noctua in imbre garrula* (praesagit serenitatem), *at sereno, tempestatem.* Noctua, avis ominosa, (cf. Unger de Valg. Rufo p. 12 sqq. et 462. quosque laudat viros doctos), quae vulgo cantu suo tempestatem indicat, nunc sedens in arboris cacumine, et solis occasum observans, *nequiquam seros exercet cantus*, assidue quidem canit, sed frustra, neque ululatu suo potest impedire, quominus serenitas redeat. Simplicius, sed minus probabiliter, *Wagn.*: „*nequidquam*, an, quia non auditur sero canens? ut Ecl. II, 4. *ibi haec incondita solus Montibus et silvis studio iactabat inani;*" quem tamen video in edit. min. mutata sententia locum nobiscum sic interpretari: „quasi quae cantu suo turbulentam tempestatem revocare velit." Schrader. coni. *nequaquam*, Wakef. cum Servio *nequidquam* pro *non* positum censet. De forma *nequiquam* vid. supra ad v. 96. — **404.** „Lusus lascivientium serenato aëre alitum declarat uno exemplo, sed mythico, quo odia inter cirin et haliaeetum celebrantur." *Heyn.* Infestissimi enim odii, quo hic illam persequitur, causam repetunt ex fabula antiqua satis nota. Scylla, Nisi, regis Megarensis, filia, purpureo patris capillo, a quo regni fatum pendebat, Minoi Cretensi, Megaras tunc oppugnanti, tradito patrem patriamque prodiderat; quapropter ipsa in cirin, pater in aquilam marinam mutatus est. Vid. carmen Ciris inscriptum, in quod v. 538—541. ex h. l. translati, Ovid. Met. VIII, 80 sqq.

Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo;
Quacumque illa levem fugiens secat aethera pinnis,
Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat aethera pinnis.
Tum liquidas corvi presso ter gutture voces
Aut quater ingeminant et saepe cubilibus altis,
Nescio qua praeter solitum dulcedine laeti,
Inter se in foliis strepitant; iuvat imbribus actis

Hygin. f. 198. Cf. etiam adnott. ad Ecl. VI, 74. — *liquidus* sollemne aëris puri, clari, limpidi epitheton. Cf. v. c. Aen. VII, 65. Hor. Od. II, 20, 2. Lucr. V, 213. 501. etc. Sic etiam apud Graecos ὑγρός, v. c. Parthen. 21. *πολλὰ δ' ἐς ὑγρὴν Ἥρα χεῖρας ἔτεινεν.* — Pro *sublimis* Ribbeck. etiam hic *sublimen*. Vid. supra ad v. 242. — 406. Verba *raptim secat aethera pinnis* hinc sumpsit poëta laud. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 139. — 407. *inimicus, atrox*. Heyn. aut (cum Burm., qui confert Sall. Cat. 19. in. *infestus inimicus* ibique Cort.) *inimicus* substantive accipiendum, aut potius *inimicus* (pro *inimice*) *insequitur* coniungendum esse censet; Wunderl. autem iungit *inimicus Nisus insequitur atrox*, i. e. atrociter, vehementer, *δεινὸς ὤν*, comparans Ecl. IX, 5. *victi tristes - - mittimus*, quod explicat: victi mittimus tristes, i. e. animo tristi. Sed ut ibi *victi, tristes* explicuimus: victi et propterea tristes, sive: tristes, quia victi sumus, ita etiam hic locus intelligendus (atrox, utpote inimicus), neque opus videtur, ut alterutrum Adjectivum pro Adverbio positum accipiamus; quamquam in eiusmodi locis Adiectivi et Adverbii notiones sibi quam maxime cognatas esse, quisque intelligit. De nomine Nisi Pronominis demonstr. loco iterato cf. adnott. ad Ecl. II, 33. et Aen. I, 741. Ceterum Reisk. vv. 407—409., qui cum v. 406. in Cirin translati, sine idonea causa spurios habuit. Causa enim, cur in paucis libris omissi sint, facile apparet. Decepti sunt librarii eodem v. 406. et 409. exitu. Similes aliorum poëtarum locos, artificiosam quandam membrorum concinnitatem et parilitatem referentes collegerunt Dissen ad Tibull. p. CLX. et ad IV, 2, 9. atque Gebauer de poët. etc. I. p. 63 sq. — 409. *raptim*, rapide, ut infra II, 427. — 410. „Ex Arato ibid. v. 271—277. (s. 1003 sqq. Bekk.) Cf. Lucret. V, 1077 sqq." *Heyn.* Vid. supra ad v. 381 sq. Ut rauca vox corvorum pluviam et turbidam tempestatem, ita clara et liquida, imprimis ter aut quater repetita, serenum caelum praenuntiat. — „*presso gutture*, coarctato, acuto cantu, clangore, *λιγαινομένοισιν ὁμοῖα.*" *Heyn.* — *cubilia alta* sunt nidi in (altis) arboribus facti. Sic Cic. N. D. II, 52, 129. *Iam gallinae avesque reliquae - - cubilia sibi nidosque construunt*, similiterque Caes. B. G. VI, 27. *alcibus arbores sunt pro cubilibus* atque Geo. IV, 45. et 243. de *apum* vel altero loco ex vulg. lectione de *blattarum cubilibus* sermo est. — 412. „*Χαίρειν κέ τις ᾠΐσσοιτο* Arat. v. 274. *dulcedine laeti*, h. e. voluptate, gaudio. Similis locus infra IV, 55." *Heyn.* Unus Menag. *dulcedine capti*, quod sane usitatius. Cf. Heins. ad Ovid. ex P. I, 3, 35. Ceterum verba *praeter solitum* voci *dulcedine* Adiectivi loco sunt addita pro *insolita*. — 413. *in foliis*. Praepositionem vulgo omissam ex optimis et plurimis Codd. cum Iahn. et Wagn. (quem etiam ceteri recentiores editores sequuntur) recepi. *Foliis strepitant* significaret: motis foliis strepitum excitant; quam explicationem vel additis verbis *inter se* respui, docet Wagn.; sed *in foliis* idem est quod *inter folia*, strepitant arborum foliis tecti, quo ob imbrem frequentes convenerunt. Non tamen reticendum, adversari Handium Turs. III. p. 400. his verbis: „At qui inter folia strepitant, strepitant etiam foliis motis. Sed *inter se* significat congregatos. Corvi igitur inter se convolant et strepitant foliis sive in foliis." — Verba *imbribus actis* vix aliter atque de fine pluviae intelligi possunt, sive cum Burmanno (qui adnot. suam ad Phaedr. I, 18. conferri iubet) et Coningtone explicas: imbribus exactis, finitis, sive cum Heynio: abactis, pulsis. Wunderl. tamen interpretatur: caelo actis, i. e. deiectis, coll. Geo. II, 334., atque etiam Keightl. ap. Coningt. censet,

Progeniem parvam dulcisque revisere nidos;
Haud equidem credo, quia sit divinitus illis
Ingenium aut rerum fato prudentia maior;

---

corvos iam pluvia incipiente domum rediisse, quare *revisere nidos* (i. e. rursus invisere, *wieder aufsuchen*) paullo artificiosius explicat per: examinare statum pullorum post tempestatem. Ceterum corvi pullos interdum per plures dies prorsus negligere dicuntur. — *progenies parva* pro pullis legitur etiam in Anth. Lat. Burm. I, 168, 9. Haud dubie hunc locum respexit Claud. II. Ruf. 266. sic scribens: *Quid nobis patriam, quid cara revisere tandem pignora dilectosque iuvat coluisse penates?* (ubi Peerlk. coll. v. 389. admodum probabiliter coni. *Quid nos bis.*) — 415. Peerlk. p. 133. sine iusta causa ante *credo* insertam vult Part. *ut.* — „Non hoc eos propterea facere videri ait, quia illis *divinitus* [i. e. divina cura, divino iussu] *sit ingenium*, h. e. ex Pythagoreorum, Platonicorum ac Stoicorum placitis *pars divinae mentis et haustus aetherii*, ut IV, 219. 220., ubi vide. [Inde nimirum illi divinandi et futura praenuntiandi facultatem deduxerunt.] Cf. Cic. Divin. I, 49, 110. et 53. pr." *Heyn.* Statius Theb. III, 482. incerto relinquit, utrum divinitus iis ingenita sit haec divinationis facultas, an animae hominum mortuorum in iis sedem figant, an denique aether purior, in quo vivant, sensus eorum acuat. Reisk. et Schrader., cum sequatur *prudentia maior*, coni. *divinius illis Ingenium*, quod etiam Heynio quam maxime arridet et fulciri quodammodo potest Horatii loco Sat. I, 4, 43. *Ingenium cui sit, cui mens divinior;* sed recte iam Wakef. ad Lucret. II, 180. illam coniecturam reiecit, quam etiam Ameis. Spic. p. 21. (non tamen argumentis ab omni parte veris: cf. Dietsch. Theol. Verg. p. 14 sq.) impugnat. — 416. Varie hunc locum explicant. Plerique (inter quos etiam Wagn. in min. edit., Ladew., Bryce, Conington et Dietsch. Theol. Verg. p. 15.) verba sic coniungunt et interpretantur: *rerum prudentia* (ut apud Cic. Sen. 21, 78. *futurorum prudentia*) *fato*, i. e. a fato data, *maior* sit illis, quam vulgo in hominibus aliisque animalibus esse solet; ut sibi opponantur *divinitus*, h. e. a numine aliquo, et *fato*, per fatum. Wakef., eandem amplexus explicationem, ordinem adeo verborum ita mutandum censuit: *aut fato rerum prudentia maior*. Rectius vero Voss., Manso et Iahn., quos sequor, locum cum Servio sic capiunt: quia sit illis *prudentia maior fato rerum*, h. e. quae fatum regere possit, cui fatum parere debeat. Et Voss. quidem non inepte comparat supra v. 388., ubi cornix imbrem non solum praevidere, sed *vocare* cantu dicatur, quasi ille vocem eius sequi debeat. Iuvatur autem haec interpretandi ratio et ordine verborum, et ipsa sententia (quae aliter intelligenda admodum ambigue esset expressa), et usu loquendi, cum *rerum fatum* (i. e. quod omnes res regit, a quo omnes res pendent) etiam alibi, v. c. Flor. II, 16, 4., legatur, *rerum* autem *prudentia*, quae plurimis hominibus et haud paucis animalibus inest, hic ut parum langueat. Quod autem contendit Wunderl., huic interpretationi obstare divisionem per Particulam *aut*, id nihil omnino probat. Nam „unum *aut* (verba sunt Handii in Tursell. I. p. 539.) ponitur etiam, ubi notioni alicui alia distinctior substituitur, vel ubi quae generaliter, aut non satis accurate dicta videntur, strictiori verbo exprimuntur, vel ubi is, qui loquitur, se corrigit et rem exactius definit. Vid. Cort. ad Plin. Ep. I, 10, 4. Nos dicimus *oder vielmehr, oder genau genommen;*" quod huic loco multo melius convenire puto, quam ieiunam illam et insolitam *deorum* et *fati* oppositionem, quam etiam Ameis Spic. p. 21. statuit, qui tamen nobiscum coniungit verba *rerum fato*, ad *prudentia maior* vero supplet „quam vulgo animalium esse solet." Sed si Vergilius vere de hac oppositione cogitasset, haud dubie verba sic collocasset: *aut fato rerum prud. maior*, quo etiam clarius significasset verba *rerum prudentia* esse coniungenda. Si enim Dietsch. l. l., nostram interpretationem impugnans scribit: „Neque video, cur tum Genitivus praepositus sit, quasi *rerum fatum* ab aliis fatis distinguendum sit," nos eodem iure quaerere possumus: Si Vergilius verba *rerum prudentia* coniungi voluit, cur ea voc. *fato* inserto ambigua ratione disiunxit? (Video mecum consentire Binderum, qui versum sic transtulit: *Oder*

Verum, ubi tempestas et caeli mobilis humor
Mutavere vias et Iuppiter uvidus austris
Denset, erant quae rara modo, et, quae densa, relaxat,
Vertuntur species animorum et pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille avium concentus in agris
Et laetae pecudes et ovantes gutture corvi.
Si vero solem ad rapidum lunasque sequentis

---

ihr Blick rag' über des Schicksals eisernes Walten.) Peerlk. sane coniectura sua *et rerum tanto prud. maior* nodum simpliciter concidit. Ceterum de *fati* notione apud Vergilium cf. Aldenhoven *Ueber den Vergilischen Fatalismus*. Ratzeburgi 1850. et Dietschii Theol. Verg. p. 11 sqq. — **417—423.** Vergilius physicam potius illius rei causam profert. Aëris, inquit, mutatio, qui modo densatur, modo rarefit et extenuatur, etiam in animis avium mutationem aliquam efficit, quam cantu suo, aut rauco, aut liquido, produnt. — **417.** Simplicissima ratio videtur, ut per *tempestatem* ventos indicari putemus, quibus mutatis etiam nubes (*caeli mobilis humor*) alio, atque antea, aguntur (*mutant vias.*) Cf. Lucr. II, 128. *Multa videbis - - Commutare viam.* Prius *vias* pro habitu, indole, natura positas habui, ut apud Prop. V, (IV,) 1, 107. *Adspicienda via est caeli*, i. e. quae sit ratio et conditio aëris,) et al. Markland. ad Stat. Silv. V, 2, 152. maluit *mutavere vices*, quam coniecturam unus Cod. Arundel. iuvat et Ribbeck. adeo in contextu exhibet. Sed vulgatam bene defenderunt Heyn. et Schirach. p. 630. — *Iuppiter*, rex caeli et aëris, haud raro pro ipso aëre ponitur. Cf. adnott. ad Ecl. VII, 60. et infra ad Geo. II, 419. Is dicitur *uvidus austris*, qui sunt auctores pluviae, ut saepe *Iupiter pluvius* (Ἰκμαῖος). Ameis Spicil. p. 22. potius coniungit verba *austris densat*. *Uvidus* autem est Cod. Medic. lectio; ceteri libri *humidus* vel *umidus* exhibent. Constat autem voces *uvidus* et *uvens* in Codd. saepissime in *humidus* et *humens* esse mutatas. (Cf. Gronov. Diatr. c. 24. Heins. ad Ovid. Am. III, 5, 6. Brouckh. ad Tibull. I, 9, 37. Drak. ad Sil. It. IX, 30. Orell. ad Hor. Od. I, 5, 14. alii); quam rem Wagn. iure repetit a vetere scribendi ratione, adspirationem in voc. *humidus* respuente, qua facillime *uvidus* in *umidus* transire potuerit. De discrimine utriusque vocis cf. Wagner ad h. l. et Doederlein. Syn. II. p. 12. *Uvidum*, *udum*, (*das Nasse*) certe gravius esse, quam *humidum*, (*das Feuchte*), aperte docet locus Sen. N. Q. II, 25. *Dicis nubes attritas edere ignem, cum sint humidae, imo udae.* Ceterum ut hic *Iuppiter uvidus Austris*, ita Hor. Epod. X, 19. *uvidus Notus* commemoratur. — **419.** *denset* Med. a m. pr. et meliorum Codd. est lectio, quam etiam Priscian. VIII, 95. p. 838. P. Eutych. II, 14. et Serv. ad Aen. V, 20. tuentur et quam nunc cum recentissimis editoribus praeter Wagnerum recepi, cum quo antea „non sine aliqua cunctatione" *densat* edideram, quod ille etiam in Philol. Suppl. I. p. 372. defendit. Alia res est supra v. 248., ubi Med. lectioni *densentur* patrocinatur. (Cf. ibi adnott.) Ceterum *denset - - et, quae densa, relaxat* i. q. modo denset s. cogit, modo relaxat s. dispellit nubila, ut Part. *et* hic non coniungendi, sed disiungendi vim habeat, qua de re diximus infra ad v. 442. — **420.** *species*, habitus, indoles; *vertuntur* autem, dum modo tristes, modo laeti fiunt animi. — **421.** *alios, dum* pro: alios concipiebant, dum. Sic verba *alios, dum n. v. agebat* quasi pro parenthesi habenda sunt. Similem locum iam supra legimus v. 77., ubi vid. adnott. — **423.** *ovantes gutture*, h. e. laetantes cantu, laetam vocem edentes. Vid. supra ad v. 346. Cf. auct. Halieut. in Wernsd. Poët. L. min. I, 185, 104. *et ovantes gutture cancri.* — **424.** „Ad praesagia e lunae phasibus et iis, quae in solis specie apparent, progreditur. Iis enim observatis, sequentis diei tempestatem ac caelum facile praedisci posse, etiamsi noctis serenitas aliud promittere videatur." *Heyn.* Iubet enim poëta orientis lunae faciem primis potissimum a novilunio, quod dicunt, noctibus observare. — *solem rapidum.* Cf. Ecl. II, 10. *rapidum aestum* ibique adnott. — *lunae ordine*, i. e. dein-

Ordine respicies, numquam te crastina fallet
Hora neque insidiis noctis capiere serenae.
Luna, revertentes cum primum colligit ignis,
Si nigrum obscuro conprenderit aëra cornu,
Maxumus agricolis pelagoque parabitur imber;
At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit; vento semper rubet aurea Phoebe.

---

ceps et certa quadam ratione, iusto quodam ordine (cf. infra IV, 537.), *sequentes* sunt phases s. mutationes lunae, non noctes diem sequentes, ut Donatus interpretatur, recte a Servio reprehensus. — 426. Cf. Aen. V, 851. *caeli toties deceptus fraude sereni* et Aratus Diosem. 46 sq., ex quo Maronem haec petiisse iam Heyn. adnotat. — *hora*, tempus, h. l. dies. Apud Ovid. Art. I, 250. *illa hora* de nocte dicitur. — *insidiis noctis serenae*, noctis, quae licet initio serenam se exhibet, pluvio tamen exitu est. *Insidiae* igitur sunt fallaces species (*täuschende Vorspiegelungen*), ut recte explicat Ameis. Spicil. p. 22. Ceterum cf. Aen. V, 851. — 427. Sermo est de tertia lunae phasi, ut infra v. 432. de quarta. Luna renascens si obscura fuerit, est praesagium pluviae; si rubicunda, venti. Manso laudat nescio cuius versum illum: *Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat*, et Voss. conferri iubet Plin. XVIII, 35, 79. — *revertentes - - cornu*; cum luna renascens cornua reparat, cornua denuo formare incipit. — *colligit ignes*. Cf. Lucan. I, 157. *sparsosque recolligit ignes*. — 428. Cf. Arat. 804. — *Si obscuro cornu*, non clara luce fulgente, *nigrum conprenderit* (complexa fuerit) *aëra* nihil aliud est, quam si nigro aëre novae lunae cornu obscuratum fuerit. Videtur igitur de illo phaenomeno sermo esse, quod Graece ἅλως et a Seneca N. Qu. I, 2, 1. 3. *corona* s. *alea lunae* dicitur; (nos: *wenn der Mond einen Hof hat.*) — *comprehendere* enim, quod proprie de eo tantum caeli spatio dici potest, quod est inter ipsa cornua, hic ad aërem omnino videtur transferri, qui lunam circumdat. *Niger* autem non semper respondet nostro *schwarz*, sed etiam idem significat, quod obscurus, nubilus, caliginosus, *dunkel*. Aen. V, 696. *imber densis nigerrimus austris*. Ovid. Met. X, 449. *nigrae nubes*. Geo. IV, 126. *fluvius niger* etc. Cf. etiam quae ad Ecl. II, 16. VI, 54. Geo. II, 258. et alibi adnotavimus. — 429. *pelago*, cum praecedant *agricolae*, pro nautis positum esse patet. — 430. Cf. Arat. 803. *virgineum ruborem* admodum bene dicit, Lunam s. Phoeben deam respiciens, quae postea quidem una eademque fuit cum Diana. *Rubor* de sideris alicuius rutilo splendore legitur etiam apud Val. Fl. VIII, 58. *Quis rubor iste poli? quod tam lugubre refulsit Sidus?* — *suffundi* autem *rubore* sollemnis locutio. Cf. v. c. Ovid. Met. I, 483. Am. III, 3, 5. Manil. V, 711. Liv. XXX, 15. Plin. Pan. 2. extr. etc.; et *suffuderit ore* (omissa Praepositione *in:* cf. adnott. ad Geo. III, 439. et Aen. VI, 187.) *ruborum* per inversionem poëtis satis usitatam (cf. Geo. II, 302. 390. III, 140. 399. IV, 115. 416. etc.) dictum est pro vulgari: *suffuderit os s. ora rubore* (de qua dictione cf. Drak. ad Sil. XI, 219. et Burm. ad Claud. XVII, 219.); quare non opus est, ut cum Vossio aut *ore* ex uno fragm. Moret. mutemus in *ora* (Accusativum remotioris, quem vocant, Obiecti), aut *ore* obsoletam habeamus Dativi formam, ut in illo Plauti epitaphio apud Gellium I, 84. *Postquam est morte datus Plautus, comoedia luget*, de qua cf. Schneider. Gramm. Lat. II, 1. p. 200. sqq. Wagn., comparans alios locos, ubi nudus Ablativus ad illustrandum modo rei imaginem adiectus sit, ut Geo. III, 439. Aen. III, 659. VI, 187., paullo subtilius explicat: „ita suffuderit, ut in ore eius cernatur rubor." Cf. quae Ameis Spicil. p. 22 sq., in explicando loco mecum consentiens, contra Wagn. docte disputat. — 431. *semper* h. l., ut Graecum *ἀεί*, de eo, quod fieri solet; nostrum *jedesmal, allemal*: quoties ventus instat, rubet luna. Vid. adnott. ad Ecl. I, 53. — *Phoebe* proprie fuit Titanis s. Urani et Gaeae filia, Asteriae et Letus ex Coeo fratre mater (Hesiod. Theog. 136. Apollod. I, 1, 3. I, 2, 2.); sed postquam Helios, cum Apolline confusus, Phoebi nomen accepit, soror eius Selene, Luna dea, Phoebes cogno-

Sin ortu quarto — namque is certissimus auctor
Pura neque obtunsis per caelum cornibus ibit,
Totus et ille dies et qui nascentur ab illo
Exactum ad mensem pluvia ventisque carebunt,
Votaque servati solvent in litore nautae
Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae.
Sol quoque et exoriens et cum se condet in undas,
Signa dabit; solem certissima signa sequuntur,

---

mine appellata, idque etiam ad Dianam translatum est. Cf. v. c. Aen. X, 215. Ovid. Met. I, 376. Am. III, 2. 51. Val. Fl. V, 366. — *aurea*: vid. supra ad v. 232. — **432—437.** „Quarta dies a nova luna si pura nitore fulserit, serenitatem per totum mensem portendit. Respicit h. l. Plin. XVIII, 35, 79. Ex multis, quae de luna tradit Aratus Diosem. 51—55. et 69—72. [s. 783 sqq. Bekk.], haec selegit poëta." *Heyn.* — *ortu quarto*, i. e. nocte quarta, ut Hor. Od. IV, 2, 58. *Tertium Lunae referentis ortum.* Sic etiam de die: Aen. IV, 118. *crastinus ortus* et alibi. — *auctor*, qui pollicetur, vaticinatur, h. l. praesagit. — **433.** *obtunsis.* Vid. supra ad v. 395. Ceterum etiam Aratus et Plinius ll. cc. cornua lunae brevia, crassa, obtusa, s. in cuspidem non exeuntia, horrendam tempestatem et imbrem portendere perhibent. — **436** sq. Tum secunda erit navigatio. — *Vota-- solvent in litore nautae.* Nautae enim, portum feliciter ingressi, diis marinis non solum sacra offerre, verum etiam alia dona, inscriptionibus ornata, ex votis dedicare solebant: quo plura Anthologiae Graecae et Latinae epigrammata spectant. Cf. etiam Aen. XII, 764. — **437.** „Parthenii versum esse, ex Macrob. V, 17. et Gell. XIII, 26. novimus: *Γλαύκῳ καὶ Νηρῇϊ καὶ Ἰνοῖ Μελικέρτῃ*, seu, ut Gellius laudat, sed ex interpolatione, *Εἰναλίῳ Μελικέρτῃ*. Est autem metrum versus: *Glauco | et Pano | peae et | In.*" *Heyn.* Cf. Meinekii Anal. Alex. p. 285. a Wold. Ribbeckio laud. Servavit enim Vergilius Graecam versus metiendi rationem, duplici hiatu admisso et diphthongo ante sequentem vocalem correpta; qua de re cf. adnott. ad Ecl. I, 52. ad Geo. I, 281. 331. etc. Ceterum eodem versu incipit Callimachi epigr. XV. (Anthol. Gr. Iacobs. T. III. p. 24., ad quod cf. Dorvill. T. IX. p. 421 sq.) Wagn. tamen (Qu. Virg. XI, 3.), cum Vergilius longam syllabam in thesi, hiatu admisso, nusquam produxerit (cf. adnott. ad Ecl. II, 53.), Copula autem *que*, in Codd. per simplex *q* scripta, hic facillime excidere potuerit, praecedentibus duabus ipsi *Q* similibus literis *C* et *O*, Vergilium *Glaucoque* scripsisse putat; quam coniecturam probat Iahn. ad Geo. II, 144. p. 414. edit. II. Ceterum cf. etiam Bach. de lugubri Graec. elegia II. p. 36. (ab Iahnio hic laud.) Qui hic commemorantur dii marini, eodem modo coniunguntur Aen. V, 823. *Glaucus* autem piscator fuerat Boeoticus, Anthedone natus, cui herba aliqua comesa cupido iniecta in mare se praecipitandi, quo facto in deum marinum mutatus est. (Cf. Athen. VII, 12. Ovid. Met. XIII, 898 sq. alii et Baumstark in Pauly *Realencycl.* III. p. 884 sqq.) — *Panope* (*Πανόπη*, *Πανόπεια*), una ex Nereidibus s. quinquaginta Nerei et Doridis filiabus, quarum nomina referunt Hom. Il. XVIII, 39 sqq. Hesiod. Theog. 243 sq. Apollod. I, 2, 6. et Hygin. praef. De Panopea cf. Aen. V, 240. — *Melicertes* s. Melicerta, Athamantis et Inus filius, Cadmi nepos, cum quo mater, furentem maritum fugiens, in mare se proiecit; a quo inde tempore uterque in deorum marinorum numerum relatus, a Graecis Leucotheae et Palaemonis, a Romanis Albuneae et Portumni nomine divino cultu afficiebantur. (Cf. Apollod. I, 9, 1. Hygin. f. 1. Ovid. Met. IV, 518 sqq.) — **438—440.** Ex Arati Diosem. 87 sqq. s. 819 sqq. Bekk. Sol quoque et oriens et occidens prognostica dat futurae tempestatis. Heyn. conferri iubet Plin. XVIII, 35, 78. — *Se condet* Iahn. et Wagn. ex Medic. reduxerunt loco vulgati *se condit* (quod praeter alios Wakef. ad Lucr. IV, 435. defendit): „nam Participium Praes. *exoriens* ex adiecto verbo finito *dabit* explicandum: *cum orietur*: cf. v. 458. *At si, cum referetque diem, condetque relatum Lucidus orbis eris.*" Ita

Et quae mane refert et quae surgentibus astris.
Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem medioque refugerit orbe,
Suspecti tibi sint imbres; namque urguet ab alto
Arboribusque satisque Notus pecorique sinister.
Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
Diversi rumpent radii aut ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile,

---

rectissime Wagn. Qu. Virg. VI, 5. p. 394. — 440. *refert* Heyn. iterum explicat per simplex fert, dat. Sed vide adnott. ad v. 339. — *surgentibus astris.* Cf. Aen. IV, 352. — 441. Sequuntur orientis solis praesagia. Cf. Arat. 90. s. 822. Bekk. „Sol oriens si maculosus, nubibus obductus, ab exteriore tantum sui parte conspicuus et quasi concavus est, imber portenditur. Plin. l. c. *Concavus* (sol) *oriens pluvias praedicit; idem ventos, cum ante exorientem eum nubes rubescunt; quod si et nigrae rubentibus intervenerint, et pluvias.*" *Heyn.* — *Ille ubi.* Ribbeck. hic, infra v. 455. et III, 441. e Cod. Gud. a m. pr. edidit *ube*, ut Geo. III, 332. Aen. XII, 441. 523. et 908. ex Cod. Pal. recepit *sicube*, dum infra v. 446. et alibi vulgarem formam retinuit. Cf. Ritschel. in Mus. Rhen. VIII. p. 448 sqq. et Ribbeck. ipse in Iahnii Nov. Annal. phil. LXXV. p. 307. et in Proleg. ad Verg. p. 451. — *nascentem - - ortum* Wakef. et Bergstraesser. cum Parrhas. et ed. Ven. sine idonea causa in *nascentem orbem*, et v. sequ. *medioque - - orbe* ex coni. in *medioque - - ortu* mutatum voluerunt; Burm. autem et Heyn., quibus haec mutatio valde arridet, apud Ovid. Fast. III, 353. Calpurn. Ecl. IX, 75. Lucan. IX, 9. Prisc. Perieg. 43. Horat. Od. IV, 2, 58. (ubi vid. Bentl.) eandem varietatem inveniri commemorant. Sed verba *nascentem ortum* per licentiam poëticam pro: nascentem in ortu, ut in primo ortu s. nascens conspicitur maculis infectus, posita (cf. adnott. ad Ecl. VIII, 17.), eadem ratione explicanda, qua v. 432. *quarto ortu.* Corruptam autem duorum librorum lectionem a versu sequente originem habere, nemo non videt. — 442. Verba *medioque refugerit orbe* nihil aliud significare videntur, quam Plinii *sol concavus*, h. e. ita *oriens*, ut exterior modo eius pars clare fulgeat, interior autem, medius orbis, nubibus sit obtecta. Cf. praeter Arati et Plinii ll. ll. ille etiam v. 122. sive 854. Bekker. Quare non duo et diversa, sed unum idemque prognosticon hoc et praecedente versu describi, et mutationem ab Heynio propositam, *mediove*, prorsus reiiciendam puto; qua ne tum quidem opus esset, si vere duo prognostica discernerentur, cum constet, haud raro etiam in sententiis disiunctivis, ubi proprie *ve* locum habet, inveniri Particulam *que*, omninoque simplicem Copulam etiam distinguendis rebus inservire. Vid. v. c. supra v. 419. Geo. II, 87. 351. 399. 503. III, 121 sq. Aen. II, 37. III, 459. V, 52. 784. X, 112. 707. etc. et cf. praeter Iahn. ad h. l., ad Aen. II, 37. et Hor. Sat. II, 3, 137. Walch. Emendatt. Livv. p. 53 sq. idemque ad Tac. Agr. p. 200. Kritz. ad Sall. Cat. 8, 1. Wagn. Qu. Virg. XXXIV, 1. et XXXVI, 10. Hand. Turs. II. p. 494 sqq. et quos Obbar. laudat ad Hor. Ep. I, 8, 5. Fasc. V. p. 2. — 443. *Suspecti tibi sint imbres*, tunc iure suspiceris imbres futuros. — *urguet* intransitive pro imminet, instat, ingruit, ut infra III, 200. IV, 290. et alibi. Cf. etiam Ecl. I, 45. Geo. I, 163. 333. Aen. I, 234. II, 229. etc. ibique adnott. — *ab alto*, ex mari. Vid. supra ad v. 324. — 444. *sinister*, perniciosus, noxius; ut apud Prop. IV, 25, 12. (III, 23, 32.) *Et veniat formae ruga sinistra tuae.* Cf. etiam Aen. X, 110. — 445. Cf. Arat. 97 sq. 829 sq. Bekk. et Plin. XVIII, 35, 78. *Si in exortu sol longe radios per nubes porriget et medius erit inanis, pluviam significabit.* — *sub* hic non significat *statim post*, ut supra v. 340., sed potius *brevi ante.* Utramque enim significationem ei inesse constat. Cf. Ruddim. Inst. II. p. 326. — 446. *sese Diversi rumpent*, singuli, rari, in diversas partes e nubibus erumpent. Ita *se rumpere* pro erumpere legitur etiam Aen. XI, 548. *tantus se nubibus imber ruperat; rumpi* autem Geo. III, 428. et *se erumpere* Geo. IV, 368. — 446. Pallida orientis solis luce grando vehemens exspectanda erit. — V. 447., qui iteratur Aen. IV.

Heu male tum mitis defendet pampinus uvas:
Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
Hoc etiam, emenso cum iam decedit Olympo, 450
Profuerit meminisse magis; nam saepe videmus
Ipsius in voltu varios errare colores:

---

585. et IX, 460., ex Hom. Il. XI, 1. vel Od. V, 1. translatus: *Ἠὼς δ' ἐκ λεχέων παρ' ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο Ὄρνυτο. Aurora*, quae in extremo orbis terrarum margine, post Colchidem, iuxta Solis domicilium aedes suas habebat et cursum per caelum quotidie ante illum conficiebat, *Tithonum*, pulcherrimum iuvenem, Laomedontis, Troiani regis, filium, rapuerat, ex quo Memnona et Emathiona peperit. Cf. Hom. Il. XX, 237. Hesiod. Theog. 984. Apollod. III, 12, 3. Voss. ad h. l. et Hermann. de mythol. p. XXII. — *croceum cubile*. Hoc epitheton secundum Voss. non respicit aurorae vel solis orientis rutilum colorem; sed apud Homerum deae omnes aut purpureis aut croceis apparent vestibus indutae, quia hi colores omnium, quos veteres noverunt, erant pretiosissimi. Cf. Vossii Epist. mythol. II, 9. *Ἠὼς κροκόπεπλος* apud Homerum legitur Il. VIII, 1. XIX, 1. XXIII, 227. XXIV, 695. etc.; sed eodem epitheto apud Hesiod. Theog. 273. Enyo, et v. 358. Telestho Nympha ornatur, et apud Catull. LXVIII, 134. *Cupido Fulgebat crocina candidus in tunica*. — 448. Uvae sub foliorum tegmine non tutae erunt a grandine. — *male*. Vid. supra ad v. 360. — *mitis* est Accus. cum *uvas* coniungendus. Imitatur hunc locum Calpurn. X, 37. *Tum primum laetas ostendit pampinus uvas*. — 449. *Tam multa*. Ter. Maur. p. 1240. et Nonius p. 208, 7. *Quam multa*, quod ferri potest, sed iure Ribbeck. Proleg. p. 207. *tam* praefert. *Salire*, quod Heyn. simpliciter pro *cadere* positum censet, potius de grandine a tectis resiliente et rursus in ea recidente intelligendum, quod etiam indicare videtur epitheton *horrida*, i. e. exsultim ludens, ita ut tecta campo erectis aristis horrenti quodammodo comparari possint. Cf. quae supra ad. v. 151. adnotavimus. Non autem haerendum est in duplici epitheto *multa horrida* sine Copula adiecto, quorum alterum (ut Iahnii verbis utar ad Geo. I, 320. adscriptis, ubi longiorem de tota hac re invenimus disputationem) signum nominis internum (qualitatem ipsi rei inhaerentem), alterum notam aliunde assumptam, et hic quidem numerum, ut alibi tempus, locum, gradum et similia, significet. Vid. imprimis Ecl. II, 36. III, 71. Aen. II, 364. III, 106. IV, 199. V, 404. VI, 81. 299. 355. VII, 32. 198. 228. XII, 328. cett. Praeterea cf. quae observarunt Drakenb. ad Liv. I, 14, 7. Oudend. ad Suet. Ner. 37. Cort. ad Lucan. II, 207. Bentl. ad Hor. Od. I, 4, 17. Weichert. Ep. crit. p. 52 sq. idemque ad Val. Fl. VIII, 404. Bach. ad Tibull. III, 5, 22. et ad Ovid. Met. VII, 272. Kritz. ad Sall. Iug. 30, 3. alii. Ceterum ipsos versus numeros imitari strepitum grandinis tecta ferientis, vere docet Voss., comparans eum cum Aen. VIII, 596. *Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum*. — 450—453. Occidentis solis praesagia, quae Aratus v. 158. s. 890. Bekk. certiora etiam, quam orientis, censet. Solis enim orbe nubibus obducto sub occasum, si nigrae sunt nubes, pluviae, sin rutilae, venti denuntiantur. — 450. *etiam* cum verbis *magis profuerit* coniungendum. — *cum iam* (sol) *decedit emenso Olympo*. Ita pro vulg. *decedet* ex Medic., Ald. III. aliisque bonis libris, quibus adsentiri videtur Rottend. corrupta lect. *descendit*, Wagn. (quem omnes recentiores secuti sunt) edidit, qui docet, Particulas *ubi iam, cum iam*, ubi significetur, modo futurum esse aliquid, cum Praesente iungi (ut supra v. 208 sq. Geo. III, 303. 336. Geo. IV, 401., neque aliter *cum nondum* Geo. II, 321., et *dum mox* Geo. III, 296.), contra vero Futurum adiici, ubi certum quoddam, sed remotius, tempus respiciatur, ut Aen. XII, 821. De confusione autem verborum *decedere* et *descendere* in eiusmodi locis cf. Orell. ad Hor. Epist. I, 16, 7. — *Olympus* pro caelo. Vid. ad Ecl. V, 56. — 452—455. Cf. Arat. Dios. 102—107. s. 834—839. Bekker. Respexit hunc locum auctor epit. Iliad. 107. *Interea sol immenso* (?) *decedit Olympo*. — *errare* i. q. inconstanter se movere et miscere, ut e seqq. patet, non solum pro *esse* positum, ut Heyn. censet.

Caeruleus pluviam denuntiat, igneus Euros;
Sin maculae incipient rutilo inmiscerier igni,
Omnia tum pariter vento nimbisque videbis
Fervere. Non illa quisquam me nocte per altum
Ire neque ab terra moveat convellere funem.
At si, cum referetque diem condetque relatum,
Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis
Et claro silvas cernes Aquilone moveri.

---

453. *pluviam denuntiat.* Sic Lucil. Aetnae v. 233. (Wernsd. Poët. L. min. IV. p. 137.) *denuntiet imbres.* — *Euros* potest quidem pro ventis omnino positum accipi; erat tamen Eurus, utpote plerumque cum vehementibus imbribus coniunctus, et Graecis et Romanis imprimis invisus. Voss. conferri iubet Epist. myth. a se conscript. I, 35. — 454. Sin mixtae sunt nigrae et rutilae nubes, ventus cum imbribus denuntiatur. — *incipient.* Alii *incipiunt*, minus bene, cum sequatur *videbis.* Cf. v. c. supra v. 438. Geo. II, 202. ibique adnott. Aen. II, 709. IX, 299. Ecl. V, 76. et Wagn. Qu. Virg. VI, 5. — *inmiscerier.* De paragoge Infinitivi Passivi cf. Ruddim. I. p. 284. not. 99. Ramsh. §. 62. 5. h. alii. Ex Vergilio huc pertinent v. c. Aen. IV. 493. *accingier* (ubi vid. Serv.) et XI, 242. *farier*, ex Ennio Trag. fr. 6. p. 134. Vahl. *argutarier* etc. Lucretii aliquot exempla congessi ad eius I, 396. — 455. *tum* Wagnero teste (Qu. Virg. XXV, 5. p. 496.) exhibent Medic., Rom., Serv. Dresd. et uterque Lips.; neque constat, unde vulg. *tunc* illatum sit. Cf. adnott. ad Ecl. III, 10. — 456. *Fervere*, quod dicitur de quavis vehementiore agitatione, ut iam supra v. 327. de mari usurpatum vidimus, ita hic etiam ad aërem transfertur, per quem venti et nimbi quaqua versus fervent. De antiquiore autem forma *fervĕre* pro fervĕre, quae legitur infra v. 471. Aen. IV, 409. 567. VIII, 677. IX, 693. Lucr. II, 41. Lucil. apud Quinct. Inst. I, 6. et ap. Nonium X, 1. Ter. Ad. IV, 1, 17. Prop. II, 7, 20. etc., cf. Barth. Advers. LVI, 9. Spalding. ad Quinct. l. l., adnot. mea ad Lucr. V, 1093. Thiel. ad Aen. IX, 693. Ruddim. I. p. 219. not. 80. Struve *Ueber d. lat. Decl. u. Conj.* p. 189. alii. Vid. etiam quae de forma *stridĕre* ad Geo. IV, 262. et 556. et de v. *fulgĕre* ad Aen. VI, 827. adnotavimus. — *non illa quisquam* etc. Sensus est: tum nemo (pro quo fortius *non quisquam*, ut Aen. III, 140. et saepe) audeat navem solvere et fluctibus se committere, quod eleganter ad se ipsum refert poëta. Heyn. conferri iubet similes locos Geo. II, 315. *Nec tibi - - quisquam persuadeat* etc. III, 435. *Ne mihi tum molles* etc. et e Graecis Aratum Phaen. 287. 413. al. Longin. c. 26. (ibique Morum.) Callim. in Dian. 175. et Nicand. Ther. 124. — 457. *ab terra* cum Voss., Iahn. et Wagn. ex Val. Probo (Art. Gramm. I. p. 1411. Putsch.) revocavi, cum etiam Med. corrupta lectione *at terra* huic emendationi favere videatur. Cf. adnott. ad Ecl. VII, 6. et Geo. I, 171. Ribbeck., Bryce et Coningt. retinuerunt vulg. *a.* — Pro vulg. *moneat* cum Hauptio, Ladew. et Ribbeckio recepimus Cod. Med. a m. pr. (et Ms. Bosii ap. Cort. ad Lucan. I, 631.) lectionem *moveat*, quam etiam Peerlk. p. 375. tamquam fortiorem praeferendam censet. Wagn., Bryce et Coningt. servarunt *moneat*, quod ille etiam in Philol. Suppl. I. p. 313. defendit. De constructione cum Infin. vide quae supra ad v. 280. et ad Aen. I, 527. adnotavimus. — *funem*, retinaculum, ut Aen. III, 266. — 458—460. „Si et mane et vespere sol purus erit ac serenus, certum id serenitatis pignus puta; flante aquilone, qui serenat caelum. Plin. XVIII, 35, 76. *Si et occidet pridie serenus et oritur, tanto certior fides serenitatis.* Arat. Dios. 93—95. 126—129. [s. 825—27. 858—861. Bekk.]" *Heyn.* — 458. *referetque condetque.* Cf. adnott. ad Geo. I, 52. et 118. — 460. *Aquilo*, si aestate spirat, nebulas fugat et serenat caelum; quare Romanis gratissimus erat. Cf. Hor. Od. IV, 12. in., ubi *animae Thraciae* i. q. Aquilo. Inde etiam epith. *clarus* ei tribuitur, ut ab Horatio Od. I, 7, 15. *Notus* et Od. III, 37, 19. *Iapyx* eadem de causa *albi*, Favonii autem ab eodem Od. III, 7, 1. *candidi* vocantur, contra vero Geo. III, 278. *nigerrimus Auster*, Hor. Epod. X, 5. *niger Eurus*, Od. I, 5,

Denique quid vesper serus vehat, unde serenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster,
Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum
Audeat? Ille etiam caecos instare tumultus
Saepe monet fraudemque et operta tumescere bella. 465

---

7. *nigri venti* commemorantur. — **461—463.** „Verbo, ex sole praesagia omnino petimus certissima, quae circa vesperam caeli facies, serena an nubila, futura sit; a qua caeli parte ventus nubes dispellens aut adducens pluvias venturus sit.“ *Heyn.* — *Quid vesper serus vehat.* Secundum Gellium XIII, 11. et Macrob. Sat. I, 7. proverbium erat Romanorum: *nescis, quid vesper serus vehat*, quod Varro inscripsit uni Satirarum Menipp. Unde patet, reiiciendam esse Med. et Rom. lectionem *ferat*. — *unde*, a qua caeli parte. — *serenas nubes*, nullam pluviam afferentes. Reisk. pro *serenas Ventus* correxit *serenans Eurus* et Schrader. *serenus Eurus*, ut *humido Austro* oppositus sit. Sed rectissime adversatur Iahn., qui docet plures esse ventos, qui serenum caelum efficiant, neque *Eurum* et *Austrum*, sed epitheta *serenus* et *humidus* sibi esse opposita. (Ribbeck. adnotat, ut Reiskio et Schradero satis fiat, *serenas* etiam pro Participio haberi posse, cuius literam *n* haud raro in Codd. omitti docet in Proleg. p. 435. coll. Schmitzio in Mus. Rhen. X. p. 113. et Corssenio de pron. I. p. 97.) — **461.** „*quid cogitet Auster*, praeclare; etenim deus et facies eius exhibebatur ab artificibus truculenta, minax, superciliosa. Omnino autem poterat poëta vento personam induere, quod sexcenties fit. *Quodcunque minabitur Eurus* quis non ex Horatio [Od. I, 28, 35.] meminit?“ *Heyn.* Similiter apud eundem Od. IV, 14, 25 sqq. *Aufidus* - - *Diluviem meditatur agris.* Plerumque pluviam adduxit *Auster*, unde hic *humidus* et infra III, 278. *nigerrimus*, IV, 261. autem *frigidus* vocatur et apud Hor. Epod. X, 19. *Notus* (qui idem est cum Austro) *udus* commemoratur (cf. etiam Ecl. II, 58. et Geo. III, 429.); interdum vero etiam serenam tempestatem; quare apud Hor. Od. I, 7, 5. legimus: *Albus ut obscuro deterget nubila caelo Saepe Notus, neque parturit imbres Perpetuos.* (Cf. etiam Macrob. Somn. Scip. II, 5. et Gell. II, 22.) Hic igitur sol detegere quasi et aperire fingitur eius cogitationes, utrum turbidam an serenam tempestatem adducere velit. — **463.** *falsus* pro fallens, decipiens, ut saepe; v. c. Plaut. Bacch. III, 6, 11. Cic. Div. II, 11, 27. Catull. XXX, 1. Sall. Cat. 10, 5. Suet. Caes. 81. etc. Cf. Serv. ad h. l. Kritz. et Fabri ad Sall. l. l. Boetticher. Lex. Tac. p. 193. Ita etiam *ignotus, ignarus, nescius* etc. et passive et active usurpari constat. Cf. adnott. ad Ecl. VI, 40. et Aen. X, 706. — Ceterum hinc fluxisse locum Manil. II, 134. 135. *Quod fortuna ratum faciat, quis dicere falsum Audeat et tantae suffragia vincere sortis?* iam Heyn. vidit. — **464.** Consulto Vergilius signa, quae sol praebet, omnium ultima commemoravit, ut inde transire posset ad splendidissimum, quod sequitur, episodium de prodigiis post Iul. Caesaris caedem factis, quibus quasi natura ipsa divinum illum virum luxisse putabatur, et quae simul praesagia habebantur bellorum civilium caedem illam secutorum. Non facile enim aetatis Augusteae scriptores insolentioribus illis mirisque rebus, quae illo tempore aut vere evenerant, aut evenisse fingebantur, commemorandis Augustum adulandi et concelebrandi occasionem praetermittunt. Vid. infra ad v. 466. Pergit igitur poëta ad hanc sententiam: Saepe etiam tumultus domesticos, fluctus civiles, bella intestina sol portendit. — *caeci tumultus*, i. e. clandestini, adhuc occulti, quippe quos clam machinantur; ideoque fere idem, quod statim post *operta bella*. Ita *caecus* haud raro usurpatur. Vid. supra ad v. 89. Heyn. observavit, etiam hunc locum ante oculos fuisse Manilio I, 894. *Quin et bella canunt ignes subitosque tumultus Et clandestinis surgentia fraudibus arma.* — **465.** *operta*, quae adhuc latent, sed iam parantur et mox exardescent. Sic apud Stat. Silv. V, 3, 171. *operta incendia*, ap. Val. Fl. V, 521. *furiae opertae* etc. — *tumescere* poëtice pro oriri, surgere, ut alia attributa maris ac procellarum (*fluctus, aestus* etc.), ad bellorum motus translatum. Ruhnk. ad Vellei. II, 15. p. 115. et ad Ovid. Her. VII, 121. minus probabiliter ab arborum et

Ille etiam extincto miseratus Caesare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit
Inpiaque aeternam timuerunt saecula noctem.
Tempore quamquam illo tellus quoque et aequora ponti
Obscenaeque canes inportunaeque volucres 470

---

plantarum gemmis deducere malebat. De mari v. c. legitur infra II, 479. Ovid. Met. I, 36., de fluvio Lucan. X, 224. Velleii l. l. legimus *Mors Drusi iam pridem tumescens bellum excitavit Italicum*, apud Ovid. autem Her. l. l. *Bella tument.* — 466. Sequitur digressio spectans ad Iulium Caesarem et Octavianum Augustum celebrandos. (Cf. Argum.) Prodigia post Iulii Caesaris caedem, quae simul pro praesagiis belli civilis eam secuti habebantur, non solum poëtis (cf. Hor. Od. I, 2. Ovid. Met. XV, 782 sqq. Tibull. II, 5, 71. Lucan. I, 522 sqq.), sed etiam historicis (cf. imprimis Dio Cass. XLV, 17.) satis fuisse celebrata, Heyn. iam adnotavit. Inter ea fuit etiam solis defectus (nam m. Novembri a. U. C. 710, quo Caesar interemptus est, vere solis defectum accidisse, qua de re multi dubitarunt, astronomi recentiores satis demontrarunt: cf. *Berlin. Astron. Tafeln.* II. p. 122., a Wund. laud.), et per totum annum pallor, caelo semper nebula obscurato nec umquam sole claro luce splendente. Vid. Dion. l. c. Plutarch. Iul. Caes. c. 69. Plin. II, 30, 30. Tibull. II, 5, 75. (ubi vid. Dissen.). Causa autem huius phaenomeni, etiam Livio XXV, 7. XXXI, 12. aliisque commemorati, de quo multi disputarunt, non tam fuerunt insolitae quaedam solis maculae, ut vulgo putant, quam potius nebula illa ferruginea modo, modo rubens, quam nos *Heerrauch* dicere solemus. Cf. Heynii Opusc. Vol. III. n. XII. p. 202. Ideler. Meteor. vett. p. 47 sq. et liber meus geogr. I. p. 630. Ceterum Heyn. adnotat, ad nostri poëtae exemplum alios etiam bellorum graviorumque calamitatum praesagia commemorasse, et belli quidem civilis Lucan. I, 524 sqq. et Petron. c. 123. — *extincto m. Caesare R.* Cf. adnott. ad Ecl. V, 20. — 467. *ferrugine texit.* Wakef. temere corr. *ferrugine tinxit*, quoniam Sol *caligine* et *tenebris tegi* recte dicatur, non item *ferrugine* et *colore.* Sed iure eum vituperans quaerit Iahn.: „Quid igitur faciet cum nostro: *Als sie das strahlende Haupt mit dunkeler Bräune bedeckte?*“ — *ferrugo* pro caligine. Prima enim significatione secundum Nonium p. 549. vox indicat colorem illum, quem nos *eisengrau* vocamus, quare, ut *niger* et *ater*, haud raro de rebus ad inferos pertinentibus usurpatur, v. c. in Culice 272. de Orco ipso, Aen. VI, 303. de Charontis cumba, Ovid. Met. V, 404. de habenis et Claud. XXXV, 275. de vestibus Plutonis etc.; deinde violarum colori exprimendo adhibetur (*violett*: cf. v. c. Geo. IV, 183. *ferruginei hyacinthi*, Claud. XXXV, 93. *violas ferrugine pingit*), ideoque interdum etiam pro purpura ponitur (Aen. IX, 592. XI, 772. Catull. XLIV, 223.) Numquam vero rubiginem eiusque colorem videtur indicare. Ut hic de solis, ita apud Ovid. Met. XV, 788. de Luciferi caligine legitur: *Caerulus et vultum ferrugine Lucifer atra Sparsus erat.* (Cf. etiam Conington.) Locum nostrum imitati sunt Lucil. de Aetna 605. *Haud aliter quam cum saevo Iove fulgurat aether Et nitidum obscura caelum caligine torquet* (Scalig. *torpet*, Peerlk. *teret*) et Prudent. Cathem. p. 68. *Sol refugit et lugubri sordidus ferrugine Igneum reliquit axem atque moerens abdidit.* — 468. *inpia saecula*, homines istius aevi, quo *impium* facinus in Caesarem commissum erat. *Saecula* Lucretiano more dixit. Cf. Lucr. I, 21. II, 77. 503. (ubi vid. adnot. mea) III, 753. etc. infra v. 500. Geo. II, 295. Liv. IX, 18, 10. — 469. *aequora ponti.* Cf. supra v. 246. Aen. II, 780. etc. Ita *aequora ponti* etiam apud Lucr. I, 8. II, 727. VI, 440. Ovid. Met. II, 872. Avien. descr. mundi 964., *maris aequora* apud Hor. Od. IV, 5, 10. et alibi legitur. Cf. Burmann. ad Prop. III, 5, 51. et Markland. ad Stat. Silv. III, 2, 43. — 470. *Obscenae canes.* Ita pro vulg. *Obscenique canes* unus Medic., quem cum Wagn. omnes recentiores editores iure secuti sunt. Solent enim poëtae in nominibus epicoenis plerumque femin. genus usurpare (vid. Heins. ad Ovid. Met. III, 140. Titium ad Grat. Cyneg. 185. et Schneid. Gr. Lat. II, 1. p. 99.), quamquam interdum etiam meliores soni causa masculinum praeferunt (cf. Burm. ad Lu-

Signa dabant. Quotiens Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa!
Armorum sonitum toto Germania caelo

---

can. I, 528.). Sic Aen. VI, 257. *visaeque canes ululare per urbem* (ubi tamen in multis codd. *visique*) et VII, 493. *rapidae canes.* — *obscenae canes* aut omnino sunt turpes, foedae (*ekelhafte*), aut, quod hic, ubi *inportunae* volucres adduntur, praeferendum, ominosae, mala portendentes, i. e. propter ipsam deformitatem et immunditiam tristia omina afferentes, ut Aen. III, 241. 262. et XII, 876. *obscenae volucres*, Aen. III, 367. *obscena fames*, Aen. IV, 455. *obscenus cruor.* Ceterum nunc Cod. Med. auctoritatem secuti cum recentissimis editoribus scripsimus *obscenus* pro *obscoenus.* Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 471. et quae ibi de etymologia vocis disputantur. De symbolica autem, quam dicunt, canum significatione cf. quos laudat Obbar. ad Hor. Ep. I, 2, 26. Vol. I. p. 174. — *inportunae volucres* Heynio in universum sunt odiosae, molestae, cantu mali ominis. Rectius vero Serv.: „volucres, quae in alienum s. non opportunum tempus ruebant, ut per diem videri possent.“ Canes enim ululantes, quos putabant ob spectra visa hunc ululatum edere, non minus quam aves nocturnae die volantes et clamantes mala omina habebantur. Cf. Ovid. Met. XV, 791. et 796. *Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo; - - Inque foro circumque domos et templa deorum Nocturnos ululasse canes umbrasque silentum Erravisse ferunt.* Lucan. I, 548. *flebile saevi Latravere canes* et paullo post v. 558. *dirasque diem foedasse volucres Accepimus.* Quod ad ipsum epitheton attinet, cf. Aen. XII, 864. *ales inportuna* (bubo), i. e. infausta, ἄκαιρος. — 471. Ignes quoque ex Aetna erumpentes, qui verbis a mari aestuante translatis describuntur, inter prodigia Caesaris mortem secuta referuntur. Saepe autem illo anno Aetna arsisse videtur. Serv. haec affert Livii verba: *Tanta flamma ante mortem Caesaris ex Aetna monte defluxit, ut non tantum vicinae urbes, sed etiam Rhegina civitas afflaretur.* Aetnae vero eruptiones etiam Iul. Obs. 21. 24. 27. inter prodigia refert. — *Quotiens.* Vid. ad Ecl. III, 72. — *Cyclopum in agros.* Homerus Cyclopas dicit habitare in occidentali Siciliae litore; posterior demum aetas eos, utpote Vulcani socios, in Aetnae cavernis vel in Aeoliis s. Lipareis insulis degere putabat. Cf. Callim. in Dian. 46—80. Aen. VIII, 415 sqq. et Hom. Od. IX, 106 sqq. Voss. ad h. l. — 472. *undantem Aetnam*, flammas et massam ardentem evomentem. Vid. Aen. XII, 673. (coll. Aen. VIII, 257.) Sil. IX, 446. *undantes volvit flammas ad sidera vertex.* Cf. etiam adnott. ad Geo. II, 437. De re ipsa vid. Aen. III, 571 sqq. — *ruptis fornacibus* iunge cum effervere. Ad constructionem Wund. comparat I, 379. *efferre tectis* et 512. *carceribus sese effundere. Fornax* autem Aetnae crater vocatur, cum omnis mons Vulcani et Cyclopum officina haberetur. Cf. Lucr. VI, 682. *Flamma foras vastis Aetnae fornacibus efflat.* Ovid. Met. XV, 340. *sulfureis ardet fornacibus Aetna.* Lucil. Aetna 1. (Wernsd. IV. p. 87.) *Aetna - - ruptique cavis fornacibus ignes.* — 473. *flammarum globos.* Cf. Aen. III, 574. et Sil. V, 514. *Cum fervore globos flammarum et culmina torret.* — *liquefacta saxa*, quia massa illa, quam nos *Lava* dicimus, liquida quidem ex montis cratere effluit, mox vero indurescit et lapidescit. Cf. Aen. III, 576. — 474. Praesidia Romana in Germania ad Rheni ripam collocata illis temporibus in caelo peditum equitumque exercitus inter se pugnantes conspicere et tubarum sonos exaudire sibi videbantur. (Cf. Ovid. Met. XV, 783. Tibull. II, 5, 73. Petron. c. 122. extr. alii.) Cuius rei causa haud dubie in eo phaenomeno quaerenda, quod nunc auroram borealem (*ein Nordlicht*) vocare solent. (Cf. Ideler Meteor. vett. p. 53. et liber meus geogr. p. 629 sq. not. 68. Idem prodigium ante bellum Cimbricum observatum esse narrat Plin. II, 57, 58. a Voss. laud. Vid. etiam de hoc ut de aliis prodigiis Ruperti ad Liv. I, 31. p. 86 sqq. — Wakef., cui voc. *sonitus* non satis magnificum videbatur, ad Aen. VIII, 474. et Lucr. II, 48. temere coni. *armorum tonitrum*, coll. Stat. Theb. III, 423. Sil. XIII, 9. et ipsius Aen. VIII, 529. IX, 709. XII, 700. Ceterum duo Codd. et Schol. Iuven. XI, 111.

Audiit, insolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentis
Ingens et simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis, pecudesque locutae;
Infandum! sistunt amnes terraeque dehiscunt
Et maestum inlacrimat templis ebur aeraque sudant.

---

praebent *arm. sonitus.* — 475. „*Alpes* saepe tremuisse, Plinius notavit II, 80, 82. Mirum, hoc prodigium nunc raro nuntiari: saepius de Apenninis. An forte veteres glaciei perennis ruinas et percussum inde solum et aërem pro terrae motu habuere?" *Heyn.* Wakef. paullo cupidius recepit apertam Medic. a m. pr. et Rom. a m. sec. corruptelam *montibus;* quasi vero *montes* Alpibus *insoliti* essent. Peerlk. p. 134. coll. Manil. I, 103. *Arderent terrae solidusque tremisceret orbis* coniicit *in solidis,* contra quem (?) Ladew. conferri iubet Urlichsii Chrest. Plin. p. 31., quae mihi non ad manus est. — 476. Per lucos voces deorum auditae sunt, qui clamabant, se ob facinora instantia templa sua et terram omnino esse relicturos. Cf. Aen. IV, 460 sqq. VII, 95. Ovid. Met. XV, 792. Tibull. et Petron. ll. ll. Liv. I, 27. 31. VI, 33. Suet. Iul. Caes. 81. etc. *Ladew.* haec fere adnotat: „V. 476 et 77. videntur continere nomina deorum *Pavoris* et *Palloris* (Liv. I, 27, 7.) circumlocutione poëtica indicata. *Pavor* cognatus est *Fauno,* qui rursus cum *Silvano* confunditur. Cf. Liv. II, 7, 2. *Silentio proximae noctis ex silva Arsia ingentem editam vocem, Silvani eam creditam;*" quae num vera sint, in dubio relinquamus. — *Vox per lucos vulgo* (i. e. frequenter, crebro) *exaudita. Luci silentes,* ut Aen. VII, 505. *tacitae silvae* et VI, 386. *tacitum nemus.* — Quam graviter vox *ingens* sequentem versum incipit! Cf. adnott. ad Ecl. (V, 22. et) VII, 50. Ceterum Vergilio obversatus videtur Lucretii locus IV, 586. s. (Faunorum) *noctivago strepitu ludoque iocanti Affirmant volgo taciturno silentia rumpi.* — 477. „*simulacra modis pallentia miris,* e Lucr. I, 124., sunt defunctorum umbrae. Mentibus hominum magno imminentis calamitatis metu percussis spectra obiecta esse in locis, non insolens res est." *Heyn.* De ipsa re cf. imprimis Aen. I, 353 sqq.; quod autem attinet ad Pluralem *modis* (pro vulg. *in modum*), praeter Lucr. l. l. cf. Terent. Ad. II, 1, 12. *indignis modis.* — 478. *obscurum noctis* pro obscura nocte, ex dicendi ratione poëtis satis frequentata, de qua vid. adnott. ad v. 393. — *pecudesque locutae;* quod de bubus potissimum narratur. Vid. Tibull. II, 5, 78. *Et simulacra deum lacrimas fudisse tepentes Fataque vocales praemonuisse boves.* Cf. de hoc prodigio Liv. III, 10, 6. ibique Drak. et Ruperti ad eiusdem l. supra l. — 479. *Infandum!* Vid. adnott. ad Aen. I, 251. — Mira huius prodigii natura quasi obstupescens oratio in praesens tempus deflectit: *sistunt amnes,* scil. se, i. e. consistunt, cursu per terrae motum (nam *terrae dehiscunt*) intersaepto. Sic apud Varr. L. L. V, 2. *sol sistit.* Cf. etiam adnott. ad Ecl. IV, 45. et de re ipsa Hor. Od. I, 2, 13 sqq. *Vidimus flavum Tiberim* etc. Amnes enim illo tempore ob terrae motus tam saepe exundarunt, ut Horatio teste alteram eluvionem Deucalioneam Romani timerent. Ceterum non haerendum esse in concursu vocum similium *sistunt — dehiscunt,* docuimus supra ad v. 157. — *terrae dehiscunt.* De hoc prodigio cf. Cic. Div. I, 43. Liv. XXXII, 9. — 480. *ebur aeraque* sunt signa (*simulacra deûm* Tibull. l. l.) ex ebore et aere facta (vid. ad Geo. II, 193. et Aen. VI, 848.), quae *inlacrimare* credebantur, quia tepido sudabant humore per tempus pluvium collecto. Cf. Ovid. Met. XV, 792. *Mille locis lacrimavit ebur.* Drak. ad Sil. Ital. I, 86. Ruperti ad Liv. I, 31. p. 89 sq. et adnott. ad Aen. II, 173. — *inlacrimat templis* non dictum pro *lacrimat in templis,* ut Praepositio *in,* proprie ante Substantivum collocanda, Verbo praeposita sit (quemadmodum in locis illis, quos Wund. affert, Hor. Sat. II, 3, 77. *desurgere coena,* I, 2, 32. *deperdere summa,* et similibus); sed Praepositio ante *templis* est supplenda (qua de re vid. supra ad v. 134. et ad Aen. I, 2.). Noli tamen putare, compositum verbum nihil aliud significare, quam simplex; quod iam ad Ecl. II, 57. negavimus.

Proluit insano contorquens vertice silvas
Fluviorum rex Eridanus camposque per omnis
Cum stabulis armenta tulit. Nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibrae adparere minaces
Aut puteis manare cruor cessavit et altae 485

---

lacrimare potius significat in aliqua re lacrimare (*bei etwas, über etwas weinen*); quod patet ex iis locis, ubi Casus Obiecti additur, plerumque Dativus (ut Cic. N. D. III, 33, 82. *cuius morti illacrimari soleo.* Liv. XL, 56, 6. *qui meo infelici errori illacrimasti* etc.), interdum etiam Accus. (ut Iustin. XI, 12. *eiusque mortem illacrimatum Alexandrum*); qui ubi omittitur (ut Liv. XXV, 24, 11. Hor. Sat. II, 5, 103. Suet. Aug. 66. etc.), e connexu est supplendus. Voss. praefert unius Cod. Pierii lectionem *lacrimat*, Praepositionem *in* e praecedente *m* ortam censens, quod iam Lenz. ad Stat. Silv. I, 2, 124. ed. Hand. iure vituperat. — *aeraque sudant.* Cf. supra. Sic Aen. II, 173. Tritoniae simulacro *salsus per artus sudor iit*, ubi vid. adnott. — 481. Etiam insolitas annium inundationes inter prodigia relatas esse, discimus ex Livio XXX, 38. Iulio Obs. 67, aliis. Padus autem eluvionibus infamis. Cf. infra ad IV, 372. — *Proluit.* Schol. Crucq. Horat. Od. IV, 4. *proruit*, idemque legisse videtur Servius, qui *erueret arbores* habet; et similiter sane Sil. Ital. IV, 602. *seu proruta rupes Avulsi montis.* Sed contra Codd. auctoritatem nihil mutandum. — *insano vertice.* Cf. Ecl. IX, 43. *insani fluctus* ibique adnott. Pado autem etiam Geo. II, 451. *torrens unda* adscribitur et Plinio III, 16, 20. vocatur *torrentior.* Ceterum Med. (excepto uno loco Geo. III, 241., ubi tamen Fogginium *vorticibus* imprudentem in contextu reliquisse censet Wagn.) et Vat. ubique exhibent *vertex*, numquam *vortex;* quare Heyn. ad Geo. III, 241. Wunderl. praef. ad Edit. min. p. XII. et Wagn. ad h. l. in Vergilii carminibus illam formam retinendam censuerunt. Vid. etiam Drak. ad Silium III, 475. Weichert. tamen ad Val. Fl. VIII, 348. antiquioribus poëtis, et in his Vergilio formam *vortex* restitui iubet. Cf. etiam quae a nobis disputata sunt in Praef. ad Lucr. p. XVII. sq. — *silvas* cur Voss., comparans infra II, 310., hic quoque de arbustis („*Pflanzungen*") intelligat, nescio. Ceterum hunc locum imitatus est Lucan. II, 409. *Eridanus fractas evolvit in aequora silvas.* — 482. *Eridanus*, i. e. Padus, in quem fluvium posteriores (et primus quidem Scylax) antiquissimum illud fluminis occidentalis nomen transtulerunt (cf. Voss. ad h. l. et liber meus geogr. III. p. 503.), *rex fluviorum* dici videtur, quia maximus est fluviorum Italiae plurimosque fluvios minores alveo suo excipit. Ita Aen. VIII, 77. Tiberis, maximus Italiae mediae fluvius, *Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum*, et apud Auson. Epigr. III. Danubius *Illyricis regnator aquis* vocatur. Wunderl. comparat Geo. II, 98. *rex ipse Phanaeus* (i. e. vinum praestantissimum). Ceterum *fluviorum* tribus syllabis pronuntiandum. Cf. supra ad v. 397. — *camposque per omnes* etc. Cf. locus simillimus Aen. II, 498. *spumeus amnis Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnes Cum stabulis armenta trahit* (quem haud dubie respiciens Serv. h. l. ita explicat: „Et ipsa stabula subversa secum trahit, et armenta simul," unde in plures Codd. pro *tulit* irrepsit lectio *trahit*, quod sane sollemne est hac de re verbum. Cf. Burm. ad Ovid. Met. VIII, 553. et Gronov. ad Sen. Herc. fur. 968. et Ovid. Met. I, 285.). — 484. *Exta* (cor, pulmo, imprimisque iecur) ab haruspicibus inspecta non nisi mala et tristia portenderunt. Cf. Ovid. Met. XV, 794. *Victima nulla litat, magnosque instare tumultus Fibra monet, caesumque caput reperitur in extis.* Serv. adnotat: „*Fibras* dicit venas aliquas, quae si apparebant in visceribus, malum omen erant." — *adparere* autem, ut sequens *resonare* (vid. infra) non minus quam *manare* pendet a verbo *cessavit.* Verbum autem, duobus Nominibus diversi numeri iunctum, plerumque proximi numerum sequi, iam ad Ecl. I, 58. vidimus. Ceterum verba *fibrae adparere minaces* ex hoc loco repetiit poëta trag. in Burm. Anth. Lat. I, 178, 118. — 485. Vergilius sanguinem e puteis manasse refert; Ovidius l. l. v. 788. de pluvia cruenta loquitur: *Saepe inter nimbos guttae cecidere cruentae.* — *et altae Per noctem* etc. Malum omen

Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.
Non alias caelo ceciderunt plura sereno
Fulgura nec diri totiens arsere cometae.
Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi; 490

---

habebatur, si lupi tam prope veniebant urbibus, ut ipsorum ululatus in iis exaudiri posset; illis autem temporibus per forum adeo Romanum currebant. Vid. Appian. B. C. IV, 4. — *altae urbes* sunt in altiore loco sitae. Videtur enim de Roma septicolli in primis cogitandum esse, quae Aen. I, 7. *alta Roma* vocatur, ut Aen. IV, 97. *alta Carthago*. Cf. etiam Hor. Od. I, 16, 18. Ovid. Met. IV, 57. Trist. I, 3, 33. Lucan. I, 560. etc. Voss. artificiose magis quam vere Adiectivum pro Adverbio positum habet, ut in notissimo illo Aen. I, 26. *manet alta mente repostum Iudicium Paridis*, et locum ita explicat: *tief, bis in's Inn're der Städte hinein*, et similiter Wakef. ad Lucr. VI, 580. epitheton eo spectare putat, quod intra aedes altas urbium ut in cavernis altis sonus augetur. Omnino autem locum tam planum et expeditum tot viris doctis scrupulum iniecisse, non satis mirari possumus. Cuningham. enim emendarat *alta*, ut Hor. Sat. I, 6, 43. *magna sonabit*, et Reisk. coni. *altam*, sc. noctem. — 486. *et resonare — urbes*, scil. *non cessarunt* quod ex superioribus supplendum. Wund. tamen, hoc negans, *resonare* pro Infin. historico habet, quod si voluisset Vergilius, *aut* pro *et* scribendum fuisset. Sed praegressae negandi Particulae sexcenties *et* ita subiici, ut illa negatio ad utrumque orationis membrum referatur, verissime docet Wagn. Cf. etiam eius Qu. Virg. XXX, 6. Ameis. tamen Spicil. p. 23., sine iusta causa haerens in sententia, urbes non cessavisse resonare luporum ululatu, *resonare* potius contractam formam habet pro *resonarunt*, coll. Lachmanno ad Lucr. V, 396. (ubi tamen de aliis formis contractis agitur) et Fabrio ad Liv. XXI, 25.; de qua re, aliis huius usus exemplis in Vergilii carminibus frustra quaesitis, dubitare nobis liceat. — 487. Fulgura sereno caelo conspecta non minus inter prodigia referebantur. Vid. adnott. ad Aen. VII, 141. — *non alias* idem fere est, quod *numquam*. Cf. exempla ab Handio Turs. I. p. 224. congesta, Liv. VII, 33, 1. XLV, 7, 2. Tac. Ann. III, 73. Suet. Tit. 8. etc. — 488. Cometas, ut etiam nunc homines superstitiosi, ita etiam Romani veteres bella, tumultus et alia mala portendere putabant. Cf. Cic. N. D. II, 5, 14. et de cons. suo II, 15. (Vol. IV. P. 2. p. 568. Orell.) *Vidisti et claro tremulos ardore cometas*. Utrum illis temporibus stellae crinitae, et plures quidem, vere apparuerint, an, quod Voss. censet coll. Aen. V, 527. et Ovid. Met. XV, 787., Vergilius per cometas omnino meteora lucida intelligat, difficile est iudicatu. De illa certe stella crinita, quam a. p. U. C. 711. conspectam, *Dionaeum astrum* noster appellat Ecl. IX, 46., hic vix cogitare potuit. — *totiens*. Vid. adnott. ad Ecl. III, 72. — 489. „Haec prodigia insecutum esse ait bellum civile proelio ad Philippos, Macedoniae adiectae, olim Thraciae, urbem commisso et Bruti Cassiique exitu nobilitatum.“ *Heyn.* — *Ergo* conclusioni inservit. Narratis antea signis et prodigiis, quibus futurum bellum civile praenuntiatum sit, pergit: Prodigia illa non poterant fallere, vana esse; *ergo* vere secutum est eiusmodi bellum (*und so sah denn auch wirklich* etc.). Cf. etiam Hand. Turs. II. p. 444. Male igitur Markland. ad Stat. Silv. III, 5, 68. post *campos* interrogandi signum poni, *superis* autem in Vocativum *superi* mutari iubet; quod iam Voss. et Iahn. repudiant. — Sententia autem haec est: Fatale erat, ut armis civilibus bis pugnaretur in Macedoniae finibus; nam post pugnam Pharsalicam alterum in hoc bello civili proelium commissum est ad Philippos. *Iterum* igitur non tam coniungendum cum *videre Philippi*, quam potius cum *concurrere*; poëtica tamen ratione etiam Philippi (i. e. una eademque regio) dici poterant duo eiusmodi proelia vidisse, et ita Vergilium locum intelligi voluisse cum collocatio verborum, tum imitatio veterum scriptorum videtur comprobare. Sic enim Ovid. Met. XV, 823 sq. de Caesaris ultione: *Pharsalia sentiet illum, Emathiaque iterum madefacti caede Philippi*, et Lucan. VII, 853. *Ante novae venient acies, scelerique secundo Praestabis*

Nec fuit indignum superis bis sanguine nostro
Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.
Scilicet et tempus veniet, cum finibus illis
Agricola incurvo terram molitus aratro
Exesa inveniet scabra robigine pila
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanis

---

nondum siccos hoc sanguine campos; denique Petron. c. 121. (de Bello Civ. 110.) *Cerno equidem gemina iam stratos morte Philippos.* Praeterea cf. etiam Manilii I. extr. De duobus enim proeliis a. 42. a. Chr. n. interiecto viginti dierum spatio vere ad Philippos commissis (cf. Plut. M. Brut. 40 sqq. 47 sqq. Dio Cass. XLVII, 35 sqq. 48 sqq. Appian. IV, 106 sqq. 122 sqq. et Lucan. I, 680 sqq. VII, 853 sqq.) hic nemo cogitabit. De ipso Philipporum oppido, cuius reliquiae etiamnum *Filibah* s. *Felibejik* vocantur, cf. quae exposui in libro meo geogr. III. p. 1069 sq. et in Pauly *Realencycl.* V. p. 1471 sq. — *paribus telis:* cum utrimque a Romanis pugnaretur. Cf. Lucan. I, 7. *infestisque obvia signis Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis,* et Val. Fl. VI, 404. *Romanas -- legiones Tisiphone regesque movet: quorum agmina pilis, Quorum aquilis utrimque micant.* Vid. etiam Aen. VI, 825 sqq. — 491. *Nec superis fuit indignum,* iniquum visum est, h. e. diis placuit. (Cf. adnott. ad Aen. X, 74.) Voss. interpretatur: *indignum* nostro scelere, ut sensus sit: apta, non nimis severa diis visa est sceleris nostri in Caesarem commissi poena. *Emathia* (antiquum sive Paeoniae sive Mygdoniae nomen: cf. Liv XL, 3, 3. Iustin. VII, 1. Plin. IV, 10, 17. etc.) Macedoniae est pars, ad quam proprie nec Pharsalus nec Philippi referri possunt; sed poëtae eo nomine latiore sensu etiam pro Thessalia utuntur, et omnino Macedoniae, Thessaliae et Thraciae nomina saepissime confundentes ita loqui solent, ac si omnes illae provinciae una eademque essent regio. *Haemus* (qui nunc *Balkan* vocatur) mons est Thraciae, cui hac poëtica ratione urbs Philippi subiacere dici potest. Cf. Lucan. I, 680. *latosque Haemi sub rupe Philippos,* qui etiam IX, 271. *Emathios Philippos* dixit. Idem X, 449. *Haemum Thessalicum* commemorat, et VII, 847. *Emathia arva Thessaliae* adiungit. — 492. *pinguescere,* quippe sanguine nostro stercoratos. Cf. Petron. c. 121. *Horrida tellus Extulit in lucem nutritas sanguine fruges,* et Hor. Od. II, 1, 29 sq., ad quem locum Orell. comparat etiam Aeschyl. Pers. 805., ubi Xerxis exercitus in Graecia relictus vocatur *φίλον πίασμα Βοιωτῶν χθονί,* et Plutarch. Opp. II. p. 842. *Ἀχίλιχος λέγει πιαίνεσθαι πρὸς τοῦ πολέμου τὰς ἀρούρας.* — 493. *Scilicet et tempus veniet, ἔσται δήπου καὶ ὅταν* etc. (Cf. etiam Hom. Il. IV, 164. *ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἄν ποτε* etc.) Recte Wagn. et Iahn. *scilicet* sequentibus iungunt; superioribus enim adiectum (quibus Heyn. et Wakef. coniunctum volunt) languet. Ceterum cf. supra adnott. ad v. 282. — *tempus veniet, cum -- inveniet, -- pulsabit -- mirabitur.* Ita Aen. I, 283. *Veniet aetas, cum -- premet ac dominabitur.* X, 11. *Adveniet tempus, cum -- inmittet;* neque aliter Claudian. VIII, 652. *Tempus erit, cum -- signabitis annum.* Semel tantum ab hac dicendi ratione recedit noster Aen. X, 503. *Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum.* Cf. etiam Huschk. ad Tibull. I, 4, 79. — 494. Expressit etiam hunc locum Manil. I, 908. 909. — *terram molitus aratro.* Lucret. V, 932. *ferro molirier arva,* i. e. vertere. Vid. etiam adnott. ad Geo. I, 271. et 329. *Molitus* pro moliens (vid. supra ad v. 206.); quamquam, si rem accuratius consideramus, pila illa etc. non invenire potest agricola, priusquam sulcum iam fecit, terram molitus est. — 495. *exesa.* Vid. adnott. ad Geo. IV, 44. Wagn. Vol. V. scripsit *exessa.* Cf. etiam adnott. ad Ecl. III, 29. — *scabra robigine,* ut apud Catull. LXVIII, 151. *Ne nostrum scabra tangat robigine nomen.* Infra II, 220. *salsa* vocatur. — De *pilo,* telo Romanis proprio, cf. Veget. II, 15. Polyb. VI, 21. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 1, 13. Herzog. ad Caes. B. G. I, 25. alii. — 496. *inanes* iuxta verbum *pulsabit* non otiosum galearum epitheton; inanes enim galeae, capitibus, cum quibus sepultae erant, putredine consumptis, rastro

Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulchris.
Di patrii, Indigetes et Romule Vestaque mater,
Quae Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas,
Hunc saltem everso iuvenem succurrere saeclo 500

---

pulsatae clariorem edunt sonum. Imitatus est hunc locum Claudian. XXI. (de laud. Stil. I.) 134—137. *- - offenso quando sub vomere putres Dissiliant glebis galeae, vel qualia rastris Ossa peremptorum resonent immania regum.* — 497. *grandia ossa* ex communi de vastis priscorum hominum et heroum corporibus opinione. Cf. Aen. XII, 899. 900. Erat enim communis fere antiquitatis opinio, homines quovis saeculo fieri minores, infirmiores, debiliores. Cf. Hom. Il. I, 262 sqq. Hesiod. *Ἔργ.* 129 sqq. et (quos Conington laudat) Lucr. II, 1150 sqq. et Iuven. XV, 69. Sententia igitur haec est: Posteri aliquando grandia ossa eorum, qui in pugnis illis ad Philippos ceciderunt, eodem modo mirabuntur, ut nos priscorum illorum ossa miramur. Alii parum probabiliter cogitant de magno numero Gallorum in pugna Philippensi occisorum, qui statura corporis longe superaverint Romanos. Sed vide, quae contra hanc sententiam docte disputavit Burm. — *sepulchris.* Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 97. — 498. Sequuntur preces Diis adhibitae, per quos Octaviano Augusto liceret infelicitati temporum succurrere. Cum toto, qui sequitur, loco cf. Hor. Od. I, 2. *Dii patrii* et *Indigetes* ab aliis pro iisdem, ab aliis rectius pro diversis habentur: neque aliter intellexit hunc locum Ovid. Met. XV, 861. *Di, precor, Aeneae comites, quibus ensis et ignis Cesserunt* (i. e. dii patrii, Penates et Vesta), *dique Indigetes, genitorque Quirine* etc. Itaque Comma post *patrii* posuit Wund. comparans supra v. 5 sqq., ubi similiter in invocatione deorum Copula desit; quod iure probat Wagn., simul docens, ad prius nomen pertinere Vestae, ad alterum Romuli commemorationem. Peculiare enim esse epexegeseos genus, cum genere posito per simplicem Copulam ad singulas vel personas vel res descendatur, ut etiam Aen. I, 2. III, 569. V, 240. VI, 831. VIII, 698. XII, 516. etc. Cf. eius Qu. Virg. XXXIII, 6. et nobis adnott. ad Ecl. III, 34. et Aen. I, 111. *Dii patrii*, s. dei maiorum (*πατρῷοι, ἐγχώριοι, τοπικοί*), Lares potissimum et Penates, opponuntur iis numinibus, quorum cultum Romani ab exteris nationibus receperunt; *Indigetes* autem sunt heroes Romani, homines Itali ob merita sua consecrati et divino honore affecti, ut Ianus, Picus, Faunus, Aeneas, Romulus, alii. (Cf. Aen. VIII, 314. XII, 794. Liv. I. 2. extr. Tibull. II, 5, 4.) Quare *Indigetes* quidem possunt etiam *dei patrii* vocari, non omnes vero *dei patrii* erant *Indigetes*. Cf. Voss. ad h. l. Ex omnibus nominatim invocantur *Romulus* et *Vesta*, ut etiam apud Ovid. l. l. et Silium IX, 294. *Hinc Vesta - - Cybele, Indigetesque Dei, Faunusque satorque Quirinus.* De Romulo s. Quirino deo cf. Geo. III. 27. Vestam autem eiusque ignem sempiternum ab Aenea Troia advectum esse constat. (Cf. Aen. II, 297. III, 12. 148.) — 499. *Tuscum Tiberim*, quia in Etruria s. Tuscia ex Apennino monte oritur. Sic Ovid. A. A. III, 386. *Tuscum amnem*, et Hor. Od. III, 7, 28. *Tuscum alveum* pro Tiberi ponunt. — *Romana Palatia.* In Palatino monte non solum Evander rex arcem condiderat (Aen. VIII, 313.), sed etiam Romulus domum suam habuerat, quare etiam Octaviani Augusti palatium in eodem monte extructum; ut hic cum Palatio simul cogitetur Octavianus Caesar. (Cf. Suet. Aug. 72. Vellei. II, 81. Dio Cass. XLIX, 15. LIV, 27. LV, 12. et liber meus geogr. III. p. 697.) — *servas.* Vid. adnott. ad Geo. IV, 383. — 500. *Hunc iuvenem*, Octavianum, qui a. U. C. 691., M. Tull. Cicerone et C. Antonio Coss. natus, illo tempore, i. e. a. U. C. 718., annum vigesimum septimum agebat. Vide adnott. ad Ecl. I, 42. et Hor. Od. I, 2, 41. Videtur hunc locum respexisse Calpurn. IV, 137. *Di, precor, hunc iuvenem - - post longa reducite vitae Tempora. — hunc saltem;* nam Iulium Caesarem impiis inviderant Romanis. — *„everso saeclo* (ut v. 468.) dixit, quod in prosa *rebus perditis succurrere;* ut *eversum imperium* pro labefactato, ad interitum ruente. Vid. Ducker ad Liv. XXX, 16, 6., ubi exstat *civitas eversa.* Tota sententia sic procedit: Permittite dii, ut Caesar remp. restituat. Satis malorum

Ne prohibete! Satis iam pridem sanguine nostro
Laomedonteae luimus periuria Troiae;
Iam pridem nobis caeli te regia, Caesar,
Invidet atque hominum queritur curare triumphos;
Quippe ubi fas versum atque nefas: tot bella per orbem,
Tam multae scelerum facies; non ullus aratro
Dignus honos, squalent abductis arva colonis

---

experti sumus. Ne nobis hunc, qui unice res restituere potest, invidete et eripite, etsi aevi huius eae sunt corruptelae, ut dei alicuius praesentiam vix ferant." *Heyn.* Ribbeck. Proleg. p. 15. rectissime censet, haec et versum 504. non demum a. 725. scribi potuisse, quo Octavianus, vir triginta sex annorum, Iani templum iam clausisset. Cum ipsa sententia cf. Hor. Od. I, 2, 25. *Quem vocet divûm populus ruentis Imperi rebus?* — **502.** Posteris luenda esse maiorum peccata, communis erat veterum opinio. Ita etiam Romani, Troianorum nepotes, illorum delictis premi iure poterant videri. Quare aptissime hic commemorantur *Laomedonteae periuria Troiae*, ut in loco parallelo Aen. IV, 541. Cf. etiam Aen. V, 811. *Structa meis manibus periurae moenia Troiae.* Satis nota enim de *Laomedonte* narratio, qui Apollinem et Neptunum, muris Troiae ab illis extructis, neque multo post, liberata Hesione, Herculem pacta mercede fraudavit. Vide Hom. Il. XXI, 441 sqq. Pindar. Ol. VII, 39 sqq. Horat. Od. III, 3, 21 sq. — Hom. Il. V, 640 sq. Apollod. II, 5, 9. II, 6, 4. Diod. IV, 32. Hygin. Fab. 89. Neque adsentior Heynio, *Laomedonteae* simpliciter pro epitheto *Troiae* habenti, ut *periuria Troiae* latius ad omnia facinora Troianorum atque ad fata ac mala referantur, quibus illa erant expianda. Ceterum Peerlk. p. 135. v. 498—502. post v. 514. vult positos, ut melior efficiatur libri exitus, quod iure reiiciunt Ladew. Progr. p. 15. et Ribbeck. Proleg. p. 47. — **503.** Iam dudum Dii in coetum suum te recipere gestiunt. Cf. Horat. Od. I, 2, 25 sq. (imprimis v. 45.), cui hunc Vergilii locum obversatum esse patet. — **504.** *queritur* (te) *hominum curare triumphos*, i. e. inter homines vivere; nam vivere et triumphos agere Octavianum poëtae adulanti unum idemque videtur; quamquam illis temporibus vere nondum triumphaverat Augustus, cui, Sexto Pompeio victo, non nisi ovatio a Senatu decreta esset. Cf. quae infra ad v. 505. adnotata vides. — **505.** *ubi*, pro: apud quos, sc. homines. Ita enim Adverbia loci pro Pronomine cum Praepositione posita saepissime etiam ad personas referri constat. Cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 2, 78. Corte ad Sall. Iug. 14, 22. Westerh. ad Ter. Eun. III, 5, 36. Kritz. ad Sall. Cat. 5, 2. Bremi ad Nep. Milt. 3, 1. Herzog. ad Caes. B. G. II, 5. et V, 14. alii. Vid. etiam infra ad Geo. IV, 449. — *fas atque nefas versum*, confusum, fas in nefas, nefas in fas versum. Cf. Ovid. Met. VI, 585. *fas nefasque confusum ruit*, et Orell. Excurs. II. ad Hor. Epod. V, 87. p. 665. — *tot bella.* Heyn. haec et seqq. v. 509—511. ad annum ab U. C. 717. M. Agrippa et L. Gallo Coss. referenda censet, quo „inter Caesarem et Sextum Pompeium bellum recrudescebat, Antonius cum exercitu adversus Parthos iamdudum Syriae infestos ibat et ab Agrippa, qui Rhenum transierat, in Galliis bellum modo confectum erat." Sed ipsi *triumphi* (victoriae) hic commemorati potius de tempore paullo posteriore, de anno ab U. C. 718. s. 36. a. Chr. n. cogitari iubent, quo Octavianus, Sexto Pompeio iam devicto et Etruriae tumultu sedato (vid. infra), bellum contra Salassos, Tauriscos, Liburnos et Iapydas parabat (Appian. Illyr. 16—21. Dio Cass. XLIX, 34.), Triumviratu autem Lepidi relegatione sublato, cum novae inter eum et Antonium simultates exortae essent, omnia ad novum bellum civile spectare videbantur. Accedit, quod poëtam, qui his quatuor Georgicon libris conscribendis septem annos impenderit, primum eorum eodem anno et incepisse et perfecisse, per se minus est probabile. Ceterum cum *hominum triumphis* cf. Hor. Od. I, 2, 49. *hic magnos potius triumphos, Hic ames dici pater atque princeps.* — **506.** *multae scelerum facies*, i. e. genera. Cf. Aen. VI, 560. ibid. v. 104. Aen. V, 822. Ovid. A. A. I, 121. *facies non una timoris* etc. — **507.** *dignus honos*, qualem meretur, satis magnus; pacis enim studia ce-

Et curvae rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;
Vicinae ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt; saevit toto Mars inpius orbe:
Ut cum carceribus sese effudere quadrigae,
Addunt in spatia et frustra retinacula tendens

---

dere debent bellicis operibus. Vide autem poëtam vel in medio episodio non obliviscentem rei proprie hic tractandae, agriculturae ob hos civiles fluctus et tumultus prorsus iacentis, quae ipsa horum librorum conscribendorum ansam dedisse non temere putatur. Quod ad constructionem attinet, cf. Ecl. II, 53. *Honos erit huic quoque pomo*, ceterum autem Aen. VII, 635. — *arva squalent*, situ deformata iacent, utpote vastata et deserta. Cf. adnott. ad Geo. II, 348. — 508. *conflantur*. *Flare* et *conflare* verba propria sunt de metallis liquandis, coquendis; hic autem *conflare* de ferro, dum liquescit, cudendo usurpatum videtur. Nonius s. v. *rigidus* et Serv. ad Aen. XII, 304. exhibent *formantur*, Cod. Franc. *curvantur*, utrumque ex interpretamento. Ceterum apud Lucretium V, 1292 sq. similis invenitur locus: *Inde minutatim processit ferreus ensis, Vorsaque in obscenum species est falcis ahenae.* — 509. *Euphrates*, nationes ad Euphratem habitantes, Parthi aliique Asiae populi cum iis coniuncti, contra quos illo ipso tempore, h. e. a. 718. U. C., Antonius bellum gerebat. Cf. Geo. IV, 560 sq. Sic Geo. II, 225. *Clanius arat*, ibid. v. 497. *coniuratus Hister*, IV, 211. *Medus Hydaspes observat.* Aen. VII, 714. *qui colunt -- flumen Himellae* etc. — *Germania* (cf. adnott. ad Ecl. I, 62. et IV, 58.) commemorata, si Vergilius haec eodem, quo reliqua, tempore scripsit, ad res ab Agrippa a. 716. in Gallia et ad Rhenum, quem adeo transiit, gestas (cf. Diss. de Verg. vita etc. not. 42.) referri debet; minus recte enim cum Iahnio (Introd. p. XXIV., quem Franckius sequitur: (cf. supra ad v. 23.) cogitaveris de Norici et Pannoniae populis, quos Octavianus a. 719. bello persecutus est (Dio Cass. XLIX, 34.) Ribbeck. tamen Proleg. p. 16. potius bellum, quod Dione Cass. LI, 21. auctore Caius Carrinas a. demum 724. vel 725. cum Morinis et Suevis gessit, respici (ideoque hos versus postea demum adiectos esse?) arbitratur. — 510. *vicinae urbes* Italiae, imprimis Etruriae, ubi rupta vetere societate et concordia singula oppida mutuo se impugnabant et vehemens illo tempore tumultus grassabatur. Cf. Dio Cass. XLIX, 15. et Appian. III, 16 sq. (Vide tamen, quae contra hanc opinionem disputavit Ribbeck. Proleg. p. 17.) Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 39. (nescio qua de causa) fortasse de Rhegio et Messana cogitandum esse suspicatur. — *ruptis legibus*. pactionibus, rupta pace. Aen. VIII, 540. *poscant acies et foedera rumpunt.* — 511. *Arma ferunt*. Wak. temere coni. *Arma fremunt.* — *Mars inpius*, ut saepe. Ita etiam *arma inpia* Aen. VI, 612. XII, 31. Cf. etiam adnott. ad Ecl. I, 70. — 512. „A Circo sumpta comparatio tumultuantis orbis; semel emissi currus cum tanto impetu ruunt, ut ab auriga retineri nequeant." *Heyn.* Ceterum hunc versum ante oculos videtur habuisse Hor. Serm. I, 1, 114., ubi vid. Orell. — *carceres*, locum in Circo, unde equi currere incipiunt. Cf. Geo. III, 104. Aen. V, 145. Hor. Sat. I, 1, 114. Ovid. Her. XVIII. 166. Trist. V, 12, 26. Cic. Brut. 47. Liv. VIII, 20. etc. — 513. Memorabilis in hoc loco paullo difficiliore deprehenditur lectionis varietas, cum Codd. fluctuent inter *Addunt in spatia* (quae lectio Medic. et Gud. a m. sec. cum Servi et optimorum Codd. Quinct. Inst. VIII, 3, 78. auctoritate tum Silii XVI, 372. imitatione: *fere medium evecti certamine campum In spatia addebant* iuvatur; ubi tamen libri scripti, quos Drakenb. sequitur, praebent *in spatio*), *Addunt spatia* (Rom.), *addunt spatio* (Med. a m. pr., colore rubro superscr. *in* et *a*) et Mentel. I., *addunt in spatio* (Gud. a m. pr.) et *Addunt se in spatia* (quod praeter multos Codd. etiam vulgares editt. Quinctil. exhibent; quamquam et ibi eadem est, quae hic, lectionis diversitas). Wagn. suspicatur, Vergilium scripsisse *Addunt se spatio*, causamque tantae varietatis scripturae satis indicari lectione *Addunt spatio*; scilicet media voce per subsequentem intercepta, lacunam alios

Fertur equis auriga neque audit currus habenas.

---

interposita Praepos. *in* explevisse, alios utrumque, *in* et *se*, intulisse, quemadmodum Aen. II, 788., ubi simile quid factum videamus; formulam autem dicendi *Addunt se spatio* ex imitatione Graeci alicuius poëtae (ἵπποι ἀΐξονται δρόμῳ) ortam censet et sic explicat: *crescunt spatio*, i. e. crescit currendo ipsa celeritas equorum, sive: quo plus spatii decursum fuerit, eo acrius currunt. (Non tamen reticendum, Wagnerum mutata, ut videtur, sententia in min. edit. explicare receptam lectionem *Addunt in spatia*.) Quae omnia cum satis dubia videantur, acquiescendum esse iudicavimus in vulgari lectione, (quam etiam Ladew., Haupt. et Ribbeck. receperunt) *spatia* cum Vossio et Heynio de septem spatiis seu gyris intelligentes, quibus in Circo decursus finiebatur. Voss. laudat Sen. Ep. 30. (*cum* [*agitatores*] *septimo spatio palmae adpropinquant*), Ovid. Halieut. 68. (*Seu septem spatiis circo meruere coronam*), Suet. Dom. 4. et Isidor. XVIII, 37., docetque, hos cursus ab Ausonio Epit. 35. *septenas vias*, a Propertio II, 25, [III, 20,] 26. *septem rotas*, ab Arnobio VII. p. 245. *gyros septem* vocari. Imprimis autem hanc explicationem iuvant duo Aeneidis loci, V, 316. *signoque repente Corripiunt spatia*, et VII, 381. (turbo) *actus habena Curvatis fertur spatiis* itemque Gratii Cyn. 227. *Incubuit spatiis, qualis - - quadriga* etc. Cf. etiam Geo. III, 203. Ad verba *Addunt* (quadrigae) *in spatia*, non tam *cursum* (h. e. intendunt, in ipso spatio currendi sumunt vires), quae paullo durior esset ellipsis, quam potius *se* supplendum videtur, et *addere se in spatia* (ut *dare se in fugam* et similia) significat: dare se cursui per campum, cum impetu ferri in spatia curriculi. Sic iam Heyn., Forcellini et Iacobs. ad Geo. IV, 149. hunc locum intellexerunt, quibus tamen non concedo, *Addunt* (*se*) plane nihil aliud significare, quam simplex (*se*) *dant*. Immo Praepositionem adiectam id spectare puto, quod plures simul cursum instituunt, ideoque quasi ad ceteros, una cum ceteris, se cursui dare cogitantur. (Videtur mecum consentire Ameis Spicil. p. 24., qui et ipse Pron. *sese* supplens, verba sic explicat: „incipiunt inire cum caeteris certamen curule.“) Voss. (cui adsentitur Ladewig., comparans dictionem *in dies*) paullo artificiosius explicat: *addunt spatia in spatia* s. *spatiis*, i. e. aliud post aliud spatium currunt. Sed tum non *addunt in spatia*, sed simpliciter *addunt spatia* scribendum fuisse, recte censet Wagn., coll. adnott. ad Aen. IV, 142. Schirach. p. 318., qui *in spatio* legendum putat, voc. *vires* subintelligendum ratus, omnem locum ita explicat: „dum currere incipiunt equi, mox inflammantur cursu, et vires augent, novas vires addunt et duplicato quasi cursu pergunt (*die Pferde setzen zu*). Neque aliter Servius („quemadmodum in processu equorum cursus augetur“ et „currendo plus eorum cursus augetur“), Wakef. ad Lucr. VI, 300. et Wagn. locum explicant. Bryce simili ratione Synesin statuens *effundere* hic et Verbi et Substantivi notionem habere putat, ut ex eo Accus. Obiecti (celeritatem vel impetum, *speed or impetuosity*) verbi *addunt* repetendus sit; et comparat locum Corn. Nep. Hannib. 6. *Numidae insidiati sunt ei, quas* (scil. insidias) *non solum effugit* etc. Peerlk. denique p. 134. pro *sese* coni. *cursum*, ut *cursum effundere* dictum sit pro: effusae carcere ruunt, et *addunt in spatio* (hanc enim praefert lectionem) significet: „spatiando (eundo) semper augent cursum, citius citiusque proripiuntur“. Schrader. denique parum probabiliter coni. *quadrigae, Ardent in spatia et frustra r. t.* — 514. *Fertur equis auriga.* Cf. Aen. I, 476. *Infelix puer - - Fertur equis curruque haeret resupinus inani.* — *currus* (h. e. equi: ut Aen. XII, 287. et Iuven. XIV, 230. *totas effundit habenas curriculo*) *non audit habenas*, regi non potest (possunt). Simili ratione Claudian. XVII, 187. canit *Desidis auriga non audit verbera currus*, et Statius Theb. V, 412. *clavumque* (gubernaculi) *audire negantem Lassat agens Tiphys.* Cf. etiam Burmann. et Bach. ad Ovid. Met. V, 381. Heyn. comparat Hor. Ep. I, 5, 13. *equi frenato est aurea in ore.* et Pind. Pyth. II, 21. ἅρματα πεισιχάλινα.

P. VERGILI MARONIS

GEORGICON

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

In Prooemio (1—8.) poëta declarat consilium de *arborum* imprimisque vitium et olearum cultura agendi (1—3.) et propterea Bacchum invocat (4—8.) Tum primum docet, alias arbores sponte nasci (9—21.); alias arte parari (22—34.), et quidem avulsione (22. 23.), infossione (24. 25.), propagine (26. 27.), surculo (28. 29.), concisione (30. 31.), insitione (32—34.). Sequitur locus de cultura arborum et silvestrium et fructiferarum (35—82.), quem exorsurus poëta Maecenatis propitiam voluntatem implorat (35—46.). Iam exponitur, arbores, quae sponte proveniant, cultu emendari posse (47—56.), quae e semine nascantur, transplantatione aliisque artificialis culturae generibus (57—72.), imprimis inoculatione et insitione (73—82.). Deligendae quoque arborum eiusdem generis species praestantiores (83—108.). Praeterea locus naturae cuiusque arboris idoneus est circumspiciendus (108—113.) et variae orbis terrarum regiones respiciendae, in quibus arbores proveniunt (114—135.). Sic aditum sibi parat poëta ad laudes Italiae, omnium rerum proventu felicissimae (136—176.). Denique soli natura est exploranda, ut discamus, quomodo optime eo possimus uti (177—225.); quibus praeceptis subiiciuntur certae soli cognoscendi et iudicandi notae (226—258.) Tum transit poëta ad culturam cum arborum omnino, tum vitium (259—419.) Primum enim docetur, quae in plantatione observanda sint (259—314.) imprimis quod ad tempus attinet (315—322.), quibus adiicitur digressio de veris laudibus (323—345.). Deinde pergit auctor disserere de cura arboribus post plantationem abhibenda, (346—370.), et agit de avertendis iis, quae nocere possint novellis arboribus (371—379.); cumque in his caper sit, excurrit in morem mactandi hirci in sacro Bacchi (380—396.). Vitibus tamen imprimis assidua est cura per totum annum adhibenda (397—419.). Minus operosa est olearum cultura (420—428.), exigua aut omnino nulla arborum sativarum (429—457.). Denique egregius excursus de laudibus vitae rusticae (458—542.).

Hactenus arvorum cultus et sidera caeli:
Nunc te, Bacche, canam, nec non silvestria tecum
Virgulta et prolem tarde crescentis olivae.
Huc, pater o Lenaee, — tuis hic omnia plena
Muneribus, tibi pampineo gravidus autumno

---

1. Hactenus, inquit, i. e. libro primo, de agrorum cultura egi, nunc arborum curam exponam, et primum quidem de *vitibus* ceterisque arboribus frugiferis (*te, Bacche, canam*), tum de *virgultis*, h. e. arboribus *silvestribus* et *oleis*, dicam. Utitur hoc exordio etiam Colum. III, 1. Ceterum vix est cur memorem, ad *hactenus* supplendum esse *cecini*, quod latet in sequente *canam*. Sic Aen. XII, 96. *te maximus Actor* (gessit), *te Turni nunc dextra gerit*, et Ecl. IX, 1. *Quo te, Moeri, pedes* (ducunt)? *an, quo via ducit, in urbem?* ubi vid. adnott. Repetit hunc versum auctor tetrastichi in Anth. Lat. Burm. II, 189, 9. atque respexerunt eum Colum. X, 133. et Claud. Cons. Stilich. II, 1. — 2. *Baccho* non solum vitium, quas primus Graecis adportavit (Athen. XV, 5. p. 82. d.), sed omnium arborum frugiferarum cura erat demandata (Athen. III, 7.), quare v. c. poma (mala) Dionysi commemorantur Theocrito II, 120. Inde eius cognomina *κάρπιμος* et *δενδρίτης*; inde etiam in Dionysiacis arbores circumferebantur (*δενδροφόρια*). Iure igitur Bacchus invocatur in principio libri de arborum cultura agentis. Ita fere Voss. ad h. l. — *silvestria virgulta. Virgulta* (cf. infra v. 346. et Lucr. V, 933. *nova defodere in terram virgulta*) respicit potissimum taleas arborum silvestrium s. infecundarum, ulmorum, populorum, fraxinorum etc. Temere enim Heyn., *silvestria* pro epitheto ornante habet, ut *virg. silvestria* nil nisi arbores omnis generis significent. Immo duo hic genera arborum commemorantur; per *Bacchum* ut iam vidimus, arbores fecundae significantur, quibus per *nec non*, ut vulgo, altera pars adiicitur, i. e. arbores *silvestres* sive infecundae, quae maritari soleant vitibus. (Cf. adnott. ad Ecl. III, 10. Geo. I, 2. et infra v. 89.) — 3. *prolem - - olivae* hinc sumpsit auctor carm. in Anth. Lat. Burm. II, 188, 3. Unam arborem frugiferam pro omni genere poëta nominat. De metaphora autem, qua *proles* ab animantibus ad plantas transfertur, Burm. conferri iubet Alanum in Anticlaud. I, 79. de tellure: *Naturae contenta manu Zephyrique favore Parturit, et tanta natorum prole superbit*, atque Suet. Aug. 94. et Galb. 1., qui *sobolem* dixit de pullis ex arboribus enatis. Cf. etiam infra v. 23. *de corpore matrum. - - tarde crescens* vocatur *oliva*, quia, apud Graecos certe, e semine (nucleo) educabatur, quare Hesiodus apud Plin. XV, 1, 1. dicit, satori olivae fructus videre numquam contingere, utpote prius defuncto. Romani celerius eam crescere iubebant e ramis dissectis (vid. v. 29. 30.); sed ita quoque tarda modo habebat incrementa. (Cf. v. 181. et Varr. R. R. I, 41. *Palma et cupressus et olea in crescendo tardae.* Quare etiam Graecis *ὀψίγονος, ὀψίκαρπος, δυσαυξής* vocatur.) — 4. *pater Lenaee. Pater* dicitur non tam ob corporis habitum, cum iuvenili et pulchra forma fingi soleat (nam *Bacchi barbati* s. *Indici* imagines erant rariores: cf. Hirt. *Mythol. Bilderbuch.* I. p. 78.), quam propter beneficia, quibus paterno quasi animo homines beat; ut omnes Dii, qui genitores, conditores rerum habentur, *patres* appellantur. — *Lenaei* autem et *Epilenii* cognomine (a *ληνῷ*, dolio illo, in quo uvae pedibus conteruntur, ducto) imprimis in vindemia invocabatur. Proprie *lenaeus* (*ληναῖος*) est Adiectivum, omnia quae ad vinum pertinent significans. Cf. Geo. III, 510. Aen. IV, 207. Stat. Silv. IV, 6, 80. *Lenaea dona.* Pro Baccho legitur etiam infra v. 529., Tibull. III, 6, 38. (*Odit Lenaeus tristia verba pater*), Ovid. Met. XI, 132. (*Da veniam Lenaee pater*), ibid. IV, 14., alibi. — *hic*, in iis, quae dicentur, in argumento carminis mei. — 5. *tibi*, in honorem potentiae tuae, i. e. per tuam potentiam, cura et beneficio tuo. Cf. Geo. I, 15., et Aen. V, 797., ubi vid. adnott. Lucr. I, 7. etc. — *pampineus autumnus* (ut nunc Cod. Med. secuti scripsimus: cf. Wagn.

Floret ager, spumat plenis vindemia labris —
Huc, pater o Lenaee, veni nudataque musto
Tingue novo mecum dereptis crura cothurnis.
Principio arboribus varia est natura creandis.

Orth. Verg. p. 418. et Ribbeck. Proleg. p. 389.) non tam proventum auctumni e vinea, *ὀπώραν*, significat, ut Heyn. interpretatur, sed potius de tempore accipiendum est, quo fit vindemia, et in quod poëta hic penitus se insinuat. Ceterum spondaicus huius versus exitus bene exprimit gravitatem auctumni; de ultima autem voc. *gravidus* syllaba arseos vi producta cf. adnott. ad Ecl. VI, 53. — *gravidus ager* ut Geo. I, 111. *gravidae aristae*, Geo. III, 317. *gravidum uber*. *Ager* autem de quovis loco, qui qualicumque ratione colitur, etiam arboribus et vitibus consito, dicitur. Cf. Hor. Epod. II, 17. *Vel cum decorum mitibus pomis caput Autumnus agris extulit* ibique Orell. — 6. *Floret*, quod Heynio nihil amplius significare videtur quam: laetus, plenus est, Voss. rectius ita interpretatur, ut simul de variis fructuum coloribus cogitasse poëtam suspicetur, comparans locum Colum. III, 21, 3. *Inter quae patre favente Libero fetis palmitibus vel generis albi, vel flaventis ac rutili, vel purpureo nitore micantis, undique versicoloribus pomis gravidus collucet autumnus.* — *vindemia* haud raro dicitur pro uvis in vindemia decerptis, v. c. infra 89. 522., etiam apud pedestris orationis scriptores, ut Plin. X, 73, 93. — *labra* sunt vasa ad recipiendum mustum apta. (Cf. Aen. VIII, 27. XII, 417. Cato R. R. X, 11, 13. Colum. XII, 50, 10. 11.) Tibullus I, 1, 19. *lacus* vocat. — 7. „Suavissima imago Bacchi uvas calcantis una cum poëta, ubi auxilium sibi a deo ferendum in carmine de vinearum cultura expetit." *Heyn.* De anaphora *Huc, pater o Lenaee* (cf. v. 4.) vid. quae ad Ecl. IV, 59. VI, 20. et alibi adnotavimus. — 8. *musto Tingue--crura*, calca uvas in labris. Calcare nudis pedibus uvas etiam nunc hic ibi, maxime in Italia, usitatum. Cf. autem e. g. Tibull. I, 7, 36. id. II, 5, 85. Prop. IV, 16, (III, 17,) 18. Calpurn. Ecl. X, 40 sqq. — *dereptis cothurnis*. Bacchus, ut Diana et Nymphae, in antiquis monumentis plerumque apparet cothurnis indutus, de quibus vid. adnott. ad Ecl. VII, 32. Manso conferri iubet Winckelm. Hist. art. p. 210. ed. Dresd. Vid. etiam Vell. Pat. II, 82. a Coningtone laud. et Voss. ad h. l. Pro *dereptis*, ab Heins. ex Mentel. I. aliisque libris restituto, vulgo legitur *direptis*, quod (a Medic., Gud. et tribus Bern. exhibitum) Voss. et Iahn. (in edit. II. longam instituens de his verbis cum *de* et *dis* compositis disquisitionem) defendunt, cum Particula *dis* in hoc verbo duplicem habeat significationem, et discerpendi, dilacerandi, et cum vi quadam a loco suo removendi, quemadmodum etiam in verbis *dimittendi, discedendi, digrediendi* etc.; quare interdum legatur *tunicam, vestem, regni insigne diripere* et similia. Sed hanc ipsam violentiae notionem, quae semper huic voci adhaereat, ab h. l. esse alienam, recte censet Wagn., quare probare non possum, Ladew. et Ribbeck. vulgarem lectionem servasse. Cf. tamen Ribbeck. Proleg. p. 402. Sexcenties autem in Codd., etiam optimis, ita confundi utramque Particulam, ut *di* — pro *de* — exhibeatur, satis notum. Cf. etiam adnott. ad Aen. I, 211. et XI, 193. Drakenb. ad Sil. X, 318. Broukhus. ad Tibull. I, 5, 40. Cort. ad Lucan. I, 120. Garat. ad Cic. Verr. II, 7, 20. Hand. ad Gronov. Diatr. in Stat. I. p. 558. Bach. ad Tibull. I, 2, 84. Kritz. ad Sall. Cat. 25, 3. Iug. 1, 4. et 102, 11. alii. — Ceterum Ladew. Hanovio suasore p. 9—12. post hunc versum transponit v. 39—46., quam tamen rationem etiamsi non alia causa accederet dissuadens, iam propterea sequi dubitassem, ne vulgares versuum numeri prorsus turbarentur. At vero etiam l. III. ad Maecenatis appellationem demum v. 41. poëta transit, quare Wagn. infra ad v. 39. verissime videtur adnotare, etiam hac in re poëtam ea uti variatione, ut in primo ultimoque libro Maecenatis nomen primis versibus interponat, contra in binis mediis eo demum loco inserat, quo ad praecepta veniatur. Ceterum vide etiam, quae Heyn. et Voss. infra ad v. 39. docent. — 9—12. „Arbores procreantur aut natura [v. 9—21.], aut arte [23—34.]. — *arboribus creandis*, h. e. arborum nascentium [vid. tamen Wagn. ad Geo. I, 3.], *natura*, ratio, *est*

Namque aliae nullis hominum cogentibus ipsae
Sponte sua veniunt camposque et flumina late
Curva tenent, ut molle siler lentaeque genestae,
Populus et glauca canentia fronde salicta;
Pars autem posito surgunt de semine, ut altae

---

varia: et quidem naturalis modus triplex, *aut* ut sponte *veniant*, h. e. proveniant arbores (ut supra I, 54.), *aut* a semine, *aut* ab radice. Plin. XVI, 32, 58. Cf. Theophr. h. pl. II, 1., quem et Varronem I, 39, 31. expressit Vergilius. Item Colum. de arbor. pr., qui ad h. l. respicit." *Heyn.* — 10. *nullis hominum cogentibus*, ut Ovid. Met. I, 103. *Contentique cibis nullo cogente creatis.* Vide etiam Geo. I, 128. *Nullus* (pro *nemo*) cum Genitivo inde pendente legitur etiam apud Tac. Germ. 43. med. *Nullo hostium sustinente novum adspectum* et alibi. — *ipsae Sponte sua.* Cf. adnott. ad Ecl. IV, 21. et VIII, 106. *Sponte sua*, *αὐτομάτως*, (*αὐτόματα*, ap. Theophr. h. pl. II, 1.) hic idem significat, quod supra I, 22. *non ullo semine.* Hoc tamen, cum nulla arbor, nulla herba sine semine nascatur, non stricte capiendum esse, quisque videt. Sermo est de plantis, quarum semen, quod non spargitur hominum manibus, sed vento et aëre advehitur, sensibus nostris omnino est occultum. (Vide tamen v. 14. ibique adnott.) Quare Varro R. R. I, 40. docet: *Semen--duplex: unum, quod latet nostrum sensum, alterum, quod apertum. Quaedam etiam usque adeo parva, ut sint obscura.* Cf. etiam Plin. XVI, 36, 45. et Schirach. p. 503. et 537. — *veniunt*, proveniunt. Cf. adnott. ad Geo. I, 54. — 12. *flumina curva*, sollemni epitheto a flexibus sinuosis fluviorum petito. Cf. v. c. Tibull. IV, 1, 125. *Curva nec assuetos egerunt flumina cursus.* Sic Aen. III, 238. *curva litora.* — *campos--tenent*, i. e. tegunt, implent. Sic Ovid. Fast. II, 465. *Populus et cannae riparum summa tenebant* (ubi vid. Burm.), id. Met. II, 3. *tenet ima lacunae Lenta salix iuncique leves cannaeque palustres* etc. Cf. Heins. ad Ovid. Fast. III, 219. — 13. „*siler* salicis fortasse genus; neque enim satis notus frutex est. Vid. Plin. XVI, 18, 31." *Heyn.* Praeter h. l., ubi non nisi in aquosis locis provenire dicitur, etiam XXIV, 10, 44. eius mentionem facit Plinius, qui folia sileris illita capitis dolores sedare, odorem vero serpentes fugare perhibet, qua de causa rustici baculum ex eo factum gerant. — *genesta* s. genista (*spanischer Ginster*), frutex vimineus, cuius in Italia potissimum permagna copia nascitur, quemque Romani et sepibus faciendis et apibus nutriendis adhibebant. Cf. infra v. 434. Plin. XVI, 37, 69. XXI, 12, 43. XXIV, 9, 40. Colum. IV, 31. in., ubi vid. Schneider., Burmann. ad Gratii Cyneg. 130. etc. Nomen aut a *genu* deducitur, quod instar genu flexilis sit, vel a *geno* (i. e. gigno), quod sponte genatur. Cf. Billerb. Flor. class. p. 181. Ribbeck. scribit *genistae* cum Med. (qui tamen infra v. 434. *genestae* exhibet) et Rom. Plurimi autem Codd. consentiunt in scriptura *genestae.* Difficile dictu est, utra forma praestet. — *lenta;* sollemne viminum epitheton. Cf. Geo. I, 265. — *salicta* (cf. Ecl. I, 54.) pro salice. Ex variis autem salicis generibus id commemoratur, quod pulcherrimam praebet speciem, foliis *glaucis*, subtus vero *canentibus* (i. e. albis, cf. adnott. ad Geo. I, 43.) praeditum. Ita etiam Ovid. Met. V, 590. de *canis salictis* loquitur; *glauca* autem *coma* populo tribuitur apud Victorin. I. p. 2504. — 14. *Pars* respondet praecedenti *alii*, ut Ecl. I, 64., ubi vid. adnott. — *pars surgunt.* Cf. adnott. ad Aen. I, 212. — *posito semine* (*ἀπὸ σπέρματος* ap. Theophr. l. l.) non est: semine hominum manibus iacto, ut Burm. explicat de plantariis cogitans; nam de satione arborum omninoque de iis propagationis modis, quos homines invenerunt, infra demum sermo est v. 22 sqq. Hic de eiusmodi arboribus agitur, quae neque *sua sponte*, i. e. sine ullo semine in oculos incurrente (cf. Geo. I, 22. Varro R. R. I, 40. Plin. XVI, 26, 45.), proveniunt, neque ab hominibus seruntur aut plantantur, sed ex illo semine procrescunt, quod ipsis decidit et in solum se insinuavit, e castaneis, nucibus, glandibus etc. Quare Heyn., ceteroquin locum satis recte intelligens, minus probabiliter adnotat: „Quod hic *posito semine*, idem v. 57. *seminibus iactis;*" qua in re Bryce mecum consentit et ipse, ut ceteri recentiores

Castaneae nemorumque Iovi quae maxuma frondet
Aesculus atque habitae Graiis oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis densissima silva,
Ut cerasis ulmisque; etiam Parnasia laurus
Parva sub ingenti matris se subicit umbra.
Hos natura modos primum dedit, his genus omne
Silvarum fruticumque viret nemorumque sacrorum.
Sunt alii, quos ipse via sibi repperit usus.

---

editores, semen hominum manu iactum respuens, ceterum vero de hoc loco paullo obscurius disputans. *Poni* potius pro *deponi*, idque pro *decidere* usurpatum eadem ratione, qua infra v. 403. et 521. Cf. etiam Ovid. Met. XI, 46. id. Her. XV, 151. Hor. Od. III, 10, 7. ubi *positae nives*, ut apud Prop. I, 8, 9. *positae pruinae*, sunt caelo delapsae. (Vid. Broukhus. ad Prop. l. l. et Voss. ad h. l.) Recte autem Heyn. adnotat, semina non solum de granis, sed latiore sensu etiam de nucibus, nucleis, baccis, interdum de radicibus, plantis, stolonibus, omninoque de quovis propagandi genere dici. Peerlk. tamen, his omnibus non contentus, p. 136. coni. *proprio s. de semine*, quod eadem ratione vult intelligi, qua supra *posito* interpretati sumus. — 15. De *castaneis* vid. Colum. IV, 33. Plin. XVII, 10, 10. et 20, 34. — *aesculus*, arbor glandifera e quercuum genere, ut omnis quercus, Iovi sacra. (Plin. XVI, 4, 5.) Erat omnium quercuum altissima (cf. infra v. 291 sqq.), sed minores et deteriores, quam cetera genera, ferebat glandes. (Plin. XVI, 6, 8. 26, 43. 40, 79.) Voss., coll. Sprengel. Antiqu. botan. I, 25., aesculum eandem habet cum quercu montana, ab Homero Il. XII, 132 sqq. descripta; Martino est quercus hiberna, ut *quercus*, quae proprie dicitur, aestiva. Alii perperam eam confundunt cum *fago*, ut *φηγόν* a *φαγεῖν*, ita *esculum* ab *esca* deducendum putantes. *Aesculus maxima nemorum* Heyn. graece dictum putat pro: in nemoribus; Wund. vero *nemora*, ut *silvas* v. 26., [et Aen. III, 24.] pro arboribus posita accipit, atque etiam Wagn. *nemora* per „arbores nemorales" interpretatur, quam explicandi rationem Amcis in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 57. poëta indignam censet. — 16. *habitae oracula quercus*, Dodonae, ubi aut columbae quercubus insidentes, aut quercus ipsae foliorum murmure oracula edere putabantur. Cf. Hom. Od. XIV, 327. 28. et adnott. ad Ecl. IX, 13. Wagn. comparat Ovid. Am. III, 10, 9. *quercus, oracula prima*. Peerlk. p. 376. pro *habitae* coni. *aditae*, coll. Hom. Od. XIV, 327. *Τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα θεοῖο Ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ.* — 17. Tertium genus arborum commemoratur, quod e radicibus (*ἀπὸ ῥίζης* ap. Theophr. l. l.) novos surculos profert, *viviradices* (*Wurzelschösslinge*) vocatos; quamquam, ut Heyn. docet, id nomen latius patet, et stolones ac truncos etiam designat, quos transfers in aliam terram. Cato R. R. c. 51. hos surculos e radice progerminantes *pullos*, Plin. XVII, 10, 12. *pullulos* vocat. — *silva*. Vid. adnott. ad Geo. I, 76. et 152. — 18. *etiam Parnasia laurus*. Animadverte orationem eleganter variatam pro: ut cerasis, ulmis et lauro. *Laurus*, Apollini sacra, secundum Plin. XV, 30, 40. pulcherrima inveniebatur in Parnasso, Phocidis monte, ad cuius radices Delphi erant sitae. De forma *Parnasius* cf. adnott. ad Ecl. VI, 29. — 19. *Parva sub ingenti* etc. De collocatione verborum vid. not. ad Geo. I, 366. — *ingens umbra* pro frondibus umbram late facientibus redit infra v. 297. Cf. etiam Geo. I, 191. — *se subicit*, succrescit. Vid. Ecl. X, 74. ibique adnott. Imitatus est h. l. Claudian. X, 244 sqq. *Assurgit ceu forte minor sub matre virenti Laurus.* — 20. 21. Hi sunt modi naturales; sed praeter hos etiam commemorandi modi ab hominibus inventi. — 22-24. *Sunt alii*, scil. modi (v. 20.) arborum creandarum artificiales, avulsio, infossio, propagatio, surculi, consitio, insitio. Cf. Theophr. h. pl. II, 1. et Plin. XVII, 10, 9. — *viam* Heyn., Schirach. p. 631. et Wagn. de arte, ratione, industria et experientia intelligunt; sed rectius Voss. de procedentis experientiae (quae hic *usus* dicitur) cursu: *die fortschreitende Erfahrung fand sie auf ihrem Wege*. Cf. infra IV, 313. 316. I, 133. Colum. X,

Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum
Deposuit sulcis, hic stirpes obruit arvo
Quadrifidasque sudes et acuto robore vallos;
Silvarumque aliae pressos propaginis arcus
Exspectant et viva sua plantaria terra;

---

338. *salutis Ipsa novas artes varia experientia rerum Et labor ostendit miseris ususque magister Tradidit agricolis.* Cf. etiam Ameis l. l. p. 39 Heyn. iam adnotat, praeivisse Maroni Lucretium V, 1360 sqq., omnia autem, quae sequuntur, cum ex aliis, tum imprimis ex Theophr. de caus. pl. lib. I. egregie illustrari posse. Ceterum pro *alii*, *quos* Medic. a manu sec. praebet *aliae*, *quas;* quare Scaliger Proleg. ad Manil. p. 9. coni. *Sunt aliae, quas ipse vias sibi r. u.*, Heinsius *Sunt aliae quas ipse viae s. r. u.* et illam quidem coniecturam Ribbeck. adeo in contextum recepit. Sed Fogginio teste in Cod. Med. is est literarum ductus, ut nescias, *alii* an *alia*
A A
legas, (secundum Ribbeck. ALIE QUOS), unde origo huius varietatis facile potest explicari. Peerlk. denique, cui haec non satisfaciunt. p. 137. duas proponit coniecturas *Sunt alii, quos ipse etiam* (aut, quam praefert, *quos ipse una*) *sibi reperit usus*, ut *una* sit i. q. simul cum natura. — *ipse usus*, solus usus sine naturae exemplo. De voce *repperit* ex Med. auctoritate geminata litera scribenda cf. Wagn. Orth. Verg. p. 462 sq. Ceterum repetit hunc versum, quem etiam Claud. rapt. Pros. III, 30. respexit, auctor epigr. in Anth. Lat. Burm. III, 81, 56. — 23. „Alius *stolones* avulsos e radice (vid. v. 17.) fossis (sic *sulcus* etiam infra v. 289.) seu scrobibus mandat. Vid. Plin. XVII, 10, 13. Ita *avulsione* arbores proveniunt." *Heyn.* — *plantae* vocantur stolones, quatenus ea ipsa de causa a corpore matrum avelluntur, ut denuo plantentur. Ovid. Rem. Am. 193. (quem Heyn. laudat) *Ipse potes riguis plantam deponere in hortis.* Pro *tenero* Manso ex uno Cod. Arundel. recepit *teneras*, quod, si plures Codd. addicerent, ipse praeferendum censerem, cum plantis, quam trunco matrum, aptius esse epitheton quisque videat. Heins. autem pro *abscindens* aliquot Codd. (inter quos Gud. et Bern. c.) auctoritate scripsit *abscidens*. Utrumque vocabulum saepissime confundi, res est notissima. Cf. praeter alios Drakenb. ad Liv. XXXI, 34, 4. Wagn. docet, abscidi aliquid cultro, ense, abscindi autem (quod idem fere sit, quod *avelli*) alia aliqua vi; stolones vero cum fibris avelli s. abscindi (*παρασπᾶσθαι*) ab arbore, non rescindi, ideoque h. l. *abscindens*, licet improbatum a Cortio ad Lucan. III, 33., esse reponendum. — *de corpore matrum.* Ita Plinius haud raro de arboribus, unde virgae propagantur, v. c. XII, 5, 11. XIV, 1, 3. XV, 15, 17. XVII, 22, 35. §. 11. etc. Vid. etiam Colum. III, 17, 1. et alibi. — 24. *deposuit sulcis:* vid. supra. — „Alius modus est, quo quis *truncos* s. vastiores ramos ac taleas in pali modum aut quadripartito fissas cum radicibus *in terram infodit.* Cf. Plin. XVII, 17, 27. Colum. cum alibi tum V, 9, 3." *Heyn.* — *vallos.* Vid. Geo. I, 264. — 26. „Tertius modus fit *propagationis.* Ut aliae, inquit, arbores proveniant, incurvatas in terram, scrobe facto, demittere necesse est, et in *terra sua*, h. e. ea, in qua mater crevit, plantare." *Heyn.* Cf. Plin. XVII, 13, 21. — *Silvarum.* Vid. supra ad v. 15. Copulam adiectam *que* in eiusmodi enumeratione similium rerum idem esse quod *autem*, Wagn. docet in Qu. Virg. XXXV, 4., coll. Aen. V, 121. 322. 339. — *pressos*, in terram depressos. — 27. *viva plantaria* videntur dici, quia propagines ab arbore materna non dissecantur, priusquam radices egerunt, sed cum matre cohaerent. — *sua terra*, cui mater adsuevit. Cf. adnott. ad Ecl. I, 37. Cato R. R. c. 28. *oleas, ulmos, ficos - - cum seres, bene cum radicibus eximito cum terra sua quam plurima*, coll. cum Plin. XVII, 11, 16. Aliter hunc locum explicat Leutsch. in Philol. XI. p. 314.: „*Andre Baumarten erwarten durch Erde oder Klammern gedrückte Senker u. sonach in ihrer eigenen Erde Baumpflanzungen. Verg. denkt sich von einem Stamme mehrere Zweige abgehackt, welche um den Stamm eine Art Baumschule bilden werden.*" Contra quem Ladew. vere contendit, non apparere, quomodo haec ratio propagationis differat a sequente v. 28 sqq.

Nil radicis egent aliae summumque putator
Haud dubitat terrae referens mandare cacumen.
Quin et caudicibus sectis — mirabile dictu —
Truditur e sicco radix oleagina ligno.
Et saepe alterius ramos inpune videmus
Vertere in alterius mutatamque insita mala
Ferre pirum et prunis lapidosa rubescere corna.

— 28. „Est hoc sationis genus, cum ex summa arbore rescissa virga s. talea, scrobe facto, in humo defigitur surculus." *Heyn.* Cf. Plin. XVII, 10, 13. Varr. R. R. I, 40. — 29. „*referens*, quia iam ante illinc enatum fuerat. Nisi omnino ornate dictum est *referens mandare* pro simpl. mandare. Nam fert, defert, refert taleam in illum locum." *Heyn.* Wunderl. adeo putatorem, qui ad arborem putandam exierit, *referre* surculum proprie dici existimat, ut *reportare* I, 275. Mihi prior Heynii interpretatio, utpote poëta dignior, videtur praeferenda. Optime enim sibi opponuntur verba *summum cacumen* et *terrae referens mandare*. In omnibus vero illis locis, ubi vulgo verba cum Part. *re* composita pro simplicibus poni putantur, illam servare quodammodo vim suam, ad Geo. II, 194. III, 76. Aen. II, 139. IV, 656. VII, 167. X, 234. XI, 710. XII, 2. 35., et alibi videbimus. *Summum cacumen* autem pro virga e summo arboris cacumine abscissa positum. Conington conferri iubet Pallad. III, 25, 28. (*Morus*) *serenda est taleis vel cacuminibus.* — 30. „Nonnullae arbores, et inter has imprimis olea [myrtus, morus, aliae], *concisione*, h. e. ita procreantur, ut *caudex* s. stipes, *resecta radice* et abcissis ramis, idemque dissectus ac fissus, terrae infodiatur." *Heyn.* Cf. Cato R. R. 45, 1. Colum. V, 9, 1. Geopon. IX, 11, 8. Plin. l. mox laud. et infra v. 63 sq. — „*caudices secti* per se esse possent poëtica ratione resecti, abscissi; at solent isti caudices diffindi et concidi, ita ut e media medulla nova arbor prodeat. Plin. XVII, 10, 9. inter genera sationis arborum: *et consecto arboris trunco.* Adde Plin. XVII, 17, 27. 28. 29. et Theophr. pl. II, 1. et 7." *Heyn.* — *truditur*, i. e. se protrudit, prorumpit. — *e sicco ligno.* Ex verbis adiectis *mirabile dictu* videtur apparere, proprie intelligendum esse epitheton *siccus* de caudicibus aridis, qui, radicibus iam dudum resectis, nihil iam succi habent, vel certe nihil videntur habere. Vossius apte comparat Pallad. XI, 5. *radiculae non ad siccum debent recidi: - - recidemus relicto digiti spatio*; apud Plin. XVII, 18, 30. autem (*Non inhumare taleas, aut siccare prius, quam serantur, utilius compertum*) Wagn. *secare*, non *siccare* legendum esse suspicatur. — 32—34. „De *insitione* agit. Narrat exempla: malum insitam piro, corno prunum; poëta fructum pro arbore nominat, pirus fert mala, cornus pruna." *Heyn.* Sed vide not. ad v. 34. — *inpune*, sine noxa, detrimento ipsius arboris. — 33. *vertere* pro se vertere. Cf. adnott. ad Ecl. IV, 45. et Aen. I, 324. Videtur hunc locum respexisse Calpurn. II, 42. *Ars mea nunc malo pira temperat et modo cogit Insita praecoquibus subrepere persica prunis.* — 34. Heyn., Voss., Wund. et Wagn. putant, Vergilium *corna* pro *corni*, ut v. 426. *poma* pro *pomi*, dixisse, ut sensus sit: cornus fert pruna. Sed rectius Martinus: *prunas fert corna:* quam explicationem iure amplectuntur Manso in *Vermischte Abhandl. und Aufs.* p. 290 sqq. et Iahn. *Prunis* igitur vel tertius est Casus, vel sextus, omissa Praepos. *in*. *Rubescere* enim contendo magis convenire cornis, quam prunis, quamvis etiam prunorum genus sit *purpureum* (Plin. XV, 13, 12.); *lapidosus* autem fructuum, qui nucleum habent durissimum, non arboris est epitheton. (Cf. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 2, 57. et vid. etiam Aen. III, 649. coll. Colum. X, 15., qui *lapidosa poma pruni*, et Pallad. III, 25, 2., qui *lapidosi generis pira* commemorat.) Quod Voss. dicit, temerarium esse, lapidosa corna, quae Lucr. V, 939. 963. cum glandibus et piris silvestribus ut primorum hominum victum derideat (in quo tamen fallitur vir doctiss., cum Lucretius non *corna*, sed *arbuta* commemoret), quaeque Hom. Od. V, 241. et Colum. VII, 9. pabulum suarium fuisse perhibeant, prunis inserere, hoc non multum ponderis habet. Con-

Quare agite o proprios generatim discite cultus,
Agricolae, fructusque feros mollite colendo,
Neu segnes iaceant terrae. Iuvat Ismara Baccho
Conserere atque olea magnum vestire Taburnum.
Tuque ades inceptumque una decurre laborem,

---

stat enim, de gustibus non esse disputandum, atque etiam inter nos esse, qui cornorum sapore delectentur; quare qui prunos multas habebat, facile poterat adduci, ut uni vel alteri earum corna insereret, imprimis cum veteres corna, quibus pro olivis uterentur, non minus quam pruna, pira et mala condiisse, ex Colum. XII, 10, 2. Plin. XV, 26, 31. et Ovid. Met. VIII, 666. discamus. Quid quod fuerunt, qui interdum unam eandemque arborem ex insitione et pruna et corna tulisse putarent? Cf. Schmid. ad Hor. Epist. I, 16, 9. et Manso l. l. Ambigue tamen scripsisse Vergilium, negari non potest. (Consentiunt mecum in explicando hoc loco Ladew., Bryce et Conington.) — 35. Discite, agricolae, qui cultus cuique plantarum generi proprius sit. — *generatim*, pro suo cuiusque genere, vox Lucretiana (I, 21. 230. 564. 598. etc.). Omnino totus hic locus ad Lucretii V, 1366. exemplum compositus. Cf. etiam Theophr. caus. pl. II, 14, 2. — 37. *Neu*, non praecedente Particula *ne* aut *ut*, sed post simplicem Imperativum legitur etiam Aen. IX, 234. Similiter Aen. VII, 265. *Adveniat, vultus neve exhorrescat amicos*, VIII, 582. *o liceat - - gravior neu nuntius auris Volneret* (ubi vid. Wagn.) et apud Hor. Od. I, 2, 50. *Hic ames dici pater atque princeps, Neu sinas Medos equitare inultos.* Paullo alia res est, ubi iteratur *neve - - neve*, ut infra v. 298 sqq. IV, 46 sqq. Aen. IX, 40 sqq. Quare non opus est, ut *neu* ex uno Cod. Menag. in *ne* mutemus, etsi *ne* et *neu* haud raro confundi constat. Cf. Görenz. ad Cic. Leg. II, 18. p. 129. Beier. ad Cic. Off. III, 2, 6. p. 194. Kritz. ad Sall. Cat. 34, 2. et Iug. 11, 24. Dietsch. ad Sall. Iug. 8, 2. 14, 24. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 47. Wagn. Qu. Virg. XXXVI, 14. et quos alios laudat Obbar. in Exc. ad Hor. Ep. I, 11, 23. Fasc. V. p. 121. et 125. et in Muetzellii Ephem. gymn. a 1850. p. 899. — *Neu segnes iaceant terrae.* Cf. Geo. I, 124. — *terrae.* De terra, ut arborum, fruticum, herbarum altrice, plerumque Singulari numero loquitur Vergilius, interdum vero etiam Plurali, ut praeter h. l. infra v. 45. et III, 525. Cf. Wagn. Qu. Virg. IX. p. 412. — *Iuvat Ismara* etc. Hunc locum, qui continet causam adhortationis, iam Reiskius recte interpretatus est his verbis: „Decrevi canere, quomodo vinum, quale fert Thracia, et oleum, cuius ferax est Taburnus, colatur." Cf. etiam Manso ad h. l. Paullo enim artificiosior est Bothii explicatio, qui in Virg. p. 10. verba *Iuvat Ismara - - - - Taburnum* parenthesi includenda esse censet, quae idem significent, quod in prosa oratione: nam iuvat vel Ismarum vitibus conserere, cum etiam Serv. adnotet: „Per hos montes significat, etiam montuosa et aspera loca tractanda esse." Video tamen cum eo consentire Bryceum. — *Ismarus*, mons Thraciae (de quo diximus ad Ecl. VI, 30.), vino suo, Maroneo, iam Homeri tempore celeberrimus. (Cf. Odyss. IX, 196. Archiloch. fragm. 56. ex Athen. I, 30. Plin. XIV, 4, 6. Ovid. Met. IX, 641. Propert. III, 31, [II, 33,] 32.) — *Baccho*, vino. Vid. Ecl. V, 69. — 38. *Taburnus*, mons asperrimus in confiniis Samnii, Campaniae et Apuliae situs, olivis suis nobilis, qui etiamnum interdum antiquo nomine, vulgo tamen *Rocca Rainola* vocatur. Burm. laudat interpp. ad Gratii Cyneg. 509., ubi *Caudini saxa Taburni* commemorantur. Cf. etiam Aen. XII, 715. et liber meus geogr. III. p. 495. — 39 sqq. „Proposito quasi argumento libri, Maecenatem, ut id una pertractet, advocat, commodiore loco, quam si paullo ante v. 5—9. Baccho subiunxisset privatum hominem. Nam Caesarem [quem deum in terra habitantem vult agnosci] recte ultimo post deos loco ponebat Geo. I, 24 sqq." *Heyn.* Acute Voss. observat, hic, ubi de arborum cultura per homines sermo sit, aptius hominem aliquem, Maecenatem, supra vero, ubi de arboribus vi divina (natura) procreatis agatur, Bacchum deum invocari. Cf. etiam quae supra ad v. 8. adnotavimus. Ceterum imago a navigatione desumpta. Haud raro enim poëtae veteres, interdum etiam pedestris orationis scriptores, conatum

O decus, o famae merito pars maxuma nostrae,
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
Maecenas, pelagoque volans dare vela patenti;
Non, mihi si linguae centum sint oraque centum,

---

suum et liberum poëticae facultatis quasi cursum cum periculosa et audaci navigatione comparant. Praeter ipsius Vergilii locum, quem infra IV, 116 sqq. legimus, cf. v. c. Hor. Od. IV, 15, 1. Ovid. Fast. I, 4. 466. IV, 729. Trist. II, 329 sq. Plin. Ep. VIII, 4, 5. Valer. Max. V, 7. — *decurrere* igitur non de spatio in circo percurrendo, sed de cursu navis intelligendum, ut Aen. V, 212. Catull. LXIV (LXII), 6. etc. Steinmetz. p. 4. *decurrere laborem* eadem ratione dictum putat, qua Ecl. IV, 46. *currere saecla*. — 40. „Maximam suae famae et gloriae partem eo contineri dicit poëta, quod Maecenatis amicitia utatur. Cf. ad Geo. I, 2." *Heyn.* — *decus*, cuius amicitia mihi perquam honorifica. Cf. Hor. Od. I, 1, 2. *Maecenas - - O et praesidium et dulce decus meum*. id. Od. II, 17, 4. *Maecenas, mearum grande decus columenque rerum* etc. Conington confert Propert. II, 1, 74. *Maecenas - - Et vitae et mortis gloria iusta meae*. — In seqq., ubi poëta se fingit nautam vel potius navis dominum, qui cupit, ut Maecenas cursum susceptum secum conficiat, cum Ladew. secutus sum ingeniosam Peerlkampii coniecturam, qui (p. 138.) v. 42. *Non ego* etc. ante v. 41. *Maecenas* etc. poni et Imperativo *da* Infinitivum *dare* substituere suasit. Sic enim tollitur omnis difficultas, imprimis in Copula *que* sita, neque opus est, ut cum Hanovio (vid. supra ad v. 8.) scribamus *Maecenas ades et primi* etc., omnibus reliquis verbis *pelagoque--Ferrea vox* (quae ab interpolatore aliquo ex Aen. XII, 269 sq. [potius 263 sq.] et VI, 625 sq. conflata sint) audacter deletis. Video, etiam Ribbeckio in Proleg. p. 45. hanc Peerlkampii coniecturam probari. Non tamen reticendum, etiam in Anth. Lat. Burm. I, 178, 66., ubi v. 41. iteratur, vulgarem lectionem apparere. — 42. *Maecenas*. Cf. adnott. ad Geo. I, 2. — *volans*. Burm., Reisk., Wakef. et Voss. praeferunt duorum Codd. Leid. et Madrit. (itemque Cod. Paris. Diomedis p. 457. P.) lectionem *volens* (benignus, favens), et Voss. quidem confert Aen. III, 457. *Ipsa canat vocemque volens atque ora resolvat*. (Cf. etiam Heins. ad Aen. V, 219. idemque ad Ovid. Met. II, 128., magnam exemplorum copiam Participii *volens* ita usurpati congerens.) Sed ceterorum Codd. omnium lectionem et elegantiorem et difficiliorem esse quisque videt, cui celeritatis et agitati cursus notionem inesse bene observavit Jahn. Simillimus est locus ille Aen. V, 219., ubi vid. adnott. — *dare vela*, expansis velis navigare, quod poëtica imagine latius persequitur sententiam prioris versus. Poëtis autem satis usitatum est eiusmodi imagines a navigatione repetere. (Vulgarem lectionem sic explicant: *da vela*, mecum (*una* v. 39.) naviga, i. e. fave mihi canenti.) — *pelago patenti*, (quod non sextum, sed tertium Casum esse patet: cf. etiam Ameis Spicil. p. 24.) scil. ad navigandum. Cf. Hor. Od. II, 16, 1. *in patenti Prensus Aegaeo*. Ita apud Cic. Div. I, 1, 2. *caelum patens atque apertum*, et quae sunt similia. Hic autem per *pelagum patens* (quod opponi *primi litoris orae* v. 44. in promptu est), poëta videtur intelligere infinitam, immensam canendi materiam, quae numquam possit exhauriri. Paullo aliter tamen statuit Hanovius Sched. crit. p. 11., qui (recte disputans contra Tittlerum Progr. Brig. p. 19. haec verba de solo Maecenate dici opinantem, qui poëtam ad carmen heroicum in Octaviani honorem conscribendum excitaverit, cui ille se nondum parem esse arbitretur) non copiam et abundantiam, sed magnitudinem et difficultatem rerum respici putat. — 43. Locus notissimus, ex Hom. Il. II, 488. depromptus, quem iam ante Vergilium secundum Serv. ad hunc et parallelum Aen. locum Lucretius iisdem, quibus noster, verbis, *Aerea* modo *vox* pro *Ferrea vox* scribens, transtulerat (cf. Lachmann. ad Lucr. VI, 840. p. 399.) et Macrobio Sat. VI, 3. teste, Hostius poëta, Iul. Caesaris aequalis, ita reddiderat: - - *non si mihi linguae Centum atque ora sient totidem vocesque liquatae*. Repetit autem Vergilius eosdem versus Aen. VI, 625. 26. Praeterea cf. Ovid. Trist. I, 5, 53. *Si vox infragilis, pectus mihi firminus aere, Pluraque*

Ferrea vox; ades et primi lege litoris oram,
In manibus terrae; non hic te carmine ficto
Atque per ambages et longa exorsa tenebo.
Sponte sua quae se tollunt in luminis oras,

---

cum linguis pluribus ora forent etc. et auctor carm. in Wernsd. Poët. L. min. IV, 540, 132. *non si mihi murmura centum Det Boreas - - centumque per ora Lingua - - fremat, memorare valebo.* — 44. *ferreus*, Homericum σιδήρεος, i. q. *validus, firmus.* Cf. v. c. Liv. XXXIX, 40. extr. de Catone: *ferrei prope corporis animique*, et ita de hominibus duris, severis, inhumanis haud raro dici constat. — *ades.* Vid. adnott. ad Ecl. II, 45. VII, 9. — *primi lege litoris oram.* Indicat poëta, se nolle longinqua petere (quod faciunt, qui in altum evehuntur) et omnia accurate persequi, sed summa tantum rerum capita se leviter esse perstricturum. De formula dicendi *litus legere* cf. adnott. ad Ecl. VIII, 7. — 45. *in manibus terrae* (ἐν χερσίν, Apoll. Rh. I, 1113.), h. e. prope sunt, vicinae, quas litus legentes manibus fere attingere et in quibus oculos defigere possimus. Cf. etiam Eurip. Heracl. 429. οἵτινες - - - ἐς χεῖρα γῆ συνῆψαν. Ovid. Her. XVIII, 179. et Aen. XI, 311. Ita etiam de iis, quae tempore proxima sunt, usurpatur. Cf. Liv. IV, 57. in. *cum tantum belli in manibus esset* etc. Vult autem poëta hoc significare: huius carminis didactici argumentum, quod spectat ad ipsam terram et agros, in propinquo situm est et clare ante oculos positum, non, quemadmodum in epico carmine, longis demum ambagibus eo deveniendum; hic enim non in argumento aliquo ficto, sed in ipsa rerum veritate mecum versaberis, in quam sine longo exordio te statim possum introducere. — *non carmine ficto:* non mythici aut heroici argumenti, sed didactici, in veris rebus versantis. Leutsch. tamen in Philol. XI. p. 303. hunc locum aliter capit et *carmine ficto* ad commenta Varronis Atacini in cosmographia prolata alludi suspicatur. — 46. *per ambages.* Obversabatur fortasse poëtae Lucretii locus VI, 1080. *Nec tibi tam longis opus est ambagibus usquam.* Cf. etiam Aen. I, 341 sq. — *longa exorsa*, longum exordium, quo res alte repetuntur (*lange Vorreden*). (Cf. etiam Leutsch. in Philol. XI. p. 327.) Sic *exorsus* pro exordio in Cic. Manil. 4. extr. Poëta trag. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 222. haec ita imitatus est: *Sed quid ego ambages et iussa exorsa resolvo?* — 47. Iam ad culturam arborum progreditur. Et primum quidem v. 47—56. de emendatione arborum silvestrium agit. „Quae in agro inculto sponte enasci solent, mitiorem naturam possunt consequi insitione aliisque modis. Cf. Varr. I, 39. 40." *Heyn.* — *In luminis oras.* Hanc unius Medicei lectionem cum Heyn. et sequentibus editoribus praetuli vulgatae *luminis auras.* Apertum est enim, Vergilium hic et Aen. VII, 660., ubi eadem verba redeunt, imitari Ennianam et Lucretianam illam dicendi formulam *in luminis oras* tollere, producere, dare, exoriri, exire etc., quae legitur v. c. apud Ennium p. 38. 51. Hessel. (p. 19. 27. Vahl.), apud Lucretium I, 23. 171. 180. II, 578. 618. V, 779. (ubi prorsus ut hic: *in lum. oras tollere*) 1388. 1454., ubi sane Codd. interdum idem illud *in luminis auras* substituunt. Vid. quae hac de re contra Lachmannum ad Prop. I, 1, 31. in omnibus illis locis *luminis oras* in *luminis auras* mutandum esse statuentem disputavi ad Lucr. I, 23. (quaeque virum illum doctiss., alias in me tam iniquum, movisse videntur, ut sententia sua tacite mutata in omnibus illis Lucretii locis *luminis oras* ederet), quibuscum cf. quae Wakef. ad Lucr. I, 180. et V, 779. Columna ad Ennium p. 38. Merula ad eund. p. 257. et Burm. ad Claud. p. 1042. adnotarunt. *Luminis orae* (quod etiam Aen. VII, 660. ex optimorum Codd. auctoritate servandum), propr. *die Räume, der Bezirk des Lichtes*, prorsus respondet nostro *das Licht der Welt*, nec umquam usurpatur, nisi ubi de introitu in vitam, de animantibus partu editis, vel de plantis e terra progerminantibus sermo est. (De voc. *orae* vid. etiam infra ad v. 171. et ad Aen. II, 91.) *Luminis aurae*, quod nemo umquam videtur dixisse, nihil aliud significare possunt, quam auras solis luce collustratas. Praeterea cf. adnott. ad Ecl. I, 56. Quare miror, praeter Schirach. p. 480. etiam Weichertum in Epist. crit. p. 55 sq. vulgarem lectionem studiose defendere. –

Infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt;
Quippe solo natura subest. Tamen haec quoque, si quis
Inserat aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint silvestrem animum cultuque frequenti
In quascumque voces artis haud tarda sequentur.
Nec non et sterilis, quae stirpibus exit ab imis,

---

48. *Infecunda quidem*, quia semen, quod in oculos incurrat, non proferunt. Cf. v. 10 sqq. — *laeta et fortia* tamen, quia, nulla accedente hominum cura, sua tantum vi et natura tam luxuriantia proveniunt. Cf. cum h. l. infra v. 58. — 49. *solo natura subest;* inest latenter (hoc enim sibi vult Praepositio *sub*) naturalis vis ac virtus ad procreandas illas arbores necessaria; nihil enim laetius potest crescere, quam quod habet solum natura sibi aptum. Vid. Lucr. III, 274. *Nam penitus prorsum latet haec natura subestque* et Quinct. Inst. Or. X, 2, 11. *Namque iis, quae in exemplum adsumimus, subest natura et vera vis: contra omnis imitatio ficta est.* Cf. etiam infra v. 178. Wakef. ad Lucr. l. l. et Schirach. p. 503. Peerlk., cum hic non quaeratur, quae sit natura soli, sed ipsarum arborum, et in duobus Codd. legatur *soli*, p. 139. pro *solo* coni. *olli*. — *Tamen haec quoque, si quis* etc. Etiam silvestres arbores fecundarum naturam induunt, si iis aliae arbores mites inseruntur, aut si transferuntur. — 50. *Inserat*. Vid. infra v. 69. — *mutata*, loco mutato. Non credens veteres putasse, sola translatione silvestres arbores in fecundas mutari, Voss. praetulit duorum modo Codd. lectionem *at*, quae Particula saepe pro *et* usurpetur (quod quam perversum sit, docet Hand. in Tursell. I. p. 418 sq.); Wunderl. autem eadem de causa *mutata* accipit pro: mutata per insitionem, insita, qua significatione vox v. 33. legitur; neque aliter *Iahn.*, haec adnotans: „Cur Voss. - - ex duobus libris *at* receperit, causam non video. Arbores enim si post insitionem (*mutatae*) etiam loco moventur atque in alium transferuntur, magis emendantur. Vid. Plin. XVII, 12. et Geopon. X, 3. *Aut* in his respondet nostro *oder wohl gar, oder noch.*" Sed errat Vir doct. Simplex *aut* hic est i. q. aut tantum, *oder auch nur*, de qua Particulae significatione cf. quae ad Ecl. III, 110. p. 61. extr. adnotata vides. Insitio enim magis valet in mitificandis vel, ut cum Palladio loquar, nobilitandis arboribus, quam mutatio loci; sed perperam dubitare Vossium et Wunderl. de veterum opinione, etiam solam translationem eo conferre, ut arbores silvestres mitescant, docent Theophr. de caus. pl. III, 23. et Palladius XII, 7, 11. *Aliqui dicunt, fructum pinum translatione mitescere.* Ceterum vid. infra v. 268. — *scrobibus subactis*, fodiendo, pastinando mollitis. Cf. Cic. de Sen. 15, 51. *terra gremio mollito ac subacto semen excepit.* — 51. *Exuerint*, deponent. Cf. Aen. IV, 319. *exue mentem* ibique adnott. Contra v. c. Aen. XI, 77. *honorem induere.* De Futuro exacto autem, quod dicitur, pro simplici Futuro usurpato cf. quae ad Aen. II, 77. adnotavimus. — *silvestrem animum*, i. e. naturam, ingenium arborum silvestrium. — *cultuque frequenti;* si deinde cultum frequentem iis adhibueris. — 52. „Quascumque artes ad maiorem earum cultum adhibeas, feliciter tibi succedere videbis." *Heyn.* — *voces.* Med., Gud. aliique Codd. *voles.* Sed verissime iam *Burm.*: „*Voces* praeferendum, quod *sequentur* exigit. Ovid. Am. II, 16, 35. *Et vocet in rivos parentem rusticus undam. Vocare* domini est (vid. Heins. ad Ovid. Ep. III, 100.), qui *imperat arvis* et arboribus, qui *cogit*, ut supra v. 10., *domat* v. 62., in quibus locutionibus creber est Maro. Simili metaphora Ovid. Met. V, 668. *qua vocat ira, sequemur.*" Vid. etiam adnott. ad Aen. III, 70. Quare, quamvis Ribbeck., quem Ladew. et Wagn. in min. edit. sequuntur, propter Cod. Med. auctoritatem *voles* restituerit, a Süpflio tamen, Hauptio, Bryceo et Coningtone alteram lectionem servatam esse probo. — *artis*, cultus artificialis. Arbores induent omnes formas, quas arti placet ut induant. — 53 sqq. „Ad stolones ab radice pullulantes (v. 17—19.) procedit, qui in campum vacuum et in solem transferendi sunt, cum ipsis nunc umbra matris noceat [et mater ipsa succum detrahat], ut adulti aut nullos fructus ferant, aut maligne; quae eadem res docuit plantaria et seminaria instituere. Plin. XVII, 10, 12. et 13, 21."

Hoc faciat, vacuos si sit digesta per agros;
Nunc altae frondes et rami matris opacant
Crescentique adimunt fetus uruntque ferentem.
Iam, quae seminibus iactis se sustulit arbos,
Tarda venit seris factura nepotibus umbram,
Pomaque degenerant sucos oblita priores
Et turpis avibus praedam fert uva racemos.
Scilicet omnibus est labor inpendendus et omnes
Cogendae in sulcum ac multa mercede domandae.

Heyn. — *sterilis*, sc. arbor (quod Subst. sequitur demum v. 57., sed cuius notio iam antecedentibus inest) *quae stirpibus exit ab imis*, i. e. stolo a radice maioris arboris pullulans. Vid. supra v. 17. — 54. *Hoc faciat* non propter sequens *sit* (qua de re vide, quae in prioribus editt. adnotavi), sed ob Cod. Med. auctoritatem (quocum ex Ribbeckii Codd. conspirat Bern. b. a m. pr.) pro vulg. *faciet* (quod servant Süpfl., Haupt., Bryce et Coningt.) cum Ribbeckio, Ladew. et Wagn. in min. edit. nunc recepimus. — *digesta*, ordine disposita. Vid. infra v. 267. — 55. *Nunc*. Vide not. ad Ecl. X, 45. — 56. *adimunt fetus uruntque ferentem*, i. e. adimunt arbori fructus (cf. I, 55. 75. 195. infra v. 429. etc., quamquam Voss., cui adsentitur Ladew., *fetus* aliter explicat: *das Wachsthum, den Trieb des Holzes*), ferentem urentes, s. urendo efficientes, ut fructus ferre non possit, quod etiam arbori adhuc crescenti potest accidere: *ferentem* igitur i. q. fructus ferre volentem quasi et conantem. Participium autem Praesentis per prolepsin aliquam etiam de conatu rei nondum vere evenientis dici constat. Vid. Aen. I, 659. IV, 22. VII, 498. IX, 286. 525. etc. Cf. etiam quae ad Geo. I, 320. et infra ad v. 353. adnotavimus una cum adnott. ad Ecl. VI, 20. VIII, 97. *urere* autem est succum subducere. Vid. adnott. ad Geo. I, 77. — 57—62. Etiam quae semine iacto procreantur arbores, tarde modo crescunt et degenerant, nisi postea hominum cura inserendo succurrit. Cf. Plin. XVII, 10, 10. *Omnia haec* (vites, mala, pira) *tarda proventu ac degenerantia et insito restituenda; interdum etiam castaneae.* — 57. „*seminibus iactis*, seu temere cadentibus, seu manu iactis; utrique enim par eventus.“ *Heyn.*, quocum etiam Conington videtur consentire, cui *semina iacta* hic i. q. *positum semen* v. 14. Hic tamen de semine hominum manibus iacto cogitandum videtur. Cf. supra ad v. 14. — 58. *Tarda venit*, pro venit, procrescit, ut supra v. 11. Videtur hic locus oppositus esse v. 48. *laeta et fortia surgunt.* — *seris nepotibus.* Cf. Ecl. IX, 50. Senec. Ep. 86. atque etiam infra v. 294. Ursinus satis mire *nepotes* de ipsius arboris pullis (cf. supra ad v. 17.) intelligit; quam explicationem quomodo Manso probare potuerit, non perspicio. — 59. *sucos* (cf. adnott. ad Ecl. III, 6.) *oblita priores*, succo carentia. Ut saepe a poëtis ad res inanimatos transferuntur, quae tantum sunt animantium, ita hic etiam oblivio. Vid. adnott. ad Ecl. V, 28. — 60. *turpis - - racemos* Heyn. explicat: deficiente cultu squalidos, rugosos. Intelligendae sunt uvae durae, acidae, quae nobis *Herlinge* vocantur. *Uva* h. l. pro vite, quae nostris quidem in terris ex acinis non procreatur; quod tamen adhuc in Americae insulis fieri docet Heyn. Romanos vites ita procreasse, patet ex Cic. de Sen. 15, 52. et Plin. XVII, 10, 10. Vites insitione emendare Romanos suos docuerunt Cato R. R. 41. Colum. IV, 29. Pallad. XIV, 2. — 61. 62. „Artificiales modi arborum e semine procretarum incrementa accelerandi, qui non minus locum habent in reliquis arboribus, sive sponte sive ex viviradice natis. — Praecepta veterum de his diligenter exposuit Plin. XVII, 10, 14 sqq. Habuit poëta ante oculos Lucret. V, 1360—1377.“ *Heyn.* Arbores semine sparso eductae, ut meliores reddantur, in aliam terram sunt transferendae et scrobibus s. sulcis (v. 24.) ex ordine factis (cf. v. 54.) infigendae; hoc est *cogere in sulcum.* — *labor inpendendus.* Vid. infra III, 74. coll. cum huius libri v. 434. — *multa mercede*, i. e. multo labore; nam operis merces est solvenda. Cf. Cic. pr. Rosc. Am. 29, 80. *Videris una mercede duas res adsequi velle.* Sen. de tranqu. 11. *Magna quidem res tuas mercede*

Sed truncis oleae melius, propagine vites
Respondent, solido Paphiae de robore myrtus;
Plantis et durae coryli nascuntur et ingens
Fraxinus Herculeaeque arbos umbrosa coronae
Chaoniique patris glandes; etiam ardua palma
Nascitur et casus abies visura marinos.

---

colui et similes loci. — *domandae*, colendo emendandae. — 63—68. Est tamen cuique arbori suum culturae genus accommodatissimum. — *Oleae melius respondent* exspectationi vel labori agricolarum, vox rustica hac de re propria (cf. Geo. I, 47. et Colum. III, 4. *Gemella vitis maior nisi praepingui solo non respondet,*) i. e. felicius proveniunt, *truncis*, h. e. ex caudicibus sectis (vide v. 30.), sive taleis oleaginis (vid. Cato 45, 1. Varro I, 40, 4. Colum. V, 9, 1 sqq. ab Heyn. laud.) in terram defixis; *vites propaginibus* in humum demissis (v. 26.); *myrti* autem, *Paphiae* s. Veneri sacrae, quo nomine a Papho, Cypri urbe Veneri dedicata (de qua pluribus egi in Pauly *Realencycl.* IV. p. 1137 sq.) petito haec dea vocatur etiam Martiali VII, 73, 4. Ausonio Idyll. XIV, 21. Tacito Hist. II, 2. aliisque, *solido de robore* (excrescentes), h. e. ex trunco aut vastiore ramo ad pali modum in terram infosso (v. 24. 25.). De voc. *myrtus* Plur. numero ad quartae Decl. normam flexo vid. Müller. Spicil. Animadvv. ad Catull. p. 19. Cf. etiam Orell. ad Hor. Od. II, 15, 6. et adnott. ad Ecl. VII, 6. *Surculorum* denique *plantatione* (vide v. 28. 29. et Plin. XVII, 17, 28.) optime provenit *corulus, fraxinus, populus, palma, abies, quercus.* De *palma* vid. Pallad. April. c. 5, 2., de *quercu* Colum. IV, 33, 5. ab eodem Heynio collati. Vossius, qui cum Martino quercum, palmam et abietem non nisi semine enasci contendit, duplicem voc. *plantae* significationem, ex qua et *radicem* et *semen* indicet, in h. l. cadere statuit. Sed satis refutant Martini et Vossii opinionem loci ab Heynio allati, quibus de quercu adde Theophr. h. pl. II, 2. et Plin. XVII, 20, 34., de palma autem illum II, 8., hunc XIII, 4, 8. et Didym. in Geopon. X, 3. — 65. *Plantis*, surculis et *a radice* et *e semine* natis. Vid. Voss. ad h. l. Ladew. explicat: „*Setzlinge, sie mögen durch Natur oder durch Kunst gewachsen sein,*“ quod probat Ameis in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 40. — *et durae.* Sic Med. et meliores Codd. Alii *edurae* (de quo Adiect. vid. ad Geo. IV, 145.); sed Copula *et* propter seqq. necessaria videtur. Ribbeck. tamen edidit *edurae.* — *coryli*, etiam nuces Ponticae s. Avellanae (ab Avella, Campaniae urbe) appellatae, Palladio III, 25. teste optime e viviradicibus educebantur, secundum Catonem 51, 133. e propaginibus; quamquam eas etiam e semine procreatas esse docent Geopon. X, 3. De voce per *y*, non per *u*, scribenda vid. adnott. ad Ecl. I, 14. — De *fraxino* e viviradicibus educta vid. Plin. XVII, 11, 15. — 66. *Herculeae arbos umbr. cor.* Intelligenda ἀχερωΐς s. λευκή, populus alba, quam ab Acheronte retulit Hercules, fronde eius arboris coronatus (vid. adnott. ad Ecl. VII, 61.). Ceterum populos plantis nasci, refert etiam Plin. XVII, 11, 15. — 67. *Chaonii patris glandes*, quercus Iovi Dodonaeo consecratae. Vid. adnott. ad Ecl. IX, 13. et Geo. I, 8. „In illo *Chaonii patris* possit aliquis haerere, cum absolute quidem *pater* saepius, vix vero cum gentili aliquo nomine dicatur pater *Dodonaeus, Olympius, Idaeus;* cui rei parata medicina foret: *Chaoniaeque patris glandes* [et sane Medic. Wagnero teste praebet *Chaonieque*, quamquam Ribb. de hac lectione tacet]. Sed Aen. VIII, 554. *pater Lemnius* de Vulcano.“ *Heyn.* Accedit, quod voc. *patris* tam nude ponere hic quidem Maroni vix licebat. Etiam Probus Inst. I, 4, 18. *Chaonii* legit. — *Palmae* fructus quidem in Italia non ferebant, sed ob lentas tamen virgas, quibus ad corbes aliaque vasa viminea conficienda aptae erant, et ob largam, quam praebebant, umbram haud raro plantabantur vel serebantur. — 68. *nascitur* hic idem significat, quod supra *plantis nascitur.* — *abies* aedificandis navibus, malis maxime dedolandis apta, ἐλάτη ναυπηγήσιμος Theophrasti h. pl. V, 8. ab Heyn. laudati. — *casus visura marinos*, i. e. naufragia, tempestates, adversos ventos, cautes, piratas, alia, quae *multa mari nautae patiuntur in alto*, ut Aen. VII, 200. legimus. Burm. putat, Calpurnium Ecl.

Inseritur vero et nucis arbutus horrida fetu
Et steriles platani malos gessere valentis;
Castaneae fagus ornusque incanuit albo

IV, 50. haec imitari, canentem: (laurus) *visura saepe triumphos.* Iteravit autem verba *casus abies visura marinos* poëta trag. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 281. — 69—72. „*Insitio* restabat ex v. 32 sq. Optime inseritur *arbuto* nux, *platano* malus, *fago* castanea, *orno* pirus, et *ulmo* quercus. Respicit locum Plin. XV, 15, 17." *Heyn.*, qui simul docet, nostros homines contra contendere, non posse arborem arbori inseri, nisi sui generis, aliter tamen antiquos statuisse, coll. Colum. V, 11, 12. Wagn. conferri iubet, quos laudet Geissler. in Schol. ad Virg. Geo. p. 4. — *fetu* non tertio, sed sexto Casu accipiendum, *inserere* autem, ut plura Verba cum Praepositione *in* composita (cf. adnott. ad Aen. V, 403.) duplicem admittit constructionem *arbori inserere nucem, pomum* etc. et *arborem inserere nuce, pomo.* Vergilianam constructionem, quae redit infra v. 302., secutus est Plin. XV, 15, 17. *quippe cum Virgilius insitam nucibus arbutum, malis platanum, cerasis ulmum dicat.* — Per *nucem*, quae communis est iuglandium, avellanarum, amygdalarum etc. appellatio, Voss. hic iuglandem (*die Wallnuss*) intelligendam putat, quam *κατ' ἐξοχήν nucem* dictam esse Democritus in Geopon. X, 73. et Galen. de alim. fac. 2. perhibeant. — *horrida* vocatur arbutus vel a fructu, qui echinis similis est (cf. Fea praef. ad Hor. p. 11. (XII.) ab Iahn. laud.) vel, quod probabilius videtur, a cortice aspero et hispido. Cf. Pallad. XIV, 163. *Arbuteas frondes vastae nucis occupat umbra, Pomaque sub duplici cortice tuta refert.* Vulgo autem hic versus sic editur: *Inseritur vero et fetu nucis arbutus horrida*, ut sit versus hypermeter (de quo versuum genere vide quae supra ad Geo. I, 295. adnotavimus). At vero cum poëtae Romani diligenter sibi caverint, ne in eiusmodi versu elisam syllabam brevis antecederet (vid. supra ad l. l.), satius duximus ex auctoritate Gud., Goth. 2. et quatuor Potterii Codd. cum Iahnio et Wagn. (quos etiam recentissimi editores praeter Bryceum et Coningtonem sequuntur) verba ita transponere, ut contextus ea exhibet. Bothius temere recepit quinque Codd. lectionem *arbutus horrens*, cuius interpretamentum censet vulgo editam. Ceterum cf. adnott. ad Geo. III, 449. et Aen. XI, 333., ubi ex eadem causa versus vulgo hypermetri emendati sunt. — 70. *platani*, quae, cum esculentos fructus non ferant, *steriles* vocantur, aptissimae erant ad malorum aliorumque pomorum insitionem, atque vel ob pulchram proceramque figuram et latorum foliorum umbram a Romanis studiose colebantur. Cf. Plin. XII, 1, 3. Macrob. Sat. II, 9. et Voss. ad h. l. — *gessere*, i. q. gerere solent. Vid. adnott. ad Geo. I, 49. *Gerere* autem hic i. q. gignere, proferre, edere. Cf. Ovid. Met. IX, 230. id. Trist. III, 12, 6. Tibull. II, 4, 56. Vid. etiam infra v. 122. — 71. Dici vix potest, quantas in hoc loco planissimo turbas editores moverint, librariorum (inter quos sane etiam Cod. Med.) errore decepti, qui haec cum praegressis arcte cohaerere rati *fagus* temere mutaverant in *fagos;* quare alii locum ita distinxerunt: *Inseritur — et steriles platani malos: gessere valentis Castaneae fagos;* alii (et in his etiam Ribbeck.): *malos gessere valentes, Castaneae fagos; ornusque* etc., ut, Copula omissa, subintelligatur ex praecedentibus verbum *gessere*, quasi vero fagi sint fructus castaneae inserti. Heins. adeo *fagos* graecam formam habuit, pro *fagus* positam, (quamquam nihil est, nisi alia scribendi ratio pro *fagus:* cf. Ribbeck. Proleg. p. 437. extr.) Scaliger. denique coni. *castaneas fagus*, quod Cerda et Cuningh. amplexi sunt. Pauci modo, in quibus Heyn., Voss. et Iahn., viderunt, *castaneae* secundum esse Casum e sequente *flore* aptum, ut, servata meliore lectione *fagus*, verba ita sint construenda: *fagus castaneae ornusque piris flore incanuit*, i. e. fago castanea, orno pirus inseritur, ultimam autem voc. *fagus* syllabam arseos vi productam censeamus, qua de re vid. adnott. ad Ecl. IV, 51. VI, 44. 53.). Haec enim ratio propter sequens *ornus* mihi nunc praestare videtur Wagnerianae, ut *fagus* habeamus pro Nomin. Plur. 4. Decl. (ad cuius formas haec vox sane interdum flectitur: cf. Culicis v. 139. et Schneid. Gramm. II, 1. p. 471 sq.), et Verbum

Flore piri glandemque sues fregere sub ulmis.
Nec modus inserere atque oculos inponere simplex.
Nam qua se medio trudunt de cortice gemmae
Et tenuis rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt udoque docent inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur et alte
Finditur in solidum cuneis via, deinde feraces
Plantae inmittuntur: nec longum tempus, et ingens

---

incanuit ex more Verg. proximi tantum Nominis numerum sequi statuamus (cf. adnott. ad Ecl. I, 59.) — Verbis *glandemque s. f. sub ulmis* quercus ulmis insitas significari in promptu est. Wagn. suspicatur, quercum inseri ulmo, quia citius gignantur glandes ex insita quercu, quam e nata. — *fregere.* Ut *frangere saxo* farra et hordea supra I, 267. dixit, ita hic dentibus frangere cibos. Cf. Sammon. de medic. c. 33. *Ovis in stabulis fractas qui ruminat herbas* (ibique Burm.) Iuven. X, 9. Claud. rapt. Pros. III, 43. alii. — *sub ulmis*, ex quibus glandes insitae deciderant. Sues autem pastum actas esse in querceta, patet ex loco, qui infra legitur v. 250. — 73—77. „Plures sunt inserendi modi; ex his duo insigniores commemorat pŏta, *inoculationem* [v. 74—77.] et *insitionem* [v. 78—82.] proprie dictam. Vid Colum. V, 11. de arbor. 26. Plin. XVII, 14, 22. Theophr. de caus. pl. I, 6." *Heyn.* — *Nec modus simplex*, immo duplex; vid. v. 74 sqq. et 78 sqq. Sic Geo. III, 482. *nec via mortis erat simplex.* — *modus inserere*, ut apud Stat. Theb. XII, 573. *Nam quis erit saevire modus?* quos locos non aliter explicandos puto, atque illos, de quibus supra ad Geo. I, 305. disputatum est; non enim opus videtur, ut Infinitivum pro Genitivo Gerundii usurpatum censeamus, si per synesin aliquam *modus est* pro *solemus, quis modus erit?* pro *quando desinet?* positum accipimus. Ita v. c. Tibulli versus III, 2, ult. *Lygdamus hic situs est; dolor et cura Neaerae, Coniugis ereptae, causa perire fuit* ita explices: dolor, cura - - fecit eum perire, i. e. mortem eius adduxit. — 74. „*Inoculatio* fit, cum in ea parte, qua *gemmae*, h. e. nova germina s. oculi, *se trudunt*, erumpunt ex cortice, *ruptis tuniculis*, h. e. libro, interiore cortice, vulnus fit, sive *angustus sinus*, h. e. cavitas, avulsa gemma et cortice in modum scutuli, cuius loco *includitur novum germen*, ut *coalescat* cum vetere *libro*. Respicit h. l. Plin. VII, 14, 23. et 24." *Heyn.* — 75. *tunicae.* Cf. Plin. XXIV, 3, 3. *Cortex ligni, corticique tunica subiecta*, et XVI, 14, 25. *Inter corticem ac lignum tenues tunicae multiplici membrana.* Verba *Et tenues rumpunt tunicas* (propr. de veste intelligenda) iteravit auctor epigr. in Anth. Lat. Burm. III, 81, 23. — 76. *nodus*, ὄζος, in arboribus et plantis vulgo est eminens et durior ille callus, unde rami exeunt, ita dictus, quia lignum eo loco in morem nodi contortum est; hic autem pro ipsa gemma e cortice prorumpente positus. — *sinus angustus*, vide supra et cf. Pallad. XIV, 43. *Aut virides oculos extremi gemma tumoris Accipit, si lento stringitur uda sinu*, etiam Geopon. V, 38. a Voss. laud. — 77. *docent inolescere*, ita efficiunt, ut inolescat; *inolescere* autem, ἐμφύεσθαι, est cum aliqua re coalescere et una cum ea crescere. Cf. v. c. Colum. IV, 29, 14. *Tradux a materno sustinetur ubere, dum inolescat*, h. e. in vel cum aliena vite adolescat. Cf. etiam eiusd. IV, 22, 5. — 78. Sequitur locus de *insitione*, quae proprie dicitur. Cf. hac de re Plin. XVII, 23, 24. *Aut rursum.* Moret. 2. *At rursum* (ἀλλ' αὖ), quod Voss. recepit. Sed non contraria aliqua, sed altera modo ratio subiungitur. — *enodes trunci.* Cf. Plin. V, 1, 1. *Proceritas arborum enodi nitore spectabilis.* — *resecantur*; fit incisio s. fissura in trunci cortice, ubi nullus nodus est. — 79. *in solidum*, sc. truncum; ubi truncus integro et sincero ligno est. — 80. *feraces plantae*, surculi arboris fertilis, qui silvestri arbori inseruntur. Vid. v. 65. — *nec longum tempus, et* — prorsus ut nos: *keine Woche verging, und es geschah* etc. Copula enim *et*, ut Graecorum καί, haud raro nectit partes orationis, ubi res proxime et celeriter consecuta esse dicitur. Cf. Hand.

Exiit ad caelum ramis felicibus arbos
Miraturque novas frondes et non sua poma.
Praeterea genus haud unum nec fortibus ulmis
Nec salici lotoque neque Idaeis cyparissis,
Nec pingues unam in faciem nascuntur olivae,
Orchades et radii et amara pausia baca

Tursell. II. p. 482 sqq. et Wagn. Qu. Virg. XXXV, 6. cum Aen. III, 9. (ubi vid. Burm.) V, 857. VI, 499. 547. VIII, 444. Stat. Theb. VI, 300. *nec longum, et pulcher Alathreus Editus.* Claud. Rapt. Pros. I, 117. *Vix ea fatus erat, et nuntius astra tenebat.* Plin. Epist. V, 14, 8. *pauci dies, et liber principis severus*, ubi vid. Schaefer. — 81. *Exiit ad caelum.* Ladew. et Haupt. (haud dubie Lachmanno suasore ad Lucr. III, 1042. p. 209.) invitis Codd. edunt *Exit*, eandemque contractam Perfecti formam etiam Aen. II, 497. V, 274. IX, 418. X, 785. 817. exhibent. Sed vide quae Wagn. Lect. Verg. in Philol. Suppl. I. p. 316 sqq. et Conington in singulari Excursu ad h. l. docte contra eos et Lachm. disputant. Ribbeck. *Exilit* ex uno Cod. Gud. et Nonio p. 302, 4. recepit. (Cf. eius Proleg. p. 211.) De significatione Perfecti vid. adnott. ad Geo. I, 49. — *rami felices*, quia sunt arboris feracis. Cf. adnott. ad Ecl. V, 37. et Gratii Cyn. 442. *struitur ramis felicibus uva.* — *arbos.* Vid. ad Ecl. III, 56. — 82. *Miraturque.* Plurimi Codd. (inter quos etiam Med. a m. pr. literis VR colore rubro superscriptis) *miratasque*, pauci *miratoque*, Serv. *mirata estque.* Sed verissime Wagn. censet, *miratas* e sono sequentis voc. ortum, hinc autem expuncto sigmate *miratoque* factum, et ita Servianam lectionem enatam esse, quae sane adversatur usui Vergiliano (cf. Wagn. var. lect. ad Geo. I, 142.). Nihilominus Peerlk. p. 140. in his variis lectionibus invenit causam coniiciendi *Mirata ipsa novas* etc., comparans Geo. I, 103. Ciris v. 80 sq. Prudent. Apotheos. 485. *ipse suas miratur vertice laurus Cedere* et Ambros. Ep. ad Valentin. *dum messes suas et ipsa miratur.* — *non sua poma.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 37. Heyn. comparat Calpurn. Ecl. II, 40. 41. *Non minus arte mea mutabilis induit arbos Ignotas frondes et non gentilia poma.* Adde Epigr. Anth. Lat. Burm. V, 172, 5. *Miraturque novos fetus consurgere ab undis.* — 83—108. „Varias arborum familias seu species eiusdem generis esse, exemplis nonnullis docet. Scilicet facit hoc ad delectum in plantanda arbore faciendum. Ornatissimus locus adiunctorum copia ac varietate.“ *Heyn.* — 84. *lotoque.* Vid infra ad v. 87. *Lotus* hic nec herbam illam pratensem significat, cuius infra III, 394. fit mentio, nec notissimam plantam Aegyptiam (Nymphaeam Lotum), sed arborem, quam botanici nostri Rhamnum Lotum s. Zizyphum (*Jujube, Judendorn*) vocant, cuiusque baccae purpureae iucundissimi saporis iam in Homeri Od. IX, 92 sqq. commemorantur. (Cf. etiam Herod. II, 56. IV, 177. Theophr. h. pl. IV, 4. et XXIV, 2. Polyb. ap. Athen. XIV, 65. Dioscor. I, 171. Colum. VII, 9, 6. Plin. XVI, 27, 53. et 30, 53. Voss. ad h. l. Sprengel. ad Dioscor. l. l. p. 418. Schneider. ad Colum. l. l. et Billerb. Flor. class. p. 54. sq. Fuerunt etiam, qui baccas illas רִמֹּנִים nomine Genes. 30, 14. et alibi in libris Vet. Test. commemoratas ad hanc arborem referrent; sed perperam. Cf. Winer *Bibl. Realwörterb.* I. p. 56. ed. II. — *neque Idaeis cyparissis.* Heinsii Codd. *nec*, quod cave ne iis, quae ad Ecl. V, 25. disputata vides, commotus post *haud - nec - nec* praeferendum ducas; verissime enim Wagn. Qu. Virg. XXXII. p. 535. docet, interrupto per Particulam *que* orationis tenore, ea, quae sequuntur, *neque* [nostrum *auch nicht*] *Idaeis cyp.*, novam constituere enuntiationem, ad quam explendam ex praegressis repetendum sit: *genus unum est.* Vid. etiam infra ad v. 87. — *cyparissus* (*κυπάρισσος*), Graeca forma pro Latina (*cupressi*), legitur etiam Aen. III, 680. *Idaea* autem dicitur non de Phrygiae, sed de Cretae insulae monte (cf. Aen. III, 105. VII, 139.), unde primum Tarentum venit, ex quo tempore per totam Italiam seri coepta est. Cf. Plin. XVI, 33, 60. De ipso monte, qui nunc *Psiloriti* s. *Monte Giove* appellatur, vid. librum meum geogr. III. p. 1031. — 85. Nec olivae eadem omnes sunt facie, i. e. etiam olivarum varia sunt genera. — 86. „Ex infinitis olearum generibus

Pomaque et Alcinoi silvae, nec surculus idem
Crustumiis Syriisque piris gravibusque volemis.
Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymnaeo carpit de palmite Lesbos; 90
Sunt Thasiae vites, sunt et Mareotides albae,

---

tria tantum, observante etiam Plinio XV, 1, 2., enumerat poëta, *orchades*, *orchites* vulgo dictas, oblongi generis, *radios*, longiores, et *pausias*, quae, dum virides et acerbae sunt (habent autem tum amarum succum, hinc *amara bacca*), leguntur ac tunduntur. Colum. XII, 47, 1." *Heyn.* Praeterea de variis olivarum generibus cf. Cato c. 6. Varro I, 24. Colum. V, 8. Plin. XV, 3—5. et Macrob. Sat. III, 20. (II, 16.) — 87. *Pomaque.* Exspectamus potius *Pomave*; sed haud raro in oratione alacriore et fortiore, imprimis ubi plures iam praecesserunt negandi Particulae, simplex Copula invenitur pro Particula disiunctiva. Vid. Wagn. Qu. Virg. XXXVI. (quae tota agit de Part. *ve*) p. 576., ubi imprimis confertur Geo. III, 120., porro praeter nostrum locum Geo. II, 139. 312. III, 141. IV, 210. Aen. IX, 130. X, 320. XI, 65. etc. — *Alcinoi silvae* sunt arbores pomiferae. (Cf adnott. ad v. 2. et 26.) Alcinous enim, Phaeacum rex in Corcyra insula iustissimus et ditissimus, tam diligens fuit hortorum cultor, ut *Alcinoi horti* in proverbium abirent. Cf. Hom. Od. VII, 112 sqq. Stat. Silv. I, 3, 81. *Quid bifera Alcinoi laudem pomaria.* Plin. XIX, 4, 19. §. 1. Hinc *Alcinoo dare poma* i. q. noctuas Athenas. Ovid. ex P. IV, 2, 10. Martial. VII, 41, 6. — 86. *Crustumia pira*, dicta a Crustumerio s. Crustumeris, antiquo Sabinorum oppido, haud procul ab Alliae et Tiberis confluentibus sito, de quo vid. librum meum geogr. III. p. 723. Vocabatur etiam *Crustumium* (Sil. VIII, 368.), unde haec rarior Adiectivi forma pro usitatioribus Crustumerinus, Crustuminus; cf. adnott. ad Aen. II, 2. De generosissimo autem hoc pirorum genere vid. Colum. V, 10, 18. et Plin. XXIII, 7, 62. — *Syria pira* etiam ap. Iuven. XI, 73. et Martial. V, 79, 13. commemorantur. Colum. V, 10. auctore eadem sunt cum *Tarentinis*, (quod adnotat Conington.) — *volema pira*, grandia, quae volam facile impleant. Vid. Caton. 7, 3. Plin. XV, 15, 16. Colum. V, 10, 4. et Rhodius ad Scribon. Larg. c. 104. p. 174. Servius docet, etiam apud Graecos vocari ea χειροπληθέα. Ribbeck. cum Cod. Med. (in quo tamen litera A puncto superposito notatur) scripsit *volaemis*. (Cf. eius Proleg. p. 385 sq.) Vid. etiam infra ad v. 224. — 89. „Italas vites diversas esse ab aliis ait. Recensum veterum vitium ac vinorum vide apud Athen. I, 51. p. 26. Colum. III, 2. Plin. XIV, 1, 3. et 2, 6 sqq. E posteriore aevo nonnulla vid. apud Coripp. III, 89 sq. Maro h. l. ad XV genera enumerat. Eum Gallica vina ignorasse notat Plin. XIV, 3. et 4, 7." *Heyn.* — *Vindemia*, vitium proventus, uvae (vid. infra v. 522. et adnott. ad v. 6.), *pendet arboribus*, quibus vites maritantur. Cf. adnott. ad Ecl. II, 70. III, 10. V, 32. IX, 41. et Geo. I, 2. Conington incertum esse memorat, utrum hic et infra v. 267. 278. 300. *arbores* de ipsis vitibus intelligendae sint, an (ut Ecl. V, 32. et infra v. 290.) de arboribus eas fulcientibus, cum Plin. XIV, 1, [2.] et Ulpian. in Dig. XLVII, 7, 3. vites inter arbores referant, Colum. vero III, 3. et Cato c. 32. utrasque distinguant. Ceterum Medic. et Bern. I. a m. pr. *pendent*, quod Heinsio (quem vid. ad Aen. VI, 209.) et Burm. ad Ovid. Met. II, 688. arridet. Sed vulgatam praeter ceteros Codd. omnes tuentur etiam Serv., Prob. et Donat. ad Ter. Eun. II, 3, 21. — 90. *Methymna*, oppidum satis nobile in meridionali Lesbi insulae litore situm, cuius ruinae supersunt apud vicum *Nopia* dictum. Cf. *Pashley Travels in Crete* II. p. 40 sq. — *Lesbos.* De Graeca nominis forma vid. not. ad Ecl. VI, 13. Lesbium autem vinum etiam Athen. I, 51. Hor. Od. I, 17, 21. Plin. XIV, 7, 9. et Gellius XIII, 5. commemorant. — 91. *Thasos*, insula maris Aegaei e regione Thraciae sita, frumento et vitibus fecundissima, quae etiamnum *Tasso* vocatur. Cf. liber meus modo comm. III. p. 1022. De Thasio vino cf. Athen. l. l. Plin. l. l. et XIV, 18, 22. — „*Mareoticum* vinum notum vel ex Horat. Carm. I, 37, 14., a lacu Mareotide super Alexandriam; nunc deterius, quoniam Arabum latrocinia uvarum maturitatem intercipiunt." *Heyn.* Cf. de eo Athen.

Pinguibus hae terris habiles, levioribus illae,
Et passo Psithia utilior tenuisque Lageos
Temptatura pedes olim vincturaque linguam,
Purpureae preciaeque, et quo te carmine dicam,
Raetica? nec cellis ideo contende Falernis.

I, 25. Strab. XVII. p. 799. Colum. III, 2, 24. Ovid. Met. IX, 733. Hor. Od. I, 37, 14. Lucan. X, 160. alii, et Ulitius ad Grat. Cyneg. 313., de ipso autem lacu, qui etiamnum *Birket Mariouth* vocatur, liber meus geogr. II. p. 773. De *albis* Mareot. *vitibus* loquitur etiam Colum. X, 347. (a Coningtone laud.) — 92. *habiles*, accommodatae, aptae; nam si qua terra arbori cuidam est maxime accommodata, in ea fit habilis, facile potest haberi, progigni. Cf. v. c. Suet. Aug. 18. *Aegyptum ut feraciorem habilioremque annonae urbicae redderet.* Vid. etiam Geo. III, 62. ibique adnott. — *levis* terra opponitur *pingui* eadem fere ratione, qua apud Varr. R. R. I, 4, 4. et I, 6, 3. *leviora loca gravioribus.* — 93. *Vinum passum* (dulce, γλυκύ) ex uvis passis (a pandendo), i. e. in sole coctis, ut exarescant. Vid. Colum. XII, 39. Plin. XIV, 9, 14. et Palladius XI, 19. Varr. ap. Nonium XVII, 16. *Passum nominabant, si in vindemia uvam diutius coctam legerent, eamque passi essent in sole aduri.* — De *Psithia* uva (ψιθία) vid. etiam infra IV, 269. Athen. I, 22. Nicandri Alex. 181. Colum. III, 2, 24. Plin. XII, 27, 60. et XIV, 9, 11. Stat. Silv. IV, 9, 38. Inde *vinum psithium* apud Plin. XIV, 9, 11. — *Lageos*, quam Servius interpretatur *leporariam* (ut λάγειος pro λαγῴη s. λαγοΐη dicta sit), praeter h. l., quem Plin. XIV, 4, 7. et Macrob. Sat. II, 16. extr. respiciunt, nusquam videtur commemorari. Ceterum vide, quae infra ad v. 98. adnotavimus. — *tenuis* Serv. et cum eo Schirach. p. 612. et Voss., quibus mecum adsentitur Ladew., interpretantur: penetrabilis, cuius vinum cito in venas descendit, (ut I, 92. *tenues pluviae*, ubi vid. adnott.). Heynio autem est: „exiguos ac tenues racemos et uvas habens," et Wagn. rem in dubio relinquit, magis tamen propensus ad nostram rationem. — 94. *Temptatura* (cf. adnott. ad Ecl. I, 49.) *pedes vincturaque linguam*, i. e. facile inebrians, efficiens nimirum, ut bibentes pedum et linguae non satis compotes sint. Vid. adnott. modo laud. — *olim*, in posterum, aliquando, cum vinum ex ea expressum fuerit. — 95. De *purpureis* uvis vid. Colum. III, 2, 1. Plin. XIV, 3, 4. Ovid. Met. VIII, 676. XIII, 813. Hor. Epod. II, 20. Corn. Sever. de gen. nom. p. 94. ed. Haupt. alios. — *precias* Serv. adnotat dictas esse quasi *praecoquas*, quod ante alias coquantur, cito maturescant. Secundum Plin. XIV, 2, 4. et Colum. III, 2, 23. in duo genera, maius et minus, magnitudine acini discernuntur, earumque uva cito maturescens ollis est utilissima, folium autem apio simile. — 96. *Raetica.* „Plin. XIV, 6, 8. §. 5. *In Veronensi Rhaetica* [al. *Raetica*] *vina, Falernis tantum posthabita a Vergilio.* Melior interpretatio, quam quae a Seneca in medium affertur Nat. Qu. I, 11. Laudantur etiam a Strabone IV. p. 206. Suet. Aug. 77. *maxime delectatus est Rhaetico*, et Plin. XIV, 1, 3. *Ante eum* (Tiberium) *Rhaeticis prior mensa erat.*" *Heyn.* Adde Colum. III, 2, 27. (cum Schneid. adnot.) et Martial. XIV, 100. *Si non ignota est tibi terra Catulli* (i. e. ager Veronensis), *Potasti testa Rhaetica vina mea* et Ungerum de Valgio Rufo p. 290. (quem haec adnot. mea videtur fugisse.) Ceterum, si Codices in talibus rebus minus accurate collatos lapidibus veteribus postponimus, ubique rectius scribitur *Raetia, Raeti, Raeticus*, ut hic etiam in sched. Veron., in duobus Codd. Bern. et aliis legitur, quos tamen editores non curant, omnes in scriptura *Rhaetica* consentientes. Cf. quae de hac re disserui in Pauly *Realencycl.* VI. p. 384. cum Oudend. adnot. ad Suet. Aug. 21. et Schneid. Gramm. Lat. I, 1. p. 213. — *nec cellis.* Multi Codd. *ne cellis.* Sed *nec*, ut alibi *neque*, hic pro *nec tamen* usurpatum videtur. Cf. Bremi ad Nep. Ages. I, 2, 4. Wunderl. ad Tibull. I, 2, 37. Kühner. ad Cic. Tusc. I, 2, 4. Kritz. et Dietsch. ad Sall. Iug. 20, 6. et nostra ad Geo. III, 435. — „*cellae Falernae* nova variatione de vino. — *nec ideo contende*, h. e. tametsi inferior est Falerno." *Heyn.* Ceterum vinum *Falernum*, quod in Falerno Campaniae agro, inter Calenum et Sinuessam ad Massici montis radi-

Sunt et Aminaeae vites, firmissima vina,
Tmolius adsurgit quibus et rex ipse Phanaeus;

---

ces sito, proveniebat, post Caecubum Italiae pretiosissimum fuisse, satis notum. Cf. Hor. Od. I, 20, 10. 27, 9. II, 6, 19. 11, 19. Pers. III, 3. Tibull. I, 9, 34. II, 1, 27. Prop. V, (IV,) 6, 73. Lucan. X, 163. Mart. IX, 94, 1. Sil. VII, 162 sqq. etc. et C. F. Weberi de vino Falerno Diss. — 97. *Aminaeae vites, firmissima vina*, i. e. firmissima vina praebentes. Cf. de hoc appositionis genere adnott. ad Aen. I, 339. Iahn verba *firmissima vina - - Phaenaeus* parenthesi inclusit, ut appareret (quod per se patet), coniungenda esse: *Sunt et Aminaeae vites Argitisque minor*. Appositionem autem *vites, vina* duriorem censentes Burm. coni. *Dant etiam Aminaeae vites firmissima vina* et Peerlk. p. 140. *Sunt et Aminaeae vitis firm. vina*. Sed quid tum sibi vult Part. *etiam* vel *et*, cum alia *vina firma* in antecedentibus non sint commemorata? „*Vinum Aminaeum*, Ἀμίνειον et Ἀμιναῖον, cuius, ut vinorum, celebritas non constans ac diuturna esse solet — cultu enim deficiente vites optimae facile degenerant — nulla alia memoria, praeter nominis, nobis restat. Graecae originis et Italici cultus, cum in aliis tum in Falernis agris maturuisse videtur." *Heyn.* De *Aminaeis vitibus*, quae maxime prope Neapolim colebantur, cf. Cato R. R. 6, 4. Colum. III, 2, 7 sqq. et 9, 3. Plin. XIV, 4. 5. et 14, 16. Macrob. Sat. III, 20. (II, 16.) Auson. Epist. 18, 31. ibique Vinetus, Harduin. ad Plin. XIV. Emend. 5. Burmann. ad Seren. Sammon. c. 29. Schneider. ad Cat. et Colum. ll. ll. et Weber. in libello laud. p. 8 sq. Ribbeck cum Med. et Prisciani (p. 1100 P.) Cod. Reg. scripsit *Aminneae*, cui scripturae etiam alii libri videntur favere. Ceterum Philargyr. ad h. l. adnotat: „Aristoteles in Politicis scribit, Aminaeos Thessalios fuisse, qui suae regionis vites in Italiam transtulerint, atque illis inde nomen impositum." Cf. etiam Macrob. Sat. II, 16. Vergilius eius praestantiam imprimis repetit a diuturna bonitate (*firmissimum* enim vocat, quemadmodum etiam Plin. XIV, 2, 4. scribit *Principatus datur Aminaeis propter firmitatem*), quae tanta sit, ut ei adeo vinum *Tmolium*, a Lydiae monte vineis nobilissimo (supra Geo. I, 56.), et *Phanaeum*, a promontorio Chii insulae (*Φάναι, Φαναία ἄκρα*, ab incolis etiamnum *Phana*, ab aliis *Mastico* appellata: cf. liber meus geogr. II. p. 198.), quae alias vino *Ariusio* nobilis est (de quo vid. adnott. ad Ecl. V, 71.), *adsurgere*, cedere, dicat. *Adsurgere* enim alicui (ad conspectum alicuius) est reverentiae, quae prodit ex sensu, nos eo inferiores esse, ei cedere debere. Satis notus est mos adsurgendi in curia. Vid. v. c. Cic. Pis. 12. in. Ex poëtis cf. Ovid. Am. III, 2, 53. Stat. Theb. II, 60. et supra Ecl. VI, 66. (Similiter apud Hor. Od. II, 6, 14. *non Hymetto Mella decedunt*, honoris causa cedunt loco, inferiora sunt; ubi vid. Iani et Mitscherl.) — Pro *Tmolius* cum editt. Aldd. et Iunt. et Codd. Rottend. et Goth. 2. vulgo editur *Tmolus et*; quae mira esset verborum traiectio. Restituenda igitur optimorum Codd. lectio *Tmolius*, quae, Wagnero iudice, duplici modo potest explicari, aut ut *mons* subintelligatur, aut ut Graecorum more pro *Τμώλιος* dictum sit, apud quos saepe *Χῖος, Λέσβιος, Ἰράμνιος* cet., subintellecto Substantivo *οἶνος*. Equidem cum Wunderl. alteram praefero rationem, ut Vergilius Graecum aliquem poëtam expressisse videatur; quam Wagn. eo etiam firmari censet, quod Graecis magis, quam Romanis, convenire videatur talis dictio *βασιλεὺς οἶνος*, quo ducant etiam Lucilii verba a Servio laudata: *Χῖός τε δυνάστης* (fragm. inc. 142. Gerl.) Haec autem Graeca ellipsis apud Vergilium, Graecae orationis imitatorem, mira videri non potest. (Vide modo v. 93. *tenuis Lageos*). Wund. confert Plin. XIV, 7, 9. *Nec Tmoliti per se gratia, ut vino*, et XIV, 16, 19. §. 3. *Myrtiten Cato fieri docuit*, ubi eadem ellipsis, quam etiam in marium nominibus (*Aegaeus, Ionius*, sc. *πόντος*. pro: *Aegaeum, Ionium*, sc. mare) inveniri docet, coll. Heineck. ad Iuven. p. 84. et Passov. ad Pers. p. 219.) Voss. et Iahn. aliam rationem sequuntur, quae primo adspectu simplicior videtur, sed re accuratius spectata ferri non potest. Ad *Tmolius* enim ex seqq. trahunt Subst. *rex*. Cui rationi maxime adversatur collocatio verborum et Pron. *ipse* voci *rex* postpositae adiectum; nam quod Wunderl. adiungit, *regem Tmolium* nihil aliud significare posse, quam eum, qui montem regat

Argitisque minor, cui non certaverit ulla
Aut tantum fluere aut totidem durare per annos.
Non ego te, Dis et mensis accepta secundis,
Transierim, Rhodia, et tumidis, Bumaste, racemis.
Sed neque quam multae species nec nomina quae sint,
Est numerus; neque enim numero conprendere refert;
Quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem
Discere quam multae Zephyro turbentur harenae,
Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.

---

id minoris momenti esse videtur. (Ceterum Ribbeck., quamquam Geo. I, 56. edidit *Molus* atque etiam hic Cod. Med. a m. pr. et Gud. a m. sec. *Molius*, hic autem a m. pr. *Mollius* exhibent, h. l. tamen retinuit ceterorum librorum scripturam *Tmolius*.) — *rex ipse Phanaeus*, i. e. adeo (vid. adnott. ad Aen. I, 625. et alibi) Phaenaeus (οἶνος), rex vinorum, s. praestantissimum inter vina. Cf. supra *Χῖος δυνάστης* et adnott. ad Geo. I, 482., ubi *Eridanus, rex fluviorum*. — 99. *Argitis*, Ἀργῖτις ab ἀργός, quod vinum candidum reddit; quamquam alii ab Argis nomen habere putant. Est autem *minor* et *maior*. Breve et latum folium habet, uvaeque eius, nisi mature colliguntur, ad terram decidunt et putrescunt. Vid. Colum. III, 2, 21. et Isidor. Orig. XVII, 5. — *cui non certaverit* etc. Haec imitatus est Ammian. Marc. p. 22. *Antiochia, - - cui non certaverit alia advectiis ita adfluere copiis et internis*. — 100. Ea vitis vino imprimis abundat eoque firmo ac durabili. — *fluere* dicitur de vitibus, quarum fructus munstum reddunt. Colum. III, 2. *vites minus fluunt*. Cf. infra v. 190. — 102. „Vinum *Rhodium*, cuius in mensis secundis [cf. Aen. I, 723 sqq.] usus erat, cumque de eo ante omnia diis libaretur, hinc vitis *Rhodia diis accepta*, grata, et *mensis secundis*; fere ut apud Hor. Od. III, 11, 6. lyra *divitum mensis et amica templis*.“ *Heyn*. Cf. de hoc vino Athen. XIV, 68. Plin. XIV, 3, 4. §. 9. et 8, 10. Colum. III, 2. Macrob. Sat. II, 16. Gell. XIII, 5., de libatione autem in mensa secunda instituta adnott. ad Aen. I, 736. — *Bumastus* (βουμαστός), quae etiam *bumamma* s. *duracina*, a voce. βοῦς et μαστός, mamma, dicta, quia instar mammae bovinae turgescit. Vid. Plin. XIV, 1, 3. *Tument mammarum modo bumasti*. Varr. R.R. II, 5. Colum. et Macrob. ll. modo ll. (Cf. etiam Plin. XIV, 3, 4. §. 8., qui uvas purpureas cognomine *bimammias* dictas esse refert; quae tamen cum *bumamma* non confundendae.) Syllabam βου autem Graeci, de boum magnitudine cogitantes, omnino rerum magnarum et amplarum nominibus praeponere solebant. Cf. Barkeri Epist. crit. adiecta Arcad. de accent. p. 226. — 103—108. Respexerunt hunc locum Plin. XIV, 1. extr. Colum. III, 2. et Avien. descr. 813 sq. — 104. *neque est numerus*, neque enumerari potest, nemini est facultus enumerandi, recensendi. Cf. similis locus infra v. 177., ubi vid. adnott. — *neque enim - - refert*. Particula *enim* vim habet confirmativam, respondens nostro *ja, eben*, ut *neque enim* significet *auch - - nicht eben, auch - - ja nicht*; quare non opus est, ut cum Voss. ad h. l., Schützio de part. p. 161. et Ramsh. Gramm. §. 191. 1. p. 847. in eiusmodi locis de omissa aliqua sententia cogitemus, ad quam illa Particula referatur. Cf. Handii Turs. II. p. 389 sq. et IV. p. 115 sq. — *refert*, absolute pro expedit, ad rem pertinet. Cf. Ruddim. II. p. 204. not. 5. — 105. *Libycum aequor* est arenosa Libyae planities, vastitas, deserta Libyae. Vid. adnott. ad Geo. I, 50. Quod attinet ad huius loci sententiam, Conington conferri iubet Herod. I, 47. Pind. Pyth. IX, 46. et Catull. VII, 2. — 106. Pro *Discere* Med., fragm. Ver., Gud. et tres Bern. mendo scripturae praebent *Dicere*. — 107. Videtur poëta ante oculos habuisse Theocr. XVI, 60. *Ἀλλ' ἴσος γὰρ ὁ μόχθος ἐπ' ᾠόνι κύματα μετρεῖν, Ὅσσ' ἄνεμος χέρσονδε μετὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὠθεῖ*, quem iam Voss. confert. Omnino haec comparatio, quippe quae ultro se praebeat, satis frequens. Cf. Aelian. V. H. XIII, 15. et Anacr. XXXII, 3., ubi vid. Fischer.

Nec vero terrae ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices crassisque paludibus alni
Nascuntur, steriles saxosis montibus orni;
Litora myrtetis laetissima; denique apertos
Bacchus amat collis, Aquilonem et frigora taxi.
Aspice et extremis domitum cultoribus orbem
Eoasque domos Arabum pictosque Gelonos;
Divisae arboribus patriae. Sola India nigrum
Fert ebenum, solis est turea virga Sabaeis.

— **109—134.** Ut diversa sunt arborum genera, ita etiam diversum solum, quo arbores quaeque facilius proveniunt. Cum v. 109. cf Lucr. I, 165. *Nec fructus idem arboribus constare solerent, sed mutarentur, ferre omnes omnia possent*, Ecl. IV, 39. et Ecl. VIII, 63. ibique adnott., et quod ad ipsam rem attinet, Geo. I, 53 sqq. — **110.** *fluminibus, paludibus* (Abl. loci), pro: ad flumina, ad paludes. Vid. adnott. ad Ecl. VII, 66. — *crassae*, i. e. lutosae, *paludes* inveniuntur etiam Grat. Cyn. 53. et Nemes. Cyn. 315. — **112.** „*Litora myrtetis laetissima* exquisitiore forma pro vulgari: *myrti solent esse laetissimae in litoribus*, quod si fit, *litora* haud dubie et ipsa *laeta* videri possunt. Geo. IV, 124. *et amantis litora myrtos.*" *Heyn.* Cf. etiam Grat. Cyn. 129. *umbrosae Veneris per litora myrtus* et adnott. ad Geo. I, 1. Haeckermann. Explic. Verg. p. 11. (ad Aen. I, 441.) *myrtetis* pro Dativo habet, ut *laetus* significet iuvans, utilis (*förderlich, gedeihlich*), coll. Val. Fl. I, 30. II, 189. Lucan. VIII, 80. Plaut. Amph. pr. 2. Tac. Ann. III, 48. Hist. I, 71. IV, 68.; quae tamen ratio minus poëtica est censenda. — **113.** *Bacchus*, i. e. vitis. Cf. quae ad Ecl. V, 69. adnotavimus. — *apertos colles*, solis radiis expositos ideoque fere i. q. *apricos*. — *taxum* (de qua vide adnott. ad Ecl. IX, 30.) in montibus laete crescere refert Theophr. h. pl. III, 4. a Voss. laud. — **114. 115.** Exemplo etiam esse possunt arbores exoticae. Pro his commemorantur regiones in extremo terrarum orbe sitae, ut Arabum et Gelonorum. *extremis domitum* (i. e. laboriose subactum, cultum: cf. adnott. ad Aen. IX, 608.) *cultoribus orbem* per inversionem poëticam pro extremo orbe, extremis terris. Cf. Hor. Ep. I, 6, 6. *Quid maris extremos Arabas distantes et Indos*, ibique Interpp. — *Eoas domus Arabum* Cf. Hor. Od. II, 12, 24. *Plenas aut Arabum domos* et Prop. III, 1, (II, 10,) 16. *Et domus intactae te tremit Arabiae.* De *Gelonis*, Sarmatico populo, qui ultra Borysthenem vagabatur in ea regione, quae nunc *Ukraine* vocatur, cf. Aen. VIII, 725. Herod. IV, 108. Plin. IV, 12, 26. Mela II, 1. Amm. Marc. XXXI, 5. Hor. Od. II, 9, 23. II, 20, 19. III, 4, 35. et liber meus geogr. II. p. 442. Lucano III, 283. *volucres*, Avieno descr. orb. 446. *celeres* vocantur, haud dubie quia apud Dionys. Perieg. 310., ubi nunc editur Ἱππόποδές τε, Γελωνοί τε, legebatur Ἱππόποδές τε Γελωνοί. Vid. etiam infra Geo. III, 461. *Picti* appellantur, ut Aen. IV, 146. *Agathyrsi*, quod communi complurium ferorum populorum more corpora pingebant (*tättowiren*) i. e. colorem cuti aut acu punctae inungebant aut inurebant. (Cf. omnino Herod. V, 6. et Caes. B. Gall. V, 14.) Quare de iisdem Gelonis Claud. in Rufin. I, 313. *Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus.* — **119.** „*India* [hic, ut in loco nostro simillimo Geo. I, 57.] de India, quae proprie dicitur, accipi potest; nam et ibi nasci *ebenum* narrant multi e veteribus (vid. Theophr. h. pl. IV, 5.); sed etiam, quod malim, de Aethiopia, cui ebenus propria arbor. Solet enim India latissime dici, ut satis notum. Cf. inf. Geo. IV, 293." *Heyn.* Sic etiam apud Tibull. II, 3, 55. (ubi vid. Heyn.) *India* pro Aethiopia videtur commemorari. Cf. Obbar. ad Hor. Ep. I, 1, 45. Vol. I. p. 65., omnino autem quae de terrarum orientalium confusione poëtis usitatissima ad Ecl. IV, 25. adnotata sunt. De *ebeno* cf. Dioscor. I, 130. Theophr. h. pl. IV, 5. Plin. VI, 30, 35. XII, 4, 9. (hunc locum respiciens) alii et Voss. ad h. l. Ribbeck. scripsit *hebenum*, Probum p. 48, 6. K. et unum Cod. Bern. 6., qui a m. pr. *haebenum* exhibet, secutus. — De *ture Sabaeorum* vid. Geo. I, 57. ibique adnott. *Virgae turis*

Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque et bacas semper frondentis acanthi?
Quid nemora Aethiopum molli canentia lana?
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?
Aut quos Oceano proprior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis, ubi aëra vincere summum

---

leguntur etiam ap. Plin. XII, 14, 31. — 118. *odorato sudantia ligno Balsama*, i. e. arbores odoratas, sudantes balsamo (cf. Ecl. VIII, 54. *corticibus sudent electra myricae*), vel, quod in prosa usitatius est, balsamum exsudantes. De *opobalsamo* autem Iudaeae, vallis imprimis Hierichuntinae, et Arabiae praeter Dioscor. I, 18. Theophr. h. pl. IX, 6. Paus. IX, 23. Diod. Sic. XIX, 98. Plin. XII, 25, 54. XVI, 32, 59. Iustin. XXXVI, 3. Solin. 35. cf. etiam Wineri *Bibl. Realwörterb.* I. p. 152 sqq. edit. II. et Voss. ad h. l. — 119. „*Acanthus* h. l. non herbae (ut Ecl. III, 45. et al.), sed arboris est nomen; nec tamen satis compertum, quale genus illud sit. Spina est, alia Aegyptia, alia Arabica; vulgo *acantha*, vulgare nomen *acacia;* unde gummi Arabicum colligi solet: *minosa Nilotica* Linn. Habet quidem ea arbor siliquas, non *baccas;* verum *bacca* latiorem significationem habet." *Heyn.* Sic v. c. apud Cicer. de Sen. 2, 5. N. D. II, 51, 127. Div. I, 51, 116. Tusc. I, 14, 31. de omnium arborum fructibus ponitur. Nihil tamen impedit, quominus baccas de siliquarum fabis vel granis intelligamus. (De vocis scribendae ratione vid. adnott. ad Ecl. X, 27.) De ipsa autem arbore cf. Dioscor. I, 133. Theophr. h. pl. IV, 3. Plin. H. N. XIII, 9, 19. et XXIV, 12, 67. Plin. Epist. V, 6. — 120. Heyn. confert Plin. XIX, 1, 2. §. 3. *Superior pars Aegypti, in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui gossypion vocant, plures xylon, et ideo lina inde facta xylina.* Adde Theophr. h. pl. IV, 9. Intelligendum videtur Gossypium arboreum Linn., *die baumartige Baumwolle.* Veteres inde byssum texuisse constat. Vid. Pollux. VII, 17. Pausan. V. p. 294. Philostr. vit. Apoll. II, 9. et Plin. XIX, 1, 2. Praeterea cf. Theophr. h. pl. IV, 9. Plin. XII, 6, 13. et 10, 21. Ceterum de mutata constructione: *Quid* (referam) *nemora Aeth. - - Velleraque ut - - depectant - - Seres* vid. adnott. ad Aen. II, 5. — 121. Poëta sequitur vulgarem antiquitatis opinionem, Seres, Indicam gentem, Sericum ita parare, ut lanuginem a bombycibus textam ex certarum arborum foliis depectant. Cf. Plin. VI, 17, 20. *Seres lanicio silvarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium canitiem.* Avien. descr. 936. *vellera per silvas Seres nemoralia carpunt.* Solin. c. 63. ibique Salmas. Vermiculi illi, qui nobis *bombyces* vocantur, demum Iustiniani temporibus Constantinopolin allati sunt. (Procop. B. Goth. VI, 17.) De *Seribus*, Sericae incolis, cf. Plin. VI, 17, 20. Mela I, 2. aliique; de *bombycibus* autem Aristot. h. an. V, 19. Dionys. Perieg. 754. Plin. XI, 21, 26—28. etc., et Keferstein *über den Bombyx der Alten* in Germar. *Magaz. der Entomol.* III., omnino autem quae de hac re scripsi in libro meo geogr. II. p. 473. et in Pauly *Realencycl.* VI. p. 1076., item quae in eadem *Encyclop.* I. p. 2427 sq. edit. II. verbo *Bombyx* a Beckero exposita sunt. — 122—125. Cf. Plin. VII, 2, 2. *Arbores quidem* (in India) *tantae proceritatis traduntur, ut sagittis superari nequeant.* (Conington idem de Syenes arboribus ap. Val. Fl. VI, 76. referri memorat.) De vastis et immanibus Indiae arboribus cf. omnino Strab. XV. p. 694. Arrian. Ind. c. 11. Theophr. h. pl. IV, 5. Diod. Sic. XVII, 90. Plin. VII, 2, 2. XII, 4, 8. Curt. XI, 1, 10. alii. — *gerit*, aut omnino i. q. habet, ἔχει, ut Aen. I, 315. II, 90, [illegible]. VI, 772. Lucr. I, 718. (ubi vid. adnot. mea) II, 735. IV, 49. VI, 847. Met. IV, 135. Am. III, 4, 19. et alibi: aut ita ut supra v. 70. explin. — 123. *sinus* non solum de mari dicitur, sed etiam de terris, n sinus formam ab Oceano vel magnis fluminibus ambiuntur. Cf. Tac. IV, 5. *Dehinc initio ab Syria usque ad flumen Euphraten, quantum terrarum sinu ambitur*, id. Germ. 29. *Qui decumates agros exercent* Rhenum et Danubium) - - *sinus imperii et pars provinciae haben*p. Plin. VI, 8, 8. Armenia, Cappadocia et adiacentes terrae vocantur *s in mediterraneo sinus.* Cf. etiam Hor. Epod. I, 13. et Sen. Hipp.

Arboris haud ullae iactu potuere sagittae?
Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.
Media fert tristes sucos tardumque saporem
Felicis mali, quo non praesentius ullum,
Pocula si quando saevae infecere novercae,
[Miscueruntque herbas et non innoxia verba,]

---

568. Boettich. Lex. Tac. p. 431 sqq. Cort. ad Lucan. III, 459. Gronov. ad Sen. Troad. 171. Drakenb. ad Liv. XXVIII, 5, 15. — *vincere*, superare. Cf. Plinii locus supra laud. — *aër summus arboris* pro cacumine dictus, quo altissime in aërem tendit arbor. Imitatus est hunc locum Val. Flaccus VI, 261. *Si quis avem summi deducat ab aëre rami.* — *non potuere*, non possunt. Cf. adnott. ad Geo. I, 49. — 125. Etsi gentes Indicae peritissimae sunt artis sagittandi. — *non tarda*, strenua, fortis. Heynio, ut Bryanto, Brunckio et Mansoni, totus hic versus suspectus est; qui tamen egregie inservit rei illustrandae et augendae, atque in omnibus Codd. apparet. Epitheton autem *tardus* proximo versu repetitum non esse, cur νοθείας suspicionem excitet, Wagn. censet collatis locis Geo. III, 524 sq. (*terram — terras.*) Aen. I, 504 sq. (*medios — media.*) V, 780 sq. (*pectore — pectus.*) Geo. I, 301 sq. (*curant — curas.*) Aen. VI, 613—23. (ubi *ingens* quater repetitum videmus), eamque rem minime in vitio ponendam esse docet, modo ne eadem sit vocabuli repetiti sedes ac terminatio. Vid. etiam adnott. ad Ecl. VI, 16. Iahn. ad Aen. I, 315. Weichert. de verss. iniuria suspp. p. 92 sqq. et Wunderl. ad Tibull. I, 9, 67. — De Copula *et*, parenthesin aliquam incipiente, vid. adnott. ad Ecl. IX, 11. — 126. *Malum Medicum* non esse aurantiam rotundam (malum citreum, *Pomeranze*, ut Heynius censet), sed aurantiam oblongam, acrioris saporis atque magis flavi coloris (*Citrone*), Vossius et Iahnius docent coll. Plin. XV, 13, 14. XII, 3, 7. Theophr. h. pl. IV, 4. et Athen. III, 7. *Assyriam* eam vocat Dioscor. I, 166. Alii, ut Athenaeus l. l. Pallad. IV, 10. et Oppius ap. Macrob. Sat. II, 17., sane Medica mala cum citreis confundunt. Cf. etiam Galen. de alim. fac. II, 37. — *tristes suci* (vid. ad Ecl. III, 6.) sunt acidi aut amari (ut Geo. I, 75. et al.) Verba *Media fert tristes sucos* hinc repetit auctor trag. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 191. — *tardus sapor*, h. e. diu palato inhaerens, utpote acerbus et pungens. Ceterum omnes coniecturas, quibus hunc versum vexarunt Viri docti, ita ut Burm., coll. Geo. IV, 120., *durumque*, i. e. asperum, Reisk. *sardumque* (qui contrahit os in similitudinem risus Sardonii, ut Ecl. VII, 41.) Wakef. ad Lucr. VI, 780. *asprumque*, Peerlk. p. 377. *acidumque* legendum esse suspicarentur, supervacaneas esse, ex iis, quae ad v. 125. adnotavimus, clarissime patet. — 127. „*Felix*, de arbore si dicitur, ad fecunditatem proprie respicit [vid. adnott. ad Ecl. V, 37]. Et sane citri fetus perpetua successione succrescunt. Hic tamen ad salubritatem potius epitheton spectare videtur, ut dicitur *infelix*, infaustum, quod nocet." *Heyn.* Ita iam Servius locum intellexit rectissime, neque aliter Schirach. p. 411., Grammatico propterea adsentiens, quod inter plures eius fructus notas, quae ad naturam et salubritatem eius omnes pertineant, vix cogitationi de fertilitate arboris locus relinquatur. Pro veneni antidoto habitum esse malum Medicum, discimus etiam ex Athen. et Plin. ll. ll. Etiam Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 40. recte explicat: „utilissimi ad auxilium ferendum, *des gesegneten*" coll. Geo. IV, 329. — *praesentius - - auxilium*, i. e. efficacius, potentius. Saepe enim *praesens* de rebus dicitur, quarum vis et efficacia nulla interposita mora, statim ubi opus est, expromitur. Ita *praesens auxilium* (Cic. Verr. II, 4, 49.), *praesens remedium* (Plin. XXI, 18, 70. Colum. VI, 14, 3.) et similia satis nota. Cf. etiam Aen. XII, 152. Donat. ad Ter. Phorm. II, 2, 31. et quae ad Ecl. I, 41. ad scripsimus. Deteriores quidam libri et Macrob. Sat. III, 19, 3. ex glossa exhibent *praestantius*. — 128. Venena a novercis mixta haud raro scriptoribus Latinis commemorari, satis constat. Cf. Ovid. Met. I, 147. et infra Geo. III, 282. — *infecere*, scil. veneno. Cf. Tibull. III, 5, 9. *Nec mea mortiferis infecit pocula sucis Dextera.* — Versus 129.,

Auxilium venit ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos faciemque simillima lauro;
Et, si non alium late iactaret odorem,
Laurus erat; folia haud ullis labentia ventis;
Flos ad prima tenax; animas et olentia Medi
Ora fovent illo et senibus medicantur anhelis.
Sed neque Medorum silvae ditissima terra,
Nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus

---

quem, ut ex ipso illo loco Geo. III, 283. a librariis huc translatum, iam Brunck. et Heyn. damnarunt, Voss. vero, Weichert. de verss. iniuria suspp. p. 69. et Iahn. strenue defenderunt, mihi quoque, ut Wagnero et recentissimis editoribus, imprimis propterea valde suspectus videtur, quod in Cod. Med. non in ceterorum versuum ordine, sed in margine inferiore adscriptus apparet (ubi etiam Ribbeck. in edit. sua eum posuit: cf. eius Lect. Verg. p. 4.); ad quam causam etiam haec accedit, quod hoc versu adiecto verba *quo non praesentius ullum - - Auxilium venit* nimis longo intervallo disiunguntur. Per se autem talis eiusdem versus repetitio diligentem et attentum Vergilii lectorem minime potest offendere; qua de re iam supra ad Ecl. V, 37. diximus. — Ceterum de correptione 3. Pers. Plur. Perf. *miscuĕrunt* vid. adnott. ad Ecl. IV, 61. — *herbas* intellige venenatas, noxias. — *non innoxia verba*, incantationes. Vid. Ecl. VIII, 68. — **130**. *membris agit*, pro abigit ex membris, expellit. Cf. not. ad Geo. I, 413. (II, 327.) III, 203. et Burm. ad Sammon. c. 46. Wund. confert similem verbi *fugiendi* constructionem, v. c. Hor. Od. II, 2, 14. *nisi causa morbi fugerit venis.* — *atra venena.* Cf. Geo. I, 129. — **131**. *faciem simillima*, ut Aen. I, 589. *os humerosque deo similis* et permulta alia. Cf. adnott. ad Ecl. I, 54. III, 106. al. Ursinus docet, hunc locum paene ad verbum conversum esse e Graecis Theophr. IV, 4. — **132**. *si non - - iactaret - - erat.* Cf. supra ad v. 54. — **133**. *labentia.* Exspectamus *labuntur;* sed a poëtis in descriptione rerum pro Verbis finitis interdum Participia vel Adiectiva ponuntur. Cf. Geo. III, 505. Aen. VII, 787. et Wagn. Qu. Virg. XXIX, 5. — **134**. Flores non facile citove decidunt. — *ad prima*, i. q. *in primis.* Cf. Schirach. p. 318. Alibi *ad prima* i. q. primo, v. c. Claud. in Rufin. I, 165., ubi vid. Barth. Cf. Hand. Tursell. I. p. 123. Coningtou confert Herod. VI, 13. ἐς τὰ πρῶτα. — **135**. Parthos (s. antiquiore nomine Medos) his pomis, quorum grana esculentis incoquere soleant, graveolentiae oris mederi, refert Plin. XII, 3, 7. *Olentia* non minus ad *animas* pertinere, quam ad *ora*, in promptu est. — „*fovent*, h. e. curant, θεραπεύουσι, cum mox substituatur *medicantur*. Est enim genus curae calefacere, reficere modico calore, quod proprie est *fovere;* hinc latius etiam de aliis." *Heyn.* Cf. infra IV, 230. et adnott. ad Aen. I, 718. et XII, 420. — *illo*, non flore, sed malo. — *senibus anhelis*, anhelitui, spiritui foedo, qualis senum esse solet. Adi. *anhelus* legitur etiam Geo. I, 250. Aen. V, 739. VI, 48. XII, 790. — *medicari* cum tertio Casu construitur etiam apud Seren. Sammon. XLVIII, 902. *tremulis medicantia membris;* cum quarto Aen. VII, 756. Cf. Ruddim. II. p. 145. Ceterum Ameis, qui in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 40. docet, *medicari* non prorsus idem esse, quod *mederi*, sed tantum usum medicamenti, non effectum eius indicare, seque ex medico audivisse profitetur, malum Medicum vere non prorsus removere illa mala, sed esse modo eorum levamentum, *medicantur* explicat; „pro medicamento dant." — **136—176**. „Sequitur digressio in laudem Italiae, quacum cf. Plin. l. extr. [XXXVII, 12, 77. et III, 5, 6.] Dionys. Hal. I, 36. Varro R. R. I, 2." *Heyn.* Neque Media, neque India aliaeque terrae ob fertilitatem suam celebratae cum Italia possunt comparari. — **136**. *silvae ditissima terra.* Voss. comparat Manil. IV, 752. *Et molles Arabes, silvarum ditia regna.* Cf. etiam adnott. ad Ecl. II, 20. Olim distinguebatur *Medorum silvae, ditissima terra;* melior loci interpretatio debetur Reiskio, quae ut magis in oculos caderet, Wagn. et Iahn. verba *silvae ditissima* Commatis incluserunt. — Ut *Ganges*, notissimus Indiae fluvius, (de quo cf. Strab. XV. p. 690.

Laudibus Italiae certent, non Bactra neque Indi
Totaque turiferis Panchaia pinguis harenis.
Haec loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertere satis immanis dentibus hydri
Nec galeis densisque virûm seges horruit hastis;
Sed gravidae fruges et Bacchi Massicus humor

Arrian. Ind. c. 10. Mela III, 7, 5 sqq. Plin. VI, 18, 22. VII, 1, 2. alii et liber meus modo comm. II. p. 60 sqq.) pro ipsa India, sic *Hermus*, Lydiae fluvius, e Phrygia descendens et mox Pactolo aliisque fluviis exceptis in sinum Smyrnaeum se effundens, (de quo, nunc *Kodus* s. *Ghiediz* vel *Sarabad* appellato, vid. Strab. XIII. p. 626. Plin. V, 29, 31. Mela I, 17, 3. alii et liber meus geogr. II. p. 102.), pro Asia Minore positus. — *auro turbidus Hermus* simpliciter pro aurifer. Respexerunt hunc locum Martial. VIII, 78, 5. *turbato sordidus auro Hermus*, Senec. Herc. fur. 1325. *Tagusve Hiberna turbidus gaza fluens*, Silius XVI, 560. *Qua Tagus auriferis pallet turbatus arenis* et Prudent. hymn. II, 190. *Torrens vel amnis turbidis Volvens arenis implicat.* Cf. Drakenb. ad Silium I, 159. ubi campus *illatis Hermi flavesvit arenis.* Wakef. ad Lucr. I, 287. temere coni. *turgidus.* — 138. *Bactra* pro omni regione Bactriana s. Bactria, cuius caput erant Bactra, etiam Zariaspe s. Charispa appellata. Cf. de hac terra inter Sogdianam, Margianam, Ariam et Paropamisum montem sita et imprimis propter equos suos celebrata, quam Oxus (de quo ad Ecl. I, 65. dictum) perfluebat, Strab. II. p. 74 sqq. et saepius, Arrian. III, 29. Plin. VI, 16, 18. XII, 9, 19. et alibi, Mela I, 2, 5. Curt. VI, 6. VII, 4. alii et liber meus geogr. II. p. 554 sqq. — 139. *Panchaïa*, fabulosa Euemeri insula, Arabiae ab oriente obiecta, turis, myrrhae aliorumque aromatum odoriferorum ferax, (cf. infra IV, 379.) quae hic pro Arabia ipsa poni videtur. Cf. de ea Strab. VII. p. 299. Diod. Sic. V, 41. Polyb. XXXIV, 5. Plin. X, 2, 2. Tzschuck. ad Melae III, 8, 8. Gierig. ad Ovid. Met. X, 307 sqq. Dissen. ad Tibull. III, 2, 23. et quae ipse exposui in Pauly *Realencyclop.* V. p. 1111. — „*pinguis*, aut propter tus pingue, quod resinae naturam habet, aut fertilis *turiferis arenis*, solo arenoso, cui frutex turis innascitur, h. e. pro ture, de quo vid. Plin. XII, 14, 30 sqq. In prosa diceres: habens solum, quod fert pingue tus." *Heyn. Pinguis* utique pro fertilis positum (cf. adnott. ad Geo. I, 192.); per *arenas* autem intelligitur humus soluta et arenosa, qualem turis arbor poscit. Voss. non inepte confert Colum. II, 2, 25., ubi *pingues arenae* commemorantur. — 140—143. Sententia haec est: Italia non minus fertilis et dives est, quam Colchis, et caret tamen monstris illis, quae illam terram infamarunt. — Notissima est fabula de dentibus draconis ab Iasone ad vellus aureum expugnandum Colchos profecto satis et de viris armatis inde enatis. Vid. Apollon. Rhod. III, 409 sqq. Apollod. I, 9, 23. Hygin. f. 21. et 25. Ovid. Her. VI, 32 sqq. id. Met. VII. ab init., imprimis v. 100 sqq. — *tauri spirantes naribus ignem*, Aeetis equi aeripedes ignemque vomentes, quos vellus illud ablaturus aratro iungeret necesse erat. Cf. Apollon. l. l. v. 496. Ovid. l. l. v. 29. et 104 sq. eiusd. Her. VI, 32. XII, 93. Val. Fl. VII, 545 sqq. Ceterum Maro hic imitatus est Lucret. V, 29. *et Diomedis equi spirantes naribus ignem.* Repetit hunc versum idem ille poëta trag. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 255. ut v. 226. sequ. verba *immanis dentibus hydri* et v. 256. totum versum 142. — 141. *satis dentibus* non sextus, sed tertius est Casus s. Dativus, quem vocant, commodi; non enim post dentes satos, sed ut dentes interfecto dracone seri possent, tauri aratro iungendi et solum vomere invertendum erat. Quare Wagn., qui docet, sententiam hanc esse: „invertere loca dentibus hydri — scil. serendis —, quales ab Iasone satos accepimus," rectissime Comma post *Invertere* sustulit. Peerlk. p. 141. coni. *Invertere, satis immania d. h.* — 142. *seges virûm* dicitur, quia armati illi bellatores, cum quibus Iasoni decertandum erat, e dentibus satis nati. — *horruit hastis*, exstitit cum hastis horrentibus. Vid. adnott. ad Geo. I, 151. — 143. Sequitur locus de variis Italiae fructibus, quibus ea omnes alias terras longe superet. — *gravidae fruges*, laetae. Vid. ad Geo. I,

Inplevere; tenent oleae armentaque laeta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert;
Hinc albi, Clitumne, greges et maxuma taurus
Victima, saepe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa deûm duxere triumphos.
Hic ver adsiduum atque alienis mensibus aestas;
Bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rabidae tigres absunt et saeva leonum

---

319. De vino *Massico*, quod pertinet ad *Falerna* vina supra v. 96. commemorata, cf. Aen. VII, 725. Hor. Od. I, 1, 19. Sat. II, 4, 51. Mart. I, 27. XIII, 111. Plin. XIV, 6, 8. Praeterea mons ille Campaniae ad Sinuessam situs, (hodieque *Monte Dragone* appellatus) in quo crescit, commemoratur v. c. Cic. Agr. II, 25, 66. Liv. XXII, 14, 1. 3. et alibi. Cf. liber meus geogr. III. p. 493. — 144. Wakef. huius versus numeros et structuram comparat cum illo Lucret. V, 203. *Inde aliquam partem montes silvaeque ferarum Possedere; tenent rupes vastaeque paludes;* quo etiam Cod. Med. a m. sec. lectionem *oleaeque* damnari censet. Et sane Copula, quae hic, ubi chiasmus et inter duas res diversas sensus aliqua pausa locum habet, melius abest, librariis modo debetur de metro sollicitis. Cf. infra v. 375. De hiatu autem cf. quae ad Ecl. II, 53. et alibi adnotavimus. Ceterum idem Wakef. ad Lucret. V, 1377. temere coni. *armentaque lata*, i. e. late pascentia. — 145—147. Sententia simpliciter haec est: in Italia boni equi et boves nascuntur. — *bellator equus*. Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 13. Ribbeck. cum uno Cod. Bern. b. a m. pr. scripsit *equos*. (Vid. supra ad v. 71.) — *arduus*, erectus, celsus. Sic ap. Hor. Sat. I, 2, 88. *ardua cervix equi*, ap. Silium XI, 245. *ardua colla* tauri. Iisdem vere verbis Aen. IX, 53. poëta utitur de Turno: *campo sese arduus infert*. — 146. *Clitumnus*, (etiamnum *Clitumno* appellatus) Umbriae fluvius, qui, iuxta urbem Mevaniam Tiniae admixtus, cum eo ad Tiberim descendit. Cf. Silius IV, 547. VIII, 451. Plin. Ep. VIII, 8. Stat. Silv. I, 4, 129. Suet. Calig. 43. et liber meus geogr. III. p. 512. Conington de egregiis iuxta eum pascuis conferri iubet Iuven. XII, 13. Campi adiacentes etiamnum armentis abundant. — *tuo perfusi flumine sacro*. Cf. Aen. VIII, 72. *tuque o Thybri tuo genitor cum flumine sancto* et Ennii Annal. I. fr. 37. p. 43. Hessel. *Teque pater Tiberine tuo cum flumine sancto*. — *„albi greges*, quia fluminis aquis ea vis inesse putabatur, ut armenta *candido* colore essent. [Vid. Plin. II, 103. 106.] Simile quid creditum de Galaeso. Vid. Interpp. ad Hor. Od. II, 6, 10." *Heyn. Taurus* albus, ex his arvis adductus, *victima maxuma* (quo maior non caedebatur) in triumpho immolabatur, (ut omnino albae pecudes diis superis mactabantur, nigrae contra inferis diis). Hi tauri, cum ante triumphantis currum ducerentur, ipsi *ducere triumphos ad templa* a poëta dicuntur. Per *templa deûm* igitur Capitolium significari in promptu est. — 149. 150. Sermo est de miti Italiae caelo, ubi vel iis mensibus, quibus in aliis terris plerisque caeli asperitas et hiemalis tempestas esse soleat (*alienis mensibus*), ver et aestas regnent. Imitatur autem poëta Lucretium I, 181. *Quod si de nihilo fierent, subito exorerentur Incerto spatio atque alienis partibus anni*. — 150. Hic oves et arbores biferae. Oves enim auctumno et vere admittuntur, et aestate et hieme pariunt. Vid. Colum. VII, 2. et alios. Coningtoni dubium videtur, utrum *pomis* sit Dativus an Ablativus (ut ap. Ovid. Met. III, 212. *Et pedibus Pterelas et naribus utilis Agre.*) Equidem pro Dativo habeo: *utilis pomis*, scil. procreandis, ut infra v. 323. *ver utile silvis*, v. 442. *utile lignum navigiis*, supra v. 93. *passo Psithia utilior* etc. De eximia Campaniae fertilitate cf. Strab. V. p. 242. Varr. R. R. I, 7. Plin. XVII, 11, 29. XVI, 27, 50. — *arbos*, ut Ecl. III, 56., supra v. 81. et alibi. — 151—154. Caret Italia ferarum monstris, venenatis plantis et reptilibus. — *rabidae tigres;* pauci quidam Codd. non optimae notae *rapidae*, perpetua fere confusione. Cf. Burm. ad Aen. VII, 451. et 493. Cort. ad Lucan. III, 235. VI, 337. Ruhnk. ad Ovid. Her. XVIII, 37. Hildebrand. in Iahnii Nov. Annal. XXVI. p. 156. alii. — *leonum se-*

Semina, nec miseros fallunt aconita legentis,
Nec rapit inmensos orbis per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias urbes operumque laborem,
Tot congesta manu praeruptis oppida saxis
Fluminaque antiquos subterlabentia muros.

---

mina, h. e. genera, (non *Raçen*, sed *Generationen*), γένη λεόντων, (*Löwenbrut, Löwengezücht:* cf. Ameis l. l. p. 40.) ex Lucret. III, 741. (*triste leonum Seminium*). Sic apud Stat. Theb. VI, 334. *Centaurica semina*, et Anthol. Lat. V, 1, 11. *Hinc homines, armenta simul, semenque ferarum* (ut Wakef. pro vulgata lectione *et semina rerum* legendum esse suspicatur). — *nec miseros fallunt aconita legentes*, h. e. nec fallunt aconita miseros illos, qui herbas legunt, non possunt inter eas imprudentes venenatas herbas carpere, quia Italia iis caret. Accus. enim Obiecti (herbas, quibus vescantur) ad *legentes* facile potest suppleri. — *fallunt*, dum pro aliis herbis carpuntur. — *aconitum* (*Wolfswurz* s. *Eisenhut*, cf. Diosc. IV, 77. 78. et Theophr. h. pl. IX, 16. Plin. XXVII, 1, 2.) in herbis vel maxime venenatis referendum, quod cum Vergilius dicat in Italia non crescere, contradicit Dioscoridi IV, 78. de ἀκονίτῳ ἑτέρῳ diserte tradenti: γεννᾶται μὲν πλεῖστον ἐν Ἰταλίᾳ ἐν τοῖς καλουμένοις Οὐεστίνοις ὄρεσιν; quare Vergilius nihil aliud videtur contendere, quam Italiam, cum Ponto, aconiti vera patria (unde etiam nomen habet, ab Aconis, Mariandynorum vico: cf. Paus. V, 26. Plin. VI, 1, 1. Ovid. Met. VII, 415 sqq.) comparatam, tam raro hanc plantam procreare, ut alias herbas legentes non possit fallere. Cf. etiam Voss. — *legentis* substantive ut Geo. I, 193. — **153.** Cum seqq. verbis cf. Hor. Epod. XVI, 52. Anguis *rapit* (rapide facit) *orbes*, i. e. celerrime movetur corpore in orbes sinuato. Cf. Aen. II, 204. ibique adnott. — *tanto tractu*, scil. quanto in aliis terris. Heyn., temere in h. l. haerens, coniicit aut *lento* (ut apud Nicand. Ther. 222. νωθεῖ ὁλκῷ) aut *torto* (coll. Nemes. Ecl. IV, 40. [= Calpurn. XI, 40.] *torto non squamea tractu Signat humum serpens.* Sed rectissime iam Brunck. docet, non hic negare Poëtam ullos esse in Italia angues, sed tantum dicere, qui ibi reperiantur, non tam magnos, proinde non tam horrendos esse, quam in Asia. Voss., non aliter locum capiens, confert Ecl. VI, 29. 30., ubi similiter sententia aliqua comparativa supplenda est. Ceterum cf. infra III, 423 sq. Verba *tractu se colligit anguis* iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 178, 290. — De voc. *spirae* vid. adnott. ad Aen. II, 217. — **155—166.** Concelebrat poëta Italiae urbes, fluvios, maria, lacus, portus et montes, multum metalli continentes; et primum quidem de urbibus agit, vel in montibus et saxis, vel in vallibus ad flumina conditis. — **155.** *Tot — urbes.* Verum est, Italiam longe pluribus urbibus ornatam fuisse, quam ullam aliam orbis terrarum regionem eiusdem ambitus. Aelian. V. H. IX, 16. (quem Voss. laudat) MCXCVII oppida eam continere refert. — *operum laborem*, h. e. opera, aedificia magnifica, non sine labore et arte condita. Cf. Aen. I, 455. ibique adnott. — *congesta manu*, simpl. exstructa in rupibus. Verba enim *praeruptis saxis* locum, in quo conditae sunt urbes, non materiam, unde exstructae sunt, indicant. Sic apud Hirt. B. G. VIII, 40. oppidum in praerupto saxo situm ipsum *praeruptum* vocatur. — **157.** Quae sequuntur, vel adspectus iucunditate, vel utilitatis opportunitate se commendare docet Wagn. — *subterlabentia* (vel *supter labentia*, ut Ribbeck. divisim scripsit; de scriptura *supter* vid. Cassiodor. p. 2290. et Ribbeck. Proleg. p. 390. coll. cum Wagn. Orth. Verg. p. 461. extr.), praeterfluentia et muros adluentia. *Sub* enim et *subter* saepe dicitur de rebus imam editioris loci partem tangentibus; ut contra *super* de eo, quod est in excelsiore loco positum. Cf. adnott. ad Aen. I, 680. *Heyn.* addit: „Ad aquaeductus vix referam, quippe qui non subter muros, sed supra in exstructionibus ferantur. Cloacarum autem notio [de quibus Geisslerum in Schol. ad Geo. p. 5. cogitare, Wagn. auctor est] nimis tenuis esset, et ad solam Romam spectaret; at poëta *tot urbes, tot oppida* memorat." Cum de operibus sermo sit, fortasse de crepidinibus fluminum ex-

An mare, quod supra, memorem, quodque adluit infra?
Anne lacus tantos? te, Lari maxume, teque,
Fluctibus et fremitu adsurgens Benace marino? 160
An memorem portus Lucrinoque addita claustra
Atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Iulia qua ponto longe sonat unda refuso
Tyrrhenusque fretis inmittitur aestus Avernis?

---

structis cogitari potest; nam si *flumina* tantum ornatus causa adiicerentur, non appareret, cur ipsa, non *muri*, sint Obiectum sententiae. — *antiquos muros*. Antiquitas enim urbibus maximo honori laudique esse solet; quare poëta non sine superbia quadam Romanis propria magnam antiquarum urbium copiam commemorat, de qua gloriari Italia possit. — **158.** „*Mare superum* et *inferum*, Adriaticum et Tyrrhenum, mirae opportunitatis ad rerum hominumque commercia, atque hinc ad terrarum imperium." *Heyn.* — **159.** *Larius lacus* (nunc *Lago di Como*), piscibus abundans, sub Alpibus in agro Mediolanensi situs, quem Addua perfluit. Cf. Strab. IV. p. 192. Plin. II, 103, 106. III, 19, 23. Plin. Ep. IX, 7. — **160.** *Benacus* (nunc *Lago di Garda*), haud procul a Verona, per quem Mincius fluit (cf. adnott. ad Ecl. VII, 13. et Aen. X, 205.). Vid. Strab. et Plin. ll. cc., hic etiam IX, 22, 38. omninoque liber meus geogr. III. p. 519 sqq. — *fluctibus et fremitu adsurgens* (tumescens) *marino* Heyn. recte explicat: „propter magnitudinem ventis ac procellis obnoxius non aliter ac mare." Quod attinet ad vocem *adsurgens* cf. Aen. I, 539. et Val. Fl. III, 476. *intortis adsurgens arduus undis* a Coningtone laud. Omittit poëta maximum illius regionis lacum, *Verbanum* (qui nunc *Lago maggiore* vocatur); quare Fabricius locum ita vult distingui: *Te Lari, Maxime, teque* etc., ut per *Maximum* ipse ille Verbanus indicetur; sed noli in poëta geographi diligentiam requirere. — **161—164.** Describitur *portus Iulius*, quem a. U. C. 717. s. 37. a. Chr. n. Caesar Octavianus Agrippae consilio apud Baias in Campania ita constituit, ut lacum *Lucrinum* interiecto aggere quinque stadiorum a mari Tyrrheno seclusum perfosso illo aggere cum mari simulque per fossam cum vicino lacu *Averno* coniungeret, et sic munitum et tutum receptum navibus pararet. Vid. Suet. Aug. 16. Plin. H. N. III, 5, 9. Flor. I, 16. et imprimis Dio Cass. XLVIII, 50. Cf. Cluver. Ital. ant. IV, 2. „*Lucrinoque addita claustra*, i. e. aggerem illum non tum primum factum, sed novis operibus adstructum, quo ipso portus effectus est. Eodem modo accipiendum est illud Plinii, ex nostro adumbratum, XXXVI, 15, 24. §. 12. *mare Tyrrhenum a Lucrino molibus seclusum*." *Heyn.* De *lacu Lucrino* (qui nunc *Golfo di Puzzuoli* vocatur) cf. Strab. V. p. 245. Plin. III, 5, 9. Mela II, 4, 9. Tac. Ann. XIV, 5. Flor. I, 16. etc. et liber meus geogr. III. p. 500., de *Averno* autem (qui etiamnum *Lago Averno* nominatur) Strab. V. p. 169. Diod. Sic., XLVIII, 50. Mela l. l. Plin. III, 5, 9. XXXI, 2, 18. Liv. XXIV, 12, 4. Verg. ipse Aen. III, 442. VI, 237 sq. alii liberque meus modo comm. III. p. 526. — *indignatum aequor* ea parte, *qua unda Iulia longe sonat ponto refuso*, (*longe* enim (*weithin*) non ad *refuso*, sed ad *sonat* pertinere, iam ex collocatione verborum probat Ameis. Spicil. p. 24.) h. e. qua portus Iulius immisso mari erat effectus; *indignabatur* autem ea ipsa de causa, quod agger sibi obiectus esset, et indignationem suam *magnis stridoribus* prodit. (Cf. supra ad v. 59. adnott.) Videtur hunc locum respexisse Avien. descr. 211. *Thetis indignata - - saeviat. Pontus refusus* Wagnero videtur esse mutato fluctuum cursu in lacum Lucrinum irruens atque ita sinum ac portum efficiens; cum verba cum re composita saepe id significent, quod cursum suum mutet, a recto itinere deflectat. (Comparat Vir doct. Lucan. VIII, 797. *qua terra extrema refuso Pendet in Oceano*, tum *vallem reductam*, i. e. sinuosam, Aen. VI, 703. VIII, 609. et *sinum reductum* Geo. IV, 420. Aen. I, 161. Eodem sensu Silius XVII, 63. *valles refusas* dixit. Vid. etiam Burm. ad Lucan. II, 618. et Orell. ad Hor. Od. I, 17, 17.) Simplicior autem est ea ratio, quam Ladew. sequitur, ut intelligamus mare per aggerem oppositum iterum iterumque reiectum; quae etiam Ameisii est

Haec eadem argenti rivos aerisque metalla
Ostendit venis atque auro plurima fluxit.
Haec genus acre virum, Marsos pubemque Sabellam
Adsuetumque malo Ligurem Volscosque verutos
Extulit, haec Decios, Marios magnosque Camillos,

---

sententia.) — *Tyrrhenus aestus*, h. e. mare aestuans. *Inmittitur* per os portus *fretis Avernis*, lacui Averno, qui, Heynio teste, pro intimo portus recessu erat, et ad quem e Lucrino fossa ducta erat. Ex his autem apparet, nullum alium portum eo ipso tempore aptius a poëta commemorari potuisse. Cf. quae supra ad Geo. I, 462. et 504. adnotavimus. Ceterum respexit hunc locum Avien. descr. 510. *Vel qua Tyrrheni praeceps involvitur aestus.* — 165. 166. In eadem Italia argenti, aeris aurique metalla. Copiam exprimit per *argenti rivos* ex Lucr. V, 1255, *argenti rivus et auri* etc. Conferri etiam potest Hor. Ep. I, 12, 9. *ut te Confestim liquidus Fortunae rivus inauret.* — „*aeris metalla Ostendit venis*, quod in vulgari oratione fuisset: *venas aeris ostendit, aeris metalla*, h. e. aes, *ostendit in venis. Ostendit* autem non otiosum, quia tantum vestigiis res credebatur, metalla autem Italiae exercere Senatusconsulto vetitum erat. Cf. Plin. III, 20, 24. XXXIII, 4, 21. XXXVII. extr." *Heyn.* — *auro plurima fluxit*, (quod bene respondet *rivis* et *venis* ante commemoratis) poëtice pro: plurimum auri in ea invenitur; quamquam Heyn. censet, haec etiam ad Padum referri posse, in quo Plin. XXXIII, 4, 21. *segmenta auri reperiri* tradat. Ceterum vid. adnott. ad Aen. III, 626. — Omnis hic locus ex illo Lucretii explicandus, in quo philosophus nos docet, metalla in terra abscondita magnis silvarum incendiis primum in lucem esse prolata. Probe etiam tenendum, Vergilium uti praeterito tempore (*Ostendit*) - - *fluxit*, unde patere videtur, nihil aliud eum velle dicere, nisi homines Italos certiores esse factos de magna metallorum copia in terra sua abscondita, quam variis locis eruere possent. Wagn. et Ladew. Heynio adsentiente poëtam propterea Perfecto uti censent, quod metalla Italiae exercere Senatus consulto interdictum esset. — 167—172. De variis Italiae nationibus non minus laboriosis et industriis quam fortibus et bellicosis. -- 167. „*Marsi* bellicosi cum *Sabinis* severa disciplina innutritis primo inter Italiae populos loco memorari solent." *Heyn.* Cf. Hor. Od. II, 20, 18. et proverbium ab Appiano B. C. I, 46. commemoratum: *οὔτε κατὰ Μάρσων οὔτε ἄνευ Μάρσων γενέσθαι θρίαμβον. Sabelli* (i. e. iuniores Sabini) proprie vocabantur minores illae nationes (Marsi, Peligni, Vestini etc.), quae a Sabinis originem ducebant. Cf. Strab. V. p. 250. Plin. III, 12, 17. Varr. L. L. VI, 3. Liv. VIII, 1, 7. X, 19. extr. Apud poëtas autem interdum *Sabelli* pro *Sabinis* ipsis ponuntur, de quorum virtute vid. praeter alios Cic. pro Lig. 11. Ceterum cf. liber meus geogr. III. p. 633. et 34. et quae in Pauly *Realencycl.* VI, 1. p. 623. exposui. — 168. „*Ligurem adsuetum malo*, pro malis, aerumnis, laboribus, *χαλεπαθείᾳ* (cf. Aen. IX, 603 sqq.); colit enim agrum exilem et saxosum. [Voss. conferri iubet Cicer. c. Rull. 35.] *Inculta Alpium postrema possident*, ait Servius." *Heyn.* De Liguribus vid. librum meum modo comm. III. p. 544 sq. — „*Volsci veruti*, h. e. hastae genere, *veru* (*veru Sabellum* Aen. VII, 665.) seu telo veruto, quod usu vulgari simpliciter *verutum* vocatur, armati." *Heyn.* Cum Adi. *verutus*, quo significantur fortes pugnatores, qui cominus cum hoste confligunt, praeter h. l. et Grat. Cyneg. 110., ubi *dentes veruti*, i. e. in modum veruti confecti, commemorantur, non videatur inveniri, Lipsius emendavit *veruto*, scil. adsuetos; qua tamen coniectura non opus est. De voc. *veru* cf. adnott. ad Aen. l. l. — 169. Decii, Marii, Camilli, Scipiones ex historia satis noti. *Decios* Plurali numero, quia tres Decii, pater, filius et nepos pro patria se devoverunt (Cic. Tusc. I, 37. Liv. VIII, 9. X, 28.), *Marios* autem (nisi etiam de C. Mario filio cogitare volumus) et *Camillos* nihil aliud significat, quam viros, quales fuerunt Marius et Camillus. Peerlk. tamen, haerens in Mario inter Decios, Camillos etc. commemorato, p. 378. parum feliciter coni. *Deciosque mares.* Etiam ap. Iuven. VIII, 242 sq. Marius iuxta Decios nominatur. — De forma *Scipiades*

Scipiades duros bello et te, maxume Caesar, 170
Qui nunc extremis Asiae iam victor in oris
Inbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virum; tibi res antiquae laudis et artis

Prisc. II, 6, 33. (p. 582. P.) haec scribit: „*Vergilius secundum Graecam formam Scipiades dixit, ἀπὸ τοῦ Σκιπίωνος, cum Scipionides dicere debuit.*“ Haud raro autem apud poëtas Latinos legitur, v. c. Lucr. III, 1048. *Scipiades, belli fulmen.* Hor. Sat. II, 1, 17. Manil II, 790. Prop. IV, 10, 67. Claud. XXVI, 141. etc. — *duros bello* (tertio Casu), induratos ad bellum, belli laboribus adsuetos ideoque strenuos et fortes. Sic Aen. II, 7. *durus Ulixes.* Cf. etiam Liv. XXVII, 48. *Ligures, durum in armis genus.* — **170—172.** „Poëtam, ut alibi facit, magnifice efferre et ornare cogita id, quod vere nihil aliud erat, quam quod Caesar ex Aegypto, quo paullo post pugnam Actiacam Brundusio traiecerat, per Syriam in Asiam iter fecit, et hieme ad Euphratem exacta Asiae res constituit, a. U. C. 724.“ *Heyn.* Non temere autem poëta hos versus postea demum, cum Octavianus victoria ad Actium reportata per hiemem a 724. et 725. in Syria versaretur (cf. Dio Cass. LI, 18.), putatur addidisse, cum hic liber II. iam prius conscriptus videatur (cf. adnott. ad Geo. I, 505 sqq. et IV, 203.). Vid. tamen Ribbeck. Proleg. p. 18. — *extremis Asiae in oris*, usque ad Euphratem progressus. Voc. *orae* saepe inservit circumlocutioni, ut *Asiae, Libyae, Ausoniae orae* nihil aliud significent, quam Asia, Libya, Ausonia, de ipso autem litore non sit cogitandum. Cf. Wagn. Qu. Virg. IX. p. 411 sq. *Orae* igitur i. q. regio, terra. Cf. Geo. III, 196. Aen. I, 331. II, 91. 282. III, 97. VII, 564. X, 198. et quae supra ad v. 47. adnotavimus. — *avertis Indum*, dum fines imperii orientales praesidiis firmas. *Indus inbellis* secundum Heyn. eodem sensu dictum, quo Geo. I, 57. *molles Sabaei* (ubi vid. adnott.). Rectius autem Voss., cui adsentiuntur Iahn., Wagn. (qui conferri iubet Hor. Od. I, 2, 56.) et Ladew. *imbelles* explicat *muthlos*, quorum animi hostium victoria sunt fracti (coll. Nemes. Cyneg. 74. *imbellis fuga Parthorum*). Ceterum etiam hic intelligendi sunt Parthi et populi Asiae cum iis coniuncti, qui in pugna Actiaca Antonio auxilia miserant (Verg. Aen. VIII, 685 sqq. 705 sqq.), sed post Octaviani victoriam animo abiecto pacem petebant (Dio Cass. LI, 8.). — „*Arces* de finibus, quatenus ii arcibus et praesidiis firmari solent; omnino de imperio Romano. Aen. IV, 234. *Romanae arces* sunt Roma.“ *Heyn.* Neque hic *arces* aliter intelligendum, quam de ipsa Roma in septem collibus s. *arcibus* exstructa. Cf. adnott. ad Geo. I, 240. infra v. 535. Aen. X, 12. aliosque locos. Verissime enim Ladew. adnotat, bellum ab Antonio et Cleopatra motum vulgo tamquam impetum in ipsum caput imperii Rom. susceptum spectari, quo maius appareat Octaviani victoris meritum de patria. Vid. Propert. IV, 10 (III, 11), 31. *Coniugii obsceni pretium Romana poposcit* (Cleopatra) *Moenia et addictos in sua regna patres.* ibid. v. 57. *Septem alta iugis, toti quae praesidet orbi, Femineas timuit territa Marte minas* et Flor. IV, 11. *Haec mulier Aegyptia ab ebrio imperatore pretium libidinum Romanum imperium petiit.* Ad constructionem cf. Aen. I, 38. *avertere Italia regem* ibique adnott. — **173.** Tamquam deam appellat Italiam. — *Saturnia tellus.* Vid. adnott. ad Ecl. IV, 6. et Aen. VIII, 329. Imitatus est hunc versum Auson. Mos. 381. *Salve, magna parens frugumque virumque, Mosella.* — **174.** *tibi*, in tuum honorem et usum. Ruddim. II. p. 127. hunc locum temere refert inter eos, ubi Pronomen pers. prorsus abundet, h. e. inter Dativi ethici, quem vocant, exempla. Vid. ad Ecl. VIII, 6. — *ingredior*, adgredior, dicere instituo, *res antiquae laudis et artis*, rem rusticam apud maiores in honore habitam et studiose factitatam. Conf. praeter alios Catonis de R. R. prooem. Recte Voss.: *Werke von alter Würd' und Kunst.* Vocem *artis* autem de agricultura usurpatam iam supra I, 122. vidimus. Wakef. sine causa coni. *artes* et Ribbeck. ex uno Cod. Pal. recepit *artem* (in Proleg. p. 309. *artis*, si Genit. habeatur, admodum languere

Ingredior, sanctos ausus recludere fontis,
Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.
Nunc locus arvorum ingeniis; quae robora cuique,
Quis color et quae sit rebus natura ferendis.
Difficiles primum terrae collesque maligni,
Tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis.

---

censens.) Dictio autem *Ingredior laudes* conflata videtur ex duabus illis constructionibus *ingredior rem* (bellum, profectionem etc.) et *ingredior aliquid dicere, scribere*, ut apud Cic. Att. XV, 11. Acad. I, 1. extr. etc. Cf. etiam Quinct. I, 3. et Prop. IV (III), 1, 3. — Prisc. VII, 17, 85. (p. 776. P.) exhibet *Aggredior*, consueta verborum permutatione. Cf. adnott. ad Aen. IV, 107. — 175. *sanctos ausus recludere fontes*, quia primus inter Romanos hoc argumentum versibus tractat. De hac formula poëtica ad fontem Musis sacrum referenda, ex quo poëtae spiritum poëticum ducunt, quem igitur, qui primi novum argumentum tractant, recludere dicuntur, tamquam antea absconditum, vid. Mitscherl. ad Hor. Od. I, 26, 6. Passov. ad Pers. Prol. I. p. 206. Rupert. ad Iuven. VII, 57. Obbar. ad Hor. Ep. I, 3, 10 sq. Vol. I. p. 208., alios. Coningtoni videtur poëta respexisse Lucr. I, 927. *iuvat integros accedere fontis Atque haurire.* — 176. *Ascraeum carmen*, omnino pro georgico, quia Hesiodus Ascrae, Boeotiae vico, natus (vid. Ecl. VI, 70. ibique adnott.) tale carmen (ἔργα καὶ ἡμέραι inscriptum) condidit. — *Romana per oppida*, per Italiam. Respexit hunc locum Colum. X, 435. *Qui primus veteres ausus recludere fontes Ascraeum cecinit Romana per oppida carmen.* — 177. Sequitur locus de varia soli et agrorum indole et natura. *Nunc locus arvorum ingeniis;* opportunus hic est locus ad exponenda arvorum ingenia; i. e. omnino: Nunc exponendum de varia agrorum indole et natura. Locum similiter conformatum supra legimus v. 103. *nec nomina quae sint, est numerus.* — *quae robora cuique*, h. e. quae praecipua vis ac virtus cuiusque soli sit. Heyn. confert Claud. XVII, 178. *Nosse soli vires.* Cf. etiam Geo. I, 86. — *quis color*, quod ex adspectu soli de eius natura ferri possit iudicium (cf. v. 203 sqq.) Iahn. ad Ecl. I, 19. p. 357. ed. II. minus recte videtur explicare: „quibus nominibus nuncupentur varia coloris genera." — *quae sit rebus natura ferendis*, qualis cuiusque soli natura, quibus rebus ferendis apta sit. Cf. Wagn. ad Geo. I, 3. — *natura.* Cf. supra v. 49. *Quippe solo natura subest*, ibique adnott. Heyn. docet, poëtam videri in seqq. ante oculos habuisse Theophr. de caus. pl. II, 5. et 6.; in aliis Xenoph. Oec. 16, 2 sqq. Cf. etiam Varro R. R. I, 9. — V. 179 sqq. exponitur, quod solum cuique rei ferendae aptissimum sit. Oleis maxime idoneum est solum siccum, argillaceum, calculosum. Cf. Colum. V, 8, 6. id. de arbor. 17. Plin. XVII, 4, 3. Pallad. III, 18, 3. Geop. IX, 4. a Voss. laud. — „*terrae difficiles* [ad largiendas fruges], parum feraces, quasi morosae, parcae, ut contra *faciles*, fertiles, quasi liberales, munificae. Cf. v. 223. Claud. XXIX, 54. *frugum facilis terra.*" *Heyn.* Vid. etiam Burm. ad Val. Fl. VI, 223., qui *faciles terras* recte explicat: ex quibus nullo fere labore fructus ferimus et quae cum magno foenore reddunt credita; *difficiles* autem: quarum fructus tam exigui, ut non aequent labores illis impensos. — Iunguntur iis *colles maligni*, quasi invidentes et negantes proventum frugum, ut contra ferax solum dicitur *benignum.* Ita etiam Plaut. Bacch. III, 2, 17. sibi opponit *malignus* et *largus*, apud Plin. autem Pan. 31, 6. *non maligna terra* dicitur, quae semper copiose suppeditat ea, quibus ad vitam sustentandam opus est, et apud Nonium *ager malignus* est parcus, minus fertilis. Conington confert Plin. Ep. II, 17. *Quarum arborum illa vel maxime ferax est terra, malignior ceteris.* — 180. *Tenuis argilla.* Schirach. p. 612. haec adnotat: „Distinguunt quidam inter genera argillae, cum aliud sit pingue, exile aliud et sine humore. Sed in universum hic respicit poëta ad regiones argillaceas, et commune esse epitheton argillae potest, ut *tenuis* dicatur; est enim levior et arenosa." — Coniunctio *ubi*, vel locum vel tempus indicans, ut hic, ita etiam III, 144. IV, 49. Aen. I, 416. II, 634. VII, 764. Verbo substantivo caret. Cf. Wagn.

Palladia gaudent silva vivacis olivae.
Indicio est tractu surgens oleaster eodem
Plurimus et strati bacis silvestribus agri.
At quae pinguis humus dulcique uligine laeta,
Quique frequens herbis et fertilis ubere campus —
Qualem saepe cava montis convalle solemus
Despicere; huc summis liquuntur rupibus amnes

Qu. Virg. XV, 2. — **181.** *Palladia silva*, nam olea Palladi sacra. Cf. adnott. ad Geo. I, 18. — *gaudent - - olivae*, aptae sunt oleis. Cf. Cato R. R. 6. *Qui ager frigidior et macrior erit, ibi oleam Licinianam seri oportet* (a Coningt. laud.) — *vivacis olivae*, diu viventis, durantis. Cf. Ecl. VII, 30. Plin. XVI, 44, 90. *Firmissimae ergo ad vivendum oleae, ut quas durare annis CC inter auctores conveniat* et Theophr. de caus. pl. II, 15. hist. pl. IV, 15. — **182.** Eiusmodi solum oleis procreandis aptissimum esse, documento sunt oleastri frequentes ibi progerminantes. *Oleaster, ἀγριελαία, κότινος*, s. fera olea, diversa est ab ea arbore, quam nos ita appellamus, ad zyzipham Cappadociam Plinii XXI, 9, 27. s. Elaeagnum *Linn.* hoc nomen transferentes. De veterum oleastro cf. Dioscor. I, 137. Theophr. h. pl. II, 3. Plin. XV, 4, 5. XVI, 44, 89. XVII, 18, 30. Geopon. X, 86. alii. De mascul. autem vocis genere vid. Ruddim. I. p. 11. — **183.** *Plurimus oleaster* pro: permulti oleastri. Vid. adnott. ad Ecl. I, 33. et VII, 60. — *strati-- agri.* Cf. Ecl. VII, 54. *strata iacent - - - poma.* — *bacis*, scil. oleastri, qui tantum parvas et acerbas baccas ferebant. — **184—194.** Solum pingue vitibus colendis idoneum est. Sententiam primariam, v. 184. contentam, divisio partium sequitur ab iterato *quique* v. 185. et 188. incipientium. Voss. eadem ratione voc. *quique* geminari docet Geo. I, 22. Aen. IV, 526. Tibull. IV, 1, 36. Liv. XXII, 26. „Pinguedinem et *uber*, h. e. fertilitatem soli, colendis convenire vitibus, ex rei rusticae scriptoribus constat. Vide in primis Colum. III, 11, 8. Scilicet referendum et hoc ad diversa vitium genera et diversam caeli solique naturam. Interponit v. 186—189. indicia talis soli et in convallibus et in collibus." *Heyn.* — *uligo* secundum Serv. ad h. l. est „terrae humor naturalis, ex ea numquam recedens." Cf. Varro R. R. II, 2, 7. Cat. 34. Colum. I, 6, 16. II, 9, 8. XI, 3, 37., qui dulcem et amaram distinguit uliginem, et Silius VIII, 381. — **185.** *frequens herbis.* Coningtion confert Ovid. Her. XVI, 54. *locus piceis ilicibusque frequens* et Tac. Ann. IV, 65. *quod talis silvae frequens fecundusque esset.* — *uber* pro soli vel arborum ubertate, fertilitate, legitur etiam infra v. 275. Aen. I, 535. VII, 262. Colum. IV, 27. Claud. B. Get. 504. alibi. — **186.** *cava montis convallis* nihil aliud est quam colles e convalle utrimque adsurgentes, quo sensu ap. Tibull. I, 4, 49. (ubi vid. Huschk. et Dissen.) *altae valles* et ap. Liv. VII, 24, 5. *supina vallis* legitur. Vid. ad Aen. I, 608. — **187.** *Despicere.* Ita plurimi Codd., quos cum Wakef. ad Lucr. II, 741. et plurimis editoribus secutus sum; licet negari nequeat, alteram lectionem *dispicere*, quam ex trium Codd., Gud., Mentel. et Menag., auctoritate Heinsius, Heynius et Lachmanno suasore, qui ad Lucr. IV, 418. contendit, *despicere* cum Accus. coniunctum non dici, nisi cum contemptu, (quod repetit Ameis. Spicil. p. 25., sed recte reiicit Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 313.) etiam Ribb. et Haupt. receperunt, per se non omnino reprobandam esse. *Despicere* enim nihil aliud est, quam ex altiore loco inferiorem prospicere, *dispicere* autem, oculos huc illuc coniicere quaerendi causa, ideoque investigare et res latentes et abditas invenire, quod hic non inepte dici de eo, qui eiusmodi locum vineae condendae aptum inveniat, Wagn. prius censuit. Rectius autem in min. edit. adnotat: „qualem facile est videre, modo oculos deiicias in terram." (Cf. etiam eius Lect. Verg. in Philol. l. l.) Ut igitur per se aptior est recepta lectio, ita etiam meliorum Codd. auctoritas nos movit, ut eam alteri praeferremus. — *„huc s. liquuntur r. amnes - - quique* etc. in vulgari oratione fuisset: quo — liquuntur et limum trahunt; aut qualem eum campum videmus, qui editus Austro, h. e. versus Austrum, atque ei expositus est." *Heyn.* Sed vide supra ad v. 184. — *liquuntur*, defluunt. Vid. Aen. III, 28. et Stat. Theb. V, 618. *Lactis - - in vulnera liquitur*

Felicemque trahunt limum — quique editus Austro
Et filicem curvis invisam pascit aratris:
Hic tibi praevalidas olim multoque fluentis
Sufficiet Baccho vitis, hic fetilis uvae.
Hic laticis, qualem pateris libamus et auro,
Inflavit eum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.

---

imber. Cf. adnott. ad Ecl. II, 69. et Aen. I, 432. Ceterum Ribb. et Haupt. ex uno Cod. Palat. ediderunt *hoc*. — 188. *felix limus*, (oppositus *tenui argillae* v. 180.) fecundans, fertilitatem iuvans. Cf. adnott. ad Ecl. V, 37. — 188. 189. „Magnus auctorum, qui de vitibus colendis scripsere, in hoc dissensus, cum alii austris infestari vineas tradant. Scilicet poëtam de vineis in solo humili, pingui et uliginoso satis, alios de collibus loqui, tenendum est." *Heyn.* — *editus Austro*, ad Austrum s. meridiem adsurgens. Conington confert *caelo educere* Aen. II, 186. et quod ad sententiam attinet, Colum. III, 1. *solum simile edito campo* et III, 2. *collina Aquiloni prona*. — 189. *filix*, nostrum *Farrnkraut* (*fougère*), quam Graeci πτέριν vocant. Cf. Diosc. IV, 186. Theophr. h. pl. I, 16. et IX, 20. Plin. XXVII, 9, 55. et Billerb. Flora class. p. 249 sq. Ceterum Plinius hunc locum habuit ante oculos, cum XVII, 4, 3. scriberet: *Vergilius et quae filicem ferat, non improbat vitibus*. Alii, Colum. III, 11, 8. respicientes, maluerunt *silicem*, temere. Ceterum Conington ex Med. et duobus Bern. a m. pr. recepit scripturam *felicem*, quae iam propter antecedens Adiect. *felicem* repudianda erat, etiamsi aliorum scriptorum melioribus Codd. probari posset. — „*invisam aratris*, propter implexas inter se et late serpentes radices easdemque exstirpatu difficiles." *Heyn.* Contrarium est *patiens vomeris* infra v. 223. De ratione exstirpandae filicis cf. Colum. II, 12, 13. et XI, 2, 62. Pallad. VI, 3, 3. — 190 sq. In tali solo praestantissimum vinum nascitur. — *multo fluentis Baccho*. Vid. supra ad v. 37. et 100. adnotata. — 192. *pateris et auro*, per ἓν διὰ δυοῖν s. epexegesin illam, qua duo Substantiva per Copulam ita iunguntur, ut in unam notionem coeant, pro pateris aureis, ut Geo. IV, 99. *auro et guttis* et ap. Ovid. Met. III, 32. *cristis praesignis et auro*. Constat autem, Vergilium, ut ceteros poëtas, hac figura haud raro usum esse (Ecl. VIII, 95. Geo. I, 173. 335. II, 192. 477. III, 198. IV, 281. Aen. I, 27. 61. 258. II, 722. III, 223. 366. IV, 355. VI, 227. VII, 658. 751. 804. etc. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXXIII, 4. p. 544 sq. et praeter multos alios Obbar. ad Hor. Ep. I, 6, 59. Vol. I. p. 333.) Quamquam enim Handio Turscll. II. p. 476. concedo, non omnia, quae afferantur, huius usus exempla esse vera atque etiam illorum locorum Verg. quosdam aliter posse explicari (cf. adnot. nostra ad Ecl. II, 8.), nequeo tamen Ameisio Spic. p. 19. adsentiri hunc usum omnino neganti. Cautius et satis probabiliter de eo disputat Conington ad h. l. In libationibus autem nobilissimis vinis, Chio maxime et Falerno, utebantur. Vid. Ecl. V, 71. ibique adnott. — 193. Tibicines Etruscos sacrificiis adhibitos fuisse, vel ex Livio IX, 30, 5 sqq. notum. Adde Val. Max. II, 5, 4. Ovid. Fast. VI, 653 sqq. Plutarch. Qu. Rom. p. 122. aliosque. Quare nescio, quo iure Schneider. ad Varr. R. R. I, 2, 17. observet: „Soli enim Latini tibicines adhibebantur Romae, ut aruspices Etrusci." — „*pinguis* in ludibrium gentis dictum esse videtur. Catull. XXXIX, 11. *Aut pastus Umber aut obesus Etruscus*. Habitum corporis ex crebris sacrificiorum epulis, quibus adhibebantur tibicines, exprimi, Servius censebat; non male." *Heyn.* Ita etiam Voss. et Manso, procul dubio verissime. — *ebur*, tibia eburnea. Vide quae de voc. *cornu* ad Ecl. X, 59. adnotavimus. Ita supra I, 480. *ebur* pro statuis deorum eburneis, Stat. Silv. I, 2, 2. pro lyra eburnea, Ovid. Met. IV, 148. *ebur vacuum* pro vagina ebore ornata etc. Plinio XVI, 35, 66. teste *sacrificae Tuscorum tibiae e buxo, ludicrae vero loto ossibusque asininis et argento* fiebant, et de buxea quidem tibia cf. etiam Ovid. Met. XII, 157.; eburneam, qua non nisi ditiores in sacrificiis suis usi videntur, etiam Prop. V (IV), 6, 8. commemorat. Cf. Voss. ad h. l. Ceterum de tibiae usu cf. adnott. ad Ecl. VIII, 21. — 194. *Lancibus*. Cf. Aen. XII, 215.

Sin armenta magis studium vitulosque tueri
Aut ovium fetum aut urentis culta capellas,
Saltus et saturi petito longinqua Tarenti
Et qualem infelix amisit Mantua campum
Pascentem niveos herboso flumine cycnos:

---

et VIII, 284. ibique adnott. *lances pandae* Servio sunt „aut patulae, aut extorum pondere incurvatae". Med. a m. pr. exhibet *patulis* (ut Aen. VII, 115. *patulae quadrae*); sed vulgarem lectionem praeter ceteros Codd. omnes tuetur etiam Philargyri et Diomedis p. 483. P. auctoritas. Martiali XI, 32, 19. *cavae* dicuntur. — *reddimus*, diis offerimus. *Redditur*, quidquid debetur: sacrificia autem tamquam diis pro ipsorum beneficiis debita spectantur, quare *reddere* verbum proprium de sacris et votis, quod etiam Servius ad h. l. docet. Cf. Ovid. Fast. VI, 476. Tibull. I, 3, 34. Stat. Theb. IV, 466. Tac. Hist. IV, 53. et quae ad Ecl. V, 75. adnotavimus. — *fumantia*, aut ob nativum calorem, ut sint hostiae modo erepta et adhuc calida (velut apud Stat. l. l. *adhuc spirantia*), aut secundum Servium elixa, cocta; nam etiam Varro L. L. IV. p. 25. (a Voss. laud.) exta in olla, *extari* vocata (cf. etiam Plauti Rud. I, 2, 47.), percocta esse refert. Vid. etiam infra v. 396. Prior autem ratio praestat. Cf. Aen. XII, 214 sq. — **195—202.** „Observetur praeceptorum in his formis variatio et orationis copia. Agros saltuosos et irriguos ad pascua seligendos esse docet. — *tueri*, ut servare, eo sensu, quo est nutrire, alere, itaque et pascere, hoc etiam apud Grat. Cyneg. 306. 307." *Heyn.* Conington confert Colum. VI, 3. *tueri armentum paleis.* Adde eiusd. VII, 12. *tueri canem* et plures locos, ubi *copias, legiones tueri* et similia leguntur, (ut ap. Cic. pro Deiot. 8. Parad. VI, 4. extr. Liv. V, 4. etc.). — *studium tueri.* Vid. adnott. ad Geo. I, 21. et 305. — **196.** *ovium fetum* cum Ribbeckio, Ladew. et Coningt. pro vulg. *fetus ovium* ex uno Cod. Palat. recepimus, cum etiam Med., Gud. aliique Codd., Nonius 206, 4. et Prisc. V. p. 192. extr. verba sic collocent: *ovium fetus.* (Cf. Ribb. Proleg. p. 214.) Wagn. et Haupt. (ut Süpfl. et Bryce) vulg. lectionem servant. — *„urentis culta capellas*, laedentes seu serrato dente, seu saliva, ut exarescant. Ita *urere* dictum erat Geo. I, 77. et infra 378. 379." *Heyn.* De ipsa re cf. Varro R. R. I, 2, 18. 19. *caprae enim omnia novella sata carpendo corrumpunt, non minimum vites atque oleas - - - (oleam), quam laeserit, fieri dicunt sterilem: eius enim salivam esse fructi venenum;* quem locum respicit Plin. VIII, 50, 76. *Morsus caprarum arbori exitialis. Olivam lambendo quoque sterilem faciunt* et XV, 8, 8. *Oleam si lambendo capra lingua contigerit depaveritque primo germina, sterilescere, auctor est M. Varro.* De *urendi* autem voc. vid. adnott. ad Geo. I, 77. — **197.** *„saturum Tarentum* propter insignem agrorum ubertatem (vid. Hor. Od. II, 6, 10 sqq.) a consequenti; ut *pinguis*, et v. 224. *dives Capua."* *Heyn.* Ita Pers. I, 71. *rus saturum*, Colum. X, 43. *satur autumnus*, Lucil. Aetnae 12. *saturae messes.* et infra Geo. III, 214. *satura praesepia*, i. e. plena pabuli, et IV, 335. *vellera hyali satura fucata colore.* Cf. etiam Senec. N. Q. V, 9. *Soles ob humidam caeli naturam saturos et redundantes* et Heins. ad h. l. Grammatici, hoc epitheton non intelligentes, ex *saturo Tarento* fecerunt *Satyrium*, unde in aliquot Codd. (inter quos Med. a m. pr.) *satyri - - Tarenti* (quod agnoscere videtur Lachm. ad Lucr. V, 1006. p. 327.) Ceterum de Tarentini agri fertilitate et amoenitate vid. etiam Geo. IV, 126. ibique adnott., Strab. VI. p. 281. Cas. Lübker. ad Hor. Od. II, 6, 9. Obbar. ad Hor. Ep. I, 7, 44. Rud. Lorenz. de civitate veterum Tarentinorum. Lips. 1833. et liber meus geogr. III. p. 754 sq., ubi non minus quam in Pauly *Realencycl.* VI. p. 1601 sq. de hac urbe, quam etiamnum *Taranto* dici constat, pluribus disseruimus. — *longinqua*, agros longe remotos, utpote in extrema Italia sitos. — **198.** Cf. Argum. Ecl. I. et IX. — **199.** Vide Ecl. I, 48. et VII, 12 sqq. — *herboso flumine:* Mincius enim alga et arundine obsitus est. Cf. Ecl. VII, 13. et Aen. X, 205. ibique adnott. — *nivei cycni* inveniuntur etiam Aen. VII, 699. et in Gratii Cyn. 77. Cf. etiam Ecl. II, 20. VI, 46. Aen. III, 391. IV, 459. etc. De cycnis Mantuanis

Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt;
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra fere et presso pinguis sub vomere terra,
Et cui putre solum, — namque hoc imitamur arando —
Optuma frumentis; non ullo ex aequore cernes
Plura domum tardis decedere plaustra iuvencis;
Aut unde iratus silvam devexit arator
Et nemora evertit multos ignava per annos
Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
Eruit; illae altum nidis petiere relictis,

---

autem vid. Ecl. IX, 27 sqq. — *deeruut* per synizesin. Cf. adnott. ad Ecl. VII, 7. Ribbeck. Velii Longi praeceptum p. 2227. (vid. Lachmann. ad Lucr. I, 43. p. 20.) secutus, cum Med. a m. pr., Rom. et duobus Bern. rectius fortasse scripsit *derunt*, cum Gud. et unus Bern. praebeant *desunt*. Sic etiam infra v. 233. *derunt*. — **201. 202.** „Quantum graminis per diem depastum est, tantum nocte rorulenta succrescit. Poëtica quidem amplificatione dicta, nec tamen a vero plane abhorrentia. Cf. Plin. XVII, 4. extr. — *ros* causa fertilitatis; vid. Graev. ad Hesiod. Scut. Herc. 395. *θῆλυς ἔρση*." *Heyn.* — *reponet*, rursus crescere faciet; nam *reponere* est reparare, restituere. Cf. adnott. ad Aen. V, 752. Ceterum Med., unus Pottier. et duo Bern. a m. pr. praebent *reponit*, Rottend. 3. *reponat*. Sed solet in eiusmodi locis idem tempus eidem tempori opponi. Cf. adnott. ad Geo. I, 454. — **203—211.** Optima est frumentisque serendis maxime idonea terra nigra, si et pinguis est et putris. Humus *nigra* (quam Cato 151, 2. et Colum. II, 10, 18. III, 11, 6. *pullam* vocant), pinguis, et *putris*, h. e. resoluta, mollis ac solibus et imbribus penetrabilis (vid. Geo. I, 44. et infra v. 262. 63.). — *fere*, i. q. plerumque, ut saepe. Cf. Cic. Manil. 9. Caes. B. G. III, 18. Hor. Ep. I, 6, 9. II, 1, 236. Suet. Aug. 45. al. et Hand. Tursell. II. p. 693 sq. — *presso sub vomere*. Cf. Geo. I, 44. ibique adnott. — **204.** „Hoc est arationis consilium, ut, quae terra talis non sit, glaebis fractis ac comminutis putri similis efficiatur. Cf. Colum. V, 4, 2. Idem Colum. diserte h. l. interpretatus est X, 7 sq. Locum ob oculos habuere in iisdem praeceptis condendis Colum. II, 2, 4. et de nigro colore §. 14 sqq. Plin. XVII, 4, 3. Pallad. I, 5." *Heyn.* Melius etiam Heynio loci sententiam explicuisse videtur Wakef. ad Lucr. I, 837. his verbis: „Ea terra, cui solum est natura solubile, frumentis maxime idoneum est; et ob hanc causam scilicet, quod per se habeat eam solutionem, quam unice volumus aratris exercendis efficere. Feliciter igitur cum aratri officio terrae istius indoles conspirat, - - - praeveniens quasi commoditate sua naturali labores agricolarum." — *cui*. Vid. supra ad I, 344. — *hoc imitamur arando*, hoc arando efficere studemus, scil. ut solum putri simile sit. — **205.** *ex aequore*. Cf. adnott. ad Geo. I, 50. — *non ullo ex aequore - - aut unde* — pro: *non ullo ex aequore*, quam e tali, *aut* ex illo, *unde*. — **206.** *decedere iuvencis* (tertio Casu, Graecorum more posito), i. e. devehi a iuvencis. Dativus spectat ad operam a iuvencis praestitam et fere idem est, quod: per iuvencos. Cf. quae Wagn. in min. edit. de hoc usu Dativi ad h. l. docte disputat. Aliter tamen Hoffmann. in Ephem. gymn. Austr. a. 1851. p. 387. de hoc Dativi usu statuit. — *tardis* et ob naturam boum et ob oneris plaustrique magnitudinem, quo frumentum ex agro devehitur. — **207—211.** Alterum genus agri feracis et frumento serendo idonei est novale, silva caesa. — *iratus*, quod silvae inutiles bonum solum et agriculturae aptum occupabant et nunc exstirpandae ipsum laborare et desudare cogunt. — *arator*. Vid. adnott. ad Geo. IV, 512. — *devexit Et evertit - - eruit*, pro: devexit evertens, eruens, exstirpans. Cf. adnott. ad Ecl. VI, 20. et VIII, 97. Ceterum Voss. de silvis in novalia mutatis conferri iubet Colum. II, 2. Pallad. I, 6. Plin. XVII, 5, 3. et Hor. Ep. I, 2, 45. — **209.** „Omnes laudant Lucr. I, 19. *Frondiferasque domos avium;* ipsum Vergilium pressius sequitur Manil. II, 774—777.; habuit etiam ante oculos Silius V,

At rudis enituit inpulso vomere campus.
Nam ieiuna quidem clivosi glarea ruris
Vix humilis apibus casias roremque ministrat;
Et tophus scaber et nigris exesa chelydris

595—608." *Heyn.* — **211.** *At rudis* etc. pro pedestri: dum interea campus enitescit. *rudis campus*, nunc primum proscissus. Cf. Nemes. Cyneg. 14. Ovid. Am. III, 6, 15. et Met. V, 646.; nec multum dissimili sensu mare nondum navibus notum eidem Ovidio Met. I, 80. et Catullo LXIV, 11. *rude* dicitur. Cf. Burm. ad h. l. et Val. Fl. V, 642. — „*enituit*, enitescit, magna cum vi; est enim bona terra *post vomerem nitescens*, ut Plinius ait XVI, 6, 3. [immo XVII, 5, 3., i. e. terra pinguis modo arata solet nitescere]; et omnino *nitent*, quae culta sunt, ut Geo. I, 153. Aen. VI, 677." *Heyn.* Hanc interpretationem etiam Voss. sequitur, coll. Cic. Tusc. II, 5, 13. (ex Attio) *fruges enitent*, Hor. Od. II, 8, 6. *enitescis Pulchrior multo.* Quinct. Inst. IX, 4. *quid non cultu nitescit?* (Cf. etiam Burm. ad Quinct. Decl. XII, 13. et Heins. ad Ovid. Met. XV, 202.) Wagn. tamen ob adiectum *impulso* priorem illam explicationem de glaebis vere nitentibus iure praefert. De ultima syllaba voc. *enituit* arsis et caesurae vi producta vid. adnott. ad Ecl. I, 38. Quamquam nuper exstiterunt, qui arsi hanc vim abiudicarent syllabamque *it* ab initio longam fuisse et postea demum correptam esse contenderent, qua de re ad Aen. V, 521. accuratius dicemus. — *inpulso vomere*, adacto, ut v. 203. *presso*, I, 45. *depresso aratro.* — **212—216.** De terrae generibus minus fecundis; et primum quidem de solo glareoso, sabuloso, quod non nisi herbas suppeditat apibus idoneas. Quod attinet ad novam orationis connectendae varietatem per Partic. *Nam*, Heyn. minus apte comparat locum Geo. I, 77. Hic potius sententiae ita procedunt: Illa, de quibus modo dixi, soli genera sunt fecundissima, non alia, omnium vero minime, quorum natura plane contraria est; *nam clivosi glarea ruris* etc. — **212.** *glarea*, *ψηφίς* (*Kiessand*), minutissimi lapilli, quales in fluviorum ripis et maris litoribus esse solent. (Cic. ad Q. Fr. III, 1. 2. Liv. XLI, 27, 5. Tibull. I, 8, 59. etc.) *ieiuna*, sicca, humore careus, ideoque infecunda. Cf. Cic. Verr. II, 3, 37. *ieiunus ager.* Colum. II, 4, 7. *Omnis humus - - inferiorem partem ieiuniorem habet.* — **213.** *humilis casias.* Vid. adnott. ad Ecl. II, 49. — „*rorem* quem apes e floribus et herbis sugunt, nuncque flores ipsi, quibus ille inesse solet. *Ros marinus*, frutex, a Servio intelligitur, quem alii sequuntur; sed nondum locum vidi, in quo ille simpliciter *ros* appelletur." *Heyn.* Non debebant Heyn. et, qui eum sequuntur, Schirach. p. 571. cum Mansone a Servii explicatione decedere; quam enim Heyn. ipse proponit interpretationem, illa quidem ferri posset, si alia plantarum species non esset adiuncta; sed post casiam commemoratam *ros* vix aliter, quam de *rore marino* potest intelligi; quem etiam simpliciter *rorem* dici, docet locus Plinii XXIV, 11, 60. *haec quae ex rore supra dicto nascitur.* De rore marino s. maris (Rosmarino officinali *Linn.*), Libanotidis genere, cf. Dioscor. III, 89. et Billerbeck. Flor. class. p. 7. sq. — **214—216.** „Sententia est: Terra tophacea et cretosa serpentibus omnium aptissima. Vulgare: nulli alii agri aeque ferunt - - ac tophus et creta, ita extulit: *tophus et creta negant alios agros aeque ferre serpentibus cibum*, scil. atque ipsos. Tribuit enim ex sollemni poëtarum more rei inanimatae sensum et iudicium et loquelam. [Vid. adnott. ad Ecl. V, 28. et supra ad v. 59.] Hinc *negare* ut infra v. 234. et alibi." *Heyn.* Mirus profecto est error Servii hoc scholion adscribentis: „*negant:* scilicet Nicander et Solinus, qui de his rebus scripserunt"; quem tamen interpretes quidam temere secuti sunt. — *tophus* s. *tofus* (ut Ribb. scribit: *Tufstein*), quem Graeci *πῶρον* vocant, lapis cavernosus et scaber, qui facile friatur et in arenam resolvitur. Cf. Plin. XVII, 4, 3. XXXVI, 22, 48. Vitruv. II, 7. aliique. Terram tophaceam vitibus aptam censent Colum. III, 11, 7. et Pallad. II, 13, 3., eadem vero etiam serpentibus est aptissima. — Pro *exesa* Ribb. hic edidit *exesa* (supra I, 495. *exesa*), quem tamen, licet Codd. addicant (vid. Wagn. Orth. Verg. p. 469. et Ribbeck. Proleg. p. 444 sq.), sequi dubitavimus, ne ubique praegressa longa vocali vel diphthongo geminata litera *s* uti cogeremur. — *chelydris* Dativum esse patet. Vid. supra ad v. 206. *Chelydrus* autem

Creta negant alios aeque serpentibus agros
Dulcem ferre cibum et curvas praebere latebras.
Quae tenuem exhalat nebulam fumosque volucris,
Et bibit humorem et, cum volt, ex se ipsa remittit,
Quaeque suo semper viridi se gramine vestit

---

non est, quod ex etymologia vocis (a χέλυς et ὕδωρ) sequi videtur, testudo marina (ut censet Schol. Lycophr. 340.), sed serpens venenosus et graveolens, qui, cum inter amphibia referendus et durissima cute instar testudinis obtectus sit, illo nomine appellatur. Cf. Nicandri Ther. 411. et Salmas. ad Solin. p. 339. Commemoratur autem praeter h. l. etiam infra III, 415., apud Silium VIII, 498. et Lucan. IX, 711. — *creta* nihil aliud est quam argilla (supra v. 180.), creta, qua utuntur figuli. Cf. Colum III, 11, 9. V, 8, 6. et alibi, Pallad. I, 34, 3. Plin. XXXI, 3, 28. Vitruv. VIII, 1. De ea tamquam quorumdam animalium cibo Keightleius ap. Coningt. conferri iubet Front. in Geop. VII, 12. — 216. *dulcem*, gratum iis, *cibum*. Conington autem *dulcem* proprie dictum putat, cum secundum Geopon. locum modo comm. ἡ ἄργιλλος sit γλυκεῖα. — *curvas latebras* pro cavis. Sic etiam Geo. III, 544. Neque aliter intelligenda videtur *curva vallis* Aen. II, 748. — 217—225. Post terras singulis culturae generibus aptas commemorat agri genus optimum, vinetis, olivetis, frumentis et pascuis aequaliter idoneum. — 217. ex Lucr. V, 254. *pulveris exhalat nebulam nubesque volantes* et ibid. v. 464. *Exhalant lacus nebulam - - Ipsaque - - tellus fumare videtur*. Cf. Plin. XVII, 4, 3. *terra optima, quae tenues exhalat nebulas*. — *fumos volucres*. *Volucris* haud raro de rebus dicitur, quae per aërem feruntur. Ita Aen. XI, 795. *aurae*, Ovid. Met. I, 602. *nebulae*, et Am. II, 11, 33. *procellae volucres* commemorantur. Cf. etiam Aen. V, 242. et 544. — 218. *ex se*. Wagn. Qu. Virg. II. docet, Praepositionem *ex* ante Consonas apud Vergilium non inveniri, nisi 1) subiecto Pronomine monosyllabo (Aen. II, 163. 648. V, 47. VIII, 47. XII, 435.); 2) ubi Praepositio numerum indicet (vid. not. ad Ecl. X, 35.); 3) in eiusmodi dictionibus, quales sint *ex diverso* (Aen. II, 716. III, 232.), *ex longo* (Aen. IX, 64.), *ex more* (Aen. V, 244. VIII, 186.); 4) ubi Praepos. Casui suo postponatur (Ecl. VI, 19. Aen. II, 718. IV, 410.); 5) in quarta eaque debiliore ceteris versus sede, praegressa etiam longa Vocali (Aen. XI, 720. XII, 949.). — 219. *semper viridi*, numquam arescente, quia nativo succo gaudet, quod additur ad *suum gramen* explicandum, ut sensus sit: terra non modo suum habet gramen, sed etiam semper recens et vivum. Haec autem est optimorum librorum lectio, quam post Iahn. recepimus. Vulgo cum Med., Moret pr., Pierii Rom. et utroque Goth. exhibent *viridi semper*, quam lectionem duplici de causa deseruimus, primum quod (Wagnero iam docente) Adv. *semper* Pronomini personali aut relativo subiici solet (cf. Ecl. I, 7. III, 62. V, 74. Aen. X, 327. XI, 378.); tum quod Adverbium, si Adiectivo adiicitur, semper praecedit Adiectivum (cf. v. c. Ecl. III, 63. Geo. I, 105. Aen. IX, 47. XII, 781.), nisi ubi in Adiectivo praecipua aliqua vis inest (velut Ecl. III, 3. *infelix o semper, oves, pecus!* Aen. III, 217. *pallida semper ora* etc.), quod tamen in hunc locum non cadit, in quo si *suo viridi semper* legeretur, Adverbium necessario cum *vestit* coniungi et verba *suo viridi gramine* per se accipi deberent, quod quam scabrum et absonum esset et quantopere tum epitheton *viridi* langueret, non opus est ut multis verbis doceam. Quod perspiciens Faber. coni. *suo viridis semper*, Wagn. autem cum Vossio ex uno Cod. Potter. 3. *suo semper viridis* edidit, in vulgari lectione literam *s* sequente eadem Consona absorptam esse statuens, ut poëta per prolepsin illam, de qua disputavimus ad Geo. I, 320., et infra ad v. 353. *viridis se vestit* dixerit pro *viridem se vestit*, i. e. vestit se gramine, quo fit, ut vireat, vel etiam pro *viridis est* ornatius scripserit *viridis se vestit*. Non nego, hanc lectionem (quam in prima edit. et ipse exhibui) habere, quo se magnopere commendet; tamen in re tam dubia meliorum Codd. auctoritatem negligere nolui. Bryce quoque, Haupt., Ladew. et Ribbeck. edunt *semper viridi*, (quod probat Ameis in Iahnii Nov.

Nec scabie et salsa laedit robigine ferrum:
Illa tibi laetis intexet vitibus ulmos,
Illa ferax oleo est, illam experiere colendo
Et facilem pecori et patientem vomeris unci.
Talem dives arat Capua et vicina Vesevo
Ora iugo et vacuis Clanius non aequus Acerris.

Annal. LXII. p. 41.), Suepfl. vero et Conington *viridis.* — 220. *Nec scabie,* quae efficitur *robigine.* — *salsa,* quae ferrum aquae salsae modo corrodit. Supra I, 495. *scabra* vocabatur. Conington comparat Plin. XVII, 4, 3. *ferroque omnis* (terra) *robiginem obducit.* — 221. *intexet vitibus ulmos.* Dicitur non minus *intexere aliquid aliqua re,* quam *intexere alicui aliquid.* Cf. Ecl. V, 31. Aen. VI, 216. X, 785. Sic Claud. XXXI, 2. *Vitibus intexti gremio successerat antri.* De re ipsa cf. supra ad v. 89. Ecl. II, 70. et al. adnotata. — 222. *ferax oleo est.* Ita Heins. ex melioribus libris (excepto tamen Medic.), Nonio Marc. p. 500, 23. et Arus. Messio p. 230. L. restituit pro vulgari *oleae,* quae vel elisioni, vel librariis originem debet, *ferax* et cognata Adjectiva etiam cum Dativo iungi ignorantibus. (Secuti sunt omnes recentiores editores praeter Coningtonem. qui Med. et duorum Bern. lectionem *oleae* recepit. Ribbeck. more suo scripsit *oleost.*) *Ferax oleo,* i. e. ad oleum gignendum. Wagn. confert Lucan. IX, 696. *sterilis tellus fecundaque nulli Arva bono,* Silium II, 498. *Fecundum in fraudem hominum genus,* Plin. II, 78, [80.] *Tractus fertilis ad omnia* et Cort. ad Sall. Iug. 17, 5., ubi *ager arbori infecundus* legitur. — 223. *facilem pecori,* pascuis aptam, facile suppeditantem, quibus alendo pecori opus est, copiosum pabulum praebentem. Ita v. c. apud Liv. XXXIII, 17, 8. legitur *campus operi facilis,* i. e. ubi facile opera, munimenta possunt exstrui. Cf. etiam infra IV, 272. *facilis quaerentibus herba* et supra ad v. 179. adnott. — *patientem vomeris,* vomeri facile cedentem, quae facile arari potest ideoque apta est agriculturae. — 224. „*vicina Vesevo,* antequam Vesuvii incendiis tractus ille est Tito imperante [a. p. Chr. n. 79.] vastatus." *Heyn.* Poëtica nominis forma *Vesevus* legitur v. c. Val. Fl. IV, 507. Stat. Silv. IV, 8, 5., interdum etiam apud pedestris orationis scriptores, ut Suet. Tit. 8. Adiective, ut hic Verg., utitur hoc nomine Claud. R. Pros. III, 184. Serv. ad h. l. Vesevum a Vesuvio diversum censet, ut ille Liguriae, hic Campaniae fuerit; sed aperte Vesulum, Liguriae montem, cum Vesevo confundit. Ribbeck. cum Med. aliisque bonis libris scribit *Vesaevo.* (De diphthongo *ae* in Codd. pro *e* longa posita cf. eius Proleg. p. 385 sqq. Lachm. ad Lucr. V, 1229. et VI, 651. alii.) — 225. *Ora.* Memorabilis est Gellii de hoc loco narratiuncula, qui N. A. VII, 20. haec refert: „Scriptum in quodam commentario reperi, versus istos a Vergilio ita primum esse recitatos atque editos: - - *vicina Vesevo Nola iugo:* postea Vergilium petiise a Nolanis aquam, uti duceret in propinquum rus: Nolanos beneficium petitum non fecisse: poëtam offensum nomen urbis eorum, quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse, *ora*que pro *Nola* mutasse, atque ita reliquisse." (Vide, quae contra Hauptium Ind. lectt. aest. Berol. a. 1857. p. 4. hanc narratiunculam absurdam censentem de probabilitate eius disputavit Ribbeck. in Proleg. p. 23 sq. et 120.) — *Clanius* (ut etiam Silio VIII, 537. dicitur) s. *Clanis* (Gr. Γλάνις), fluvius Campaniae, iuxta Liternum in mare se effundens, quare etiam *Liternus* vocabatur (Strab. V. p. 243. Cas. Liv. XXXII, 29, 3. et Flor. I, 16.), etiamnum *Clanio* nominatus. Cf. liber meus geogr. III. p. 519. Frequenti exundatione Acerranis aliisque vicinis agris exitiosus erat, quare etiam Silius l. l., locum nostrum imitatus, *Clanio contemptae semper Acerrae.* Cf. etiam Dionys. Hal. VII. p. 419. Lycophr. v. 718. et Steph. Byz. p. 209., de *Acerris* autem ab Hannibale eversis, ab Augusto vero restitutis, quae usque ad nostra tempora antiquum nomen servarunt, praeter Silii l. l. Plin. III, 14, 19. Liv. XXIII, 17. XXVII, 3, 6. alii et liber meus modo comm. III. p. 742. — *vacuae* autem dicuntur *Acerrae* tamquam infrequentes incolis, ideoque quietae et tranquillitatis plenae. Ita

Nunc, quo quamque modo possis cognoscere, dicam.
Rara sit an supra morem si densa requires —
Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho,
Densa magis Cereri, rarissima quaeque Lyaeo —
Ante locum capies oculis alteque iubebis
In solido puteum demitti omnemque repones
Rursus humum et pedibus summas aequabis harenas.
Si deerunt, rarum pecorique et vitibus almis
Aptius uber erit; sin in sua posse negabunt
Ire loca et scrobibus superabit terra repletis,
Spissus ager: glaebas cunctantis crassaque terga

Iuven. III, 2. (ubi vid. Heinr.) *Cumae vacuae*, id. X, 102. *vacuae Ulubrae*, Hor. Ep. II, 2, 81. *vacuae Athenae* et ibid. I, 7, 44. (ubi vid. Obbar.) *vacuum Tibur*. Ceterum *Clanius arat* pro: accolae fluminis arant. Cf. Geo. I, 509. *Hinc movet Euphrates* ibique adnott. Ribbeck., cum Med. a m. pr. exhibeat *equos* (literis tamen *a* et *u* superscriptis), edidit *aequos*. (Vid. ad v. 71.) — 226—258. „Terra quomodo sit probanda (*δοκιμασία γῆς*), quibusque notis eius natura densa, rara, salsa, pinguis, humida, gravis, levis, nigra, frigida cognoscenda. Cf. Plin. XVII, 5, 3. Colum. II, 2, 19. Add. Geop. II, 10." *Heyn.* — 226. In seqq. auctor de notis et signis agit, quibus quodque solum cognoscatur, et ita quidem, ut non solum arborum culturam respiciat, sed etiam frumentorum et pascuorum rationem habeat. — 227. Ordo verborum hic est: Si requires, rara sit, an nimis (*supra morem*, ut apud Liv. XXI, 7. Colum. IV, 27, 4. et alibi *supra modum*) densa, ante locum capies etc. Vss. autem 228. et 29. eodem modo per parenthesin interpositi, quo v. 239. 240. Non recte Bothius ex quibusdam libris edidit *sit densa*, et in fine v. 229. Punctum posuit. Non enim (quod iam Iahn. observavit) imperat poëta, ut haec fiant, sed exponit, quomodo fieri possint. — *rara*, soluta, mollis, quae humores facile imbibit. — *requires* Wagn. (quem recentiores editores praeter Bryceum omnes sequuntur) ex Med. a m. pr., tribus aliis Codd. et Serv. Dresd. (qui *requires* per Futura *videbis, inspicies* explicat) restituit. Vulgaris lectio *si forte requiras* (quam ex melioribus libris Cod. Rom. exhibet) dubitationem aliquam exprimeret (si forte requiras, quod quidem nescio utrum facturus sis necne) ab h. l. alienam. Cf. Wagn. Qu. Virg. VI, 4. — 230. „Si requires, utrum rarum an densum solum sit, *oculis capies* s. eliges locum soli solidi, in quo *puteum*, altam foveam, scrobem (*βόθρον*, Geop. II, 11.) facias, iubeas fodi, sive, quod exquisitius, *demitti*. Porro *solidum* pro solido loco." *Heyn.* — De dictione *oculis capere locum* vid. ad Aen. I, 396. — 232. Ribbeck. pro *rursus* scripsit *rusus*. (Cf. eius Proleg. p. 444.) — *pedibus aequabis*, quod ap. Colum. II, 2. *recalcabis*. — 233. *Si deerunt*, sc. arenae, si terra in scrobem reiecta non sufficit ad eam replendam, solum rarum esse concludas. Opponuntur in seqq. *sin superabit terra*. — *vites almae*, quia praebent, quo te alas. Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 17. — 234. *uber*, proprie fecundum solum (vid. v. 185. ibique adnott.), hic simpliciter pro solo, humo positum, nam *rarum uber* (cui opp. spissus ager, crassus: vid. Colum. III, 12, 2.) non potest admodum fecundum esse, licet pascuis et vineis aptum. — „*sin* ea *negabunt posse ire in sua loca*, h. e. non poterunt redire (cf. v. c. 215.), spatiis foveae recipi, ut supersit terrae egestae aliquantum etc. Cf. Colum. II, 2, 19." *Heyn.* — 235. *superabit terra* aut ita explicari potest, ut *superare* significet supereminere, exstare, quemadmodum apud Stat. Theb. IV, 458. *Quamquam infossus humo, superat tamen agger in auras*; aut ut idem sit, quod *superesse*, ut infra v. 314., qua de re dictum est ad Ecl. IX, 27. Utram probes explicationem, sensus loci non mutatur, de quo iam ad v. 233. diximus. Conington autem memorat, Plinium de veritate huius rei dubitare XVII, 4, 3. sic scribentem: *Scrobes quidem regesta in eos nulla complet, ut densa atque rara ad hunc modum deprehendi possit.* — 236. *glaebas cunctantes*, tenaces, quae vix cedent vomeri, vel quae aegre

Expecta et validis terram proscinde iuvencis.
Salsa autem tellus et quae perhibetur amara,
Frugibus infelix, — ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus aut pomis sua nomina servat — 240
Talc dabit specimen: tu spisso vimine qualos
Colaque prelorum fumosis deripe tectis;
Huc ager ille malus dulcesque a fontibus undae

---

rastris confringi poterunt. (Cf. Geo. I, 94. et 105.) — *terga* non solum superficiem agri significant, in qua sulci fiunt, ut Heyn. interpretatur, sed ipsas porcas illas, de quibus vid. adnott. ad Geo. I, 97. — *expecta*, ut supra v. 27. et infra v. 421. Vid. autem adnott. ad Geo. III, 348. — Eiusmodi solo subigendo *validis* opus est *iuvencis* (vid. adnott. ad Ecl. III, 29.); quare epitheton cum vi praepositum vides. — *proscinde*. Vide adnott. ad Geo. I, 97. — 238. *Salsum* et *amarum* solum cernitur aqua solo eliquata. De his soli appellationibus cf. Pallad. II, 13. in Plin. XVII, 4, 5. et Diophanes in Geopon. V, 7. (πικρὰ ἢ ἀλμυρά), a Voss. laud. — *quae perhibetur amara*, quam vulgo amaram appellant, pro: quae est amara. De *perhibendi* vocabulo vid. adnott. ad Geo. I, 247. — 239. *infelix*, infecunda. Cf. not. ad Ecl. V, 37. — Wakef., Iahn. et Conington parenthesin a *Frugibus* inchoant, ut sensus sit: Haec terra nec frugibus, nec vino, nec pomis apta est. Vulgari tamen interpungendi ratione numerorum elegantiae magis prospicitur. — *mansuescit*. Lucr. V, 1367. *fructusque feros mansuescere terra Cernebant*. — *arando* passive, eo quod aratur. Cf. infra v. 250. III, 454. etc. et adnott. ad Aen. II, 81. — 240. Vinum generosissimum et poma optima in tali terra degenerant. — „*nomen* pro generositate s. nobilitate Serv., Burm. et alii intelligunt. Sed dubito, an non de natura vini et pomorum simplici ratione intelligendum sit: naturam mutant fruges in alieno solo transpositae, eo vero mutato, [degenerantes] pristinum suum nomen merito amittunt." Ita rectissime Schirach. p. 507. Conington confert Catonem c. 25. *Sicque facito studeat bene percoctum siccumque legere, ne vinum nomen perdat*. Schrader. *genus* temere mutatum voluit in *decus*. — 241. *specimen*, probatio, documentum, *δεῖγμα*. Cf. v. c. Lucr. IV, 209. *Hoc etiam in primis specimen verum esse videtur, Quam celeri motu rerum simulacra ferantur* etc. — De soli natura per gustum exploranda cf. Colum. II, 2, 20. et de arb. 3. Geopon. II, 10. V, 7., iam a Voss. laud. — Pronomen *tu* adiectum auget vim et gravitatem praecepti, ut alibi hortationis vel increpationis. Cf. infra III, 73. 162. IV, 106. I, 344. Aen. IV, 265. etc. — *qualus* (Ribbeck. Lachmanno suasore ad Lucr. III, 1014. p. 204. scribit *quallus* contra Med. aliorumque Codd. auctoritatem. Cf. eius Proleg. p. 429.) est calathus s. saccus tenui vimine rarius contextus, inversae metae similis, prelisque uvarum et olivarum supponi solitus, per quem vinum vel oleum, cum illae exprimuntur, guttatim defluit, reliqua vero materia exire prohibetur, ut novum mustum vel oleum percoletur et liquetur (cf. Colum IX, 15, 12. Cato R. R. 52, 2.); *colum* vero et ipsum est vas vimineum, iunceum, sparteum, per quod vinum vel oleum in aliud vas transmittitur (Colum. XII, 19, 4. Cato 11, 2. Plin. XXXVI, 23, 52.); quare Wagn. Qu. Virg. XXXIII. p. 545., hunc locum inter figurae *ἑνὸς διὰ δυοῖν* exempla referens, verba *qualos colaque prelorum* per „qualos, quales prelis subiiciuntur," et in edit. min. *qualos colaque* per viminea cola explicat. Cf. ad Ecl. II, 8. Geo. III, 198. et alibi adnotata. — *deripe tectis fumosis*, pro: sume de tectis. Ista enim vasa, ne vermibus aut humore corrumperentur, ad fumum in culina suspendi solebant. Cf. adnott. ad Geo. I, 175. et Voss. ad h. l. — 243. *ager*, particula terrae ex eo, *τῆς γῆς τι*. — *huc - - calcentur* pro *huc* infundantur et hic *calcentur*, subigantur. De simili coniunctione verborum *huc ades* iam diximus ad Ecl. II, 45. et VII, 9. Est autem, si summam rei spectamus, idem dicendi genus atque illud, ex quo licet coniungere *in potestatem, in mentem, in amicitiam esse, in custodiam habere* et similia, quae omnia ex duabus enuntiationibus *(in potesta-*

Ad plenum calcentur; aqua eluctabitur omnis
Scilicet et grandes ibunt per vimina guttae;
At sapor indicium faciet, manifestus et ora
Tristia temptantum sensu torquebit amaror.

---

tem venire et in ea esse, in custodiam accipere et in ea habere etc.) contracta esse, facile est intellectu; de qua re tam multi disputarunt, ut eos enumerare longum sit. (Vide priores editt. meas.) — *a fontibus undae*, pro undis e fontibus haustis, i. e. undis fontium. Ita poëtae haud raro Praepos. *a* cum Ablativo simplici Substantivo iungunt pro Genitivo Subiecti, ubi res alicunde profecta vel desumpta indicatur. Cf. v. c. Lucret. II, 50. *neque fulgorem reverentur ab auro*, ubi vid. adnot. mea. Praeter eos, quos iam ibi laudavi, viros doctos cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 1, 129. Weitz. ad Val. Fl. V, 243. Cort. ad Cic. ad Div. III, 13, 1. Herzog. ad Caes. B. G. II, 11. Iahn. ad Ovid. Met. IX, 136. Thiel. ad Aen. I, 730. et V, 45. Hand. Tursell. I. p. 35. cum iis, quae ad Ecl. I, 8., ad Geo. III, 2. et alibi adnotavi. — 244. *Ad plenum*, quod pertinet ad notionem infundendi in verbis *huc calcentur* latentem, aut proprie possumus intelligere: usque ad plenum, i. e. ad summum, extremum marginem, ut colum plenum sit; aut, quemadmodum alibi, pro copiose, affatim *(zur Fülle)*, positum accipere. Cf. Hor. Od. I, 17, 15. *Hic tibi copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorum opulenta cornu.* Veget. II, 9. *Si vero in campi cursione - - in ordinanda acie ad plenum fuerint eruditi.* Eutrop. VIII, 10. *Philosophiae scientiam ad plenum adeptus*, et Hand. Turs. I. p. 122 sqq. — *eluctabitur. Eluctari* Wagn. recte explicat: per augustias atque obstacula aegre evadere; coll. Sen. N. Qu. IV, 2. *Nilus per angusta eluctatus*, Pacat. Paneg. 34, 4. *vix eluctatis cadaveribus evolvit*, et Cort. ad Lucan. II, 219. — 246. *At sapor. At* apud poëtas, qui graviora amant, haud raro pro *sed, autem, vero* legitur. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXXVII, 7., qui cum h. l. comparat III, 520 sqq. Aen. I, 410 sq. 708 sqq. II, 222 sqq. III, 593 sq. VIII, 138 sqq. aliosque locos. — *sapor* aquae expressae. Heyn. (quem Ribbeck., Bryce et Conington sequuntur) post *manifestus* incidens, coniungit *sapor manifestus*, quod dictum putat pro: sapor manifesto vel manifestum indicium faciet; sed rectius Wakef., Iahn., Wagn. et Haupt. ante *manifestus* Comma ponunt, ut *manifestus amaror* cohaereant. (Iahn. tamen in edit. II. sibi non constans servat quidem hanc distinctionem, et nihilominus ad Geo. I, 477. adnotat, *manifestus* ad utrumque Subst., et ad *saporem* et ad *amarorem* pertinere, quae etiam Ladewigii sententia videtur esse, qui Comma prorsus omittit). — *indicium faciet.* Cf. Plaut. Cistell. IV, 2, 6. *mi spectatores, facite indicium.* Ter. Ad. IV, 4, 8. *Id anus mi indicium fecit* etc. — „*Amaror torquebit sensu ora temptantum*, h. e. gustantium [vide tamen infra], ex Lucr. II, 400. *At contra tetra absinthi natura ferique Centauri foedo pertorquent ora sapore.* Iam hic sensus haud dubie proprie *tristis* appellandus, quod de amaris rebus dici, supra ad I, 75. vidimus. Obvium erat poëtae iungere *sensu* s. sapore *tristi;* at exquisitius est transferre epitheta ad adiuncta; hinc *tristia ora.*“ *Heyn.* Ita etiam Schirach. p. 622 sq.; sed rectius Wagn. adnotat, *tristia* convenire *oribus*, cum amaror ea torqueat; saepe enim in actione obiectis adiungi epitheta, quae iis tantisper, dum actio duret, conveniant; velut infra v. 352. Aen. IV, 102. VII, 343. et alibi. — *sensu* autem, i. e. gustu, cum *temptantum* coniungendum esse docet Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 41., coll. infra v. 365., ubi *acie temptare* legimus, eumque recte sequitur Ladew. Ita *sensu temptare* (non vero simplex *temptare*) sane est i. q. gustare. — Pro *amaror* aliquot Codd. et Grammatici (ut Schol. Stat. Theb. V, 392.) praebent *amaro*, quam lectionem Heinsio et nuper rursus Coningtoni probatam Wagn. censet fortasse Grammaticis deberi, qui desideraverint epitheton vocabulo *sensu* adiiciendum; sed amare Vergilium hunc nudum Substantivorum usum (v. c. Aen. III, 147. *terris.* ib. 363. *numine.* ib. 664. *gemitu.* IV, 46. *vento.* ib. 679. *ferro.* V, 161. *voce.* VI, 187. *arbore.* ib. 355. *aqua.* X, 102. *solo*), maxime autem voc. *ore* et *manu* sic ab eo frequentari (Aen. I, 614. II, 524. VI, 76. IX, 319.

Pinguis item quae sit tellus, hoc denique pacto
Discimus: haud umquam manibus iactata fatiscit,
Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.
Humida maiores herbas alit, ipsaque iusto
Laetior. Ah nimium ne sit mihi fertilis illa
Neu se praevalidam primis ostendat aristis!
Quae gravis est, ipso tacitam se pondere prodit,
Quaeque levis. Promptum est oculis praediscere nigram,
Et quis cui color. At sceleratum exquirere frigus

— III, 659. VII, 604. IX, 773. XI, 453. — Cf. etiam Geo. I, 430. Aen. II, 459. 717. IV, 344. V, 499.) Vulgarem lectionem (quae Barthio quoque ad Stat. Theb. V, 392. defenditur) praeter plurimos Codd. tuentur etiam Macrob. Sat. VI, 1. et Gellius I, 21. hunc locum comparentes cum Lucr. IV, 225., uno illo loco, quo praeter nostrum vox *amaror* videtur inveniri. (Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 117. 190. et 210.) — **248—250.** „Pingue et glutinosum (simulque dulce) solum ipso tactu noscitur. — **249.** *manibus* [de manu in manum] *iactata*, versata, trita, *fatiscit*, atteritur, ut solvatur in pulverem, abeat in arenulas, arida facta. Vid. Geo. I, 180." *Heyn.* Terram friabilem describit, de qua cf. Varr. R. R. I, 9, 7. Plin. XXXVI, 21, 39. Cf. etiam Wakef. ad Lucr. I, 887., qui ad eiusd. IV, 231. pro *manibus iactata* coniicit legendum esse *manibus tractata*. — **250.** *ad digitos lentescit*, lenta adhaeret digitis; *lentescere* enim, ut alibi est lentum, tenerum fieri (v. c. Plin. XXXVII, 10, 70. *gemma, si quis terat in vino, cerae modo lentescit.* Colum. II, 11, 12. (cicera) *paulum aqua maceratur, ut lentescat* etc.), ita h. l. valet glutinosum fieri; de Part. autem *ad* per nostrum *an* reddenda cf. Hand. Turs. I. p. 89 sq. — *habendo*, dum quis eam habet; ut apud Lucr. I, 313. *annulus in digito subter tenuatur habendo.* Vide quae de hoc Gerundii usu, quem vulgo passivum habent, ad Aen. II, 81. disputavimus. Cum ipsa sententia Heyn. comparat Plin. XVII, 4, 3. et Colum. II, 2, 18. — **252.** *ipsaque Laetior*, i. e. ipsa per sese laetiores segetes gignit, non stercore roborata aut rivis irrigata, ut iam Wagn. rectissime interpretatur. De Pron. *ipse* pro *sponte* posito vid. adnott. ad Ecl. IV, 21. — *Ah nimium ne* etc. poëtice pro simplici: tale terrae genus nemo sibi optet. Similis orationis color Geo. I, 456., ubi vid. adnott. — *mihi* sollicitum significat animum. Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 6. — **253.** *Neu.* Ribbeck. ex Med. a m. pr. et uno Bern. (ubi u in rasura) edidit *Nec. primis aristis*, quae formari incipiunt, i. e. si frumentum spicas concipere incipit („*when the ears first appear, just before earing*", ut recte Conington). Servius: „Herbis surgentibus, quarum luxuries futuris frugibus nocet, quas culmi tenues ferre non possunt", ubi *futuras fruges* et *culmos tenues*, non *herbas sequentes* respondere *primis aristis*, idem vir doct. demonstrat. Ceterum cum h. l. cf. Geo. I, 111. — **254—256.** De gravi, levi et nigra terra Heyn. conferri iubet Colum. II, 2, 15 sq. — *tacitam se prodit*, pro: tacita (non alio signo prodita) se prodit, et hoc poëtice pro Adverbio *tacite*. Cf. adnott. ad Geo. III, 538. Aen. I, 644. III, 70. IV, 303 etc. — **255.** *Promptum est* etc. Conington comparat Ovid. Met. XIII, 10. *Sed nec mihi dicere promptum, Nec facere est isti.* — *praediscere*, antequam ager colatur, cognoscere. Aliquot Codd. *praedicere*, male. — **256.** *et quis cui color.* Heyn. *cui* explicat *cuicumque* telluri, Wund. et Wagn. *cuique*, ut sensus sit: quo nomine appellandus sit cuiusque color. (Sic enim interdum *quis* pro *quisque* post relativa: imprimis apud inferioris aetatis scriptores. Cf. v. c. Tac. Ann. II, 24. II, 26. IV, 23. Hist. III, 58. etc. Cf. Boetticheri Lex. Tac. p. 396. et Ramsh. §. 159. p. 575. not. †). Nos eadem ratione *Einer* haud raro dicimus pro *ein Jeder*.) Rectius autem Ladew. censet, Graecorum more duas interrogationes, quae commune Praedicatum habeant, in unam sententiam esse contractas, (quemadmodum ap. Cic. pr. Rosc. Com. 7, 21. *Considera, quis quem fraudasse dicatur* et al.), ut sensus sit: quae terra alium colorem habeat et quem; eique cum Coningtone nunc adsentimur. Non mirum

Difficile est; piceae tantum taxique nocentes
Interdum aut hederae pandunt vestigia nigrae.
His animadversis terram multo ante memento
Excoquere et magnos scrobibus concidere montis,
Ante supinatas Aquiloni ostendere glaebas,

---

tamen, in paucis libris veram lectionem corruptam esse in *Et quisquis color* vel *Et quis cuique color;* magis mireris, Ribbeckium lectionem *Et quisquis* Servio suasore recepisse, cum Proleg. p. 310. vulg. scripturam ex Geo. III, 102. ortam censeat. — **256—258.** Frigida terra ad cognoscendum difficilis est. Conington conferri iubet Plin. XVII, 5. in. *Terram amaram sive macram si quis probare velit, demonstrant eas atrae degeneresque herbae, frigidam autem retorride nata.* — *sceleratum* pro noxio, pernicioso. Cf. Plin. XXIV, 13, 63. *Sceleratissimi serpentum haemorrhois et prester.* Appul. de herb. 8. *herba scelerata.* Mart. I, 102. *scelerata lues* etc. Conington apte confert Plaut. Pseud. III, 2, 28. *Sinapis scelera - - oculi ut stillent facit.* — *Taxi nocentes.* Vid. Plin. XVI, 10, 20. *Taxus mas noxio fructu; letale quippe baccis, in Hispania praecipue, venenum inest.* Cf. etiam adnott. ad Ecl. IX, 30. et Geo. IV, 47. — *interdum.* Vid. adnott. ad Ecl. VII, 50. et Geo. I, 477. — *hederae nigrae.* Vid. adnott. ad Ecl. VI, 54. et III, 39. — „*pandunt vestigia*, indicia praebent frigoris. Hoc melius ad rem et loci sensum; nam de cognoscendis et discendis soli naturis agitur; quam ut *vestigia* sint radices, quae late serpunt sub solo [ut Wakef. ad Lucr. X, 912. explicat]." *Heyn. Piceas* autem et *taxos* amare frigus, discimus ex Plin. XVI, 10, 18. et supra ex v. 113. — **259—262.** Transit ad vitium culturam et vinearum sationem, de quibus copiose agit usque ad v. 419.; et primum quidem dicit *de faciendis scrobibus* (259—261.). „Arbitror autem, ante oculos habuisse poëtam Xenoph. Oecon. c. 16, 11 sqq. Serendarum vitium modi sunt tres: aut *in pastinato*, aut *in sulco*, aut *in scrobe:* Plin. XVII, 35, 7." *Heyn.* Cf. etiam Colum. III, 13. 15. V, 4. 5. 6. de arb. 4. 46. a Voss. laud. — *His animadversis*, „agri qualitate deprehensa": Serv. — Ribbeck. *animum adversis*, cum Palat. praebeat *animamadversis* (altera tamen *m* erasa et altera *a* inducta.) — *multo ante*, quam seras aliquid. — „*Excoquere, πέπτειν, πεπαίνειν*, macerare, excoquendum curare sole, gelu, pruinis: Colum. XI, 3, 13. [cf. Geo. I, 66. et Lucr. VI, 963. *Principio terram sol excoquit et facit are.*] Ad id *concidimus terram scrobibus*, quod fit, cum scrobes crebros facimus, incidimus in terra: *concisam fossis Aegyptum* Iustinus II, 1. dixit. Cum autem vineae in collibus fere plantentur, *montes* memorat poëta." *Heyn.* — Male tamen Heyn. pro *magnos* (montes, *weite Bergflächen*) praefert Martini coni. *magnis* (scrobibus), cum hic, ubi de collibus agatur, non quadret epitheton magnitudinis. Sed recte tuentur Codd. lectionem Iahn. (qui conferri iubet Plin. XVII, 35, 4. 7. Colum. III, 13. Xen. Oec. 17, 11. Theophr. III, 5.) et Wagn., quos recentiores editores omnes sequuntur. Vult enim poëta docere, quam late pateat mons, totum esse scrobibus concidendum. — Idem ille Martin., Cuningh. et Cort. ad Plin. Ep. VII, 4., *et* ante *magnos* omissum, Bryant. autem et Heyn. sequens *Ante* in *Atque* mutatum volunt; utrumque temere. Tertio enim loco non opus erat Copula addita, cum Adv. *ante* repetatur. Cf. Wagn. adnot. ad Ecl. I, 69., qui vir doct. ad h. l. comparat infra v. 294 sq. *multosque nepotes, Multa virum - - saecula vincit*, in Qu. autem Virg. XII, 15. p. 430. docet, productionem illam *Excoquerē magnos* prorsus insolitam fore, cum Vocalis *e* non nisi in Copula *que* arseos vi produci soleat (cf. adnott. ad Ecl. IV, 51.), quae Graecae Particulae *τέ* rationem sequatur. — **261.** *Ante;* repete *multo* ex v. 259. — *supinatas glaebas*, terram ligonibus inversam et erutam. — *Aquiloni ostendere*, exponere, ut frigore eius excoquantur, mitescant. Heyn. confert Hesiod. *Ἔργ.* 611. *τότε πάντας ἀπόδρεπε οἶκαδε βότρυς, Δεῖξαι δ' ἠελίῳ δέκα τ' ἤματα καὶ δέκα νύκτας.* Nemes. Cyneg. 208. *catulos - - tepido ostendere soli.* Stat. Theb. VI, 89. *lucos ostendere Phoebo.* Adde Varr. R. R. I, 24, 25. *ager soli ostentus*, coll. cum Cat. R. R. 6, 2. 4., ubi eadem leguntur.

Quam laetum infodias vitis genus, Optuma putri
Arva solo: id venti curant gelidaeque pruinae
Et labefacta movens robustus iugera fossor.
Ac si quos haud ulla viros vigilantia fugit,
Ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus seges, et quo mox digesta feratur,
Mutatam ignorent subito ne semina matrem.

Etiam Columella X, 74—76. hunc locum ante oculos habuit. — *laetum.* Pauci quidam Codd. *lentum*, ut Ecl. III, 38. et alibi *lentae vites.* — 262—264. „Causam coquendi soli opponi puta. Nam optimus vineis serendis ager *putris*, seu resolutus et tener, est; v. ad v. 204. *putris* autem *fit ventis, pruina, opere.*" *Heyn.* — *id curant*, faciunt, ut putre fiat solum. Cf. Geo. I, 44. *Zephyro putris se glaeba resolvit.* — 264. *labefacta movens* pro movens et labefaciens vel movendo labefaciens. *movens*, cum de vinea agatur, hic i. q. fodiendo concutiens et molliens; alibi etiam de aratione dicitur. Cf. infra v. 316. Ovid. Met. III, 102. Lucan. VII, 861. etc. Vid. etiam adnott. ad Geo. I, 123. Conington confert Senecae N. Qu. IV, 5. *Nix tenera et labefacta* et Lucr. I, 492. *Tum labefactatus rigor auri solvitur aestu.* — *iugera* pro ipsa regione vitifera s. vineto, quod, ut agros, iugeribus solebant metiri; *iugerum* autem Rom. erat ager ducentos et quadraginta pedes in longitudinem, centum et viginti in latitudinem porrectus. Cf. Varro L. L. IV, 4. et R. R. I, 10, 1. Colum. V, 1, 5. Plin. XVIII, 3, 3. Quinct. Inst. I, 10. extr. — *fossor* hic, ubi de vitium cultura sermo est, i. q. vinitor; alibi omnino agricola. Cf. Hor. Od. III, 18, 15. *Gaudet invisam pepulisse fossor Ter pede terram.* — *robustus fossor*, ut Ecl. VI, 41. *robustus arator.* — 265—268. „Diligentiores patresfamilias in seminario sive plantario educant vites, quas deinde in vineam transferant." *Heyn.* De his vitiariis s. seminariis cf. Colum. III, 5. V, 5. de arb. 3. Pallad. III, 10. Plin. XVII, 10, 14—16. et 21, 35., a Voss. laudati. — 265. *Ac* pro vulg. *At* cum Ribbeckio, Ladew. et Wagn. in min. edit. ex Med. nunc recepimus. Haupt. et Conington servarunt *At.* — *„si quos haud ulla viros vig. fugit* poëtice pro: si quos prae vigilantia nihil fugit." (Conington.) — 266. 267. „Curant, ut locus, *ubi prima paretur arboribus*, vitibus, *seges*, h. seminarium vitium [s. vitiarium, de quo cf. Colum. de arb. c. 1.] simili ingenio ac natura [solo et situ] sit, quam *locus, quo mox digesta feratur*, h. e. transferatur et digeratur [ordine disponatur: v. 277.]. In sermone pedestri diceres: locum similem ei, quo mox feratur." Sic *Heyn.* rectissime, neque aliter Conington multa de h. l. disputans, qui adnotat, idem esse ac si Verg. diceret: „Ante exquirunt duos locos, alterum alteri similem, scilicet ubi etc. et quo etc." Non erat, cur Wunderl. de hac verissima locum interpretandi ratione propter Participium Perfecti dubitaret, et *segetem digestam* de seminibus iam in plantario ordinatis intelligeret, ut *digesta*, sicut in Participiis et Adiectivis fit, sensum prioris enuntiationis referat. Non enim in seminario, sed in ipsa demum vinea vites solent ordine digeri sive disponi (cf. infra v. 277.); quare etiam Vossii coniectura *digesta seratur* reiicienda est. *Digesta feratur* eodem modo dictum, quo Aen. I, 69. (ubi vid. adnott.) *submersas obrue puppes*, i. e. submerge et obrue. Vid. etiam supra ad Geo. II, 56. — 268. *ne ignorent mutatam matrem*, novam, ignotam sibi terram (cf. Aen. XI, 51. *mater tellus* cum Aen. III, 96.), i. e. ne ei non adsuescant nihilque in ea ferant. Wakef. ex aliis libris male edidit *mutata semina.* Non enim semina mutantur, sed mater, sive locus, ubi primum vites plantatae fuerunt. Burm. cum h. l. confert Calpurn. II, 50. *Sucos ne forte priores Languida mutata quaerant plantaria terra*, et Colum. X, 153. *Sicco ut consuescit pulvere planta, Nec mutata loco siccos exhorreat aestus.* Cf. etiam supra v. 50. Peerlk. autem p. 142. hanc profert coniecturam: *Mutatam subito ignorent u t semina matrem*, quam sic explicat: „Qui semina arborum ponit in seminario, unde post transferat in stabilem sedem, ille curet, ut natura utriusque loci sit eadem, ut ipsa se-

Quin etiam caeli regionem in cortice signant,
Ut, quo quaeque modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, quae terga obverterit axi,
Restituant: adeo in teneris consuescere multum est.
Collibus an plano melius sit ponere vitem,
Quaere prius. Si pinguis agros metabere campi,
Densa sere: in denso non segnior ubere Bacchus;

---

mina nesciant se subito matrem mutasse." — 269—272. „Provident quoque, qui vites plantant, ut restituant unamquamque eo situ, quo in vitiario steterat, cardinum caeli ratione habita." *Heyn.* — *quaeque* paullo altius ad *arbores* v. 267. referendum. Respexit hunc locum Colum. V, 6, 19. 20. Voss. praeterea conferri iubet Theophr. II, 7. Pallad. III, 19. et Plin. XVII, 11, 16., qui tamen cum illis non consentiat. — *quae terga obverterit axi*, paullo liberius dictum pro: quam partem vitis tamquam tergum obverterit septemtrionali plagae. Cf. adnott. ad Geo. I, 329. Graser. tamen in Ephem. lit. Halens. 1835. ch. 185. p. 263. suspicatur, Vergilium scripsisse *qua* (sc. parte) *terga*. — *axi*, polo septemtrionali; *axis* enim, ut omnino pro ipso polo s. cardine caeli, ubi axis infixa est, ponitur (v. c. apud Lucan. V, 422. VIII, 175. IX, 876. et saepius), ita interdum κατ' ἐξοχήν de polo arctico, qui a nobis semper cernitur, cum alter sub terra lateat, usurpatur. Cf. infra III, 351. et Cic. Tusc. I, 28, 68. *Globum terrae duabus oris habitabilem: quarum altera, quam nos incolimus, sub axe posita* (quae sunt Attii verba, a philosopho allata) - -; *altera australis ignota nobis*. — 272. Tanta est vis consuetudinis in rebus teneris. *Adeo* (nostrum *so*), in orationis initio positum, haud raro sententiae alicui s. epiphonemati proponendo inservit; qua de re cf. Drak. ad Liv. II, 43, 10. et IV, 31, 5. atque Hand. Tursell. I. p. 152., qui confert Livii l. l. et II, 47, 11. XXVII, 9, 1. Dial. de caus. corr. el. 26. Tac. Agr. 1. etc. — *in teneris*. Ita Codd., quos novimus, omnes, ut Heinsio, in aliis libris *a teneris* legi affirmanti, non multum fidei tribuendum videatur, quamquam ita exhibet Quinct. I, 3, 13., non minus memoria lapsus, quam Schol. Hor. Od. III, 11, 9., ita h. l. afferens: *a teneris assuescere multum*. Sed Verbum substantivum in eiusmodi formulis *multum, longum, meum est* etc. non facile omitti, iam ad Ecl. III, 108. adnotatum. Haupt. et Ribbeck. Lachmanno suasore ad Lucr. I, 993. p. 68. cum Velio Longo p. 2238. et Cod. Rom. (in quo *e* superscriptum) exhibent *multumst*. *Res tenerae* redeunt infra v. 343. — 273. 274. Non omnino hic agitur de quaestione, utrum melius sit vineam in colli, an in plano campo facere; sed docet poëta, vineam facturo et pro caeli regionumque varia natura et pro vitium diversis generibus considerandum esse, utrum collinum an campestre solum vineae instituendae eligere ipsum oporteat. Cf. Colum. III, 1, 5. et Plin. XVII, 22, 35. §. 16. — *ponere vitem* pro vulg. *p. vites* Heins. e melioribus libris restituit. Vid. adnott. ad Geo. I, 284. Iahn. et hic *vites* recipiendum putavit. — 274—275. Si in plano et pingui campo vineam instituis, densas, sin in colle (ideoque minus pingui solo), raras planta vites. — *Metari agros*, scil. finiendo, h. l. pro eo, quod sequitur: vineam instituere, facere. Cf. Nemes. Cyn. 6. *campos metatur apertos*. — 275. Heyn. simpliciori verborum coniunctioni *in denso ubere* (v. 234.) *non segnior Bacchus*, temere praefert alteram „*in denso* (h. e. cum, minoribus spatiis relictis, densae ponuntur vites) *Bacchus non segnior ubere* (h. e. ubertate est, scil. si in pingui solo vineam facis)." Rectius vero Wunderl.: „*densum uber* est solum densum vitibus, ut *litus densum* est densum arenis, Ovid. Metam. II, 576." (quem tamen locum Bach. aliter intelligit) et Wagn. in edit. min. haec adnotat: „Satis fuerat dixisse *in denso*, h. e. in densa segete; ipsa autem densitas cum ubertatis quandam speciem prae se ferat, propterea adiecit poëta *ubere*." *Uber* autem imprimis de natura regionis vini feracis (*of the fruit fulness of the vine*) dici, Conington memorat coll. Colum. IV, 27. et Claud. B. G. 504. — *non segnior Bacchus*, vini non minus laetus proventus. Cf. adnott. ad Geo. I, 151. et ad Ecl.

Sin tumulis adclive solum collisque supinos,
Indulge ordinibus, nec setius omnis in unguem

V, 69. Ceterum Heyn. suspicatur, Vergilio hic ante oculos fuisse Xenoph. Oecon. c. 17, 8—11. — 276. *Sin* metabere *solum acclive tumulis*, i. e. ad tumulum assurgens. — Pro *supinos* Nonius s. v. Indulgere p. 326. et Parrhas. *supini* (sc. tibi sunt). Sed vulgatam praeter ceteros libros omnes tuetur etiam Schol. Cruqu. Hor. Od. III, 4. — 277. 278. „*Indulget ordinibus* et is, qui simpliciter facit ordines, et is, qui laxiores ac rariores facit, magnis spatiis relictis, ut delectari quasi iis videatur. Bene Serv. *ordines effice largiores.*“ *Heyn.* Hoc sane rectius. Cf. etiam Schirach. p. 454. — 277. „*Nec setius* [sic enim ex Med., Rom. aliorumque Codd. et Festi p. 263. Lindem. auctoritate pro vulg. *secius* cum recentissimis editoribus nunc scripsimus, cum iam mensura primae syllabae ostendat, vocem non ex *secus* esse natam: cf. Wagn. Orth. Verg. p. 472. et Ribbeck. Proleg. p. 446.] h. e. item, porro, etiam, nec minus, *arboribus*, vitibus, *positis, in unguem*, ad unguem [i. e. accuratissime: vid. infra], *omnis via quadret*, h. e. ordines exacte conveniant, congruant, *limite secto*, linea ducta, quae ordines facit. Quincuncem respici docet Plin. XVII, 11, 25. *In disponendis arboribus arbustisque ac vineis quincuncialis ordinum ratio vulgata et necessaria, non perflatu modo utilis, verum adspectu grata, quoque modo intueare, in ordinem se porrigente versu.*“ *Heyn.* Quincunx enim hanc praebet speciem:

* * * *
* * * * *
* * * *

Cf. Varr. I, 7. Colum. III, 13, 15. IV, 30. Cic. de sen. 17. Quinct. VIII, 3, 9. Igitur *via secto limite* significat viam obliquam alia via transversa sectam hunc in modum: X. — Voss. (et cum eo in priore certe edit. Iahn., qui tamen in edit. II. hanc sententiam retractavit), leniore post voc. *quadret*, plena autem in fine v. 283. interpunctione posita, iungit *Nec setius - - ut*, quod pro *non secus* s. *aeque - - ut* positum esse censet. Sed ut concedam *secus - - ut* pro *secus - - ac* non minore iure dici potuisse, quam apud Plaut. Aul. prol. 22. *pariter - - ut*, apud Hor. Od. I, 16, 7—9. et Plin. Ep. I, 20, 1. *aeque - - ut* (cf. Bach. ad Tibull. IV, 12, 2.), quamquam apud Hor. Od. III, 25, 8. vulgatum *secus - - ut* iam a Bentleio ex Codd. in *secus - - ac* mutatum est, nemo tamen exemplo comprobaverit, Latinos umquam Comparativis *setius, minus, magis* etc. adiunxisse Particulam *ut*. Quare *nec setius* ad antecedentia referendum, *ut* autem pro *veluti* positum essse censeo. Omnem enim locum ita intelligo: Si in pingui agro vites plantas, densas planta, ordine non anxie servato; sin colles vitibus conseris, indulge ordinibus (s. antibus: cf. v. 417., *pflanze in Reihen*), neque setius effice etiam, ut *arboribus* accurate positis (Abl. instrum.) omnis via secto limine quadret, i. e. ut intervallis aequaliter dimensis et vitibus ad lineam positis omnes viae s. spatia inter singulos vitium ordines aequales sint, sive paria usquequaque, in rectum, in transversum, in obliquum, intervalla habeant (cf. v. 284.); nam ordinibus utcumque indulgere etiam is potest, qui vites non ad lineam neque aequis intervallis servatis plantat; *secto* autem *via limite* pro via vitium ordines quasi secante (cf. Geo. I, 238. *via secta per ambas* et Ovid. Met. II, 130. *Sectus in obliquum est lato curvamine limes*, a Coningtone comparatus) eo facilius a poëta dici poterat, cum Romani limitibus, quibus agri disterminabantur (*Raine*), non minus quam nos pro viis uti solerent. Ceterum de quincunce, non de hac vitium collocatione:

* * * *
* * * *
* * * *

quam Martin. et Manso hic describi arbitrantur, Vergilium cogitare, qui tum ceterorum rei rusticae scriptorum communi sententiae repugnaret, Voss. iam demonstravit. *Quadrandi* enim vocabulum, primam et propriam significationem fere nusquam servans, plerumque idem est, quod *ex omni parte congruere*, quemadmodum quadrati lapides facile componuntur, ut apte congruant et sedeant (cf. Cic. Or. III, 44, 175. pr. Coel. 29, 69. ad Att. IV, 18. extr. etc.); *in unguem* autem non quadratam unguis formam respicit, sed, Servio teste, „translatum est a marmorariis, qui iuncturas unguibus probant“ i. e. explorant, utrum satis astrictae et levigatae sint; ut non differat significatu a voce. *perfecte*,

Arboribus positis secto via limite quadret.
Ut saepe ingenti bello cum longa cohortis
Explicuit legio et campo stetit agmen aperto,
Directaeque acies, ac late fluctuat omnis
Aere renidenti tellus, necdum horrida miscent
Proelia, sed dubius mediis Mars erat in armis.
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum;

---

absolute, accurate. Cf. v. c. Hor. Serm. I, 5, 32. *Fonteius ad unguem factus homo.* id. A. P. 294. *Carmen perfectum decies castigare ad unguem.* Colum. XI, 2, 13. *Materiam dolare ad unguem.* Appulei. Flor. 23. *Lapis ad unguem coaequatus* etc. Quod denique ad comparationem attinet vitium ordine dispositarum cum legione longa, quae cohortes explicuerit, iam haec ipsa verba indicant, de acie in longum porrecta et manipulatim structa sermonem esse, quae et ipsa hanc habebat quincuncialem speciem:

Hastati: ▭ ▭ ▭ ▭
Principes: ▭ ▭ ▭ ▭
Triarii: ▭ ▭ ▭ ▭

Conf. Lips. de mil. Rom. IV, 1. Quare aptissime adiungi hanc comparationem: Ut legio cohortes (manipulatim) solet explicare, (ita) *omnia sint paribus numeris dimensa viarum* (intervallorum), nemo non videt. Haec mihi videtur simplicissima locum intelligendi ratio, cui distinctionem accommodavi. Superest, ut etiam aliorum sententias breviter commemorem. Wagn. locum sic distinguens: *Indulge ordinibus, nec setius omnis, in unguem arb. positis, secto* cett., voc. *setius* coniungit cum *arboribus positis* tamquam Ablativo rei comparatae, omnemque locum sic interpretatur: nec setius s. nec minus quam arbores in unguem, i. e. accurate s. in quincuncem, positae, quadrent ac digerantur vites; ut haec sit poëtae sententia: non minorem in vitibus, quam in arboribus, disponendis adhibendam esse curam. Sed ut non urgeam Ablativum vocabulo *setius* paullo insolentius adiunctum, ipsam tamen comparationem illam vitium cum arboribus ab hoc loco alienam puto. [Non tamen reticendum, Wagnerum in min. edit. mutata sententia magis accedere ad nostram explicationem. Adnotat enim: „*Indulge ordinibus*, i. e. fac ordines laxiores (?), *nec setius*, in laxis scil. ordinibus, quam ubi densa severis, *arboribus pos. in unguem*, eo ut vites disponas accurate, s. certis intervallis efficies, ut omnes via quadret.“] Wunderl. autem cum Forcellinio *non setius* accipit pro: eodem modo, sive in plano sive in colle vitem ponas; quod superioribus prorsus adversari in promptu est. Hildebrand., Censor edit. meae in Iahnii Novis Annall. l. l. p. 167., quem me non satis intellexisse puto, aliis tantum verbis eandem, quam ego, proponit explicationem. Alios omitto. — 279—283. Cum hac splendida comparatione cf. Lucret. II, 323—332. — Iunge verba: *Ut cum saepe*, et cf. adnott. ad Aen. I, 148. — *longa* eo ipso, quod se longe explicat. — V. 280. totus iteratur ab imitatore Verg. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 227. — 281. *Directaeque.* Ribbeck. ex schedis Veron. recepit *Derectaeque.* Cf. eius Proleg. p. 401. — *late tellus fluctuat aere* poëtica inversione pro: aeris, h. e. armorum, fulgor fluctuat, coruscat, in campo dum moventur arma et agitantur. Gebauer Progr. p. 5. comparat Hom. Il. XIX, 362. *γέλασσε δὲ πᾶσα περὶ χθὼν χαλκοῦ ὑπὸ στεροπῆς.* — 282. *renidenti* ex Lucret. l. l. 328. *Aere renidescit tellus.* Cf. etiam Anth. Lat. Burm. III, 81, 30. *Aere renidenti de vita et sanguine certant.* — Pro *miscent* Wakef. ad Lucr. V, 504. coni. *miscet* (Mars), vel potius antiquiore forma *miscit*, temere. *Miscent* impersonaliter dictum (*man beginnt noch nicht den Kampf*), ut III, 158. *inurunt*, 312. *tondent*, 352. *tenent*, IV, 297. *premunt* etc. Dictio autem *proelia miscere* redit Geo. III, 220. Vid. etiam Tibull. I, 3, 64. et Prop. III, 23 (II, 27), 8. — 283. *mediis in armis*, inter duo exercitus. — *Mars errat dubius*, cum adhuc incertum sit, ab utra parte et quando pugna initium habitura sit. *Dubius Mars* legitur etiam apud Ovid. Am. I, 19, 29. II, 9, 47. et alibi, sed plerumque dubii pugnae eventus ratione habita, de quo hic non quaeritur. Cf. Burm. ad h. l. et ad Val. Fl. VI, 545. — 284. Wakef. ad Lucr. V, 320.

Non animum modo uti pascat prospectus inanem,
Sed quia non aliter vires dabit omnibus aequas
Terra neque in vacuum poterunt se extendere rami.
Forsitan et scrobibus quae sint fastigia quaeras.
Ausim vel tenui vitem committere sulco.
Altior ac penitus terrae defigitur arbos,

(ubi *omne terrarum* legitur) coniungit *omnia viarum* (i. e. omnes viae), coll. Lucr. I, 660. (*verae viae*) et Prop. III, 7, 9. [IV, 8, 7.] (*omnia rerum*). Quod dicendi genus quamquam a Vergilio interdum usurpatur (cf. adnott. ad Geo. I, 393.), ab hoc tamen loco alienum videtur. — *pares numeri* (scil. pedum) *viarum* sunt paria intervalla viarum inter vites. Bryce, qui vocem *dimensa* Lucretiano more substantive positam habet, simul adnotat, fore fortasse, qui post eam fortius distinguentes *viarum* coniungant cum *prospectus*, iure tamen huic opinioni ipse non multum tribuit; hanc enim verborum collocationem non esse Vergilianam, neque solo *viarum*, sed vitium paribus intervallis positarum prospectu animum pasci, quisque facile intelliget. Conington nobiscum coniungit verba *paribus numeris viarum* et explicat per pares et numerosas, i. e. congruentes („*equal and regular avenues*“) coll. Colum. X, 6. *numeroso horto;* cum, si de quincunce cogitandum sit, (vide supra ad v. 277.), non omnes quidem viae, tamen sibi respondentes (*the corresponding*) aequales esse possint. — 285. „*animus inanis* h. l. eius, qui inani prospectu delectatur, [„inani voluptate capitur:“ Wagn.] qui probat rem, quae tantum ad voluptatem facit, nullam utilitatem habet, quae patrifamilias proposita esse debet.“ *Heyn.* Rectius, puto, Ladewigio idem significare videtur, quod Geo. III, 3. *mens vacua*, „*der unbeschäftigte Geist, der sich ruhig und ungestört den Eindrücken seiner Umgebung überlassen kann.*“ Cod. Brit. *inanis*, quae coniectura videtur docti cuiusdam librarii, cui obversabatur locus Aen. I, 463. Quare non erat, cur haec lectio Burmanno tantopere placeret. Cum alii Codd. etiam *inani* et *inane* praebeant, Peerlk. p. 378. transpositis verbis legi vult *ubi prospectu pascat inani*, coll. Aen. loco modo laud. *animum pictura pascit inani.* — 286. *vires dabit aequas*, i. e. aeque suppeditabit alimenta, succum. — 287. Ribbeck. contra Med. aliorumque bonorum librorum auctoritatem edidit *nec* et Pron. *se* omittit. — *in vacuum*, in aërem; quia tum vires vitis nimia palmitum fronde non poterunt absumi. — 288—297. De profunditate fovearum s. scrobium, qua de re cf. Colum. III, 13, 2. IV, 1, 2 sq. V, 5, 2. XI, 2, 28. id. de arb. 4. Pallad. II, 10, 2 sq. Plin. XVII, 16, 35. §. 22. Geop. V, 12. et Xen. Oec. 19, 3—7., qui iam Vossio commemorantur. Est autem, ut Heyn. docet, coll. Theophr. de caus. pl. III, 5., vitis ἐκ τῶν ἐπιπολαιοβόλων. — *forsitan* in coniectura, quae aliquam rem ante occupat. Cf. Hand. Turs. II. p. 713., qui comparat Aen. II, 506. Cic. pr. Rosc. Am. 2, 5. de Off. III, 6, 29. Liv. V, 52, 5. Quinct. I, 5, 16. aliosque locos. — *scrobibus quae sint fastigia*, quam profundi esse debeant; *fastigium* enim apud scriptores rei rust. i. q. profunditas vel potius declivitas, eadem ratione, qua *altus* haud raro pro profundus dicitur. Cf. Varr. R. R. I, 20, 5. *spectandum, quo fastigio sit fundus*, i. e. quam altus et declivis; id. I, 14, 2. *fossa ita idonea, si - - fastigium habet.* Cf. etiam Lucan. IV, 295. *puteusque cavati Montis ad irrigui premitur fastigia campi.* Iahn. laudat Miscell. Observatt. Vol. V. T. I. p. 65. — 289. *tenui sulco*, scrobe. Quod enim discrimen inter *sulcum* et *scrobem* faciunt scriptores rei rusticae (Pallad. II, 10. Plin. XVII, 21, 35. et Colum. de arb. c. 4.), id poëta hic non curat. Iubent autem scriptores rei rusticae ll. ll. eiusmodi scrobes minimum unius pedis cum dimidio, summum quatuor pedum altos fieri. — 290. At arbores, quibus vites iungantur s. maritentur, altius in terram sunt defigendae. Wakef. *arborem* falso ipsam vitem (vid. Schirach. p. 581.) esse putat. De aesculis et quercubus, quibus vites alligarent, a vinitoribus plantatis cf. Colum. V, 35. et Plin. XVII, 20, 34. — *Altior* pro vulg. *altius* Heins. e Medic. restituit. - - *penitus*. Cf. v. c. Aen. X, 526. VIII, 242. etc. De coniunctis autem ver-

Aesculus in primis, quae, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra neque imbres
Convellunt: inmota manet multosque nepotes,
Multa virum volvens durando saecula vincit.
Tum fortis late ramos et bracchia pandens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.

---

bis *altior ac penitus* cf. adnott. ad Geo. III, 238. — *defigere*, ut infra v. 346. *premere*. De constructione *terrae defigere*, pro: in terra, cf. Varro ap. Nonium c. 3. n. 184. *defigere aliquem cruci*. Aen. XI, 205. et XII, 130., praeterea etiam adnott. ad Aen. V, 48. VI, 84. et Ruddim. I. p. 274. — 291. De *aesculo*, ex cuius descriptione hic ornatum aliquem loci poëta quaerit, vid. supra adnott. ad v. 16., de signif. autem verborum *ad auras*, quae Ecl. I, 56. adscripta sunt. Verba *quantum — in Tartara tendit* iterum leguntur Aen. IV, 445. 446. de quercu, et adumbrata sunt ex Hesiod. Theog. 720 sqq. Ceterum nostrum locum respiciunt Val. Flaccus I, 580. 581. et Plin. XVI, 31, 56. Lachmann. ad Lucr. III, 105. hic non minus, quam Aen. IV, 445. et VII, 557., aptius esse iudicat *ad oras Aetherias*, quod minus poëticum. Vide etiam Aen. VI, 579. *aetherium Olympum*. — 293. *Ergo*, quia radices tam alte sunt actae. — *imbres* Wagn. interpretatur per torrentes ex imbribus collectos. — 294. Heyn. suadet nobis verba ita coniungere: *multosque nepotes* (hoc enim Heins. ex Med. et Vat. restituit pro reliquorum omnium lectione *multosque per annos*, quae Wagn. ex Geo. IV, 208. videtur fluxisse) *durando vincit*, h. e. vita superat, *multa virorum saecula volvens*, exigens; sed praestat haud dubie altera ratio, ab eodem Heyn. commemorata: *multos nepotes, multa virum saecula vincit durando volvens*, scil. ea saecula, i. e. alterum ex altero transigens. Cf. Aen. I, 13. et VI, 748. — *nepotes* pro posterorum stirpibus, ut supra v. 58. — *volvens*. Cf. Geo. II, 402. *volvitur annus*. Aen. I, 269. *volvendis mensibus* et IX, 7. *volvenda dies*. — *virum saecula*, quod non minus ad *volvens*, quam ad *vincit* pertinet, sunt hominum aetates. Cf. adnott. ad Geo. I, 468. Ceterum variavit Maro versus Lucretii I, 203. *Multaque vivendo vitalia volvere saecla*, et III, 961. *Omnia si pergas vivendo vincere saecla*. — 296. *Tum*. Both. Virg. Virg. p. 11. legi vult *Tam fortes*, quod arbor non tum demum fortes ramos habere dicenda sit, cum multos nepotes durando vicerit, h. e. cum annosa fuerit, immo, quo vetustior sit arbor, eo debiliores fieri eius ramos oporteat; quem fugisse videtur, eandem coniecturam iam a Vossio in contextum adeo receptam esse. Ladew. autem, cum aesculus uno eodemque tempore radices altius agat et ramos latius pandat, adeo transpositionem versuum, quam Peerlk. p. 143. suasit, ut v. 296. et 297. post v. 292. ponerentur, necessarium duxit, quod iure miratur Ribbeck. in Proleg. p. 54. Sed etiam vulgari versuum ordine servato non opus est, ut cum Wagn. in Qu. Virg. XXV. p. 501. hunc locum inter eos referamus, ubi *tum* in enumeratione et descriptione usurpetur; immo etiam hic tempus indicat (cf. adnott. ad Ecl. III, 10.) et in promptu est, arborem quo vetustiorem, eo maiorem fieri. Quid vero? nonne etiamnum arbores, quae iam per saecula duraverunt, fortibus ramis et ingenti frondis corona insignes conspicimus? — *pandens*, quod per se melius est, quam vulg. *tendens*, et quo vitatur iteratio eiusdem vocabuli post breve intervallum, etiam Peerlkampio l. l. suasore, cum Ribbeckio et Ladew. ex Codd. Gud. et Leid. recepimus. Cf. Aen. VI, 282. *ramos annosaque bracchia pandit*. Ceteri recentiores editores *tendens* servarunt. — 297. „*sustinet* pro vulgari *efficit, reddit;* sed ornate; nam simul ramorum magnitudinem, oneris notione adiecta, declarat. Sunt igitur duo, quae radicum altitudine efficiuntur, primum, quod ita arbor firma ac diuturna est, secundum, quod ita truncum habet satis validum ad ramos latissimos sustinendos." *Heyn.* Wagn. rectius voc. *sustinet* proprie intelligendum esse censet, Qu. Virg. IX. p. 413. *umbram* (hic et Geo. I, 191. II, 19. 489. IV, 511. Aen. II, 514. VIII, 276.

Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem,
Neve inter vites corylum sere, neve flagella
Summa pete aut summa defringe ex arbore plantas — 300

Ecl. D. 20. Aen. I, 165. X, 190.) de ipsis densioribus arborum frondibus umbram late facientibus explicans, quas nos coronas arborum vocemus. — *ipsa* opponitur *ramis;* nam per Pron. *ipse,* ut totum aliquid a parte, ita etiam pars potior a reliquis partibus distinguitur, quod docet Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 467. Cf. infra III, 387. IV, 274. 543. Aen. VII, 814 sqq. X, 226. XII, 303. — *ingentem umbram.* Vid. supra ad v. 19. Ceterum hos duos versus laudat Donat. ad Ter. Phorm. I, 2, 56. — 298. „De situ vinearum, de quo dissensus fuit inter veteres, Colum. III, 12, 5. -- *caeli, cuius regionem quam spectare debeant vineae, vetus est dissensio.* -- *Vergilio de industria occasum sic repudiante: Neve tibi ad s.* etc. Plin. XVII, [2,] 2. *Virgilius ad occasum seri damnavit.*" *Heyn.* Cf. idem Plin. XVII, 24, 37. Colum. III, 2, 21. Pallad. I, 6. II, 3. et Geop. V, 4. — De duplici *neve* s. *neu* poëtice pro *ne* - - *neu* usurpato (ut contra etiam duplex *ne* interdum pro *ne* - - *neu* ponitur: vid. Aen. XII, 72. ibique adnott.) cf. Geo. IV, 47. Aen. IX, 42. 91. Dissen. ad Tibull. I, 2, 37. Hand. Tursell. IV. p. 175. et quos laudat Obbar. in Exc. ad Hor. Ep. I, 11, 23. Fasc. V. p. 124. — 299. *Neve* - - *corylum sere,* quia viti alimenta aufert. (Cf. Plin. XVII, 24, 37. *Vitis* -- *odit et caulem et olus omne, odit et corylum; ni procul absint, tristis et aegra.*) Causa erat, quod corylorum radices longe lateque serpunt; Geop. vero IV, 1. et Theophr. III, 15. (a Voss. allati) inter vites non nisi arbores, quae minores radices agant, seri iubent. — *neve flagella* etc. Surculi non ex cacumine, quod siccius est, sed ex media parte vitium petendi sunt; quod praeceptum etiam de aliis arboribus valet. Cf. Plin. XVII, 14, 24. Colum. III, 10, 17. 18. et de arbor. c. 3. Schirach. p. 415. — *flagella* sunt extremi vitium ramuli. Cf. Varr. R. R. I, 31, 3. Colum. III, 6, 3. 21, 7. IV, 10, 2. Catull. LXII, 52. Gallis etiam nunc *flêches* vocantur. — *pete,* scil. quae plantes. Secundum Burm. *petendi* verbum hic significat „conatum stantis in terra attingendi summa flagella, ut Ecl. VIII, 40."; qua de re num vere cogitaverit poëta, in medio relinquamus. Wakef. pro *pete* temere coni. *mete.* — 300. *arbor* hic neque ipsa est vites, ut vulgo putant, neque arbor, quae maritata est viti, sed, ut Wagn. verissime docet, quaevis arbor frugifera, quae hic cum vite coniungitur, quia ex ea quoque media, non extrema, surculi petendi sunt. Non enim de solis vitibus, sed de insitione omnino hic agere poëtam, iam vv. 302 sqq. docent. Praeterea vero etiam conferendus est Plin. XVII, 14, 24., qui hoc ipsum Vergilii praeceptum respicit sic scribens: *Oleis circa medias succus: inde et surculi: cacumina sitiunt.* -- *Virgilius ex cacumine inseri vetat. Certumque est, ab humeris arborum orientem aestivum spectantibus surculos petendos.* — *defringe* est Med., Rom. et praestantiorum fere omnium Codd. lectio, quam, Cerdae iam et Burmanno probatam, cum Wagn. restituimus pro vulg. *destringe,* et quam recentiores editores omnes amplexi sunt. *Destringere* enim, i. e. auferre aliquid de superficie (nostrum *abstreifen:* vid. adnott. ad Geo. I, 317.), si de fructibus vel foliis (*ablauben*) ageretur, praeferendum esset, non vero ad surculos quadrat. Voss. quidem negat defringi surculos, qui potius resecentur; sed Wagn. docet, lectionem *defringe* defendi verbis Varr. R. R. I, 40. *et quae de arbore transferas, ut ea deplantes potius, quam defringas;* ubi illud leniorem, hoc paullo violentiorem surculi petendi modum significet, neutrum vero notionem ferro abscindendi proprie adiunctam habeat; Vergilium autem *defringendi* vocabulo eo magis hic uti potuisse, cum tantum de loco, unde auferendus sit surculus, praecipiat, neque iubeat, sed vetet rusticum aliquid facere, scil. *defringere plantas e summo arbore;* ut commode uti potuerit eo verbo, quod (secundum Varronem) rem sinistre factam indicaret. Haec mihi verissima videntur; quare Wakefieldi sententiam, qui ad Lucr. V, 1064. *defringe* pro mero glossatoris interpretamento habet, reiiciendam esse puto. Dixit etiam de h. l. Victorius ad Varr. R. R. I, 40. Nihilominus Peerlk. p. 378. pro *aut summa defringe* coni. *ast ima*

Tantus amor terrae — neu ferro laede retunso
Semina, neve olea silvestris insere truncos:
Nam saepe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui furtim pingui primum sub cortice tectus
Robora conprendit frondesque elapsus in altas
Ingentem caelo sonitum dedit; inde secutus
Per ramos victor perque alta cacumina regnat
Et totum involvit flammis nemus et ruit atram

---

destringe. — 301. „*tantus amor terrae*, tam magna, notabili aliqua consuetudine telluris tenentur illae inferiores partes, ut laetiorem ubertatem ab iis, quam ex summis partibus, exspectare possis." *Heyn.* — 301. 302. *neu ferro laede* etc. De hoc praecepto, quod non de solis vitibus, sed de omnibus arboribus, unde surculi petuntur, intelligendum, vid. Colum. IV, 24, 21. 22. — *neu - neve.* Cf. not. ad v. 37. *retunso* ex auctoritate Cod. Med. (quocum Rom. videtur consentire) cum recentissimis editoribus scripsimus pro vulg. *retuso.* Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 457. et Ribbeck. Proleg. p. 148. et 435. et supra ad I, 262. adnott. — 302. *semina* sunt surculi, ut v. 268. et infra v. 317. — *neve olea s. insere truncos* per inversionem illam poëticam, de qua egimus ad Geo. I, 430., dictum pro: noli oleae surculos oleastris inserere; eiusmodi enim arboretum facile incendio absumitur, et tum oleae rursus degenerant in oleastros. — *olea* enim cum Wagn. restituimus pro vulg. *oleae*, quod (sane a Pal., Rom., Gud., duobus Bern. et Servio exhibitum) ortum videtur ex lectione Medic. *oleas*, in qua litera *s* e proximo voc. *silvestris* adhaesit. Tuetur autem receptam lectionem Palladii auctoritas, V, 2., haud dubie haec ipsa Vergilii verba respicientis: *Nunc locis temperatis oliva inseratur. - - Sed ut oleastro inseras, contra illud, quod ex oliveto insito et casu incenso renascitur oleaster infelix, sic providendum est.* — *insere* igitur proprie et de vera insitione intelligendum, non pro *intersere* positum est, ut Heyn. (cui Bryce et Conington adsentiuntur) censet, qui, de vitibus haec omnia intelligens, coll. Theophr h. pl. V, 10. hoc propterea vetari putat, quod oleaster, spissa et pinguis arbor, facile ignem concipiat et incendio late sparso totam vineam vastet. Ut enim Coningtoni concedam, hoc praeceptum de olea oleastro non inserenda minus apte interponi loco de vitibus agenti, cum infra demum v. 420. auctor ad oleae culturam transeat, et Heynianam vulg. lectionis explicationem bene respondere versui 299., quaero tamen, quomodo eam vv. 312—314. adaptare velit? quos non nisi contorte de vitibus inter oleastros ad interitum vocatis explicari posse quisque videt; et nonne etiam in sequentibus leguntur, quae si rem ad vivum resecare volumus, a vitium cultura aliena sunt censenda? Quare probo, ceteros recentiores editores servasse Wagneri Ablativum *olea;* si tamen Ribbeck. nescit, „an *oleae* ita possit defendi, ut Genitivus habeatur, suppleatur autem Ablativus *oliva*", hoc mihi paullo artificiosius videtur. De duplici autem verbi *inserendi* constructione iam supra ad v. 69. disseruimus. — *pastoribus*, per lata illa vineti intervalla (cf. adnott. ad v. 277.) greges pascentibus. — *excidit ignis*, quo utuntur ad cibos coquendos, vel etiam ad artus frigidiore iam anni tempore calefaciendos. — 305. *Robora*, solidum oleae truncum. Vid. supra v. 64. — 306. Cf. similis locus Aen. V, 662 sqq. *caelo*, i. q. v. 309. *ad caelum.* Cf. adnott. ad Ecl. II, 30. — *secutus*, progressus, latius serpens. Conington comparat *flammas sequaces* Aen. VIII, 432. — 307. *victor*, ignis, cui rami non possunt resistere Cf. Sil. IV, 683. *Inmissis crepitat victor Vulcanus* (i. e. ignis) *habenis.* — *regnat*, saeviens dominatur. Cf. Lucr. V, 396. *humor regnavit in arvis.* Ovid. Met. VII, 829. *ardor edendi Per avidas fauces inmensaque viscera regnat.* Grat. Cyneg. 463. *regnantem excutiens morbum* etc. — 308. *nemus* non vinetum, ut Heyn. putat, sed olivetum indicare, iam supra demonstravimus. Cf. supra v. 181. *Palladia silva olivae.* — „*ruit*, agit, emittit, eiectat. Cf. Silius V, 510—514. ex nostro loco expressus; Aen. X, 504 sq. Hom. Il. XI,

Ad caelum picea crassus caligine nubem,
Praesertim si tempestas a vertice silvis
Incubuit glomeratque ferens incendia ventus.
Hoc ubi, non a stirpe valent caesaeque reverti
Possunt atque ima similes revirescere terra;
Infelix superat foliis oleaster amaris.
Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor

---

155 sqq. XX, 490 sqq." *Heyn.* — 309. *crassus caligine* Wagn. interpretatur per: crassum agens fumum, coll. Aen. IV, 384. VIII, 198., ubi *atri ignes* eadem ratione intelligendi sint. — 310. „*a vertice* poëtica copia et ornatu adiectum, h. desuper, ab alto, *εἰ δέ κε νηὶ Ὑψόθεν ἐμπλήξῃ δεινὴ ἀνέμοιο θύελλα*, Arat. Phaenom. v. 423. Sic fere Aen. I, 114. *ingens a vertice pontus In puppim ferit* ex Hom. Odyss. V, 313. *ἔλασεν μέγα κῦμα κατ' ἄκρης, ex alto* Geo. I, 324. et al. Et sic *descendunt* venti." *Heyn.* Ita plerique interpretes, etiam Victor. Var. Lect. XIX, 8., h. l. recte intelligunt, ut *a vertice* idem sit, quod Aen. II, 290. et 603. *a culmine.* Burm. autem, cum hic agatur de flamma, quae ab imo trunco sub cortice per pastoris incuriam coeperit, et deinde elapsa in ramos per cacumina regnet, *a vertice* explicat „a tergo, i. e. a campo puro et vacuo, unde incipit silva;" coll. Aen. I, 114., ubi *a vertice* pariter „a tergo" significet. Sed illum quoque locum Burm. male explicat, nec, quomodo umquam vox *verticis* hoc indicare possit, perspicio. Non cogitavit vir doct., incendium iam ortum vento desuper ingruente vehementer augeri et latius diffundi. Voss. explicat: a septemtrionali vertice montis, in quo vinea est instituta; quae tamen ratio et ipsa paullo artificiosior censenda. — 311. Cf. Hom. Il. XI, 156. et XX, 192. *ferens*, proferens, longe lateque spargens, diffundens, *glomerat incendia*, (qui Accus. non minus a Part. *ferens*, quam a verbo *glomerat* pendet) longius volvendo auget, facit, ut correptis deinceps singulis arboribus unum ingens incendium fiat. Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 323. Burm. verba *glomerat ferens* comparat cum Geo. III, 412. *turbat agens.* Unus Moret. a m. sec. *furens*, quae varietas redit Aen. III, 473. Cf. Oudend. ad Lucan. V, 419. — V. 312 sqq. Heyn. ita interpretatur: „Quod si acciderit (*Hoc ubi*), vites quidem revirescere nequerunt, dum interea oleastri novas frondes agunt, solique totam denique vineam obtinent;" quam rationem minime probandam esse, iam supra vidimus. Ceterum haud scio an omnis locus, Wakef. ad Lucr. IV, 662. suasore, melius ita distinguatur: *Hoc, ubi non a stirpe valent, caesaeque — terra, Infelix*, i. e.: Hac de causa, ubi non a stirpe valent eiusmodi arbores, quae non totae sunt oleae, sed trunci oleastrorum, insiti modo oleae, neque per radices ex ima terra revirescere possunt, solus oleaster superabit. *Hoc* enim, pro *propter hoc, hac de causa* positum, (ut infra v. 425., ap. Hor. Sat. I, 687. *at hoc nunc Laus illi debetur* al.) Lucretio potissimum satis usitatum sequente Coniunctione *ubi* (IV, 361. 555. 624. 660. 773. 1086. V, 805. etc.). Cf. etiam Heind. ad Hor. Sat. I, 1, 45. Ruddim. II. p. 355. not. Hand. Turs. III. p. 93. et infra ad v. 425. — *a* (*stirpe*), *von Seiten; si* ipsa stirps invalida est; quare Wagn. Qu. Virg. I, 1. distinguendum putat inter h. l. et reliquos, ubi *ab stirpe* legitur (Geo. I, 171. Aen. I, 626. VII, 99. VIII, 130. IX, 603.), i. e. cum ipsa stirpe, a stirpe, radice, usque ad summum. — *caesaeque.* Heyn. desiderat *caesaeve.* Sed vide adnott. ad Geo. I, 442. et Wagn. Qu. Virg. XXXVI. p. 577. — 314. *infelix*, infecundus. Cf. adnott. ad Ecl. V, 37. — *superat* non solum significat „superest incendii calamitati," ut Heyn. interpretatur, de qua vocis signif. dictum ad Ecl. IX, 27.; sed, ut ex additis verbis *foliis amaris* patet, inest etiam notio ferae naturae insitione generosiorem redditam opprimentis et perdentis. — 315. 316. „De tempore serendarum vitium v. Colum. III, 14. et XI, 2, 22. 26. 79. adde Geopon. V, 6. Primum sationem vitis non borea flante esse faciendam, vid. Plin. XVII, 22, 35. §. 8. XVIII, 34, 77. §. 1. [adde Cat. 28. Colum. III, 19. V, 6. Pallad. III, 9. Geopon. X, 75. et Theophr. III, 5. a Voss. allatos]; tum 319. illam vere et auctumno cu-

Tellurem Borea rigidam spirante movere.
Rura gelu tum claudit hiemps; nec semine iacto
Concretum patitur radicem adfigere terrae.
Optuma vinetis satio, cum vere rubenti

---

randam praecipit. Inter haec in laudes veris excurrit." *Heyn. Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat*, i. e. Nec quisquam tam prudens habeatur, ut tibi persuadeat. Cf. sup. ad Geo. I, 456. — *auctor*, qui suadet aliquid; nil amplius. — *Borea spirante*. „Est praeceptum veterum, gelido vento non esse serendas vites, sed austro spirante; videtur ergo *boreas* cum iudicio memoratus esse: aquilone non flante. — *Movetur tellus* aratro, rastris, ligone, sarculo: etiam cum scrobes fiunt; at h. l. cum scrobes iam facti sint: vs. 258., dum illi in superficie sua refodiuntur." *Heyn.* — Pro vulg. *moveri*, quod Heins. recepit ex duobus Codd. (Rom. et Mentel. pr., quibus Ribbeck. addit Palat.) atque Nonio p. 380, 21., cum Wagn. restitui reliquorum omnium librorum lectionem *movere*. Nam *persuadere* cum Infin. Passivi de eo tantum dicitur, quod credere iubemur, idque ab h. l. alienum; Nonii vero auctoritas, hunc versum non una cum praecedente laudantis, Wagnero iudice plane nulla est. Ceterum cf. Geo. I, 123. et 130. Nihilominus Ribbeck., offendens in *χακοφωνίᾳ* (?) *spirante movere*, vulgarem lectionem restituit, quam inter recentiores editores unum Bryceum servasse video. — 317. *tum*. Codd. Med. et Rom. *tunc*, quod cum emphasi aliqua ab hoc loco aliena dictum esset: (illo ipso tempore, *in der Zeit gerade*). Vid. adnott. ad Ecl. III, 10. — *claudit hiemps* (sic enim Codd. Med., Vat., Rom. auctoritate cum Ribbeck. et Wagn. nunc scripsimus: cf. Wagn. Orth. Verg. p. 442. et 461.), adstringendo facit, ut rura nihil proferant. Similiter Ovid. Met. II, 828. *Sic letalis hiems paulatim in pectora venit, Vitalesque vias et respiramina clausit* et Petron. ap. Wernsd. Poët. L. min. III, 44, 146. *hunc nive dura Claudit hiems*. Ut hiems *claudit rura*, ita contra ver *laxat* (vid. infra v. 331.), *remittit* (Tibull. III, 5, 4.), *solvit* (Hor. Od. I, 4, 1.). Vid. ad Geo. I, 44. adscripta. — *semine iacto*, surculis positis, ut v. 268., ubi vid. adnott. et 302. Sic etiam v. 319. *satio*. Cf. etiam Arat. 9. *σπέρματα πάντα βαλέσθαι*. — 318. Vulgo *concretam*, quod Heyn. active positum capit pro: quae concrescit, dum adfigitur, coll. Claud. XXVIII, 77. (*Hinc tibi concreta radice tenacius haesit Et penitus totis inolevit Roma medullis,*) et *adfigere* poëtice pro *adfigere se* dictum esse putat (de quo usu cf. adnott. ad Geo. I, 133. 163. Aen. I, 234.). Sed hanc rationem paullo duriorem esse, quisque videt. Quare satis opportune se offert Med. a m. pr. lectio *concretum*, quae duplici modo potest explicari, aut ut cum Vossio et Wunderl. pro Substantivo habeatur (quod legitur etiam apud Plin. XII, 16, 35. *in concretu albicantis succi*), hoc sensu: nec patitur radicem adfigere terrae *concretum*, i. e. concretionem suam, quod Lucretiano loquendi more dictum esset, qui IV, 1235. de tenui hominis semine dicit: *locis quia non potis est adfigere adhaesum;* aut ut pro Adiectivo accipiatur ad *gelu* relato, unde haec sententia prodiret Vergilianae elegantiae magis conveniens: gelu concretum non patitur, ut semen iactum radicem adfigat terrae, utpote concretae; quam rationem nuper Hildebrand. commendavit in Iahnii Novis Annal. XXVI, 1. p. 168. et ad Appul. Met. T. I. p. 455. Quare hanc lectionem iam prius a nobis commendatam nunc cum Ribbeckio restituere non amplius dubitavimus, quamquam ceteri recentiores editores vulgarem retinent. [Vulgatam, si retinenda esset, ita accipiendam censui, ut *radix gelu concreta*, constricta (cf. infra v. 376. III, 360. etc.) intelligatur, hoc sensu: hiems surculi radicem, quae terrae congelatae credita ipsa statim gelu concrescit, terrae adfigi non patitur. Nam *concretam adfigere* vulgari ratione explicatum (concrescere cum terra eique adfigi) languidus videtur pleonasmus.] — 319. De re ipsa vid. Colum. III, 14. et Pallad. III, 9. coll. cum Theophr. III, 3, 4. Geop. V, 6. et Plin. XVII, 22, 35. §. 8., quos Voss. laudat. — *vere rubenti*, floribus variorum colorum pulchritudine insignibus splendido, ut alibi poëtis *purpureum*, pulchrum, dicitur. Cf. adnott. ad Ecl. IX, 40. Sic Geo. IV, 306. *novis rubent prata coloribus*.

Candida venit avis longis invisa colubris,
Prima vel autumni sub frigora, cum rapidus Sol
Nondum hiemem contingit equis, iam praeterit aestas.
Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis;
Vere tument terrae et genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether
Coniugis in gremium laetae descendit et omnes
Magnus alit magno conmixtus corpore fetus.

Cf. etiam infra v. 430. *Sanguineisque inculta rubent aviaria bacis.* — V. **320**. de ciconia intelligendus serpentibus inimicissima, quibus avidissime pascitur. Cf. Plin. X, 23, 32. et Interpp. ad Iuven XIV, 74. *serpente ciconia pullos Nutrit et inventa per devia rura lacerta.* Isidor. XII, 7. *Ciconiae veris nuntiae, societatis comites, serpentium hostes.* — **321**. *prima autumni sub frigora*, i. e. mense Octobri exeunte: hiems enim a d. IX. m. Novembris incipiebat. Quare etiam Colum. III, 14, 1. aut vere, aut, si auctumno, a medio Octobri usque ad Decembrem vites seri iubet. — *rapidus Sol.* Cf. Ecl. II, 10. *rapidus aestus* ibique adnott. — **322**. *hiemem*, sidera, quae sol hiemis tempore intrat. Heyn. cum hoc versu comparat supra Geo. I, 312. *ubi iam breviorque dies et mollior aestas.* Wakef. pro *aestas* e coni. edidit *aestus.* — **323**. Ver non modo vitibus, sed omnibus omnino arboribus ferendis idoneum est tempus. — *adeo*, magis quam cetera anni tempora. Haud raro enim haec Particula in componendis pluribus rebus id significat, quod maius est ceteris vel omnium maximum. Cf. Hand. Tursell. I. p. 149 sq. Wagner., qui Qu. Virg. XXVI. *adeo* hic nihil aliud significare censuerat, quam quod supra Geo. I, 24., in edit. min. Particulam rectius ad vim veris ab auctumno distinguendam putat adiectam, et per *γε, namentlich, besonders* explicat. — Per *nemora, silvis* (i. e. arboribus sua sponte et sine cultu crescentibus) opposita, arbusta intelligenda. Cf. supra ad v. 26. et 87. Peerlk. p. 144. versum sic distingui iubet: *Ver adeo frondi, nemorum ver utile silvae*, ut *silvae nemorum* sint silvae, quae faciant nemora; quod probare non possum. — **324**. „Ἡ ὥρα γονιμωτάτη, Theophr. caus. pl. III, 4. Pulcherrimus versus, ut totus locus, quem imitatione expressum v. ap. Columellam X, 197 sqq. *Terrae tument, ὀργῶσι*, quod et ipsum a pubertate, ubi pectus et mammae turgent, cum ad tellurem tum ad fruges novas lacte ac succo turgentes transfertur." *Heyn.* — *terrae poscunt semina*, quia sationis tempus adest. Voc. *poscendi* poëtae haud raro utuntur de rebus, quae ex naturae legibus certo ordine certisque temporibus fiant nescesse est. Cf. Ovid. Met. I, 138. *segetes alimentaque debita dives Poscebatur humus.* id. Fast. II, 791. *poscunt sua tempora somni.* Plin. XVII, 22, 35. §. 8. *Siccus ager auctumno poscit seri.* Cort. ad Lucan. IV, 372. et Bach. ad Ovid. Met. II, 144. — *genitalia*, ex quibus procreantur fruges. Vid. etiam Wakef. ad Lucr. III, 721. et Ovid. Met. I, 416 sqq. — **325**. „Aetheris connubium cum Terra imbre fecundante agros. -- Aether seu superior aër Iovis nomine insignebatur. Expressit vero poëta proxime Lucret. I, 251 sq. et II, 991 sq. Cf. supra Ecl. VII, 60. [ubi vid. adnott.] Geo. I, 324. Hor. Epod. XIII, 1. Aeschyli et Eurip. locos apud Athen. XIII. p. 600. [Eurip. fr. inc. 890. Aesch. Danaid. fr. 43.] et Wernsdorf. in Poët. min. T. III. p. 536 sqq." *Heyn.* Quare Tertull. Apol. 10. *Quis enim non caelum et terram matrem ac patrem venerationis et honoris gratia appellet?* Cf. praeterea Aristot. de gener. animal. I, 2. Stat. Silv. I, 1, 185. Arnob. V, 32. 34. 35. et loci ad v. 326. laudati cum Cerda ad h. l. et Columna ad Ennium p. 180 sqq. ed. Hessel. Ex quibus locis (ut ex Lucr. IV, 183. *aetheria nubes*, Ovid. Fast. I, 682. *aetheria aqua* etc.) etiam patet, errare eos, qui aethera non nisi vacuam nubibus regionem designare putent. Cf. Dissen. ad Tibull. I, 7, 15. — **326**. Cf. Colum. X, 206. (qui v. 197 sqq. totum hunc locum male imitatus est) *Inque sinum matris violento depluit imbre* et Pervig. Veneris locum ad v. 327. laud. — **327**. *alit fetus* pro gignit, procreat, quod hic exspectamus, positum offendit, cum fetus alere potius matris sit,

Avia tum resonant avibus virgulta canoris
Et Venerem certis repetunt armenta diebus;
Parturit almus ager Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus; superat tener omnibus humor;
Inque novos soles audent se germina tuto
Credere, nec metuit surgentis pampinus Austros
Aut actum caelo magnis Aquilonibus imbrem,

---

quam patris; quare non despiciendam puto Peerlkampii (p. 145.) coniecturam *agit*, cui vir doct. hanc adiecit explicationem: „Proprie mater pariens agit fetus, fetus in lucem edit. Nunc pater agit, qui matre impleta auctor est, ut ea possit agere, quod exquisite expressum, ipse agit. Sic Geo. II, 130. pomum *agit atra venena*, i. e. expellit, exigit." — „*magnum corpus* Terrae intelligendum, ut Aen. VI, 727. de hoc universo. Expressit ex h. l. veteris poëtae versus in Pervigilio Veneris 61. 62.: *In sinum maritus imber fluxit almae coniugis, Unde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.*" *Heyn.* Solent autem poëtae idem Adiectivum in eadem enuntiatione vario Casu positum cum vi quadam iterare. Cf. v. c. supra Geo. I, 190. Lucr. I, 752. *Et graviter magnei magno accidere ibi casu.* Ovid. Met. III, 60. *et magnum magno conamine misit.* Ita etiam Aen. X, 842. *ingentem atque ingenti vulnere victum.* Praeiverat iam Hom. Il. XVIII, 26. *μέγας μεγαλωστὶ ταννσθείς.* Cf. etiam quae ad Ecl. VIII, 63. adnotavimus. — **328.** Cf. Lucr. I, 10 sqq. *Avia virgulta.* Wakef. ad Lucr. II, 596. temere coni. „*Laevia*, i. e. tenuia, mollia, flexilia." — **329.** *certis diebus*, et boves quidem, secundum Voss. inter aequinoctium vernum et diem longissimum, equi mensibus Aprili, Maio, Iunio. — **330.** *Parturit ager.* Vid. Ecl. III, 56. Supra v. 5. legimus *gravidus autumno Floret ager.* Memor est huius loci poëta in Wernsd. Poët. Lat. min. III, 268, 1. *Zephyris moventibus orbem Iam tepet Eurus. - - Parturit omnis ager* etc. — *almus.* Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 17. et supra ad v. 233. — **331.** *arva*, quae frigore adstricta erant, *laxant sinus* (vid. supra ad v. 317.) *Zephyri auris.* Vid. not. ad simillimum locum Geo. I, 43. — *superat humor*, abundat, sacro illo connubio aetheris et telluris huic instillatus. Terra admodum est humida. *Superare* pro abunde esse legitur etiam Geo. I, 189. Cic. Or. II, 19. Sall. Cat. 20, 11. Iug. 68, [64,] 1. (ad quos locos cf. Kritz. et Dietsch.) Liv. III, 17, 4. Tibull. IV, 1, 28. Ovid. Met. VII, 510. (ubi vid. Bach.), etc. imprimis autem cf. locus simillimus Lucr. V, 804. *Multus enim calor atque humor superabit in arvis.* Vid. etiam Nonius Marc. IV, 414. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 2, 102. et quae infra ad Geo. III, 63. adnotavimus. Eadem significatione etiam *superesse* legitur. Cf. Gellius I, 22. et Passov. ad Tac. Germ. 6. p. 92. — *tener humor.* Cf. Lucr. I, 809. *et nisi nos cibus aridus et tener humor Adiuvet* etc. — **332.** Lectionem *germina*, quae nititur Celsi apud Philargyr. et codd. Reg. et Fabricii auctoritate, receperunt editores inde a Burm., quoniam de arborum fetu sermo est. Vulgo *gramina*, quod Wakef., coll. Ovid. Fast. IV, 127. Manil. III, 653. etc., defendit atque etiam Conington rursus in contextum recepit, coll. Hor. Od. IV, 7, 1. De utroque autem verbo saepe permutato cf. Heins. ad Claud. Cons. Stilich. II, 465. p. 522. Cort. ad Lucan. VI, 81. Burm. ad Quinctil. V, 8. p. 388. ad Calpurn. II, 32. V, 19. ad Propert. IV, 2, 25. ad Anth. Lat. III, 51, 11. p. 490. Schrader. Ep. crit. p. LVIII. Anth. Lat. T. II. et Unger de Valg. Ruf. p. 385. Haec *germina in soles* (soli) *audent se credere*, quia in solem, in lumen prodeunt. *Novi* autem dicuntur *soles*, quia germina primum attingunt lumen. Cf. Ecl. VIII, 29. ibique adnott. Schirach p. 448. male confert Geo. III, 551., ubi vid. adnott. Heyn. comparat Lucret. V, 779. *novo fetu quid primum in luminis oras Tollere et incertis tentarit credere ventis*, quem Vergilius ante oculos habuit, et Senec. Herc. fur. 147. (luscinia) *Pennas novo tradere soli Gestit*, qui hunc ipsum Maronis locum imitatus est. — **333.** *nec metuit Austros*, qui illo anni tempore flare non solent, quod non minus valet de *Aquilonibus.* Cf. potius supra v. 330. et infra v. 339. — **334.** *magnis Aquilo-*

Sed trudit gemmas et frondis explicat omnis.
Non alios prima crescentis origine mundi
Inluxisse dies aliumve habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis et hibernis parcebant flatibus Euri;
Cum primae lucem pecudes hausere virumque
Terrea progenies duris caput extulit arvis,
Inmissaeque ferae silvis et sidera caelo.

---

nibus, vehementibus, procellosis. Sic *magnus* de ventis legitur etiam ap. Val. Fl. II, 665. Petron. Bell. Civ. 231. alios. — **336**. „Observes, quanto cum ornatu philosophicam sententiam [cf. Lactant. de orig. err. II, 11.], sc. mundi natales in vernum tempus incidisse, exponat. Vulgatior est altera opinio, sed cum illa coniuncta, prima mundi aetate perpetuum ver affulsisse; unde nasci debuit phantasma paradisi, aetatis aureae, et alia similia." *Heyn.* — *crescentis mundi*, pro vulgari nascentis, quod Bentl. ad Manil. II, 428. hic legendum coniecit. — **337**. Non aliam rerum conditionem, aliud tum anni tempus fuisse putem, cum mundus creabatur. De voce *tenoris*, quae hic continuam et aequabilem tempestatem significat, vid. adnott. ad Aen. X, 340. — **338**. *ver illud erat*. Similiter Aen. III, 173. *Nec sopor illud erat*, ubi vid. adnott. — *orbis agebat ver*, ut *agere festum* dicimus. Burm. comparat Ovid. Met. III, 327. *septem egerat auctumnos*. Dicit igitur poëta: per totum orbem terrarum ver erat; nihil amplius. — **339**. *parcebant flatibus Euri*, non flabant. Vid. adnott. ad Ecl. III, 94. et Aen. I, 257. Voss. memorat, Horatium quoque Epod. XVI, 54. de beatorum, quam fingit, insula canere: *Pluraque felices mirabimur: ut neque largis Aquosus Eurus arva radat imbribus;* de Euro autem, Graecis non minus quam Romanis odioso, epistolas myth. I, 35. conferri iubet. Vide etiam librum meum geogr. I. p. 611. et supra ad I, 371. adnott. — **340**. *Cum primae* pro *Cum primum* vel *primam* (lucem). Cf. adnott. ad Geo. I, 12. Quare non opus est Wakef. coniectura ad Lucr. II, 1038. prolata: *Cum primum*. — *lucem pecudes hausere*. Lux enim *liquida* (cf. Ecl. VI, 33.); quam propterea Lucr. IV, 203. *caelum rigare* dicit, ad quem l. Wakef. comparat simillimum nostro locum Anth. Lat. Burm. III, 120, 5. *Ipsa dies ideo nos grato perluit haustu*, i. e. sol nos irrigat ea luce, quam haurimus, bibimus. Cf. etiam adnott. ad Aen. X, 899. et IV, 359. Ceterum Ribbeck. cum Palat. scripsit *haussere*. Cf. eius Proleg. p. 445. (et Wagn. Orth. Verg. p. 468 sq.) — **341**. Post animalia homines quoque a terra nati. (Cf. adnott. ad Geo. I, 63. et Lucr. V, 789 sqq. atque locum parallelum Ecl. VI, 37 sqq.) Quare cum Voss., Iahn. et Wagn. (quos etiam Ladew., Haupt. et Ribbeck. sequuntur) recepi lectionem *Terrea progenies*, quam praeter Medic. (a m. sec.) et unum Pottierii Cod. tuetur Lactantii Inst. II, 10. auctoritas et Philargyrii scholion: „Quia creditum est primos homines e terra natos, a qua humo homines existimabat dictos," quamque etiam Bentl. ad Hor. Epod. II, 18. vulgatae *ferrea*, (quae sane etiam in Anth. Lat. Burm. I, 178, 229. invenitur, ubi hic versus iteratur, et propter plurimorum Codd. auctoritatem a Bryceo et Coningtone servatur), praefert. Ipsi autem Adiectivo *terreus*, de cuius usu dubitavit Heyn., auctoritatem conciliant Oudend. ad Frontin. VI, 1, 31. idemque ad Suet. Calig. 19. et Tzschuck. ad Pomp. Mel. I, 9, 4. Legitur etiam apud Varr. L. L. IV, 8. (*murus terreus*), ap. eund. R. R. I, 14, 2. (*terreus agger*), et Caes. B. G. I, 43. (*tumulus terreus*), quibus tamen locis omnibus ipsa materia, qua res constant, eo indicatur. Est igitur *Terrea progenies* Lucretii (V, 1410.) *genus terrigenarum*. Heyn. vulgarem lectionem *Ferrea prog.* ita explicat, ut simpliciter „durum genus, propter labores et aerumnas tolerandas" significare censeat. Peerlk. autem p. 147. coni. *Aurea progenies*, quod epitheton recens natis hominibus melius convenire, quam vulg. *ferrea*, iam Oudendorp. ad Front. Strat. IV, 1. animadverterit. — *duris arvis*, nondum cultu mitigatis. — **342**. *sidera* non solum philosophis quibusdam Graecorum, sed etiam vulgo superstitioso naturae animatae adeoque divinae

Nec res hunc tenerae possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusque caloremque
Inter, et exciperet caeli indulgentia terras. 345
Quod superest, quaecumque premes virgulta per agros,

---

habebantur, quae propterea non mirum est hic hominibus ferisque creatis adiungi. Cf. etiam Geo. I, 32. IV, 226. Ovid. Met. I, 69 sqq. Fast. III, 111 sqq., a Voss. laudati. — **343.** „Aut omnino ad veris naturam almam haec referimus, aut ad originem mundi inde a v. 336., ut *possent* dictum sit pro potuissent, et sic porro." *Heyn.* Sic etiam Voss.; sed recte docet Iahn., hunc versum et duos seqq. non cum v. 336—342., sed cum praecedentibus iungendos esse, ut sensus sit: Nec *res tenerae*, i. e. nova sata et germina, *hunc perferre laborem*, quem et hiemis et aestus vis parat, i. e. durare et crescere possent, nisi vernum tempus aestatem et hiemem intercederet. Causam igitur continet hic locus, cur *ver* a natura sit institutum. *Possent* autem minime pro *potuissent* positum (qua de re vid. adnott. ad Aen. III, 187.), immo sententia haec est: etiam *nunc* nova sata, novae frondes hunc laborem non possent perferre, nisi ver intercederet. Imitatur autem poëta et hic Lucretium I, 179 sq. *et vivida tellus Tuto res teneras effert in luminis oras*, ubi cf. Wakef. Vid. etiam Tibull. I, 7, 30. *Et teneram ferro sollicitavit humum*, ibique Dissen. et adnott. ad Ecl. VI, 34. — *perferre laborem.* Heins. tuetur Cod. Med. a m. pr. lectionem *sufferre*, coll. Aen. II, 492. Plaut. Poen. IV, 2, 32. aliisque locis. Petita autem haec ex Lucr. V, 1213 sqq. *Tentat dubiam mentem rationis egestas - - ecquae sit finis* (mundi), *quoad moenia mundi - - hunc possint ferre laborem*; unde etiam patet, quomodo hic locus intelligendus sit. *Labor* hic et infra v. 372. omnes vicissitudines et aerumnas indicat, quibus vita plantarum per vim frigoris aestusque et alia incommoda est opposita. (Cf. infra v. 372.) Poëtas enim de rebus inanimatis ut de animatis loqui, res notissima. Vid. supra v. 215. — **344.** *quies*, temporis s. veris moderata s. ipsum ver, in quo quies, securitas est a frigore pariter atque ab aestu. — *iret*, esset, vel potius duraret; iterat enim hoc verbum notionem voc. *tenoris* v. 337. — *caloremque.* Copulam *que* haud raro versum hypermetrum efficere, satis notum. Cf. infra v. 445. III, 242. Aen. I, 332. II, 745. IV, 558. V, 753. IX, 650. X, 895. cett. et quae ad Geo. I, 295. et supra ad v. 69. adnotavimus. Nescio igitur, quo iure Ribbeck. in Proleg. p. 30. et 211. contendat, Codd. Med. et Rom. una cum Nonio p. 200, 3. hic repraesentare recentioris correctoris manum, veramque lectionem esse *calorque*, quam Palat. exhibeat et Philarg. tueatur, ut *calor* sit Subst. Neutr. generis, quemadmodum ap. Plaut. Merc. V, 2, 19. — **345.** „*Excipiunt sese invicem* res, quae sibi succedunt [cf. Lucr. V, 833. (829.)]; tum etiam res, casus, qui exsistunt, emergunt, *excipere nos* dicuntur, ut illo: *aliud bellum eum excepit.* Ita videtur h. l. dictum. Alioqui ex eo, quod *excipere* benigne aliquem tractare, fovere designat, petitum videri possit, ut Caelum excipere dicatur Terram." *Heyn.* Hanc alteram interpretationem cum Schirach. p. 402. et Wunderl. ego sequor. Voss. (cui Conington adsentitur coll. Iuven. VII, 197.), simili ratione ita explicat, ac si caelum terras ut puerum recens natum exciperet, vel potius excepisset. Wagn. autem in edit. min. haec adnotat: „*excipit* me aliquid, i. e. accidit, contingit mihi aliquid diversum ab illo, quod ante fuit. Cf. Aen. III, 318." Burm. ad coniecturas adeo confugit, vel *Exciperet - - ventos*, vel *Adspiceret - - - terras* legi posse memorans. — *indulgentia* pro clementia, temperie caeli, quae secuta est frigoris calorisque molestiam. Heyn. comparat Gratii Cyneg. 295. *Dum tepida indulget terris clementia mundi.* Ita *primi clementia solis* ap. Calpurn. Ecl. VIII, 8., *clementia diei* ap. Colum. IX, 13, 4. etc. Ceterum Ribbeck. in Proleg. p. 39 sq. hos tres versus, 343—345., qui fortasse rectius post v. 335. ponantur, a Vergilio curis secundis adiectos esse suspicatur. — **346—353.** De cura surculorum positorum agitur. — **346.** *Quod superest* Lucretiana transeundi formula (I, 44. 920. II, 39. 183. 491. 547. III, 351. V, 770. etc.), quae apud Verg. redit infra IV, 51. Aen. V, 796. IX, 157. Cf. etiam Aen. V, 691. et XI, 15.

Sparge fimo, pingui et multa memor occule terra,
Aut lapidem bibulum aut squalentis infode conchas;
Inter enim labentur aquae tenuisque subibit
Halitus, atque animos tollent sata; iamque reperti,
Qui saxo super atque ingentis pondere testae
Urguerent; hoc effusos munimen ad imbris,
Hoc, ubi hiulca siti findit canis aestifer arva.

— „*virgulta*, sarmenta intelligo, seu surculos vitium cuiusvis generis, sive propagines. — *premere* poëta de omni plantatione recte dicere potest, cum surculus in scrobe ponitur [pastino], defigitur, infoditur. Cf. Colum. III, 15, 4. et infra IV, 131." *Heyn.* Idem est infra IV, 115. *figere*, et apud Colum. de arb. 3. *defigere*. — *per agros* est de vineis accipiendum, de quibus *serere*, *semina*, *seges* et similia saepe usurpantur poëtis. Cf. adnott. ad Geo. II, 267. — **347.** *Sparge fimo.* Cf. Plin. XVII. 22, 35. §. 7. Colum. III, 15. Pallad. III, 9. a Voss. laudati. — *memor.* Vid. adnott. ad Geo. I, 167. — **348.** Etiam conchae et lapides infodiebantur, ut radicibus spiramenta praeberent et aquam ad eas admitterent. Vid. Colum. l. l. et Theophr. Caus. Plant. III, 5. et 7., quem sine dubio poëta ante oculos habuit. Geopon. V, 9. et Pallad. II, 13. — *lapidem bibulum*, pumicem aut sabulosum. Cf. adnott. ad Geo. I, 114. — „*squalentes conchas*, mucosa aliqua saliva inductas; nam squalere dicuntur ea, quae madore, muco, sordibus, tum quocumque humore aut colore obducta sunt. Cf. ad Geo. IV, 91." *Heyn.* Voss. *squalentes* rectius explicat *starr*, *strotzend*, ut sermo sit de conchis, quae propter hunc ipsum squalorem non facile cohaereant et conglutinentur, sed pluviae vel aquae ex nasiterna commodum dent transitum. — **349.** *inter* (spiramenta et rimas lapidis vel conchae) aut adverbialiter usurpatum, ut fortasse etiam infra v. 366., aut per tmesin a *labentur* divulsum. — „*tenuis halitus* venti inter pumicum ac testarum fragmenta, tamquam per spiramina, penetrare potest, atque ita radices fovere et recreare. Theophrast. l. l. *ὅπως συῤῥοὴ γίγνηται τοῦ ὕδατος, καὶ τοῦ θέρους οὗτοι (οἱ λίθοι) καταψύχωσι τὰς ῥίζας.*" *Heyn.* — — **350.** *animos tollent*, laetissime efflorescent; quae dicendi formula, de hominibus satis frequentata (cf. Aen. IX, 125. Plaut. Truc. II, 8, 10. Ter. Hec. III, 5, 56. Liv. III, 67. etc.), an alibi etiam ad res inanimatas transferatur, nescio. — *Iamque reperti*, h. e. fuere etiam, qui etc. Iunge *super urguerent*, h. e. desuper. Ita *super* legitur etiam Aen. V, 697. VI, 254. IX, 168. Lucan. VI, 291. *Cum super e totis emisit collibus agmen Magnus* et alibi. Composito verbo *superurguere* utitur Tac. Ann. II, 23. — *atque* pro *vel*, *aut* positum, Vid. adnott. ad Geo. I, 442. et Wagn. Qu. Virg. XXXIV. p. 552. Aliter tamen Ameis. Spicil. p. 25., qui ad Handii Tursell. I. p. 461. provocans sic explicat: „Agricolae in eiusdem agri altera parte *saxo*, in altera parte *pondere ingentis testae* urguent" — Ceterum Medic., Nonius p. 418, 12. et Goes. Cod. Colum. III, 15, 4. pro *ingentis* exhibent *ingenti*. — **352.** „*hoc* - - *Hoc* non est h. l. *τοῦτο μὲν* - - *τοῦτο δέ*, sed ad idem referendum; hoc puta: saxum acclinatum a latere, aut testa super imposita, cavo suo munit surculos adversus imbres et aestum." *Heyn.* — *effusos imbres.* Vid. Aen. V, 693. — *munimen* pro munimento usurpant etiam Ovid. Met. IV, 773. XIII, 212. Lucan. VI, 22. (ubi vid. Cort.) alii. — **353.** *Hoc*, scil. munimen est, *ubi hiulca* etc., i. e. adversus aestum, qui diebus canicularibus vehementissimus esse solet. *hiulca findit arva*, per anticipationem s. prolepsin, quam vocant, pro findit arva, ut hient, hiulca sint, qua de re, quod ad usum Participii Perf. Pass. attinet, iam diximus ad Geo. I, 320. Hic etiam Adiectiva eodem modo usurpari videmus. Cf. praeter multos viros doctos in prioribus editt. a me laud. imprimis Meyeri Comm. de epithetorum ornantium vi et natura p. 23 sqq. et Ahlemeyer *Ueber die dichterische Prolepsis des Adjectivs.* Paderb. 1827. Ex Vergilii carminibus huc pertinent v. c. Aen. III, 30. 141. 237 etc. — *hiulca siti.* Cf. Aen. IV, 42. Tibull. I, 4, 42. Stat. Theb. IV, 699. Colum. XI, 3. Pro *findit* pauci quidam Codd. *scin-*

Seminibus positis superest diducere terram
Saepius ad capita et duros iactare bidentis.
Aut presso exercere solum sub vomere et ipsa
Flectere luctantis inter vineta iuvencos;
Tum levis calamos et rasae hastilia virgae
Fraxineasque aptare sudes furcasque valentis,
Viribus eniti quarum et contemnere ventos
Adsuescant summasque sequi tabulata per ulmos.

---

dit, perperam. Vid. Tibull. I, 7, 21. *arentes cum findit Sirius agros*, et Hor. Serm. II, 5, 10. *rubra Canicula findit Infantes statuas.* Idem est apud Catull. LXVIII, 62. *Cum gravis exustos aestus hiulcat agros.* — *canis*, Sirius, de quo vid. adnott. ad Geo. IV, 425. Pro *aestifer* Ribbeck. e Cod. Palat. recepit scripturam *aestiper*. (Cf. eius Proleg. p. 388.) — **354—357**. De iis, quae post sationem vitis agenda sunt, et primum quidem *de fossione*. Cf. Colum. IV, 3, 2. idem de arb. 13. Pallad. IV, 7. Plin. XVII, 22, 35. §. 17 sq. et Geop. V 22, 3. — *Seminibus positis*, surculis defixis. Vid. Plin. l. l. §. 21. *ponito in scrobe aut in sulco, operitoque et bene occultato.* Ceterum cf. adnott. ad Geo. II, 14. „Fodiendo terra *deducitur ad capita*, adducitur, aggeritur ad radices, siquidem *terra coaequanda est gemmis exstantibus*, Colum. IV, 5, 2. 3. Praeferunt alii lectionem Codicum nonnullorum *diducere*." *Heyn. Diducere* lectio est Rom., quatuor Codd. ap. Burm. et trium Pottierii, quam cum Voss., Iahn. et Wagn. (quos etiam ceteri recentiores editores secuti sunt) restitui. Quid enim sibi velit Cod. Med., Gud. aliorumque *deducere*, nemo facile dixerit: *diducere* autem significat: glaebas caute et leniter frangendo (ne laedantur malleoli) diminuere. — *ad capita*, i. e. circum capita: *caput* autem non minus imam quam summam alicuius rei partem indicat. Voss. comparat Cat. R. R. 33. *capita vitium per sementim ablaqueato; circum capita addito stercus; circum capita sarrito*, et Aen. VI, 360. *capita aspera montis*, i. e. radices. Conington confert Aristot. de long. et brev. vitae 6, 7. τὸ γὰρ ἄνω τοῦ φυτοῦ καὶ κεφαλὴ ἡ ῥίζα ἐστί. — „*iactare bidentes* fossionem notat adacto ligone. Colum. IV, 14, 1. *Insequitur deinde fossor, qui crebris bidentibus aequaliter et minutim soli terga convertat.*" *Heyn.* Vid. etiam Calpurn. IV, 117. ubi legimus *iactare ligones*. — *duros* indicat operis magnas vires exigentis difficultatem, ut v. 237. *validi iuvenci*, v. 264. *robustus fossor*, Ecl. IV, 41. *robustus arator* etc. — **356**. Ut iam supra v. 330. vidimus, vineam pecoribus pascendis esse aptam, ita nunc etiam aratrum admittere docemur. De vinea aranda et bidentibus solvenda cf. Colum. III, 13. id. V, 5. et de arb. 13. Varro I, 31. Plin. XVII, 22, 35. §. 22. et Pallad. I, 6. §. 4. (*In vineis aratro praetermissa fossor emendet.*) De *bidentibus* ipsis vide infra ad v. 400. — *presso vomere*. Vid. adnott. ad Geo. I, 45. — *exercere solum*. Cf. quae ad Geo. I, 99. adscripsimus. — **357**. „*inter vineta*, h. e. ut aretur inter ordines vitium, ut, inversa aratro terra, glaebae utrimque versus vites insurgant." *Heyn.* — **358—361**. De *pedatione* vitium et *iugatione*. Cf. Varro R. R. I, 8. Colum. IV, 12—20. V, 5. de arb. 4. 5. Plin. XVII, 21, 35. §. 6. et Voss. ad h. l. — **358**. *calamos*, scil. arundineos. Vid. infra v. 414. et Varro R. R. I, 8. — *rasae hastilia virgae*, tenues fustes decorticati. Ribbeck. cum Cod. Palat. scripsit *rassae*. Vid. supra ad v. 340. — **359**. *furcasque valentes*. Ita optimi et plurimi Codd., quos cum recentioribus post Heyn. secutus sum. Vulgo *furcasque bicornes*, quod (quamquam a fragm. Veron. exhibitum) ex Geo. I, 264. repetitum est. — **360**. *contemnere ventos*, non timere. Vid. adnott. ad Aen. III, 77. — **361**. „*tabulata* in vineis sunt ordines ramorum in arboribus, ulmis in primis, [quibus vites maritantur] prominentium, quos, recisis aliis, ita dilatant ac per gradus deflectunt agricolae, ut robustiores palmites unum post alterum ramum attingere iisque sese applicare et assurgere quasi per gradus possint. Locus est apud Colum. V, 6, 11. 12 23. 24." *Heyn.* — **362—370**. Sequitur locus de cura vitibus et arboribus post plantationem adhibenda, et primum qui-

Ac dum prima novis adolescit frondibus aetas,
Parcendum teneris, et dum se laetus ad auras
Palmes agit laxis per purum inmissus habenis,
Ipsa acie nondum falcis temptanda, sed uncis
Carpendae manibus frondes interque legendae.
Inde ubi iam validis amplexae stirpibus ulmos
Exierint, tum stringe comas, tum bracchia tonde
Ante reformidant ferrum tum denique dura
Exerce imperia et ramos compesce fluentis.

---

dem de *putatione* seu *pampinatione*, quae in nova fronde plane omittenda, in tenero palmite non ferro, sed ungue tentanda, in adultam vero vitem severe sit exercenda. „Praecepti primam partem confirmat Theophr. de caus. plant. III, 9. Cato 33, 2.; at refellit Columella cum V, 6, 22. tum IV, 11, 1. *nam illam veterem opinionem damnavit usus, non esse ferro tangendos anniculos malleolos, quod aciem reformident; quod frustra Virgilius - - timuerunt.*“ *Heyn.* Opponuntur autem haec versui 367 sqq. — Ceterum omnis h. l. ad Lucretii exemplum formatus, qui III, 450 sqq. ita canit: *Inde, ubi robustis adolevit viribus aestas, Consilium quoque maius - - -, Post ubi iam validis quassatum est viribus aevi Corpus* etc. — *eniti.* Cf. infra v. 427 sq. — *tabulata.* De his arborum tabulatis arte formandis cf. Colum. V, 6, 11. 23. 24. Plin. XII, 1, 5. XVII, 23, 35 sect. 22. et 25. (Similiter de uvarum, olivarum etc. tabulatis in doleis, ollis instituendis sermo est ap. Colum. XII, 39, 3. 43, 2. 3. 48, 3.) — 362. *dum prima - - aetas*, dum tenerae sunt frondes modo enatae. Cf. locus huic similiter conformatus Aen. VII, 354 sqq. — 363. *ad auras.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 56. et supra v. 291. — 364. *laxis inmissus habenis*, de celeribus et effusis incrementis dictum ad Lucretii exemplum, qui V, 785. canit: *Arboribus datum est variis exinde per auras Crescundi magnum inmissis certamen habenis.* Eandem dictionem ab equis ad alias quoque res inanimatas translatam videmus, ad flammas: Aen. V, 662.; ad ventos: Aen. I, 62.; ad naves: Aen. VI, 1. VIII, 708.; ad flumina: Ovid. Met. I, 280. (ubi vid. Bach.). Val. Fl. VI, 391. etc. Cf. etiam Aen. XII, 299. — „*per purum*, per aërem. Lucret. l. l. *per auras*, et sup. v. 287. *in vacuum*, et alibi *per inane.* Aliter dixit Horat. de sereno caelo Carm. I, 34, 7.“ *Heyn.* Cf. infra III, 109. *aëra per vacuum* et adnott. ad Ecl. IX, 4. — 365. *Ipsa* nunc cum Heynio, Wagn., Ameisio Spicil. p. 25. et Ladewig (in edit. altera) refero ad *primam aetatem* (v. 362.), i. e. teneras frondes. Servius autem *virgulta* ex versu 346. repetit, et Conington cum Vossio (quem ipse prius secutus sum) intelligit *vitem*, quam hic semper poëta mente obversari doceat statim v. 367. *amplexae.* Reliqua expressit Quinctil. Inst. II, 4, 10. 11. — 366. *inter-legendae*, (per tmesin), i. e. non omnes putandae sunt frondes, sed per intervalla decerpendae, ut quaedam intacta relinquantur. Wunderl. et hic *inter* adverbialiter positum censet. Cf. supra ad v. 351. De re autem ipsa cf. Cic. Cat. mai. 15, 52. iam ab Heynio laud. — *exierint.* in altum se sustulerint, excreverint. Cf. sup. v. 81. — *stringe.* Vid. adnott. ad Geo. I, 31. — *comae* (frondes superiorum ramorum, ut Geo. IV, 137.) et *bracchia* (i. e. pampini in latera excrescentes) eodem modo coniunguntur Aen. I, 209. — 369. *Ante reformidant ferrum.* Cf. Pallad. I, 6, 9. *Tenera et viridem vitem ferri acie ne recidas;* idemque vetant Geoponici III, 4. et X, 81. — *dura imperia*, h. e. severa, a disciplina militari petita. Burm. conferri iubet Horat. Carm. IV, 1, 6. 7. et adnot. suam ad Ovid. Am. II, 9, 29. Vid. etiam Geo. III, 41. et Dissen. ad Tibull. I, 33. Ceterum cum in Codd. Med. et Rom., ut etiam apud Nonium p. 40, 3. 295, 8. et 303, 28. bis scriptum sit *tunc*, tertio loco autem *tum*, Iahn ad Ecl. III, 10. p. 372. hanc veram lectionem censet his verbis adiectis: „Ita enim verba *tunc stringe* et *tunc tonde* opposita sunt verbis *ante reformidant ferrum*, et verba *tum denique exerce imperia* generalem sententiam efficiunt, quae per conclusionem prioribus additur.“ — 370. *ra-*

Texendae saepes etiam et pecus omne tenendum,
Praecipue dum frons tenera inprudensque laborum;
Cui super indignas hiemes solemque potentem
Silvestres uri adsidue capreaeque sequaces
Inludunt, pascuntur oves avidaeque iuvencae. 375

---

mos fluentes, diffluentes, luxuriantes. — 371—419. Praeterea vinitori etiam alia curanda. Primum avertere debet, quae novellae viti nocere possint: pecudes, frigus, aestus. Et de sepibus quidem vinearum cf. Plin. XVII, 23, 35. §. 22. Calpurn. V, 96. Geop. V, 44. Varr. I, 14. Colum. XI, 3. Pallad. I, 34. aliique a Voss. commemorati. — *tenendum* pecus, h. e. retinendum, sive *arcendum*, quo vocabulo Plinius in eodem praecepto utitur XVII, 22, 35. §. 17. — 372. *frons inprudens laborum*, h. e. frondes ignarae et impatientes cuiusvis iniuriae extrinsecus accidentis; nam *labores* significant omnia, quae vites patiuntur, translatione petita a vita humana. Cf. v. 343. *Inprudens* cum Genitivo rei, quam quis ignorat, legitur v. c. ap. Ter. Eun. I, 2, 56. Cic. Inv. II, 31, 95. Liv. XXXI, 14, 7. etc. — 373—379. Praeter hiemis saevitiam et *solis potentiam*, h. e. aestum, et magis quidem, quam illa (v. 376.), nocent vitibus novellis etiam boves agrestes, capreae et ceterae pecudes. — *Cui*, frondi tenerae. — *super* hic non i. q. *plus quam*, ut Heyn. et Manso interpretantur, sed *praeter*; plus enim, quam hiemes, nocere illa animalia, demum v. 376. poëta docet; quod iam ab Iahnio observatum. Cf. v. c. Aen. VIII, 303. IX, 283. Liv. II, 31, 3. XXVIII, 46, 15. Ovid. Met. VIII, 677. etc. Vid. etiam Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 43, 1. Burm. ad Phaedr. III, 11, 2. Bremi ad Suet. Octav. 8. Boetticher. Lex. Tacit. p. 449. alios. — *indignae hiemes* recte a Servio explicantur *saevae*. *Indigna* enim (quod iam Heyn. docuit) sunt omnia, quibus quis non est dignus, quae quis immerito patitur, ideoque, quia talia imprimis dura videntur, omnino dura, saeva. Ita in Ciri v. 309. *Verum haec tum non sic gravia atque indigna fuere*, i. e. intolerabilia. Cf. etiam Geo. I, 491. Aen. VI, 163. et XI, 108. Infra III, 347. *iniustus* simili ratione usurpatum videmus. — *solem potentem* et ipsum Serv. explicat gravem, intolerabilem; nimius enim solis ardor molestus et vix ferendus. Vide etiam infra v. 377. — 374. „*Uros* proprie dictos [quales Caesar in Gallia vidit: B. Gall. VI, 28. et Plinio auctore VIII, 15, 15. etiam in Germania inveniebantur] in Italia nullos esse constat. At enim vel ex Geo. III, 532. manifestum est, *uros* poëtae improprie dictos esse pro feris bubus, quales Italia nunc nomine *Bufalo* frequentat." *Heyn.* Cf. etiam Macrob. VI, 4. fin., qui, h. l. respiciens, *Uri*, inquit, *Gallica vox est, qua feri boves significantur*. De bubulo autem, qui est maior tauris domesticis, cornibus nigris, crassis et resupinatis atque crispa fronte, cf. Voss. ad h. l. — *capreae sequaces*, quae vites maximeque teneram earum frondem cupide insectantur, persequuntur, fere eodem sensu, quo mox *avidae iuvencae*. Cf. Ecl. II, 64. *Florentem cytisum sequitur lasciva capella*. Lectionem autem *capreaeque* nunc ex fragm. Veron., Pal., Rom. (qui exhibet *capraeae*), Gud. et Bern. b. cum Ribbeckio, Wagn. in min. edit., Bryceo et Coningtone restituimus, prius cum Wagn. in edit. Heyn. Medicei scripturam *caprae* amplexi, quam ex recentioribus Haupt. et Ladew. servarunt. — 375. *Inludunt*, i. e. laedunt, nocent, adiuncta tamen petulantiae et iniuriae notione. Vid. Geo. I, 181. *Tum variae inludunt pestes* ibique adnott. — *pascuntur oves*, depascuntur eam, sc frondem teneram. Ad *pascuntur* enim ex *cui* repetendus est Accusativus *quam;* quae elliptica dicendi ratio, ut Pronomen vel relativum vel demonstrativum, quod proprie bis, sed diverso Casu ponendum est, altero loco reticeatur, satis nota. Cf. Ruddim. II. p. 362. Wunderl. ad Tibull. IV, 2, 17. Beier. ad Cic. Off. I, 42, 151. et ad II, 6, 21. Herzog. ad Caes. B. G. I, 45, 2. Matthiae ad Cic. Cat. II, 9, 19. Kritz. ad Sall. Cat. 13, 2. et Iug. 54, 1. Benecke ad Cic. Cat. III, 7, 16. Klotz. Quaest. Tull. p. 67. alii. Copula autem propter chiasmum omissa, ut supra v. 144. *Pasci* Vergilius fere semper cum Accus. solet construere. Cf. Geo. III, 314. IV, 181. Aen. II, 471. Sic etiam Plin. H. N. IX, 32. *belluae pastae radices*

Frigora nec tantum cana concreta pruina
Aut gravis incumbens scopulis arentibus aestas,
Quantum illi nocuere greges durique venenum
Dentis et admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris 380

---

fructuum etc. Ceterum Ribbeck. in Lectt. Verg. p. 5. valde probabiliter suspicatur, Vergilium his tribus vss. 373—375. prius scriptis quatuor sequentes substituisse eoque invito etiam illos servatos esse, quod nunc etiam Ladewigio (Progr. p. 16.) persuasit (cf. eius Proleg. p. 32.); Peerlk. autem p. 148 sq. eos omnino Vergilio abiudicandos censet, ut eo indignos; cui recte adversatur Ladew. Progr. l. l. Tittler *Ueber d. Zeit* etc. in v. 376 sqq. aptam priorum gradationem invenit: morsus animalium perniciosior etiam est frigoris et solis adurentis efficientia. — **376.** „Idem fere, quod modo dixerat, gravius ac disertius exponit. *Nec frigora concreta* (tributum *frigori* epitheton, quod rebus proprie convenit per frigoris temperatem adstrictis et congelatis) *nocuere tantum pruina cana*, nocent tantum gelu." *Heyn.* Cf. Lucr. III, 20. *nix atra concreta pruina. Canus* apud poëtas sollemne pruinae et nivis epitheton. Cf. Hor. Od. I, 4, 4. Sat. II, 5, 41. Ovid. Her. V, 16. et quae supra ad Geo. I, 43. adnotavimus. Quod autem attinet ad epitheta rebus ab effectu tributis cf. Geo. III, 67 et Aen. IX, 610., ubi *senectus tristis* et *tarda* vocatur, quia tristes et tardos reddit homines, supra I, 331. *humilis pavor*, Hor. Od. I, 4, 13. et Sen. Herc. fur. 555. *pallida mors*, Mart. XIV, 162. *pallida cura*, Sil. Ital. XIII, 560. *lurida mors*, Ovid. Met. XIV, 198. *luridus horror*, Ovid. Am. II, 5, 34. *purpureus pudor*, et multa similia. — **377.** *gravis aestas*, molesta, exitiosa. Vid. supra v. 373. Quod autem attinet ad Adiectivum Participio Adverbii loco adiectum (*gravis incumbens*) vid. adnott. ad Geo. I, 163. et Aen. VIII, 559. — *Incumbere* haud raro usurpatur de rebus gravibus et molestis, quae premendo quasi aliquid vexant infestantque, ut de morbo pestifero apud Lucr. VI, 1142. *mortifer aestus - - Incubuit tandem populo Pandionis* (ubi vid. adnot. mea.). Cf. etiam Cic. Balb. 26, 58. *Fuit hoc sive meum sive reipublicae fatum, ut in me unum omnis illa inclinatio communium temporum incumberet*, alii. Eadem fere ratione etiam venti vehementiores in mare incumbere dicuntur. Cf. Burm. ad Val. Fl. II, 59. Cort. ad Lucan. V, 719. Ruhnk. ad Ovid. Her. XIII, 15. — „*scopuli arentes*, quibus incumbit *aestas*, h. e. sol assiduus cautes excandefaciens, suo loco commemorantur, ubi de vitibus agitur. Sic *aprica saxa* inf. v. 522." *Heyn.* — **378.** *illi* Dativum esse a *nocuere* pendentem, non Nomin. cum *greges* coniungendum, in promptu est. *venenum Dentis* pro saliva noxia. Supra v. 196. *urentes culta capellae*, ubi vid. adnott. — Pro *admorso* alii Codd. *admorsu*, *amorsu*, *a morsu* etc., quae varietas, Heynio iudice, fortasse Grammaticis debetur, qui generi voc. *stirpis* timebant. Sed vide Aen. XII, 208. 660. 781. cett. et Ruddim. I. p. 35., qui docet, vocem *stirpis*, pro trunco arboris positam, Vergilio esse masculini generis. Ceterum cf. Heins. ad h. l., qui comparat v. c. Sil. V, 332. *admorsa hasta*, et Prop. III, 9 [IV, 10], 53. *bracchia* (non *pectora*, ut ap. Heins. legitur) *admorsa*. Ribb. tamen recepit Cod. Palat. lectionem *ad morsum*. Ceteri recentiores editores nobiscum faciunt. — **380—389.** Episodium de hirco in honorem Bacchi immolando. A mactatione enim capri Dionysia simulque ludos scenicos, qui illo festo edebantur apud Graecos, originem duxisse, poëta canit. Constat enim, sollemnibus sub vindemiae tempus ab Atticis in Bacchi honorem institutis etiam poëtas interfuisse carminibus inter se certantes, victoremque caprum (τράγον) praemii loco reportasse, quem Baccho immolaret, ex his autem carminibus Bacchicis tragoedias esse ortas et ipsas propterea Baccho sacras. Heyn., comparans Varronem R. R. I, 2, 18. 19. et Ovid. Fast. I, 353 sqq. (quibus adde Hor. Od. III, 8, 6 sq. et Euenum in Anth. Pal. II. p. 27. sive Anthol. Burm. V, 170, 3.), sic fere pergit: „Sententia ita procedere debet: Ob hanc vitibus illatam noxam *caper* in Bacchi sacris *immolatur*, et, cum semel Baccho sacer esset, in vetere tragoedia Atheniensium *caper* poëtis *praemium* erat propositum

Caeditur et veteres ineunt proscaenia ludi,
Praemiaque ingeniis pagos et compita circum
Thesidae posuere atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos saluere per utres.
Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni 385

(Horat. Art. 220. *carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.* Cf. Tibull. II, 1, 55. et ibi not.); nec non *hircinis* pellibus *utres* facti, in quos oleo inunctos adsilirent. Tum ad ornatum captandum exspatians, quomodo ex Graecorum illis sacris Latina eiusdem dei sacra fluxerint, poëta commemorat." Plura de hac re vid. apud Voss. — *omnibus aris.* Vid. ad Aen. III, 118. — 381. *veteres ineunt* (i. e. inierunt) *proscaenia ludi,* i. e. antiquis temporibus ludi in scenam inducti sunt. — *proscaenium,* proprie anterior pars scenae, in quam prodibant actores, h. l. omnino pro scena positum. Vid. Voss. Ceterum ex Med. auctoritate cum recentissimis editoribus scripsi *proscaenia.* Vid. Wagn. Orth. Verg. p. 470. (et Ribbeck. Proleg. p. 385 sq.) — 382. 383. „Nota de prima rei scenicae origine fabula (vid. Hor. Art. 275 sq.); quae ad Dionysia ruralia, τὰ κατ' ἀγροὺς, per pagos, utique pertinet; e quorum genere cum ab initio essent τὰ ἐν Ἀστυαις, s. *Lenaea* (diversa quidem et haec *a Dionysiis urbanis,* seu *maioribus*), auctis tamen urbis opibus, ea praecipuam celebritatem consecuta sunt, ut diversa plane ab ruralibus habenda sint." *Heyn.* — 383. *Praemia - - posuere,* pro praemio hircum proposuerunt. Cf. etiam Ecl. III, 36. et Horatii locus supra ad v. 380. allatus. — *ingeniis* (i. e. hominibus ingeniosis et hic quidem poëtis) pro vulg. *ingentis* vel *ingentes* iam Burm. ex Rom. aliisque bonis Codd. et Phylargyrio (qui vulg. lectioni addit: „quidam legunt *ingeniis,*" quod etiam apparet in Schol. Bern. p. 196. Ribbeck.) recepit. De iisdem vocabulis in Codd. confusis vid. Gronov. ad Val. Max. I, 7. ext. 4. Heins. ad Silium XVI, 46. et Wakef. ad Lucr. II, 11., ubi *certare ingenio* legitur. Ribbeck. autem restituit lectionem Cod. Med. aliorumque, Acronis ad Hor. Od. III, 18, 11. et Prisc. p. 583. Putsch. divisim scriptam *in gentis,* quae mihi altera a ceteris recentioribus editoribus nobiscum recepta languidior videtur. — *pagos et compita circum;* poëtae enim scenici antiquissimis temporibus ruri pagos circumibant et in compitis plaustra statuebant, quibus pro scena utebantur. De Praepos. *circum* Casui suo postposita vid. adnott. ad Aen. I, 32. Ceterum cf. Calpurn. IV, 126. *Qui facit egregios ad pervia compita ludos.* — *Thesidae* pro Atheniensibus, ita a Theseo, nobilissimo Atticae rege, dictis, praeter h. l. apud Latinos scriptores nusquam legi videtur. Vid. autem Soph. Oed. Col. 1067. et Aesch. Eum. 462. (a Coningt. laud.), ubi Athenienses Θησεῖδαι et Θήσεως τόκοι appellantur. — *inter pocula* legitur etiam ap. Persium I, 30., ut ap. eundem III, 100. *inter vina* et ap. Cic. de Sen. 14, 46. *in poculis* (quos locos Conington comparat.) Verba autem *inter pocula laeti* iterantur in Anth. Lat. Burm. III, 81, 88. — 384. Ἀσκωλιασμός in Dionysiis paganis fieri solitus. Scilicet in Dionysiis ruralibus saltabant uno pede per utres (vid supra ad v. 380.) inflatos aut vino repletos et oleo unctos, et qui non labans super utre consisteret, is utrem et vinum praemii loco accipiebat. Cf. Hesych. v. Ἀσκώλια, Schol. Arist. Plut. 1130. ibique Hemsterh. Pollux IX, 121. Corsini Fast. Att. p. 309. Schneid. *Att. Theaterwesen* p. 50. Hermann *Gottesd. d. Alt.* p. 57. et Iahn. in *Archaeol. Ztg.* 1847. n. 9. — *mollia prata* sunt Homeri (Od. V 72.) Λειμῶνες μαλακοί. Cf. Calpurn. V, 15. *pratis errantes mollibus agnas.* — *saluere* prior est Medicei et aliorum librorum lectio, quam, Wagnero teste, etiam Terentiano, hunc vs. afferenti, restituit Santen. p. 47.; alii Codd. *saliere.* De antiquiore illa Perfecti forma, quam h. l. Priscianus quoque X, 9, 51. (p. 906. P.) in quibusdam libris se invenisse testatur (cf. etiam Ribbeck. in Proleg. p. 149.), et iam Serv. tuetur, ad Aen. III, 416. haec adnotans: „Hinc apparet, bene dictum: *unctos saluere per utres,*" cf. etiam Diomed. I. p. 371.: *Salio Perfectum suavius enunciari videtur salii, quam salivi; sed plerique veteres salui dixerunt.* Sic Ovid. Fast. IV, 805. *Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos.* — 385—389. *Au-*

Versibus incomptis ludunt risuque soluto,
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis,
Et te, Bacche, vocant per carmina laeta tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fetu,
Conplentur vallesque cavae saltusque profundi
Et quocumque deus circum caput egit honestum.

---

sonii (Italici: vid. adnott. ad Aen. III, 378.) quoque *coloni* (homines rustici: vid. adnott. ad Ecl. IX, 4.) in similem laetitiam effusi Bacchum celebrabant. Et hic quidem de duobus festis sermo est, de Liberalibus mense Martio celebratis (v. 386—89.) et de Vinalibus post vindemiam institutis (v. 393—96.), in quibus per pagos multa fiebant ludicra: pubes rustica larvis e cortice factis personata (quo spectat v. 387.), non modo iaciebat iocos et dicteria, verum etiam *versus incomptos*, ex tempore effusos, in praetereuntes (quae est *Fescennina* licentia apud Horat. Epist. II, 1, 145.); et canebant hymnos in Bacchi honorem (v. 388.). — **389.** *oscilla* Heyn. (coll. Vacken. ad Theocr. p. 246.) de iisdem larvis illis horrendis e cortice factis intelligit, de quibus v. 387. agit. Rectius autem Peerlk. p. 150. et Ladew. cogitant de imagunculis Bacchi ex argilla vel cera confectis et formosum dei caput referentibus, quae *mollia*, h. e. mobilia, pendula, (pensilia: Serv.) dicuntur, quia in arboribus pendentia vento huc atque illuc convertuntur, quemadmodum Aen. VIII, 666. *pilenta mollia* vocantur, utpote pensilia et motu facilia. Recte autem Heyn. sic pergit: „Originem et causam huius ritus in eo reperiunt, quod eos Bacchi vultus appensos vento impelli quaquaversus et converti volebant agricolae, quoniam, quo ille deus faciem convertisset, summa agri ubertas sequi credebatur. Cf. v. 392." Vid. etiam adnott. ad Ecl. V, 67. — *Ausonii* (*coloni*, i. e. rustici) omnino pro Italis, quamquam proprie tantum Latini cum Albanis et Romanis *Troia missi*, i. e. ab Aeneae comitibus oriundi, dici poterant. Ceterum, quod ad constructionem attinet, cf. Aen. VI, 811. *Curibus parvis et paupere terra missus* et XII, 516. *fratres Lycia missos et Apollinis agris.* — **386.** *versibus incomptis*, impolitis, rudibus, quos Santen. ad Terentian. p. 181. *Saturnios* vocat. — **387.** *ora*, personas s. larvas. — **389.** De *oscillis*, imagunculis Bacchi caput referentibus (quo v. 392. alludit), praeter Serv. et Voss. ad h. l. cf. Lutat. ad Stat. Theb. XI, 644. et Boettiger in Script. min. III. p. 405 sqq. Legitur hoc voc. etiam apud Macrob. Sat. I, 7. med. et 11. extr. — *mollia* Wagn. interpretatur per mobilia (unde contractum est *mollia*), quae mota aura huc atque illuc converterentur. — *ex alta pinu.* Voss. docet, pinus secundum Varr. I, 15. fuisse inter arbores agris terminandis poni solitas; epitheton autem *alta* respicere prospectum latius patentem. Ceterum de forma *pinu* cf. adnott. ad v. 71. — **390.** Exoratus et placatus his sacris ac festis deus summam vindemiae ubertatem tribuit. — *vinea pubescit*, vites exuberant, *largo fetu*, laeto uvarum proventu. Conington conferri iubet Theocr. V, 109. *Μή μεν λωβάσηαθε τὰς ἀμπέλους· ἔντι γὰρ ἁβαὶ.* — *valles saltusque*, omnia loca vitibus consita, vel etiam (secundum Wagn.) latiore sensu omnis regio, cui Bacchi adspectus fertilitatem conciliat. — Versum 390. Peerlk. p. 150. post v. 392. vult transpositum, *Hinc* in *Hic* mutato. — **391.** *Conplentur*, scil. *ubere*, fructu, *cavae valles.* Heyn. comparat Pindar. I, 3, 18. *κοίλᾳ νάπᾳ*, Wagn. autem, coll. Liv. XXVIII, 2, 2. *ibi in cava valle, atque ob id occulta, considere militem iubet*, putat *cavae* non esse mere ornans epitheton, sed significare valles depressiores, altioribus montibus clausas. Ceterum cf. Lucil. Aetna 486. (Wernsd. Poët. L. min. IV, 184.) *cavis cunctatus vallibus haesit.* — *saltus profundi.* Sic etiam Lucr. V, 42. *silvae profundae.* Cf. Aen. VI, 179. V, 95. Hor. Od. III, 12, 11. (ubi Orell. recte edidit *alto fruticeto* pro *arto*) et ante omnes Hom. Il. V, 415. *Βαθείῃ ὕλῃ.* — **392.** *„Et quocumque deus*, pulcherrimus haud dubie versus (cum quo compara v. Callim. in Apoll. 50. s. in Dian. 124 sq.). Nihil imagine hac vividius, nihil iucundius. Petitum autem ex antiqua

Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis lancesque et liba feremus
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram
Pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis.
Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui numquam exhausti satis est: namque omne quotannis
Terque quaterque solum scindendum glaebaque versis
Aeternum frangenda bidentibus, omne levandum

---

religione, qua praesentia deorum certis locis ac temporibus fieri ferebatur, et, quando dii apparerent, omnia ridere, frondescere, progerminare narrabantur. Perstitit eius formae usus maxime in Bacchi et Apollinis sacris.“ *Heyn.* Rectius tamen hic *oscilla* tantum supra v. 389. commemorata respici dixeris. — *caput honestum* est pulchrum, formosum, quale Bacchi in monumentis artis antiquae conspicitur. Cf. etiam Aen. X, 133. XII, 155. (et infra Geo. III, 81.) Ter. Eun. IV, 4, 15. *Ille erat honesta facie et liberali.* Suet. Tib. 68. *facies honesta.* Hor. Serm. I, 2, 84. *si quid honesti est* (in puellae corpore) etc. Ameis. Spicil. p. 25. *honestum* propter sequentem versum explicat per *honoratum*, quo tamen sensu hoc Adiect. alibi apud Verg. non legitur. — 393. *dicemus.* Cf. adnott. ad Ecl. III, 55. — *suum honorem*, h. e. suas, ipsi debitas laudes, hymno actas, ut alibi *honor* de sacris diis oblatis dicitur, e. g. Aen. I, 53. *aris imponit honorem.* — 394. „*carminibus patriis.* Fuere haec carmina antiqua Romanorum in Bacchi honorem cani solita; a quibus diversa Fescennina, de quibus vid. Hor. Ep. II, 1, 145.“ *Heyn.* — *lances*, saturae variarum frugum primitiis onustae, et *liba* feruntur ad aras. Conington minus apte cogitat de lancibus extis recipiendis destinatis, ut supra v. 194. *Liba ferre* legitur etiam Tibull. I, 7, 54. I, 10, 23. et alibi. Conington confert Ovid. Fast. III, 761. *Melle pater* (Bacchus) *fruitur, liboque infusa calenti Iure repertori candida mella damus.* De *libis* ipsis vid. adnott. ad Ecl. VII, 33. — 395. „*cornu ducitur* victima ritu sacrorum. [Cf. adnott. ad Geo. I, 345.] Sic et *stare* verbum sollemne. Victimae partes, quae non in ara adolebantur, sacris epulis apponebantur; hinc v. 396. *colurna verua* ex corulo, quam arborem cum delectu poni aiunt interpretes, ex v. 299. *neve inter vites corulum sere.*“ *Heyn.* Nimirum ut caper vitibus inimicus Baccho caeditur, ita corylus, quae et ipsa iis nocet, quasi poenae loco his veribus fabricandis adhibetur. *Colurnus* enim per metathesin factum ex *corulnus*, quod insuavem sonum et difficiliorem pronunciationem haberet. Cf. Prisc. II, 11, 62. (p. 595. P.) et Serv. ad h. l. Festus tamen (p. 30. Lindem.) minus probabiliter deducit a *corno* arbore. — Ceterum Palat., Parrhas. et sec. Rottend. *verubus*, sed reliqui *veribus*, quod Burm. teste, praeferunt Pierius ad Aen. I, 212. et V, 103. et Balbus ad Val. Fl. I, 254. Cf. etiam Charis. p. 50. et Schneider. Gr. Lat. II, 1. p. 341., cui hic *verubus* praeferendum videtur. Wagn. et recentissimi editores retinuerunt *veribus.* — 397—407. „Restat alius labor in cura vitium, qui numquam finitur, ut vineam iterum iterumque repastines, (fodias), pampines ac putes. — *cui numquam satis exhausti* (pro exhaustionis, Serv.), h. e. qui numquam satis exhauritur.“ *Heyn.* In Substantivo Participiorum usu praeivit Lucretius. Vid. adnott. mea ad eius I, 385. et Wakef. ad I, 795. II, 438. III, 954. etc. Ceterum cf. Aen. IX, 356. *Poenarum exhaustum satis est.* — „*ille labor - - namque.* Graeca haec membrorum connexio ὅδε πόνος — γάρ. Ita Thucyd. I, 3. δηλοῖ δέ μοι καὶ τόδε — πρὸ γὰρ τ. λ.“ *Wund.* — 399. Cf. Colum. IV, 4, 1. *Numerus autem vertendi soli bidentibus, ut ferum fatear, definiendus non est, cum quanto crebrior sit, plus prodesse fossionem conveniat.* Idem IV, 14, 1. (ubi *crebros fossoris bidentes* requirit) IV, 27 sq. XI, 2, 44. 55. Plin. XVII, 21, 35. Geopon. V, 25. et Dissen. ad Tibull. II, 3, 6. — *solum scindendum. Scindere* et *proscindere* verbum sollemne de aratione. Cf. Geo. I, 50. II, 237. III, 160. Plaut. Trin. II, 4, 122. Lucr. V, 210. et V, 1294. Sen. Troad. 1021. et vid. Orell. ad Hor. Od. I, 1, 11. — 400. *versis bidentibus*, ligonibus, qui vertuntur ad glaebas frangen-

Fronde nemus. Redit agricolis labor actus in orbem
Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
Ac iam olim, seras posuit cum vinea frondes,
Frigidus et silvis Aquilo decussit honorem,
Iam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus et curvo Saturni dente relictam

---

das. *Bidens* enim, Graecorum δίκελλα, ligonum genus, quod ex altera parte duos dentes, ex altera autem s. a tergo latius ferrum ad incidendas glaebas videtur habuisse. Cf. Colum. IV, 17, 8. Pallad. I, 43, 1. VIII, 5. Plin. XVII, 21, 35. §. 4. Tibull. I, 1, 29. II, 3, 6. etc. Quare apud Iuven. III, 128. *bidentis amans* i. q. agriculturae studiosus. — *Aeternum*, Adverb. pro in aeternum, i. e. semper, assidue, ut Aen. VI, 401. 617. Hor. Ep. I, 10, 41. Ovid. Met. VI, 369. Tibull. II, 5, 64. etc. Ceterum Wagn. in min. edit. lectores attentos facit ad numeros horum versuum, quibus v. 399. assiduitas, v. 400. autem (qui nullam habet caesuram, sed tantum pausam heroicam inter quartum et quintum pedem) gravitas laboris exprimatur. — **401**. *nemus*, i. e. vinea. Cogitandum videtur de more arborem vitibus maritandi, de quo diximus ad Ecl. II, 70. — *levandum fronde*, quasi importuno onere, h. e. putandum. De frondatione vitium Voss. praecipere docet Colum. V, 5, 7. XI, 2. Calpurn. V, 96 sqq. Plin. XVII, 23, 35. §. 22. XVIII, 28, 68. et 31, 74. — *„labor*, qui *actus* erat, *redit in orbem* [iam peractus mox denuo agendus est], et *annus*, h. e. annua opera, annuus labor, *volvitur in se*, revolvit se, redit, *sua per vestigia*, eadem, ac superiore anno, ratione, modo, tenore ac progressu, [vel ut melius Wagn.: „in circulum quasi agitur et redintegratur, ut sua quasi vestigia denuo semper legat et eundem quotannis cursum repetat."] *Suo se in vestigia volvere* de mundo Varius [ap. Mar. Victor. I. p. 2503. P. *mundi - - in sua se vestigia volventis*] ante Vergilium et post hunc alii poëtae dixere." *Heyn.* Cf. etiam Koenig. ad Claudian. I, 2. — **403—407**. Auctumno exacto, statim in sequentem annum vinitori cura et opera extendenda est. — *seras ponit* (amittit) *cum vinea frondes*, quae ad extremum auctumnum duraverant. Cf. adnott. ad v. 14. et ad III, 437. — *iam olim - - cum* idem fere quod *iam tum - - cum;* quare v. 405. *iam tum* in repetitione usurpatum. Wunderl. comparat Horat. Sat. II, 3, 60. *olim - - cum*, et apud Vergil. Aen. V, 125. *olim - - ubi*, quod item ad praeteritum futurumve tempus referri possit, Conington autem Plaut. Trin. II, 4, 122. *Primum omnium olim terra quom proscinditur, In quinto quoque sulco moriuntur boves.* Cf. etiam infra Geo. III, 303. — **404**. *silva* sunt arbusta vitibus ingata; nisi omnino arbores silvestres intelligendae sunt. De vinea enim qui intelligit, mirae tautologiae patronum se profitetur. Arborum autem folia in Italiae regionibus decidere solent m. Novembri (Plin. XVI, 22, 36. XVIII, 25, 60.) et Decembri (Hor. Od. III, 18, 14. Epod. XI, 8.). Cf. Voss. — *honor* poëtis haud raro dicitur de frondibus arborum, quae iis sunt ornamento (v. c. Hor. Epod. XI, 6. (*December silvis honorem decutit.*) Val. Fl. VI, 296. Ovid. A. A. III, 392.), pariterque de floribus (Stat. Theb. X, 788. Sil. III, 487.) et frugibus (Hor. Od. I, 17, 1. ubi vid. Bentl. et Mitscherl.), Ceterum Varronis hunc versum esse, Servius testatur. (Cf. Wernsd. Poët. L. min. V, 1411.) Imitatur eum, sed infelicius Marklando iudice, Stat. Silv. I, 2, 154. (ab Heyn. laud.) his verbis: *Excludunt radios silvis decussa vetustis Frigora.* Adde Anthol. Lat. Burm. V, 62, 4. *decutit ipse rigor silvis hiemalis honorem.* — **405**. *Iam tum*. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXIV, 6. et adnott. ad Ecl. III, 10. — **406**. *Rusticus* est vinitor, ut apud Tibull. I, 1, 7. *Ipse seram teneras maturo tempore vites Rusticus.* — *acer*, diligens, labori non parcens. — *dens Saturni* est falx amputatoria, satis notum huius dei insigne (ἡ ἅρπη), quo non tantum alludebatur ad facinus hac falce in patrem commissum (cf. Hesiod. Theog. 163 sqq. et Servius ad h. l.), quam potius deus tamquam adiutor culturae pomorum et vitium significabatur. Iuvenale auctore XIII, 39. (a Coningtone laud.) Saturnus demum regno spoliatus eam prehendit. De falce vinitorum

Persequitur vitem adtondens fingitque putando.
Primus humum fodito, primus devecta cremato
Sarmenta et vallos primus sub tecta referto;
Postremus metito. Bis vitibus ingruit umbra;
Bis segetem densis obducunt sentibus herbae;
Durus uterque labor: laudato ingentia rura,
Exiguum colito. Nec non etiam aspera rusci
Vimina per silvam et ripis fluvialis harundo
Caeditur incultique exercet cura salicti.

agit Colum. IV, 25. Ceterum vid. infra ad v. 423. — *persequitur dente vitem.* Sic Geo. I, 155. *terram insectari rastris.* Cf. etiam Geo. I, 105., ubi *insequi* simili ratione usurpatum legitur. — *relictam*, i. e. fructu et frondibus nudatam (cf. v. 403 sq.), ut igitur, quod reliquum eius est, nunc putandum esse dicatur. (Cf. Schirach. p. 562.) Burm. cum Servio minus recte interpretatur: neglectam, antea non putatam. Peerlk. haerens in hac voce p. 151. meliore remedio nondum invento interim proponit coniecturam *recultam*, i. e. iterum putatam, comparans *terram recultam* apud Ovid. Met. V, 647., ubi Med. pariter praebeat *relictam*. Ceterum de putatione hic agi, non de ablaqueatione, cum inutiles radiculae ferro rescinduntur, vere docet Heynius, comparans Colum. IV, 23, 1. *Placet ergo, so mitis ac temperata permittit in ea regione, quam colimus, caeli clementia, facta vindemia, secundum Idus Octobris, auspicari putationem* etc., et simul docens etiam ablaqueationem putatione complecti ap. Columellam IV, 24, 4 sqq. De putatione autem praeterea agit Colum. V, 5. 6. et de arb. 10. sicut Pallad. III, 12. 13. XII, 4. Plin. XVII, 22, 55. et Geop. III, 13, 14. V, 23. — **407.** *fingit*, quia vinitor ramos inutiles abscindendo etiam externam vitium speciem excolit, exornat. Cf. adnott. ad Aen. VIII, 634. — **408—419.** Addit nunc tempora operis vinitorii. Cf. Colum. IV, 27. — *devecta sarmenta*, resectos ramulos. Vid. supra v. 207. — **409.** *vallos*, h. e. pedamenta, quibus per meliorem anni partem vites alligatae fuerant, ne imbribus putrescerent. Vid. supra v. 358. et Varr. R. R. I, 8, 6. — **410. 411.** „*metere* pro vindemiare, ut supra *segetem, arva, serere, semina* ad vineas transferri vidimus. Cf. ad v. 267. Porro bis in anno, vere et auctumno, pampinationem et runcationem fieri debere, dicit poëta; sed rem ab antecedente designat: bis pampini excrescunt nimia copia, bis herbae exuberant, itaque eruendae et evellendae sunt." *Heyn.* De *umbra* vid. adnott. ad Geo. I, 191. et supra ad v. 297. — **411.** *herbae* inutiles, inertes. Vid. adnott. ad Geo. I, 69. — *sentes* latiore sensu dicitur de iis omnibus, quae ex illis herbis enascuntur, ita ut solum et vites implicent. — **412.** Cum tam assiduam et perpetuam operam desideret cultura vitium, tu sine invidia specta aliorum magnas vineas; ipse praefer exiguam, quam diligentius colere possis. Cf. Pallad. I, 6, 7. *Fecundior est culta exiguitas, quam magnitudo neglecta* imprimisque Colum. I, 3, 8 sqq. IV, 3, 4 sq. et Plin. XVIII, 6, 7. §. 3., a quibus hic versus respicitur. Et Plinius quidem *latifundia Italiam perdidisse* memorat. Forma orationis ex Hesiodo petita *Ἔργ.* 643. *Νὴ' ὀλίγην αἴνειν, μεγάλῃ δ' ἐνὶ φορτία θέσθαι*, quod iam Heyn. adnotavit. — *laudato*, valere iube, aliis relinque, ut *colito* pro praefer, potiori loco habe. Huic loci interpretationi iam Heynio probatae haud dubie postponenda est Servii explicatio paulo artificiosior: *Laudato ingentia rura*, i. e. agros incultos, silvas, pascua, *colito* vero *exiguum agrum*, ita ut una parte cessante alia coli possit. Quod enim Vergilius Geo. I, 71. praecipiat, ut alternis cessent novales, hoc fieri non posse, nisi fuerint spatia maiora terrarum. — **413.** Porro comparanda sunt vincula e rusco vel salice, quibus vites ad vallos et arbores alligentur. — *nec nón.* Cf. adnott. ad v. 2. Drakenb. ad Sil. XIV, 203. et Hand. Turs. IV. p. 138., de coniunctis autem Particulis *nec non etiam* Arntzen. ad Auct. de orig. gent. Rom. c. 8. De *rusco* ad Ecl. VII, 42. dictum. Cf. etiam Voss. ad h. l. — *harundo.* Vid. adnott. ad Ecl. VII, 12. — **415.** *exercet cura salicti.* Salices curandae sunt, h. e. virgae ex iis parandae (cf. Geo. I,

Iam vinctae vites, iam falcem arbusta reponunt,
Iam canit effectos extremus vinitor antes;
Sollicitanda tamen tellus pulvisque movendus
Et iam maturis metuendus Iuppiter uvis.

265.); *incúlti*, quia salices nullo indigent cultu et sponte proveniunt. De salicibus vinearum causa serendis cf. Plin. XVII, 20, 32. — **416.** *falcem arbusta reponunt.* Vites (et arbores vitibus maritatae) iam satis putatae sunt et falcem non amplius requirunt, permittunt igitur vinitori falcem reponere. Ceterum cf. adnott. ad Ecl. II, 70. et III, 10. — **417.** *extremus vinitor*, qui ad extremam laboris partem pervenit (cf. supra v. 408. et 410. *primus* et *postremus*), *canit*, canens laetatur (cf. Ecl. I, 56. *canet frondator ad auras*), *effectos antes*, transactam (esse) vitium curandarum operam, cantu se exhilarat ob effectos antes. *Antes* enim sunt ordines vitium et arborum ad lineam ducti et in quincuncis (vid. supra ad Geo. II, 277.) formam plantati (cf. Nonius v. Antes: sic de vitibus etiam apud Sidon. Apoll. Ep. VIII, 8., de oleribus apud Colum. X, 376., ubi vid. Schneider.); et *effectos extremus* lectio optimorum Codd. (Med., Rom., Pal., quinque Pariss. Pottierii et duorum Bern., quorum alter a m. sec. *effe. tos* exhibet) quam cum Wagn. et Iahn. praetulimus vulgari ceterarum editionum omnium *extremos effetos;* nulla enim (quod iam Wagn. docuit) apparet causa, cur praeter necessitatem poëta metrum violarit, dicens *effectus* vel *effetus extremos*, cum servata lege metrica *extremos effetus* dicere potuerit, transpositio autem Adiectivorum ab eadem Vocali incipientium, imprimis si eandem mensuram habent, et permutatio terminationum in nominibus iuxta positis a librariis non aliena est. Accedit, quod *effetos* sive ad antes (*effetos extremus v. antes*) sive ad vinitorem referas (*effetus extremos vinitor antes*), sensum idoneum non praebet; cum neque de agro exsucco, neque de homine vel libidinibus vel senectute enervato sermo sit, *effetus* autem omnino significet eum, qui pariendi aut procreandi facultatem amiserit. (Vid. adnott. ad Aen. V, 396.) Contra *effecti antes* sensu supra exposito aptissimum. Sic Moret. v. 117. *Constat ut effecti species nomenque moreti.* Aen. XI, 14. *Maxima res effecta, viri* etc. Cf. etiam Kritz. ad Sall. Iug. 14, 11. Haec omnia tamen Hildebrandum, rigidum Censorem meum, non moverunt, ut receptam lectionem comprobaret, qui potius in Iahnii Annall. l. l. p. 169. strenuo defendit vulgarem lectionem *effetus extremos*, locis quibusdam minus aptis probaturus, *effetum* omnino esse *defessum*, *defatigatum*, *extremos* autem *antes* (quod meo quidem sensu non nisi de loco accipi posset) significare peractum vinitoris laborem. Ribbeck. autem et omnes recentiores editores nobiscum faciunt. Keil. denique in Philol. II. p. 166., et ipse iure defendens lectionem *effectos*, offendens tamen in *extremo vinitore*, paullo audacius *effectos extremos* legendum esse suspicatur, quod sane Cod. Gud. exhibet, dum *extremos* etiam in Codd. Bern. b. (a m. sec.) et c. apparet. — **418.** „Pulcherrime perfectam et absolutam vinitoris operam putandi ac runcandi designat. Iterum tamen ac denuo vineae fodienda seu pastinanda; quae ipsa fossio *pulveratio* dicitur, *ὑποκόνισις* Graecis. Et praeter haec omnia novus labor ex tempestate iniqua et aëris iniuriis oriri potest, ut adversus grandinem, pluvias, rubiginem, reliqua aëris vitia vitis munienda ac defendenda sit. Cf. Colum. IV, 3, 4." *Heyn.* De pulveratione cf. Colum. IV, 28, 1. XI, 2, 60. et Pallad. III, 7. deque utilitate eius contra soles nebulasque idem de arb. 12. et Plin. XVII, 22, 35. — *Sollicitanda tellus*, fodiendo, ut alibi arando, v. c. Tibull. I, 8, 29. *Primus aratra manu sollerti fecit Osiris, Et teneram ferro sollicitavit humum*, et Ovid. Fast. IV, 395. *herbae, Quas tellus, nullo sollicitante, dabat.* Ita enim *colles solliciti* (i. e. crebris fossionibus moti) apud Claud. I, 50. intelligendi. Simili ratione infra v. 503. *Sollicitant alii remis freta caeca.* — *pulvisque movendus*, solum in pulverem resolvendum; unde *pulveratio* dicitur. Cf. Plin. H. N. XVII, 9, 5. *Sunt qui pulvere quoque uvas ali iudicent pubescentesque pulverent et vitium arborumque radicibus adspergant*, et Colum. XI, 2, 60. *Pulverationem faciunt, quam vocant rustici occationem, cum omnis gleba in vineis refringitur et resolvitur in pulverem.* — **419.** *Iuppiter*, i. e. caelum grandinem minans; nam de

Contra non ulla est oleis cultura; neque illae
Procurvam expectant falcem rastrosque tenaces,
Cum semel haeserunt arvis aurasque tulerunt;
Ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco,
Sufficit humorem et gravidas, cum vomere, fruges.

---

tempestate cum grandine caelo deiecta cogitandum esse patet. Similiter apud Hor. Od. I, 22, 19. *nebulae malusque Iuppiter urget.* Cf. adnott. ad Geo. I, 418. coll. iis, quae ad Ecl. VII, 60. adscripsimus. — V. 420 sqq. usque ad v. 457. agitur de arboribus levi aut nulla omnino cultura indigentibus. Conington adnotat, hic et infra IV, 37. dubium esse, utrum sermo sit de re ipsis uvis et apibus, an de re vinitoribus et apiariis metuenda, utrum sit „*an object of terror to the grapes, or an object of terror [to the vine - - dresser] for the grapes*". Prior autem ratio haud dubie poëta est dignior. — 420. „Olearum contra nulla est cultura, h. e. oleae nulla fere cultura indigent. *Levi cultu sustinetur olea* Colum. V, 8, 1., ubi de earum cultu agere incipit. Adde Plin. XVII, 30 sqq. Porro *neque illae expectant falcem et rastros*, h. e. nec putatione nec pastinatione opus est, scilicet non tam assidua ac perpetua." *Heyn.* Ceterum cf. Curt. VI, 7, 7. *fruges maturitatem statuto tempore exspectant.* — *rastros tenaces*, quia telluri infiguntur glaebasque comprehensas tenent et secum trahunt. Cf. infra Geo. IV, 412. Aen. VI, 3. VIII, 453. XII, 404 etc. (Ita etiam Ameis. Spicil. p. 26., qui praeterea *rastros tenaces* oppositos putat *versis bidentibus* v. 400.) Wagn. autem *tenaces* per assiduos interpretatur, ut *rastri tenaces* assiduum rastrorum usum significent. De ipsis *rastris* vid. adnott. ad Ecl. IV, 40. — 422. *Cum semel haeserunt arvis*, e seminariis translatae radices egerunt. Supra v. 317. vites *semine iacto Concretam - - radicem adfigere terrae.* — *aurasque tulerunt*, aëris varietatem et tempestates ferre consueverunt. *Auras ferre* arbor dicitur iam paullo validior et altior, non recens et tenuis. Cf. v. 332 sq. Idem fere supra v. 360. erat *contemnere ventos.* — 423. „Sententia est haec: dummodo bidente subigatur humus, iam ipsam tellurem humorem oleis suppeditare: si vero solum et aretur glaebaeque magis frangantur, tellurem dare *gravidas fruges*, h. e. uberem olivarum proventum. Colum. V, 9, 15. *Nam veteris proverbii meminisse convenit; eum, qui aret olivetum, rogare fructum; qui stercoret, exorare; qui caedat* (putet), *cogere;* et §. 12. *Sed id* (olivetum) *minime bis anno arari debet, et bidentibus alte circumfodiri.*" Sic *Heyn.* rectissime. Voss. voc. *satis* recens modo satas oleas significari Vergiliumque hoc velle suspicatur, ut humus circa recens satas et teneras arbusculas bidente fodiatur; cum vero adultae sint, ad fructus rogandos sufficere arationem. Omnia autem, quae prius contra Wagnerum disputavi, *cum* pro Praepositione habentem et locum satis artificiosa ratione explicantem, nunc non opus est ut repetam, cum vir doct. in recentissima edit. sua sententia tacite mutata et ipse simplicissimam rationem nostram secutus verbis *cum vomere* addat: „scil. recluditur." (Non tamen reticendum, Servium in eundem incidisse errorem, qui *cum* abundare censens comparat Ennii fragm. [Ann. inc. 69. p. 77. Vahl.] *Effudit voces proprio cum pectore sancto.* neque aliter a Coningtone locum intelligi.) Equidem igitur singula sic explico: *Ipsa*, sua sponte. Cf. ad Ecl. IV, 21. — *satis*, i. e. oleis, quae eodem iure *sata* appellantur, quo supra v. 350. vineae. Sic mox v. 436. *saepemque satis.* Fuerunt vero etiam, qui *satis* pro Adverbio haberent, ita constructum ut Aen. III, 348.; quibus nunc etiam Iahnium et Peerlk. adsentiri video. Hic enim p. 152. Colon ponens post *tellus* et *cum vomere* mutans in *sine vomere* locum sic interpretatur: „Ipsa terra oleis sat est. Oleae terra contentae esse possunt: quae, cum recluditur ligone, humorem et fruges dat." — *dente unco* ligonis, bidentis. Vid. supra v. 400. et 406. — *sufficere* pro suppeditare, praebere legitur etiam infra v. 435. Aen. II, 618. IX, 802. Lucr. II, 107. III, 704. V, 480. Petron. c. 27. et alibi. — *cum* (cum) *vomere*, scil. recluditur. Reisk. et Schrader. coni. *gravidas cum foenore fruges.* — *Fruges* autem de omnibus arborum fructibus dici, Voss. docet coll. Colum. IX, 1. Calp. VIII, 67. Hor. Od. IV, 7, 11. —

Hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam.
Poma quoque, ut primum truncos sensere valentis
Et vires habuere suas, ad sidera raptim
Vi propria nituntur opisque haud indiga nostrae.
Nec minus interea fetu nemus omne gravescit
Sanguineisque inculta rubent aviaria bacis.
Tondentur cytisi, taedas silva alta ministrat,
Pascunturque ignes nocturni et lumina fundunt.
[Et dubitant homines serere atque impendere curam?]

---

425. *Hoc*, propter hoc, propterea. Vid. supra ad v. 312. — *nutritor*, antique pro *nutrito*, *nutri*, nam Priscian. VIII, 5, 26. (p. 798. P.) docet, veteres, ut *bellor* pro *bello*, *comperior* pro *comperio*, *copulor* pro *copulo* etc., ita etiam *nutrior* pro *nutrio* dixisse. Vid. etiam adnott. ad Aen. III, 61. et XI, 660. et cf. Ribbeckii Proleg. p. 148. et 196. — *placitam Paci*. Cf. Aen. VII, 154. et VIII, 116. ibique adnott. — 426. Commendat poëta ceterarum quoque arborum cultum. — *Poma*, quae indicant omnes arborum fructus esculentos (cf. supra v. 59. 87.), hic pro ipsis arboribus pomiferis posita. Vid. supra ad v. 34. — *ut primum truncos sensere valentes*, simul atque adulta robur habebunt. — 427. *vires suas*, succos necessarios. — *raptim*, rapide, ut supra I, 409. Quod ad ipsam sententiam attinet, cf. supra v. 80 sq. — 428. Poëta imitatus est Lucretium II, 650. *ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri.* — *vi propria*, natura sua. — *opisque*. Copulam adiectam, quae cum ab aliquot Codd. absit, Heynio „fulcrum versus a Grammaticis submissum" videtur, recte defendit Wagn., cum inaequalia membra coniungens fortiorem reddat orationem. Vid. Qu. Virg. XXXIV, 2. et adnott. ad Ecl. VIII, 101. — 429. „Pergit in argumentatione usque ad v. 454. Si oleae et omne pomorum genus non eandem ac vineae operam desiderant; multo minus reliqua arborum genera laboris exigunt, et magnos tamen fructus ferunt, nec tamen ullam aliam curam exigunt, quam ut seramus." *Heyn.* — *Nec minus interea* formula Vergilio usitata. Cf. Geo. III, 311. Aen. I, 633. VI, 212. XII, 107. Sic etiam Geo. I, 83. *Nec nulla interea.* — *interea*, dum vitibus tam gravis labor impenditur, oleaeque et pomi minore cultu proveniunt. — *omne nemus*, omne arborum silvestrium genus, *gravescit fetu*. Heyn. iam comparat Ecl. III, 56. *nunc omnis parturit arbos* (ubi vid. adnott.) et Lucr. I, 253 sqq. *At nitidae surgunt fruges ramique virescunt Arboribus, crescunt ipsae fetuque gravantur.* — 430. *aviaria* secundum Servium sunt secreta nemorum, quae aves frequentant. Supra v. 328. *avia virgulta* et v. 209. *domos avium. Aviarii* autem voc. praeter h. l. non nisi de domesticis et conclusis avium receptaculis usurpatur, ut a Varr. R. R. III, 3, 7. 4, 3. 5, 5. Colum. VIII, 1, 3. Cic. Qu. Fr. III, 1, 1. etc. — *sanguineis bacis*. Vid. Ecl. X, 27. — 431. *Tondentur*. Cf. Geo. I, 290. (I, 15. IV, 137. Aen. III, 538. Cul. 50.) — *cytisi*. Cf. adnott. ad Ecl. I, 78. et Voss. ad h. l. — *taedas* etc. „In pedestri oratione structura fuisset: *taedas silva ministrat, quibus, seu unde, ignes pascuntur* [i. e. quae materiam praebent igni s. quae incensae lumen fundunt]": *Wagn.* *Taeda* arbor, *succo parciore liquidioreque, quam in picea, flammis ac lumini sacrorum etiam grata*: Plin. XVI, 10, 19." *Heyn.* — 432. *Pascuntur ignes nocturni* etc. arcte cohaerere cum antecedentibus, vix est quod commemorem. Pedestris orationis scriptor dixisset: taedas, quae pascunt ignes (materiam praebent igni) et incensae lumen fundunt. Ita *pasci* de flammis etiam apud Ovid. Met. XIV, 467. *Danaas paverunt Pergama flammas.* Cf. etiam Aen. I, 608. *polus dum sidera pascet*, ubi vid. adnott. Ceterum cf. Aen. VII, 13. *nocturna in lumina.* — 433. Si hic versus genuinus est, sic explicetur: Quae cum ita sint, nonne debent homines serere eas arbores, omnem curam iis impendere? Sic enim et alibi Copula *et*, praecedentia ita spectans, ut respondeat formulae *quae cum ita sint* (*und da — noch*), in interrogationibus hortantibus usurpata legitur. Cf. Aen. I, 48. *Et quisquam numen Iunonis adorat?* VI, 807. *Et dubitamus adhuc virtu-*

Quid maiora sequar? — Salices humilesque genestae
Aut illae pecori frondem, aut pastoribus umbram
Sufficiunt saepemque satis et pabula melli. —
Et iuvat undantem buxo spectare Cytorum
Naryciaeque picis lucos, iuvat arva videre

---

tem extendere factis? XII, 645. *et Turnum fugientem haec terra videbit?* Heins. ad Ovid. Am. III, 8, 1, Beier ad Cic. Oratt. Fragmm. p. 56. Matth. ad Cic. Manil. 14, 42. Lachm. ad Propert. II, 10, 25. p. 135. Thiel. ad Aen. I, 48. Wagn. Qu. Virg. XXXV. p. 694. et Hand. Tursell. II. p. 484. Sed illa ipsa interrogatio aliena videtur ab hoc loco, ubi commendantur, quae sine omni hominum cultura sponte crescunt (cf. Ribbeckii Proleg. p. 49.) et versus abest a Codd. Med. (ita tamen, ut Wagnero teste signa quaedam appicta admonere videantur lectorem, deesse hic versum in aliis libris lectum, qua de re accuratius egit Ribbeck. in Proleg. p. 161.) et Colot., neque explicatur a Servio, quare Ribbeck. admodum probabiliter eum tamquam spurium in interiorem marginem reiecit, nos certe uncis inclusimus. (Conington Vergilii versum esse non dubitans laudat Heynium sic iudicantem: „Sententia versum absolvens facile excidere potuit. Versus per se est praeclarus.") — 434. „Praeeunte Servio haec ita exponenda: nolo copiosus esse narrandis commodis maiorum arborum (de picea modo egerat), cum etiam humiliora arbusta, ut salices et genestae, afferant utilitates suas? praebent enim pabulum, umbracula, saepem, mel." *Heyn.* — *Quid maiora sequar*, sc. narrando, i. e. exponam. Vid. ad Aen. I, 342, Schrader. sine iusta causa coni. *sequor*. Scilicet qui dicit *quid sequor? quid loquor?* etc., is ad praegressa spectans rem iam coeptam interrumpit et nihil amplius de ea se dicturum significat (cf. Aen. II, 101. IV, 368.), sed qui Coniunctivo utitur: *quid sequar, loquar?* is sequentia respiciens indicat, se rem, quam nunc ipsam exorditur, obiter tantum et per transitum commemoraturum esse (cf. Ecl. VI, 74. Geo. I, 104. Aen. VI, 601. VIII, 483.). Iam vero Wagn. verissime docet, illud *maiora* non ad praegressa, sed ad ea, quae paullo post v. 437 sqq. leguntur, referendum esse, ubi toti montes lucique cum altis arboribus commemorentur; ut haec loci sententia sit: quid maiora sequar — cum etiam minora, velut salices et genestae, suum habeant usum — buxum, piceas, pinus etc.? Copula autem *Et* v. 437., qua post plura interposita continuatur oratio (cf. Wagn. Qu. Virg. IX., ubi huc referuntur Aen V, 109 sqq. 839 sqq. IX, 176 sqq. V, 704 sqq. etc.), cum emphasi adiecta. — *genestas* (de quibus supra ad v. 12. dictum) non adeo *humiles* fuisse docet Voss., coll. Grat. Cyn. 130. et Calpurn. I, 5. — *illae*. De hoc pleonastico, qui videtur, Pron. demonstr. usu, quod tamen minime otiosum est, vid. adnott. ad Aen. I, 3. — *umbram* pro vulg. *umbras* ex Med. aliisque bonis libris cum recentissimis editoribus nunc recepimus, ut etiam Geo. II, 58. et 297. legitur, quamquam Geo. IV, 146. et Aen. XII, 207. Pluralis invenitur. — 436. *saepem*. Vid. ad Ecl. I, 53. — *sata* sunt arboreta, vineae, oliveta. Cf. modo ad v. 432. — *pabula melli* pro: pabula apibus. — 437. *Et*, Wagnero docente, post plura interposita continuat orationem, ut Aen. V, 113. XI, 179. — *Cytorus*, Paphlagoniae mons in tractu maritimo iuxta urbem eiusdem nominis situs (qui etiamnum *Kytros*, *Gydras* vocatur), buxo imprimis erat nobilis. Cf. Plin. VI, 2, 2. XVI, 16, 28. Quare apud Ovid. Met. IV, 311. *Cytoriacus pecten* pro *buxeo* et ibid. VI, 132. *Cytoriaco radius de monte* commemoratur. Cf. etiam Strab. XII. p. 544. Plin. VI, 2, 2. XVI, 16, 28. Catull. IV, 13. Ovid. Met. VI, 132. et liber meus geogr. II. p. 400. Pro buxo undante (i. e. fluctuante in modum aquae vento agitatae) in Cytoro poëta dixit *Cytorum undantem buxo*, quemadmodum Val. Flacc. I, 539. *regio undat equis floretque viris*. Saepius dicitur de flammis et fumo. Cf. etiam Geo. I, 472. III, 28. Aen. II, 609. XII, 673. „*Buxi* quanta in aliis terris altitudo sit, ex eo discas, quod Bion. Idyll. II, 3. parvum Amorem per eius ramos huc illuc insilientem facit. — 438. Pix e plurium arborum resina fit, maxime ex pinu ac picea. Plin. XIV, 20, 25. *Naryx*, vel *Narycum* et *Narycium*, Locrorum Epicnemidiorum [imo Opuntiorum: vid. liber meus geogr. III. p. 906.] urbs, Aiacis patria. Iam

Non rastris, hominum non ulli obnoxia curae.
Ipsae Caucasio steriles in vertice silvae,
Quas animosi Euri adsidue franguntque feruntque,
Dant alios aliae fetus, dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedrumque cupressosque.
Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris
Agricolae et pandas ratibus posuere carinas.
Viminibus salices fecundae, frondibus ulmi;

---

ab his Locris colonia in Italiam deducta Locros condidit. Cf. Aen. III, 399. et liber meus modo comm. III. p. 771. Ad utram regionem *pix Narycia*, cuius et Columella X, 386. et Plin. XIV, 20, 25. meminerunt, referenda esset, dubitari posset, nisi *picis Bruttiae* satis frequens inter antiquos mentio ficeret. Vid. Heins. ad Ovid. Remed. 264. [et adnott. ad Geo. I, 275.] Petebatur ea imprimis monte et silva *Sila*, de qua cf. Aen. XII, 715. Vid. Strab. VI. p. 400." *Heyn.* — **438. 439.** *arva* silvis consita *non obnoxia curae*, non egentia hominum cura. Cf. adnott. ad Geo. I, 396. — **440.** Quamquam summorum montium arbores fructus esculentos non ferunt, ligno tamen suo sunt utilissimae. — *Caucasus* poëtice pro quocunque monte silvoso nominari videtur, quamquam et ipsum *Caucasum*, maximum illum montem inter Pontum Euxinum et mare Caspium situm, arboribus abundasse refert Strab. XI. p. 497. Ceterum Ribbeck. cum Cod. Palat. et aliis scripsit *Caucaseo*. Med. et Rom. favent alteri Adiectivi formae, qua etiam alii scriptores vulgo utuntur. (Cf. Val. Fl. IV, 63. Mela I, 19. Plin. VI, 11, 12. 13, 15. etc.) — *steriles silvae*, arbores sine fructu eduli, quibus opponuntur *arbores frugiferae*. Cf. Taciti Germ. c. 5. — **441.** *animosi Euri*. Cf. Ovid. Am. I, 6, 51. *impulsa est animoso ianua vento* et Stat. Theb. IX, 459. *animosaque surgit Tempestas* (a Coningt. laud.) de ipso autem *Euro* supra ad v. 339. adnott. — *franguntque feruntque*. Wagnero *ferunt* h. l. fere idem est, quod *frangunt;* mihi potius notio auferendi vel loco movendi (*fortraffen*) videtur inesse. (In edit. min. tamen Wagn. meam explicationem adoptavit; si autem addit: „est nostrum *zerzausen*", hoc certe non ad solum verbum *ferunt*, sed ad coniuncta verba *franguntque feruntque* quadrat, quae tamen rectius vertuntur: *zerbrechen und mit sich fortraffen*. Heyn. minus apte confert *agere et ferre*. Ceterum vid. adnott. ad Geo. I, 118. et Wagn. ad Geo. I, 157. — **442.** *aliae*, sc. silvae. — „*fetus* sunt *usus*, ut statim *utile lignum* subiicitur. Similiter v. 446. *viminibus salices Fecundae* dictae." *Heyn.* Vid. ad Geo. IV, 231. — **443.** Post generis nomen, *lignum*, species afferuntur; *pini* navibus (vid. adnott. ad Ecl. IV, 38.), *cedri* et *cupressi* domibus exstruendis idoneae. Et hic pro *pinos*, quod Med., Rom., alii exhibent, aliquot Codd. *pinus* praebent, quod Ribbeck. recepit. Cf. supra ad v. 71. — *Cedrum*. Vid. ad Aen. VII, 13. — Voss. ex paucis Codd. edidit *cupressumque*. Ceterum de versu hypermetro vid. supra ad v. 69. et ad Geo. I, 295. — **444. 445.** „De arboribus rustici conficiunt rotarum radios et plaustrorum *tympana*, h. e. rotas ex solidis tabulis compactas (vid. Scheffer. de re vehic. I, 6. et Burm. ad h. l.) et navium *carinas*." *Heyn.* De *tympanis* plaustrorum cf. Pomp. Sab. ad Geo. I, 163. Vitruv. X, 4. et 10. Plin. XVIII, 34, 77. alii cum Salmas. Exercitt. Plin. p. 415. — *hinc*, ex illis arboribus. Vid. v. 442. et de hoc usu Adverbii Hand. Turs. III. p. 89. Burm. male iungit *hinc - - hinc* ut sit ex alia - - ex alia arbore; quod si indicare voluisset Verg., etiam v. 445. *hinc pandas* pro *et pandas* scripsisset, ut recte observat Wagn. (quem tamen video in edit. min. mutata sententia Burmanno adsentiri). — *trivere, - - posuere*, h. e. terere, ponere solent. (Cf. adnott. ad Geo. I, 49.) *terere* autem hic pro tornare dicitur. (Vid. Plin. XXXVI, 26, 66. (Vitrum) *aliud flatu figuratur, aliud torno teritur* et Bentl. ad Hor. Sat. I, 3, 91.) et *ponere* pro facere, ut apud Graecos saepissime τιθέναι pro ποιεῖν. — **446.** *frondibus ulmi*, quae pecori, imprimis bubus, pro pabulo dabantur. Vid. Cato 6. *Ulmos serito, - - uti frondem ovibus et bubus habeas*. Colum. V, 6, 3. et VII, 3, 21. Varr. I, 24, 3. Ceterum unus Ribbeck. Comma ante,

At myrtus validis hastilibus et bona bello
Cornus, Ituraeos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliae leves aut torno rasile buxum
Non formam accipiunt ferroque cavantur acuto.
Nec non et torrentem undam levis innatat alnus
Missa Pado; nec non et apes examina condunt
Corticibusque cavis vitiosaeque ilicis alveo.

non post voc. *fecundae* posuit, cuius distinctionis causam non perspicio. — 447. At myrtus cornusque ad bellum utilis. Verba sic construe: *At myrtus et bona bello cornus validis hastilibus*, scil. fecunda. Particulo *At*, cum transitioni inserviat, haud raro etiam in enumerationibus posita invenitur. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXXVII, 3., qui comparat Geo. I, 395 sqq. III, 83 sqq. et Aen. VII, 691., hisque locis similes censet illos, ubi *at* quendam rerum progressum indicet, ut Ecl. IV, 18 sqq. Geo. III, 187 sqq. IX, 603 sqq. — *myrtus validis hastilibus* (fecunda), i. e. iaculis et hastis. Cf. Aen. III, 23. *densis hastilibus horrida myrtus* et VII, 817. *pastoralem praefixa cuspide myrtum* cum Gratio Cyn. 127 sqq., qui aperte hunc locum respiciens scripsit: *disce agedum et validis delectum hastilibus omnem*. Wagn. autem *hastilia* de pedamentis intelligit, coll. supra v. 358., cui rationi, nisi essent illi Aeneidos loci, aliqua probabilitas accederet ex verbis sequentibus *et bona bello*. Ladew. et Conington mecum consentiunt. — *bona bello cornus*, quia sagittae, iacula, hastae inde fiebant; *tota* enim *ossea* est secundum Plin. XVI, 38, 73. *Bonus* pro idoneus, aptus, legitur v. c. apud Varr. R. R. I, 9. in. *Terra ad quam rem bona, aut non bona sit*, et Tac. Ann. II, 14. *Campi militi Romano ad proelium boni*. Cf. etiam Lucil. XXX. fr. 39. p. 84. Dousae *vir nobilis ac bonu' bello* et vid. Wakef. et mea adnot. ad Lucr. II, 408. — 448. *Ituraea*, Palaestinae regio ultra Iordanem fluvium ad orientales Hermonis montis radices sita (Ioseph. Ant. XIII, 9. Ev. Luc. 3, 1. Plin. V, 23, 19.). Incolebant eam Arabes latrociniis infames et sagittandi arte clari. (Strab. XVI. p. 749. 760. Cas. Cic. Phil. II, 8, 19. et 44, 112. Eutrop. VI, 14. Flav. Vospisci Aurel. c. 11. Lucan. VII, 230. 514., liber meus geogr. II. p. 691. not. 60. et Pauly *Realencycl.* IV. p. 337 sqq.) Hinc praestantissimos arcus poëta ab eis designat. Cf. adnott. ad Ecl. I, 54. — *torquentur*. Codd. quidam *curvantur* ex interpretamento. — 449. *Nec non tiliae* etc.; etiam tilia et buxus tornari et scalpi possunt. De *torno* vid. adnott. ad Ecl. III, 38. — *buxum* non tam ipsam arborem (quae *buxus* dicitur), quam truncum s. lignum eius significat. Cf. Ennius p. 78. Hessel. *longique cupressi Stant rectis foliis et amaro corpore buxum*. et Plin. XI, 43, 84. *Quae in lamina secantur, praecipua sunt cytrum, terebinthus, buxum*. — 450. *accipiunt*. Pluralis verbi post *aut buxum* requiritur, quia iungenda sunt *Nec non*. Cf. Wagn. Qu. Virg. VIII. p. 103. — 451. *Alnus* navigiis faciendis utilis est. (Cf. Geo. I, 136. *Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas*.) *Padi* autem ripae multis alnis erant consitae, et *torrens unda* aptissime Pado adscribitur, qui etiam Plinio III, 16, 20. *torrentior* dicitur. Cf. adnott. ad Geo. I, 482. — *undam innatat*. Cf. Geo. III, 142. et Aen. VIII, 651. — *Missa Pado* Heyn. recte interpretatur immissa in amnem de navalibus. Burm. autem, coll. Geo. I, 57., opinatur, hoc epitheton indicare alnos ibi natas transferri ad alias regiones. Ceterum imitatur hunc versum Claudian. XXXV, 178. *missamque Pado qui remigat alnum*. De *Pado*, notissimo illo flumine, quod nunc *Po* appellatur, cuiusque ripae alnis erant consitae, vid. liber meus geogr. III. p. 503 sqq. — 453. *Corticibus cavis;* loquitur de alvearibus corticeis. Varr. R. R. III, 16. *optimae alvi sunt corticeae*, et infra IV, 33. — *vitiosae* (i. q. exesae, Geo. IV, 44.) *ilicis alveo*. Cf. Varro l. c, *alii faciunt alvos ex arbore cavata*. — *alveo*. In libris fere omnibus legitur *alvo*, quod haud dubie debetur Grammaticis synizesi et Servii adnot. deceptis, qui cum ad h. l. adiiciat: „Sane pro *alveo* per synizesin *alvo* dicimus," et ad Aen. VI, 412.: „Alveo, fluminis scilicet; et per synizesin *alvo* facit," dubitari non potest, quin solam pronuntiationem prosodicam intelligi voluerit. Fuerunt sane, qui *alvus* vel femin. vel mascul. genere pro

[Quid memorandum aeque Baccheïa dona tulerunt?
Bacchus et ad culpam causas dedit; ille furentis
Centauros leto domuit, Rhoetumque Pholumque
Et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem.]
O fortunatos nimium, sua si bona norint,

---

alveus dictum ab antiquis contenderent (vid. Gronov. ad Plin. H. N. XXI, 12. Gud. ad Phaedr. III, 13, 9. Burm. ad Quinct. Decl. XIII, 10. Heinsium ad Petron. c. 66. et Schneider. ad Colum. IX, 6.); contra quos iure disputat Wagn. Qu. Virg. XVI. p. 447., qui ait, mirum esse, cur veteres, si forma *alvus* pro *alveus* usi fuerint, non *alvaria* etiam et *alvolus* pro *alvearia* et *alveolus* dixerint; quamquam sane *alvaria* exstet in aliquot libris Geo. IV, 34., quibus adde unum alterumve Cod. Columellae IX, 6, 1. et 7, 4. Ceterum synizesis in Vergilii carminibus haud rarae exempla quaedam collegimus ad Ecl. VII, 54.; huc autem imprimis pertinet Geo. IV, 34. *alvearia*. Ribbeck. tamen *alvo* scripsit, ut etiam l. modo l. *alvaria*. — Qui sequuntur quatuor versus, **454—457**., quibus vinculum carminis bona ex agris et arboribus capienda celebrantis et epilogi rusticos propterea beatos praedicantis solvitur, haud dubie sunt spurii, quod evidenter docuerunt Hanovius p. 10. et Peerlk. p. 152 sqq. (Cf. quae ad singulos versus adnotavimus.) Heyn quidem de iis sic iudicat: „Sationem silvarum suadere poëtam, memineris ex v. 433. Tot tantisque utilitatibus multum cedunt fructus vinearum, quae tamen tam assiduam operam exigunt; quin earum cultura multa adeo mala affert. Hoc, ut poëtam decebat, a generali ac nuda enuntiatione ad facti exemplum deducit;" sed verissime quaerit Peerlk.: „Quid iam de poëta dicamus, qui, quod brevi ante scripsit, finito carmine sic contemnit et *dona Baccheïa* fere abominatur, quasi eum commendatae vitium culturae poeniteat? addidisset saltem aliquid, quo inexspectata illa reprehensio mitigaretur"; quae Ribbeck. hos versus in Proleg. p. 49. defendens mihi non videtur refellisse. Forma Adi. *Baccheïus* pro usitatioribus *Baccheus, Bacchicus, Bacchius* legitur etiam Ovid. Met. III, 691. *Accensis aris Baccheïa sacra frequento* et Auson. Mos. 153. *Bacheïa munera*. — **455**. *ad culpam causas dedit:* homines ebrios ad facinora et crimina committenda incendit. Offendit autem constructio *causam dare ad culpam* pro culpae, quae simili tantum constructione *ansam dare ad aliquid* non potest excusari. Praeterea potius Pluralis exspectatur, cum multae sint ebrietatis culpae, i. e. multa scelera ebrietate committantur. — **456**. „Spectant ad Centaurorum vino inebriatorum furores et pugnam cum Lapithis in nuptiis Pirithoi cum Hippodamia. Vid. Ovid. Met. XII, 210 sqq. Apollod. II, 5, 4. ibique nott. Habuit noster ante oculos Odyss. XXI, 295 sqq. Apud Ovid. l. l. *Rhoetus* et *Pholus* non occisi, sed fugati memorantur; id quod nemo mirabitur, qui, quanta in his fabulis poëtarum variatio sit, et impune esse possit, meminerit. Quid enim? Ab aliis *Hylaeus* et *Rhoetus* ab Atalanta in Arcadia occisi memorantur. Vid. Apollod. III, 9, 2. Schol. Callim. in Dian. 221. et ibi Spanh. Itaque iungitur *domuit leto*." *Heyn.* — *Leto* est Ablat. instrum., qui vocatur, et *leto domari* respondet Homerico *χηρὶ δαμᾶσθαι*. — *Pholus* et *Hylaeus* eodem modo coniunguntur Aen. VIII, 294. Pro *Rhoetumque* Cod. Pal. praebet *Rhecumque*. Scilicet ut hic et ap. Ovid. Met. XII, 300. *Rhoetus* Centaurus (ap. Hor. vero Od. II, 19, 23. Gigas sic nominatus) commemoratur, sic ap. Apollod. et Callim. ll. ll. itemque ap. Aelian. V. H. XIII, 1, 30. 34. alius nomine *Rhoecus;* quare Bentl. ad Hor. l. l. *Rhoetum* verum utriusque nomen fuisse suspicatur. — **457**. *magno cratere minantem*. Cf. similis Ovidii locus Met. V, 80 sqq. *Ingentem manibus tollit craterа duabus, Infregitque viro*. De magnitudine horum craterum coniecturam capias ex Aen. IX, 346. — **458** sqq. Sequitur nobilissimus et pulcherrimus locus de vitae rusticae amoenitatibus et gaudiis, quocum Heyn. conferri iubet Culicem v. 57—96. Hor. Epod. II. Od. III, 1, 21—24. Serm. II, 6, 59 sqq. et IV, 5. Claudian. LII. *Felix qui patriis* etc. Tibull. I, 1. I, 5, 19—35. I, 10. II, 1. II, 3. Stat. Silv. II, 2. — **458**. *O fortunatos nimium*, i. e. fortunatissimos; nam *nimius* haud raro i. q. permagnus, *nimium* i. q. valde, maxime. Cf. Aen. IV, 657., Prop.

Agricolas! quibus ipsa, procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit aedibus undam,
Nec varios inhiant pulcra testudine postes

III, 30 (II, 32), 43. Lucan. VIII, 139. et Stat. Silv. III, 3, 25. *nimium felix*, Cat. dir. 112. *fortunati nimium*, praeterea Cic. in Arat. 314. Plaut. Mil. IV, 2, 8. 12. et multa alia exempla ab Handio Tursell. IV. p. 208 sqq. prolata. — *sua si bona norint.* Cf. Aen. IV, 641. Ovid. Met. I, 96. *Nullaque mortales praeter sua litora norunt.* Sen. Hipp. 531. *sua quisque norat maria.* Santen. ad Ter. Maur. 148. p. 8sq. Markl. ad Stat. Silv. III, 5, 88. Passerat. et Burm. ad Prop. I, 6, 1. et 9, 20. et Unger de Valgio Rufo p. 124. — **459—460.** *ipsa tellus, αὐτή, αὐτόματος*, sua sponte, lubens volensque. Vid. infra v. 500. et adnott. ad Ecl. IV, 21. — *iustissima*, quia creditum cum usura reddit. Cf. Xen. Cyr. VIII, 3, 38. *Αὐτὸς σκάπτων καὶ σπείρων καὶ μάλα μικρὸν γήδιον, οὐ μέντοι πονηρόν γε, ἀλλὰ πάντων δικαιότατον· ὃ τι γὰρ ἂν λάβοι σπέρμα, καλῶς καὶ δικαίως ἀπεδίδου.* Philemon 406. (Meinek.) *Δικαιότατον κτῆμ' ἔστιν ἀνθρώποις ἀγρός, Ὧν ἡ φύσις δεῖται γὰρ ἐπιμελῶς φέρει* (a Coningt. laud.) et Cic. de sen. 15, 51. *Terra nunquam recusat imperium nec unquam sine usura reddit.* — *procul discordibus armis.* Cf. Tibull. II, 3, 37. *Praeda feras acies cinxit discordibus armis.* — *facilem victum*, qui facile habetur et paratur, et sic tacite opponitur oppidanorum victui artificiose quaesito et parato. Cf. etiam infra v. 500. — *fundit*, magna copia suppeditat. Vid. adnott. ad Ecl. IV, 20. — *humo*, h. e. ex solo, ex culta superficie sua; *telluri* enim hic tribuitur *humus* eadem ratione, qua apud Lucret. V, 1188. *solum terrae* legimus. Heyn. satis apte confert Avien. descr. orb. 1193. *Dives humo tellus*, ubi cf. Wernsdorf. — **461. 462.** „Si fastus et luxus potentium abest. Primo loco clientium turba memoratur. Certavit cum Lucretio II, 24—36., pulcherrimo loco; quo exprimendo iam vires expertus erat in Culice 61 sqq." *Heyn.* Immo Culicis auctor sua ex hoc Vergilii loco hausisse censendus est; nam putidum illud de culice carmen non esse Vergilii, vix dubitari potest. Cf. Diss. de Verg. vita et carm. nota 15. Cum Lucretii l. l. hos versus iam Macrob. Sat. VI, 2. (p. 163. Bip.) contulit. Uterque autem poëta Romanus Homerum Od. VII, 103 sq. ante oculos videtur habuisse. — **461.** *foribus domus alta superbis*, i. e. habens fores superbas s. magnificas. Sic Ameis. Spicil. p. 26. recte locum explicat. Heyn., Voss., alii (quos prius temere secutus sum) *foribus* pro *per fores* positum coniungunt cum *vomit*. Cf. Sen. Herc. fur. 164. *Ille superbos aditus regum durasque fores colit.* Geo. III, 26. Aen. VI, 20. et Hor. Epod. II, 7. *Superba civium Potentiorum limina.* — **462.** *vomit*. Heyn., qui non inepte comparat *vomitoria* theatri, *vomere* refert ad aditum, qui magnam hominum copiam admittat; rectius cogitasset de domo, qua glomeratim homines sese effundunt. Fortasse Vergilio obversabatur locus Ennii (fr. inc. 9. p. 67. Vahl.) *et Tiberis flumen vomit in mare salsum.* (Cf. Macrob. Sat. VI, 4. p. 519. Ian.) — *totis aedibus* additur ad maiorem etiam multitudinem indicandam quae totam domum, atrium, repleverat, Eodem *unda salutantium* spectat, nunquam cessantem venientium et abeuntium turbam significans. Ceterum mos clientium patronos mane salutandi satis notus. — **463. 464.** Si non superba palatia incolunt. — *inhiant*, habere cupiunt (scil. agricolae), *postes varios* (*πεποικιλμένους*) *pulcra testudine*, h. e. fores opere variegato, testudineo ornatas. *Inhiare* cum quarto Casu coniungunt v. c. Plaut. Mil. III, 1, 1, 121. idem Stich. IV, 2, 25. et Caecil. apud Gellium II, 23. Saepius cum tertio Casu construitur. De ianuarum autem, lectorum aliarumque rerum ornamentis testudineis cf. v. c. Ovid. Met. II, 737. *domus ebore et testudine cultos Tres habuit thalamos.* Mart. XII, 66. *Gemmantes prima fulgunt testudine lecti* etc. Vid. etiam Plin. IX, 11, 13. et Interpp. ad Lucan. X, 120. (qui hunc ipsum Maronis locum imitatione sic expressit: *et suffixa manu foribus testudinis Indae Terga sedent.*) et Iuven. IV, 308. Quod attinet ad postes ita ornatos cf. v. c.

Inlusasque auro vestis Ephyreïaque aera,
Alba neque Assyrio fucatur lana veneno
Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi:
At secura quies et nescia fallere vita,

Hor. Od. III, 1, 45. *Cur invidendis postibus -- moliar atrium?* — 464. *Inlusas auro vestis*, stragulas vestes, in quibus artifex acu quasi ludens aliquid auro pinxit, intexuit, ideoque simpliciter vestes auro pictas; nam *ludere, lusus, ludibrium* sunt artificii naturam imitantis vocabula. Cf. Avien. descr. orb. 1258. (Persae) *Illudunt auro vestes*, Prudent. περὶ στεφ. XIV, 104. *Splendore multo strata habitacula, Illusa pictae vestis inania.* et Nemes. Cyn. 91. *sit chlamys aurato multum subtemine lusa.* Qui quidem loci, quos ex nostro fluxisse in promptu est, una cum receptae lectionis elegantia nos retinuerunt, quominus cum Ribbeckio et Ladew. reciperemus Codd. Pal. et Rom. lectionem *Inclusas*, cui etiam Med. IN :: LVSAS exhibens, et Schol. Bern. in Ribb. Proleg. p. 196. patrocinantur et quam Ladew. ita studet defendere, ut (coll. Lucr. IV, 1126 sq. *grandes viridi cum luce smaragdi Auro includuntur*) arbitretur, poëtam simplicitati faventem cum indignatione quadam de his vestibus stragulis loqui tamquam auro circumsessis („*in Belagerungszustand versetzt*"), quae explicatio paullo artificiosior videtur. Vulgari autem sensu accepta haec lectio mirum quantum languet, et quos Ribbeck. in Proleg. 285. comparat locos Aen. XI, 488. et XII, 430., ubi legitur *suras incluserat auro*, alius generis esse, quisque videt. Conington quoque, ut Haupt., lectionem *inlusas* retinuit et defendit. (Cf. etiam Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 314.) — *Ephyreïa aera*, vasa Corinthia, s. ex aere Corinthio facta, quae apud Romanos adeo in pretio fuisse constat, ut vel argenteis et aureis praeferrentur. Cf. Plin. XXXIV, 2, 3. Cic. Tusc. II, 14. in. Verr. II, 34, 83. 72, 176. IV, 44, 97. Flor. II, 16. Mureti Varr. Lectt. III, 5. Falbroni in *Atti dell' Acad. Ital. di scienze* etc. I. p. 203 sqq. Winckelmanni Opera ed. a Meyero et Schulzio T. V. p. 135. 430 sqq. Boettigeri Sabina I. p. 44. Beckeri Gallus I. p. 35. et Fiorillo in: *Kunstblatt* 1832 *Nr.* 97. *Ephyra* autem antiquum fuerat Corinthi nomen (cf. Eustath. ad Hom. Il. II, 570. VI, 152. Plin. IV, 4, 5. et Iebb. ad Aristid. II. p. 538.); unde *Ephyreïus* pro Corinthius etiam apud Lucan. VI, 17. Sil. XIV, 180. Stat. Theb. VI, 253. Claud. in Eutrop. I, 9. et alibi legitur. — 465. 466. Si porro nec purpurae nec unguentorum usum habent. — *fucatur veneno.* Ut *fucus* de adoptato colore quocunque dicitur, (cf. Lucr. II, 744. Hor. Ep. I, 10, 27. Plin. XXXI, 7, 42. etc.) ita *venenum* de quovis succo, imprimis amariore aut acriore. Cf. Caius. Dig. L. 16, 236. *Qui venenum dicit, adiicere debet, malum an bonum sit: nam et medicamenta venena sunt, quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum eius naturam, cui adhibitum est, mutat; cum id, quod nos venenum appellamus, Graeci φάρμακον dicunt.* Sic Hor. Ep. II, 1, 207. *Lana Tarentino violas imitata veneno.* Ovid. Remed. 351. *cum positis sua collinet ora venenis* (i. e. fuco). Eadem significatione *virus* apud Lucan. X, 123. legitur. — „*Assyrium* h. l. pro Syrio et Phoenicio. Sic *Ἀσσύριον ξεῖνον* accipiendum puto de mercatore Phoenicio apud Theocr. II, 162." *Heyn.* Vid. adnott. ad Ecl. IV, 25. Imitatus est hunc locum auctor Culicis 61. *Si non Assyrio fuerint bis lauta colore Attalicis opibus data vellera.* — 466. Rustici non quaerunt oleum odoratum, sed contenti sunt oleo *liquido*, i. e. puro et simplici. De *casia* vid. sup. ad Ecl. II, 49. et Geo. II, 213. At h. l. est frutex ille intelligendus, cuius corticem odoratum admiscebant unguentis. Cf. etiam Dioscor. I, 12. Theophr. h. pl. IX, 6. Plin. XII, 13. alii. — „*usus olivi* doctius quam oleum, quo utuntur. Infra III, 135. *obtusior usus.* Horat. Od. III, 1, 42. *purpurarum usus.* — *corrumpi* h. l. pro misceri, sed adiuncta notione mutationis in deterius, a luxus pravitate profectae." *Heyn.* Iacobs. laudat Plutarch. T. II. p. 393. C.: *τὰ μιγνύμενα τῶν χρωμάτων οἱ βαφεῖς φθείρεσθαι, καὶ φθορὰν τὴν μίξιν ὀνομάζουσιν.* Ceterum hunc locum ante oculos habuit Persius II, 64. sic canens: *haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo.* — 467. *At*, scil. *non abest*; quod ex v. 471. repetendum. Quam alacris autem et vivida evadat haec multarum

Dives opum variarum, at latis otia fundis —
Speluncae vivique lacus et frigida Tempe
Mugitusque boum mollesque sub arbore somni —
Non absunt; illic saltus ac lustra ferarum,
Et patiens operum exiguoque adsueta iuventus,
Sacra deum sanctique patres; extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit.

---

rerum amoenarum enumeratio eadem Particula saepius repetita, vix est quod dicam. Cf. Ovid. Met. V, 17 sqq. 507 sqq. Tibull. I, 7, 44 sqq. Interpp. ad Tac. Ann. I, 10. et Dissen. ad Tibull. l. l. — *secura quies*, quam quis agit secure. Cf. Lucr. III, 952. [939. Lachm.] *Aequo animoque cupis securam, stulte, quietem?* Lucan. V, 526. *Securus belli; praedam civilibus armis Scit non esse casas.* — *nescia fallere vita*, i. e. vita innocens, libera a dolis et fallaciis, quod sane non differt a vita hominum, qui ipsi non fallunt. Quod attinet ad constructionem cf. Geo. IV, 470. *nescius mansuescere*, Hor. Od. I, 6, 6. *nescius cedere*, ibid. IV, 6, 18. *nescius fari*, Ovid. ex P. II, 9, 45. *nescius vinci* etc. (Cf. etiam Schirach. p. 408. et Wakef. ad Lucr. III, 952.) — **468.** *opum*, bonorum, quibus fruuntur agricolae. — „*latis fundis*: non de latifundiis cogitandum; sed sunt campi et colles aperti, unde prospectus patet late: quae res ad animum et frontem explicandum magnam vim habet. (Vid. Meierotto p. 9.)" *Heyn.* — **469.** *vivi lacus*, aqua perenni. Cf. Aen. II, 719. Varr. L. L. IV, 26. Ovid. Fast. II, 250. IV, 778. Liv. I, 45. extr. etc. — Pro vulg. *at frig. Tempe* cum Ribbeckio et Ladew. ex Med., uno Bern. atque Gramm. Aspro 114, 26. et Acrone ad Hor. Od. I, 21, 9. recepimus *et frig. T.*, quod toti loco (post illud duplex *at* et ante duplex *que*) melius convenit. Vv. enim **469** et **470**. prioribus tantum per parenthesin adiiciuntur, ut securam et otiosam vitam ruri actam amoene expingant. Ceteri recentiores editores *at* servarunt, parenthesin non agnoscentes. — *frigida Tempe*, umbrosae valles. Nam Tempe (*Τέμπεα, Τέμπη*), amoenissima illa Thessaliae convallis inter Olympum et Ossam, per quam Peneus fluvius decurrit, (vid. liber meus geogr. III. p. 856. et quae exposui in Pauly *Realencycl.* VI. p. 1666.) interdum pro quacumque amoena regione ponitur. Cf. v. c. Ovid. Fast. IV, 477. *Heloria Tempe.* id. A. A. I, 15. *Heliconia T.* Stat. Theb. I, 485. *Theumesia T.* etc. — **470.** *molles somni*, lenes, tranquilli et dulces. Eodem sensu Hor. Od. III, 1, 21. *lenes*, Stat. Theb. X, 116. *teneros* etc. Cf. Orell. ad Hor. Od. II, 16, 15., ubi *leves somni* commemorantur, ut ibid. II, 11, 8. *faciles.* Servius laudat poëtae Graeci verba *μαλακοὶ δ' ὑπὸ δένδρεσιν ὕπνοι.* Vid. adnott. ad Ecl. VII, 45. — **471.** *saltus* proprie de pascuis. — *lustra ferarum* pro venatione memorat. — **472.** *operum*, scil. rusticorum. Vid. ad Geo. I, 277. et cf. Lachm. ad Tibull. I, 4, 48. — *exiguo assueta*, ut ap. Tibull. I, 1, 25. *contentus vivere parvo* (ubi Dissen. non debebat coniicere *modico p. c. v. in arvo.*) — *exiguoque. Parvoque* Voss. edidit e Codd. aliquot (inter quos etiam Gud. et Bern. c.), quibuscum conspirant Donat. ad Ter. Andr. I, 1, 48. Nonius p. 433, 17. et Codd. quidam Servii et Prisciani p. 1173. P. (Cf. Ribbeck. Proleg. p. 185.) Sed Med., Rom., Pal., Bern. b. et optimi Codd. Macrob. VI, 2. *exiguoque* tuentur. *Parvoque* Iahn. fortasse ex Aen. IX, 607. ortum censet, ubi hic versus hoc uno vocabulo mutato iteratur. Cf. adnott. ad Ecl. V, 37. Vid. etiam Claud. in Rufin. I, 216. *Vivitur exiguo melius.* — **473.** Illic *sacra deum*, i. e. vere sacra; sacra ibi religiose coluntur, est ibi pietas et metus deorum. — *sancti patres*, i. e. patres et senes sancti habentur, sancte ac pie coluntur. Ameis Spicil. p. 27. ex antecedentibus subintelligit *non absunt*, i. e. adsunt, cum emphasi dictum. Ceterum cf. similis locus Ecl. III, 33. — **474.** *Iustitia excedens.* Vid. Ecl. IV, 6. ibique adnott. — „*extrema per illos vestigia fecit*, cum scilicet iam ante aulas et palatia beatorum reliquisset. Vid. Arat. Phaen. 100 sqq. Supersunt inter agrestes vestigia priscae iustitiae et innocentiae. — **475—489.** Ante omnia studiis philosophiae ac naturae consecratam vitam agere se velle ait; quod si non licuerit, at certe rusticam. Utraque enim vita beata et exoptabilis;

Me vero primum dulces ante omnia Musae, 475
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant caelique vias et sidera monstrent,
Defectus solis varios lunaeque labores;
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant

---

v. 490. alterius tamen deliciis ac bonis describendis inmoratur. Expressit haec auctor Dialogi de Orator. c. 13. digno, qui comparetur, loco." *Heyn.* Similes loci apud poëtas haud raro inveniuntur, quos congestos vide ab Obbario ad Hor. Ep. I, 12, 16 sqq. Fasc. V. p. 145. — **475—476.** Heyn. coniungit *primum ante omnia* (sil. *accipiant* me Musae); ut *primus ante omnes* Aen. II, 40. V, 101. 492. Rectius autem ceteri editores *ante omnia* cum vocabulo *dulces* coniungunt, quam rationem iam collocatio verborum suadet. *Primum* opponitur iis, quae v. 483. continentur, et sententia haec est: Maxime quidem cupio, ut mihi liceat in naturae secreta penetrare et principales rerum causas perspicere, sed si hoc mihi interdictum est, certe terrae pulchritudine et vitae rusticae amoenitate frui mihi contingat. Compositionem autem verborum *dulces ante omnia Musae* i. e. dulcissimae, Wagn. comparat cum *nihil illo homine iucundius, optime, dulcissime rerum*, similibusque dictionibus. Color igitur loci idem fere, qui Ecl. II, 61. *nobis placent ante omnia silvae.* Handius tamen Turs. I. p. 388. Heynii, vel potius Philargyrii rationem praefert, cum gravitate praestet Musas simpliciter vocari dulces. — „*dulces Musae, μειλίχιαι* Arato Phaen. 16. 17., quem locum in animo habuit. *Musae accipiunt* eum, qui se iis tradit, consecrat. — *Sacra ferre* proprie est sacrificantis, v. c. Aen. III, 19., [IX, 86. XII, 13.] Hor. Serm. I, 3, 10 sq. al., tum omnino sacerdotis. Iam autem poëtae Musarum sacerdotes [*Μουσάων θεράποντες*] frequenter appellantur. Notum Hor. Od. III, 1, 3. *carmina non prius Audita Musarum sacerdos Virginibus puerisque canto*, et Prop. III, 1, 2. [IV, 1, 3.] *Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos Itala per Graios orgia ferre choros.*" *Heyn.* Peerlk. tamen, haerens in formula *sacra ferre* pro sacerdotem esse posita p. 156. coni. *signa.* — *ingenti percussus amore, πληγείς*, expressum ex Lucret. I, 922. 923. *acri Percussit thyrso laudis spes magna meum cor, Et simul incussit suavem mi in pectus amorem Musarum.* Cf. etiam Hor. Epod. XI, 2. *Scribere versiculos amore percussus gravi*, et Aen. IX, 197. *magno laudum percussus amore.* Heynio poëta videtur respicere orgia deorum, cum furore et enthusiasmo celebrari solita, in primis Bacchica. — **477.** *Accipiant.* Musae accipiunt, i. e. benevole excipiunt (vid. adnott. ad Aen. III, 220.) et iuvant eum, qui se iis consecrat. Peerlk. tamen l. l. coni. *Adspiciant*, quod languidiorem efficit sententiam. (Cf. etiam quae Ladew. Progr. p. 17. contra eum disputat.) — „*caelique vias et sidera*, quod in vulgari oratione: siderum cursum in caelo. [Vid. adnott. ad Geo. I, 335.] Iam Orpheus Argon. 205. *ὅς ῥα πορείας Οὐρανίας ἄστρων ἴδε κύκλους τε πλάνητας.*" *Heyn.* Scilicet ubi didacticum poësis genus significare volunt, veteres imprimis siderum cursus et mutationes commemorare solent. Omnino autem physicas quaestiones, quae ornatum poëticum maxime admittant et quibus Orpheus, Musaeus, Empedocles, alii ingentem laudem assecuti sint, poëtae nostro singulari studio dignas videri potuisse, iam Heyn. adnotavit. Cf. similes loci Aen. I, 740 sqq. Manil. I, 99 sqq. Prop. IV, 4 (III, 5), 25 sqq. Hor. Epist. I, 12, 16 sq. (ubi vid. Obbar.) Ovid. Met. XV, 71. et Tibull. II, 4, 13 sqq. (ibique Dissen.). — **478.** *lunae labores*, defectus, quia luna quasi invita obscuratur. Sic etiam Aen. I, 742. *solis labores.* Propert. III, 32 (II, 34), 52. *cur fraternis Luna laboret equis* et Arnob. adv. Gentes I, 173. (a Wagn. laud.) *mensem vide ut luna auctu, senio, labore circumagat.* Ceterum cf. Lucr. V, 750. *Solis item quoque defectus Lunaeque latebras Pluribus e causis* (hi sunt Vergilii defectus varii) *fieri tibi posse putandum est.* — **479.** *Unde tremor terris.* Cf. Lucr. VI, 577 sqq. — „*qua vi maria alta tumescant*, h. e. causas accessus ac recessus maris aestuantis, argumentum sane philosophicae contemplationis sollemne." *Heyn.* Cf. Arist. Met. II, 2. Lucr. V, 1000 (1002) sqq. Sen. N. Qu. III, 1 sqq. et quos praeterea locos attuli in libro meo

Obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Sin, has ne possim naturae accedere partes,
Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis:
Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes,
Flumina amem silvasque inglorius. O ubi campi

---

geogr. I. p. 584 sqq. Iteratur hic versus in Burm. Anth. Lat. I, 178, 186. — 480. *obices* s. *obiices*, quae vox proprie omnia significat, quae alicui rei obiiciuntur cohibendae, claudendae, pessulos, claustra, repagula etc., hic non sunt moles fluctibus oppositae, sed litora saxosa ab ipsa natura exaggerata, imprimis in aestuariis. Cf. infra Geo. IV, 422. Aen. X, 377. Claud. in Eutr. II, 34. et Sen. Herc. fur. 238. Ceterum Serv. adnotat: „Alii [ut Philarg., cf. Ribbeck. Proleg. p. 26.] sic accipiunt, quod *ruptis obicibus*, i. e. Calpe et Atlante montibus Hispaniae et Mauritaniae Oceanus eruperit", quam opinionem haud dubie provocavit Oceanus occidentalis mox commemoratus. De duplici scribendae vocis ratione vid. Gellius IV, 17. Schneider. Gr. L. I, 1. p. 288. et II, 1. p. 421., qui, ubi longa syllaba requiratur, *obiex, obiicis*, ubi brevis, *obex, obicis* scribendum esse censet, et praeter eos, quos iam Wagn. Orth. Verg. p. 445. laudavit, Ruddim. I. p. 122 sqq. not. 55, 8. et Ribbeck. Proleg. p. 174. — Vss. 481. et 482., quibus respiciuntur causae, cur hieme longiores, aestate breviores sint noctes, iterantur Aen. I, 745. 46. Etiam huius rei causam Lucretius exposuerat V, 679 sqq. Solem autem ex veterum opinione confecto cursu diurno in Oceanum descendere, res est satis nota. Cf. cum h. l. Geo. I, 246. ibique adnott. Ceterum etiam v. 481. repetitur loco Anth. modo laud. v. 187. — 482. *quae tardis mora noctibus obstet*, (vid. adnott. ad Geo. I, 32.), i. e. quid efficiat, ut tarde veniant, ut aestate breviores sint noctes. Ceterum cf. adnott. ad Aen. II, 250. Ribbeck. hic et v. 484. cum Gud. scripsit *opstet, opstiterit*. Cf. eius Proleg. p. 390. (et Wagn. Orth. Verg. p. 413.) — 483—489. Si philosophus esse nequit, agricola saltem esse vult. Vid. supra ad v. 475. — 483. Respexit hunc locum auctor carm. in Wernsd. Poët. L. min. VI, 353, 57. *Sed quis ad has possit naturae attingere partes?* — 484. Stuporem anima a *frigore sanguinis* ducere recte potest poëta qui tantum probabilia sequitur; praesertim cum e philosophis nonnulli ita sensisse videantur. *Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem*, Cic. Tusc. Qu. I, 9, 19., ubi vid. Davis. [Cf. etiam Plat. Phaed. p. 96. et Lucr. III, 43. (a Coningt. laud.) et Tennemann. *Gesch. d. Philos.* T. I. p. 253.] Quod vero *sanguinem circa praecordia* memorat, ex antiqua Italorum philosophia petitum videri potest, in qua *praecordia*, *φρένας*, *πραπίδας*, sedem non modo motuum animi, sed etiam mentis faciebant. Vid. Cic. ibid. Sed hoc ipsum Empedocleum est, cuius versus laudatur in [Stoboei Ecl. phys. p. 1026., in.] Etym. Magno v. *αἷμα* et alibi: *Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περιχάρδιόν ἐστι νόημα.* Notabilis locus Schol. Cruqu. ad Hor. A. P. 465. Empedocles — *qui dicebat, tarda ingenia frigido circa praecordia sanguine impediri.* - - - Imitatus est versum Lucan. II, 557. *Fervidus haec iterum circa praecordia sanguis Incaluit.*" *Heyn.* — 485. Cum tota sententia cf. Hor. Sat. II, 6, 1 sqq. Epist. I, 10, 6 sq. Cul. 75 sqq. aliosque locos similes. — *amnes rigui* h. l. qui rigant. Hinc *riguum* pro aqua irrigante apud Plin. XVII, 26. Similiter *irriguus* usurpatur Geo. IV, 32. Cf. Broukh. ad Tibull. II, 1, 44. a Wund. laud. — 486. *amem. Amare* poëtis saepe dicitur pro incolere, habitare. Vid. Aen. III, 134. Ovid. Met. XIV, 626. Sil. XII, 526. et cf. Burm. ad h. l. idemque ad Gratii Cyneg. 390. — *inglorius*, nullam e rebus magnis et gravibus, qualis est philosophica rerum naturae investigatio, famam quaerens. Opponit enim poëta suam artem philosophiae gravitati et gloriae (vid. ad v. 475.) Cf. etiam Geo. IV, 564. ibique adnott. Adi. *inglorius*, quo Ciceronem et optimos quosque scriptores uti constat, legitur praeter h. l. Geo. IV, 94. Aen. IX, 548. X, 52. XI, 793. et XII, 397. — 486—489. „O quam velim ruri vitam agere! Tamquam poëta nobiliora rura memorat, in Thessaliae, Laconicae ac Thra-

Spercheosque et virginibus bacchata Lacaenis
Taygeta! o qui me gelidis in vallibus Haemi
Sistat et ingenti ramorum protegat umbra!
Felix, qui potuit rerum cognoscere causas, 490

---

ciae campis. Cf. Culicem v. 93., in quo quasi semina vel rudimenta huius pulcherrimi loci videas." *Heyn.* Sed vid. supra ad v. 461. adnott. Vulgo verba sic ordinant: *O qui me sistat, ubi campi* etc., quod et verborum ordine non firmari, et Pron. *qui* pro *quis* posit offendere, vere adnotat Iahn., qui recte verba sic coniungit: *O ubi* (sunt) *campi - - - o* (ubi est), *qui me sistat* etc. Haec autem omnia non esse interrogantis, sed optantis: utinam sit, qui me sistat! (i. e. utinam ibi vivere mihi contingat,) bene perspexit Wagn. Qu. Virg. XXII, 3. extr. — *campi Spercheosque* poëtice pro campis ad Spercheum sitis, h. e. campis Thessaliae, in cuius confiniis subter Oetam montem fluvius ille (qui nunc *Elladha* vocatur), ex Tymphresto monte ortus, in sinum Maliacum se effundit. (Cf. Hom. Il. XVI, 174. Herod. VII, 198. 228. Strab. IX. p. 428 sqq. Mela II, 3. alii et liber meus geogr. III. p. 874.) Ceterum vide quae de figura ἐνός διὰ δυοῖν ad Ecl. II, 8. Geo. III, 335. et alibi adnotavimus. Markland. ad Stat. Silv. V, 3, 209. aliique ingeniose quidem, sed tamen praeter necessitatem, coni. *O ubi Tempe Spercheosque*, coll. Claud. Bell. Get. 181. Ceterum *Spercheos* (Σπερχειός) est Medicei a m. pr. et Leid. lectio ab Heins. revocata, quae comprobatur aliquot librorum scriptura *Sperchios* (vid. Priscian. p. 587. P.). Sex Codd. (inter quos Pal.) praebent *Spercheus*, plurimi, ut vulg. editur, *Sperchius*, (quod „quam certum sit non dixerit" Ribbeck. Prol. p. 214.) Cf. Heins. ad h. l. et ad Ovid. Met. I, 579. Ex recentioribus editoribus unus Conington Graecam formam non recepit, sed *Spercheus* edidit. De Graecis autem nominum propriorum terminationibus vid. adnott. ad Ecl. VI, 13. et X, 12. atque Ribbeck. Proleg. p. 440. — *Taygeta*, sc. iuga, ὄρη; alibi enim hi montes alti et asperi ex Arcadio per totam Laconicam procurrentes et Taenario promontorio in mare exeuntes apud Graecos dicuntur τὸ Ταΰγετον (Hom. Od. V, 103. Herod. IV, 145. Polyb. XXXIV, 10. Steph. Byz. p. 640.), apud Romanos *Taygetus* (Mela II, 3. Plin. IV, 5. Liv. XXXIV, 28.), quo nomine etiamnum utitur, quamquam etiam *Pentadaktylos* et *Braccio di Maina* et summa eius fastigia *Hag. Petros* et *Paximadhi* vocantur. Cf. liber meus geogr. III. p. 865. et Ross. *Königsreis.* II. p. 202 Ribbeck. hic et infra III, 44. cum Palat. scripsit *Taugeta*. Cf. eius Proleg. p. 453. et Wagn. Orth. Verg. p. 482. — *bacchata*, passive, in quibus virgines Lacaenae bacchari, orgia Bacchi celebrare solent. Sic *bacchatae Naxos* Aen. III, 125. (ubi vid. adnott.) et Val. Fl. III, 20. *Dindyma sanguineis famulûm bacchata lacertis.* Ita etiam apud Graecos Partic. βακχευθείς usurpatur. Cf. etiam adnott. ad Ecl. IX, 53. Heyn. docet, fuisse sub Taygeto adhuc Pausaniae (III, 20.) aetate Bacchi templum, ad quod solis mulieribus aditus patuerit. — 488. *o, qui me - - sistat*, i. e. utinam me sistat aliquis. Vid. supra et cf. Aen. XII, 883. *O quae sata alta dehiscat Terra mihi*, Plaut. Phorm. I, 2, 73. *Homo confidens: qui illum di omnes perduint* similesque locos. De *Haemo*, qui silvis abundabat, cf. adnott. ad Geo. I, 489 sqq. — 490—493. „Beata est, inquit, vita philosophi, nec minus beata vita rustici. Cf. Colum. in praef. *Res rustica - - quae sine dubitatione proxima et quasi consanguinea sapientiae est*, et Cic. Cat. mai. 15. *Venio nunc ad voluptates agricolarum, - - quae mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere.* Philosophiae autem Lucretianae capita hic proferri, manifestum fit. Vid. Lucr. I, 49 sqq. et 105., qui versus optimi huius loci commentarii sunt. Fortasse etiam Graecus poëta utrique ante oculos erat. Laudatur ex Empedocle: Ὄλβιος, ὃς θείων πραπίδων ἐκτήσατο πλοῦτον ap. Clem. Alex. Strom. V. extr. *Heyn.* — 490. *potuit* Heyn. pro *potest* positum censet; sed propria hic Perfecti vis et significatio obtinet. Debet enim iam cognovisse rerum causas, qui iure meritoque felix praedicandus est. Imitatus est hunc locum Lucan. IV, 393. *Felix, qui potuit mundi nutante ruina Quo iaceat tuto scire loco;* fortasse etiam Ovid. Met. XV, 67. eum respexit, *primordia*

Atque metus omnis et inexorabile fatum
Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari.
Fortunatus et ille, deos qui novit agrestis
Panaque Silvanumque senem Nymphasque sorores.
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit et infidos agitans discordia fratres

---

mundi et *rerum causas* coniungens. — **491.** Qui rerum naturam bene perspexit, is nec Orcum nec mortem timet. Cf. Cic. Fin. I, 13., Epicurum praedicans, qui doctrina sua hunc metum sustulerit. Ex Epicuri enim philosophia haec petita esse, iam Heyn. intellexit. — *metus* ex superstitionibus falsisque opinionibus natos, in primis de inferis. Etiam hic Vergilio plures Lucretii loci obversabantur. Cf. Lucr. I, 67 sqq. 79. 103 sqq. III, 14. 37. V, 1193 sqq. — *inexorabile fatum*, i. e. mors cuique fato destinata, quae nullis precibus averti potest. Similiter Aen. VIII, 344. *ineluctabile fatum*, ubi vid. adnott. Ceterum de *fato* cf. adnott. ad Geo. I, 416. Aen. I, 39. et al. — **492.** *Subiecit pedibus.* Cf. Aen. VII, 100. et Lucr. I, 79. *Quare religio* (superstitio) *pedibus subiecta vicissim Obteritur.* — *Avarus Acheron*, i. e. insatiabilis, quatenus Tartarum cingens omnes Manes quasi absorbet, neminem reddit. Ita *mors* Martiali V, 38, 15. dicitur *avara lex fatorum*, et apud Hor. Od. III, 29, 61. *avarum mare*, apud Prop. III, 26, 10. (II, 28, 56.) *ignis avarus* legitur. Vid. etiam adnott. ad Aen. I, 547. Cum ipsa sententia cf. Lucr. III, 25. *nusquam apparent Acherusia templa.* — **493. 494.** „Vitae rusticae amoenitatem a splendidis et sanctis rerum imaginibus petit, e vita primorum hominum, aureae aetatis, sumptis. Nempe cum puris castisque illis hominibus dii versabantur; vide vel Catull. LXIV, 385. Itaque is, qui silvas, valles, fontes et antra frequentat, deos agrestes nosse praeclare dicitur. Cf. Culic. 76." *Heyn.* De *Pane* vid. ad Ecl. II, 32., de *Silvano* ad Ecl. X, 24. — **495—499.** „Vivit is animo imperturbato, atque ut omni cupiditate, ita a cura ac sollicitudine vacuo, et vere vitam beatam ex Epicuri formula agere videri potest. — *Illum non populi fasces, non purpura regum Flexit:* nil curat, honores ac magistratus in quem transferantur, aut quibus regna sive reddantur sive eripiantur." *Heyn.* Quod attinet ad tria Subiecta per *non — non — et* ita coniuncta, ut *et* ipsum acquirat vim negativam, cf. adnott. ad Aen. IV, 236. — *populi fasces*, magistratus a populo tributos. Cf. Lucr. III, 1009. (996.) *Qui petere a populo fasces saevasque secures Imbibit*, Hor. Epist. I, 16, 33 sq. *ut si* (populus) *Detulerit fasces indigno, detrahet idem* et similes locos. — *purpura regum.* Cf. Hor. Od. I, 35, 12. *purpurei tyranni* ibique Orell. — *flexit* (ut in seqq. *doluit, invidit, vidit*) pro flectere solet. Vid. adnott. ad Geo. I, 49. *Flectere* autem hic i. q. *movere.* Aen. VII, 251. *nec purpura regem picta movet;* agricola ista omnia non curat. — **496.** Verba *et infidos agitans discordia fratres* de civilibus Romanorum bellis intelligi non posse (de quibus etiam Ameis. Spicil. p. 28. cogitat), iam docet Particularum ratio *non - - et - - aut*, unde patet verba *et infidos - - fratres* per epexegesin praecedentibus adiungi, ita ut de fratre fratri regnum eripere conante sermo sit; quod iam Wagner. perspexit. Cf. Qu. Virg. XXXVI, 8. p. 574. Quare Heyn. et sequentes editores cogitant de Tiridatis et Phraatis dissidiis, qui de regno Parthico inter se certantes Augusti gratiam ambiebant, (vid. Dio Cass. LI, 18. XIII, 33. et Iustin. XLII, 5. coll. Hor. Od. I, 26, 3—6.); quam tamen opinionem nuper admodum dubiam reddidit Ribbeck. Proleg. p. 18., cum Dio et Iustin. ll. ll. de *Tiridate τινί, quodam* loquantur et Iust. narret, Phraatem ab Augusto postulasse, ut *servus suus* Tiridates sibi remitteretur, unde eos non *fratres*, immo ne cognatos quidem fuisse appareat. Quos autem alios fratres discordantes poëta respexerit, quis potest coniectura assequi? De Armeniis enim Artabaze s. Artaxia et Tigrane cogitari non posse, idem Ribbeck. docuit. Ceterum cf. similis locus Lucr. III, 72. *Crudeles gaudent in tristi funere fratres.* — *Daci* montium iuga trans Istrum incolentes, numquam cessarunt Istro glacie concreto Romanos fines vastare, donec Q. Tuberone et Paullo Fabio Coss. U. C. 743. s. 11. a. Chr. n. devicti sunt, ripaque ca-

Aut coniurato descendens Dacus ab Histro,
Non res Romanae perituraque regna; neque ille
Aut doluit miserans inopem aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit; nec ferrea iura

---

stellis et vallo munita. (Cf. Suet. Octav. c. 21. Dio Cass. LI, 22. Hor. Od. I, 35, 9. III, 6, 14. Statius Theb. I, 20. alii.) Prorsus vero perdomiti et Romano imperio subiecti sunt demum a Traiano (Dio Cass. LXVIII, 14. Eutrop. VIII, 2. Euseb. Chron. p. 81.). Anno autem U. C. 724. s. 30. a. Chr. n., h. e. eo tempore, quo Georgica absolvisse poëta videtur, M. Crassus cum iis et Bastarnis bellum gessit (Dio Cass. LI, 23 sqq.) et a. d. IV. Non. Iul. a. 727. de iis triumphavit. (Cf. Mommsen. ad res gestas divi Augusti p. 88.) Ceterum errare Heynium, qui Dacos cum Getis (qui proprie iidem erant) ad Slavicos populos referat, apparet ex iis, quae in libro meo geogr. III. p. 1104. disputavi. — *descendens* de montibus suis. Cf. Claud. in Rufin. I, 310. *mixtis descendit Sarmata Dacis.* Flor. IV, 12, 18. *Daci (montibus inhaerentes) quotus concretus gelu Danubius iunxerat ripas, decurrere solebant et vicina populari.* — *Hister coniuratus*, i. e. populi ad Histrum s. Istrum (Danubium) habitantes, qui arma cum Dacis sociabant. Cf. adnott. ad Geo. I, 509. Statius Theb. I, 19. locum nostrum sic imitatus est: *bis adactum legibus Histrum Et coniurato deiectos vertice Dacos.* Vulgo quidem scribitur *Istro*; in Med. tamen, cuius auctoritatem cum Wagn. (et recentissimis editt.) secutus sum, hic et Geo. III, 350. nomen cum adspiratione legitur. Cf. etiam Ter. Maur. p. 2388. et 2400. Putsch. Eutych. p. 2313. P. Drak. ad Liv. XL, 21, 2. Broukh. ad Tibull. IV, 1, 146. Oudend. ad Lucan. II, 50. Schneid. Gr. Lat. I, 1. p. 194. Wagn. Orth. Verg. p. 442. et Ribbeck. Prolég. p. 421. — **498.** *res Romanae perituraque regna*, quae Wagn. prius in unam notionem coniungenda esse censuerat, ut intelligerentur bella Romanorum cum exteris gesta et his exitiosa, in min. edit. Ameisium Spic. p. 28. secutus rectius explicat per res et domi et foris a Romanis gestas („*die innere u. äussere Politik*": Ameis. et Ladew.). Perversa locum intelligendi ratio Reiskium adeo moverat, ut *res Romanae* in *res Comanae* (i. e. Armeniae, Parthicae) mutandum censeret, cum Romano poëta indignum esset, rempublicam Romanam *peritura regna* appellare. Vossius autem Sexti Pompeii, Lepidi, Lucii Marcique Antonii dominationem significari, hosque ipsos v. 504. reges appellari existimat; Peerlk. tamen p. 157. pro *res* legi vult *spes.* — **499.** „*neque ille Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti,* non duritie et ferocia animi, aut Stoica aliqua apathia, quae male, a Servio inde, huc advocatur; sed nec dolet, nec invidet, quod [tantum habens, quantum ad vitam sustentandam sufficit, eoque contentus] remotus ab omni pauperum miseria et divitum luxu ac fastu, animum ab omni perturbatione vacuum habere potest." *Heyn.* Peerlk. p. 158. pro *Aut* coni. *Haud.* Obversatus videtur hic locus auctori Epigr. in Anth. Lat. Burm. II. p. 420. *miseratus egentem Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?* Cum ipsa sententia Conington confert Tibull. I, 1, 77. *ego composito securus acervo Despiciam dites despiciamque famen.* — *habenti*, diviti, ut *habere* apud Cic. ad Fam. VII, 29. dicitur; add. Euripid. Herc. Fur. 636. ἔχουσιν, οἱ δ' οὔ." *Wund.* Ita Cic. fragm. ap. Prisc. VIII, 4, 17. p. 792. *Qui habet, ultro appetitur, qui est pauper, aspernatur.* Iuven. XIV, 207. *Unde habeas, quaerit nemo, sed oportet habere* etc. Neque aliter intelligendi illi loci, ubi *amor habendi* (Aen. VIII, 327. Hor. Epist. I, 7, 85.), *cura habendi* (Phaedr. prol. l. III., ubi vid. Burmann.) et similia leguntur. Ceterum totus hic versus iteratur in Anth. Lat. Burm. III, 81, 21. — **500.** Haec ex Lucret. V, 935. 936. adumbrata esse, iam Macrob. Sat. VI, 1. extr. observavit. Expressit sequentia Seneca Herc. fur. 179 sqq. — *volentia*, h. e. lubentia, quia *sponte sua* et *ipsa* ferunt fructus. Vid. ad v. 460. — **501.** Non curat lites, neque opus est ei iurium et legum vinculis ad fidem et virtutem servandam. — *ferrea iura*, rigida, quae flecti nequeunt nec gratia ullius, nec metu, nec miseratione. Schirach. p. 413. quaerit: „Quid? si

Insanumque forum aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque
In ferrum, penetrant aulas et limina regum;
Hic petit excidiis urbem miserosque Penatis,
Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro;

---

ad leges aeri incisas respexit posta?" qua de re tamen vix cogitasse videtur, quamquam etiam Ameis. Spicil. p. 28. hanc explicationem amplectitur comparans Ovid. Met. I, 91. *nec verba minantia fixo Aere ligabantur.* — **502.** *„Insanum forum,* insano clamore litigantium perstrepens. Sic *rabies, furor,* tribuitur foro et causidicis. — *nec populi tabularia vidit,* h. e. nullum vectigal, nec portorium, nec pascua, a populo publicanus conduxit; quarum redemptionum tabulae in tabulario publico servabantur, quod Romae erat in atrio Libertatis. Vid. Liv. XLIII, 16." *Heyn.* Cf. etiam Cic. pr. Arch. 4, 8. Inscr. ap. Grut. p. 170, 6. et p. 478, 2. Burm. de vectig. P. R. in Polen. Thes. I. p. 936 sqq. Franckii Proleg. in Cic. Verr. I. p. 351. quosque praeterea laudant Beier ad Cic. Off. III, 22, 88. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 1, 77. Vol. I. p. 85. — **503.** Alii incertis casibus se committunt in mari, in bello, in aulis regum exterorum. Ita etiam Voss. tria hic significari putat, mercaturam, bellum, potentiorum gratiam, eademque nunc est Wagneri sententia. Ceterum cf. locos similes Hor. Epod. II, 5 sqq. et Colum. Praef. §. 7. — *sollicitant remis freta.* Vid supra ad v. 418. — *freta,* (marina: cf. adnott. ad Geo. I, 327.) *caeca* Servio sunt subito in tempestatem surgentia, quorum motus caeci, h. e. incerti sunt; Heynio ignota, inexplorata, vel etiam obscura, nigra (ut Aen. III, 200. *caecae undae*), Vossio denique et Wagnero, quibus ego adsentior, plena incertorum casuum et periculorum propter latentes scopulos, syrtes, alia. Iacobs. laudat Serap. Anthol. Pal. VII, 200. ἢ ῥά τις ἠσθα Ἔμπορος ἢ τυφλοῦ κύματος ἰχθυβόλος, et VII, 275. *Μαλέου τυφλαὶ σπιλάδες.* — **504.** *limina regum.* Conington confert Hor. Epod. II, 7. *superba civium Potentiorum limina,* Pers. I, 108. *maiorum limina; reges* autem non proprio, sed latiore sensu dictos de viris praestantibus in civitate et potentibus intelligit coll. Hor. Ep. I, 7, 37. et 17, 43., cui addere poterat Plaut. Stich. III, 2, 2. Ter. Phorm. II, 2, 24. Martial. II, 18, 5., alios; addita tamen vox *aulas* hanc explicationem videtur dissuadere. — **505—507.** *„Hic,* alius, militiae adscriptus, exscindere parat *urbem,* int. Romam, et *Penates,* h. e. patriam suam (bella autem civilia respicit), ut luxu diffluat. Militia omnino illo tempore inter modos opum ac divitiarum quaerendarum expeditiores, scilicet e praeda et agris assignandis (v. c. Prop. IV, 4. (III, 5.) Tibull. I, 1, 1—4.), multo magis in civilibus bellis." *Heyn.* — *petere excidiis,* ut alibi *petere* aliquem *bello* (Aen. III, 603.), *insidiis,* etc. Ceterum Brunck. coni. *miserosque parentis:* sed recte librorum lectionem defendit Wagn. infra ad v. 514. — **506.** Macrob. Sat. VI, 1, 40. (p. 158. Bip.) comparat hunc Varii versum *Incubet ut Tyriis atque ex solido bibat auro,* quem Vergilius imitatus sit. *bibere gemma* pro bibere e gemma, ut *bibere caelato* apud Iuvenalem XII, 47.; *gemma* autem pro poculo ex gemma facto. Cf. Propert. IV, 4 (III, 5), 4. *Nec bibit e gemma divite nostra sitis.* Sen. de prov. 3. extr. *Illi, quibus gemma ministratur,* Grat. Cyn. 313. *Dum servata cavis potant Mareotica gemmis* et Plin. XXXIII, 1, 2. *turba gemmarum potamus* etc. — *Ostrum Sarranum,* quod etiam ap. Colum. X, 287. legitur, est stragula purpurea. *Sarranum,* i. e. Tyrium, ab antiquo urbis nomine *Sor* s. *Sur* (*Tsor, Tsur,* צור), unde Romani *Sarram* fecerunt. Serv. ad h. l. adnotat: „Quae nunc Tyros dicitur, olim Sarra vocabatur a pisce quodam, qui illic abundabat, quem lingua sua sar appellant," et Probus ad h. l. affert Ennii verba (p. 84. Hessel.) *Poenus Sarra oriundus.* Cf. etiam Gellius XIV, 6. extr. et Festus s. v. p. 252. Lind. Hinc *Sarranus* haud raro pro *purpureus.* Cf. Iuven. X, 38. Sil. XV, 205. Sidon. Carm. II, 5. etc.; etiam pro *Carthaginiensis,* imprimis apud Silium (VI, 468. VII, 432. VIII, 46. etc.). Ceterum vid. adnott. ad Geo. III, 307. Iahn. de hoc versu conferri iubet Weichertum de L. Varii et Casii Parm.

Condit opes alius defossoque incubat auro;
Hic stupet attonitus rostris; hunc plausus hiantem
Per cuneos geminatus enim plebisque patrumque
Corripuit; gaudent perfusi sanguine fratrum,

---

vita p. 108. — Pro *dormiat* Medic. praebet *indormiat*, quod coll. Horatii l. infra l., eiusd. Epod. V, 69. Petron. c. 79. Curt. VI, 10. Plin. Ep. I, 2., Heins. praeferre videtur. Sed vulgatam praeter ceteros Codd. tuentur Macrob. Sat. VI, 1. et Schol. Stat. Theb. I, 149. — 507. Cum *condit* et *defosso* non differant, Peerlk. p. 158. pro *condit* coni. *cogit*. Sed idem, prima significatione captum, est *condit*. Cf. Cic. pro Cluent. 26, 72. *qui illi pecuniae, quam condiderat, spe iam atque animo incubaret.* id. Agr. II, 62, 69. *ut liceat illi pecuniam condere.* id. N. D. II, 62, 156. *fructus condere et reponere.* ibid. 63, 157. *frumentum condere* etc. Cf. etiam Schmidt. ad Hor. Epist. I, 1, 12. et qui hunc laudat Ladew. Progr. p. 18. *defosso incubat auro.* Cf. Wernsd. Poët. L. min. III, 236, 11. *immenso dives vigil incubat auro.* Aen. VI, 610. *Aut qui divitiis soli incubuere repertis.* Hor. Serm. I, 1, 70. *Congestis undique saccis Indormis inhians.* Conington confert Hor. Sat. I, 1, 42. *Quid iuvat immensum te argenti pondus et auri Furtim defossa timidum deponere terra?* — 508—510. „Alius eloquentiae forensis laudem appetit, dum pro Rostris dicentem audit; alius populi studia miratur, et cupit gratiosus apud populum haberi; *nimium gaudens popularibus auris* dixit Aen. VI, 817." *Heyn.* — *stupet Rostris.* Eadem constructione Hor. Od. II, 13, 33. *illis carminibus stupens.* Serm. I, 4, 28. *stupet Albius aere.* ibid. II, 2, 5. *stupet insanis acies fulgoribus* etc., cum quibus locis cf. Hor. Serm. II, 5, 95. *Pausiaca torpes tabella.* Saepius *stupere aliquid* vel *ad aliquid.* — *hiantem* prae admiratione ac stupore. Markland. ad Stat. Silv. III, 2, 61. parum probabiliter de aemulandi cupiditate accipit. — *plausus per cuneos*, i. e. ab iis, qui per cuneos sedent et homines apud populum gratiosos, cum theatrum ingrediuntur, plausu excipere solent, editus. Cf. v. c. Interpp. ad Hor. Od. I, 20, 3. II, 17, 25 sq. Cic. Phil. I, 12, 30. et Lucan. I, 133. — *geminatus*, aut repetitus (cf. v. c. Hor. l. l. *cum populus frequens Lactum theatris ter crepuit sonum*), aut quod *et* plebis *et* patrum est. Prior tamen ratio videtur praestare. — 510. *Corripuit*, percussit, animum commovit. Markland. ad Stat. Silv. III, 2, 61. coniicit *Corripit: hi gaudent*, quod non sint, ad quos referas voc. *gaudent*. Sed ex superioribus facillime *alii* posse intelligi, iam Heyn. docuit. — *enim* hic vim asseverandi habet, ut in *enim-vero* et *sed enim*, et auget vim praegressi vocabuli, (ut Aen. II, 100. VI, 317. VIII, 84.). Ita igitur *geminatus enim* i. q. geminatus quidem, quippe geminatus, quemadmodum Aen. VI, 317. *miratus enim.* Cf. nott. ad Geo. I, 79. Voss. et Iahn. verba *geminatus - - patrumque* parenthesi includunt, verbum *est* subaudientes; quod Wagn. frigere censet. Schirach. p. 435., Heinsium secutus, non nisi verba *geminatus enim*, pro *geminatur enim* posita, per parenthesin inserta censet. Peerlk. denique p. 159. audacter coni. *geminans studium*, quod explicat: „ostendens geminum studium (favorem) plebis et patrum." — 510. Ibi (in urbe) sunt caedes aliaque scelera et exsilia, quae rusticis omnia sunt ignota. *„Gaudent perfusi sanguine fratrum:* ad veteranos et ceteros refero, quibus promissi per bella civilia (hinc *perfusi sanguine fratrum*) agri assignabantur; ita cum sequente versu sententias arte coniunctas esse videas. Res liquida vel ex Lucretii versibus III, 70.: Dum homines paupertatem fugiunt, *Sanguine civili rem conflant - - Crudeles gaudent in tristi funere fratrum;* quem hic expressum esse, iam a Macrobio expositum Sat. VI, 2." *Heyn.* Adde Hor. Od. I, 35, 33. *Eheu cicatricum et sceleris pudet Fratrumque.* Ceterum *gaudent perfusi* Graecorum modo dictum atque ita explicandum esse constat: perfusi sanguine (i. e. cum perfusi sint) gaudent, sc. se perfusos esse. Cf. Aen. X, 500. XII, 6. 702. Hor. Epod. II, 19. *gaudet decerpens.* id. Epist. II, 2, 107. *gaudent scribentes.* Tibull. III, 4, 60. *gaudet nupta* etc. Ex aliis exemplis Participiorum Graeco more usurpatorum, quae collegit Wagn. Qu. Virg. XXIX, 6., huc imprimis pertinet Aen. II, 377. *sensit medius delapsus* in

Exsilioque domos et dulcia limina mutant
Atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hinc anni labor, hinc patriam parvosque Penates
Sustinet, hinc armenta boum meritosque iuvencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus
Aut fetu pecorum aut Cerealis mergite culmi,
Proventuque oneret sulcos atque horrea vincat.

---

hostes, ἤσθετο ἐμπεσών (ubi vid. adnott.). — 511. *Exsilium* (i. e. locum exsilii, ut Aen. III, 4. *Diversa exsilia et desertas quaerere terras*) Heyn. ad colonias refert; Wagn. autem adnotat, iis, qui in bellis civilibus vicissent, agros in Italia adsignatos esse, ideoque non convenire *patriam alio sub sole iacentem;* et hic potius cum Vossio de iis cogitandum esse, qui Antonium in Aegyptum secuti fuerint. — *dulcia limina*, ut Ecl. I, 3. *dulcia arva*, ubi Wagn. in edit. min. verissime memorat, *dulcia* appellari omnia, quae mutuae cuiusdam caritatis vinculo nos obstrictos teneant, ut parentes, fratres, liberos, tum terram et domum, ubi nati educatique simus. — *mutant.* Heyn. comparat Hor. Od. II, 16, 18. *Quid terras alio calentes Sole mutamus?* — 513 sq. „Descripserat poëta varia studia, quibus sollicitarentur homines ad satiandas suas cupiditates. Quanto felicior agricola! Unice incumbit suis agris colendis et rei rusticae augendae, nihil praeterea curans, nec incertus de re futura per totum annum suum laborem beatus persequitur, et habet, unde patriam suosque sustentet." Haec *Schirach.* p. 471. — V. 513. uno verbo mutato iteratur ex I, 494. *terram dimovit aratro.* Cf. Ovid. Met. V, 341. *Prima Ceres unco terram dimovit aratro.* De Perfecto *dimovit* vide paullo ante ad v. 496. — *Hinc anni labor*, hinc venit ei labor, qui per totum annum idem manet (cum alii contra variis negotiis exerceantur v. 503—512.), hinc greges, familiam totamque patriam alit. (Cf. infra Geo. IV, 155. Ciris v. 418. etc.) Sic rustici, qui totam patriam labore suo sustinent, bene opponuntur urbium incolis, qui discordia sua eandem pessumdant. Markl. ad Stat. Silv. I, 2, 145., Voss. et Hand. ad eund. Stat. T. I. p. 267. minus bene *Hic anni labor* scribi voluerunt, quod etiam Heynio placet, qui *anni laborem* accipit de proventu ex labore annuo, et a Ribbeckio in contextum receptum est, cum in Gud. tamquam alia lectio commemoretur. — *parvosque Penates* pro vulg. *parvosque nepotes* cum recentissimis editoribus praeter Bryceum et Coningt. (etiam Wagnero in min. edit., cui prius *Penates* ex Aen. VIII, 543. huc translati videbatur,) ex Cod. Med. nunc recepimus. *Parvi penates* indicant domos parvas et angustas. Cf. Aen. VIII, 543. Ovid. Met. VIII, 637. Fast. IV, 531. Silius I, 616. (qui VII, 173. eodem sensu *parvos Lares* commemorat) et Ladew. Progr. p. 18. hos locos comparans. Quare nec Heynii coni. *patrem parvosque nepotes*, nec Peerlk. (p. 160.) *patriosque Penates* opus est. (Ceterum miror, hunc provocare tantum ad Tibull. I, 3, 33. I, 10, 15., et Lucan. IX, 330. non ad ipsum Vergilium Aen. II, 717. IV, 598. V, 62. et Catal. XI, 35.) — 515. *meritos iuvencos*, qui, consortes laborum agricolae, merentur, ut ab eo alantur. Voss. comparat Ovid. Fast. I, 663. et Tibull. II, 1, 7. Cf. etiam Geo. III, 525. — 516. Nullum est anni tempus, quo cessat proventus vel ex pomis, vel ex pecoribus, vel ex agris. — *Nec requies.* Cf. Lucr. VI, 1177. — *pomis exuberet annus*, h. e. abundet pomis, det uberem pomorum proventum. Vid. Plin. Pan. 29. *omnis usibus nostris annus exuberat*, qui Wagnero a Vergilio sua mutuatus videtur. Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 191. — 517. *merges* est manipulus spicarum mergis (unde procul dubio voc. deductum, cf. Colum. II, 21, 3.) comprehensus. Cf. Serv. et Philarg. ad h. l., praeter quem haec vox non nisi apud Plin. XVIII, 30, 72. inveniri videtur, ubi tamen pro ipsa merga ponitur. — 518. Annus ante messem *onerat sulcos proventu*, et post messem *horrea vincit proventu*, i. e. tantus est proventus, ut horrea frumentorum non sint capacia. Cf. supra Geo. I, 49. ibique adnott. Heyn. confert Tibull. IV, 1, 185. *Horrea fecundas in*

Venit hiemps: teritur Sicyonia baca trapetis,
Glande sues laeti redeunt, dant arbuta silvae;
Et varios ponit fetus autumnus et alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
Interea dulces pendent circum oscula nati,

---

deficientia messes. — 519. Cum hieme, vel potius cum extremo auctumno olivitatis tempus ingruit, quod ab Octobri mense ad Ianuarium extendi, Voss. docet, coll. Colum. XI, 2, 83. XII, 50. Pallad. XI, 10. XII, 4. — *Veniet hiemps: teritur*, pro: cum venit, teritur. Cf. Aen. I, 572. VI, 31. Ter. Ad. I, 2, 38 sqq. *fores effregit, restituentur.* Hor. Sat. I, 3, 49. *Parcius hic vivit, frugi dicatur.* id. Sat. I, 3, 53. *Calidior est, acres inter numeretur.* Liv. XXI, 44, 7. *Inde cessero, in Africam transcendes.* Ter. Heaut. III, 1, 78. *dare denegaris, ibit ad aliud illico.* Cic. Finn. IV, 25, 69. *Roges enim Aristonem, - - neget; - - Zenonem roges, respondeat* etc. Cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 5, 3. Heind. ad Hor. Sat. I, 1, 46. Matthiae ad Cic. Rosc. Am. 20, 55. Wunderl. ad Tibull. I, 6, 37. Beier ad Cic. Off. III, 19, 75. Kühner ad Cic. Tusc. II, 12, 28. Otto ad Cic. Finn. II, 17, 57. Kritz. ad Sall. Iug. 64, 5. alii. Errare autem Vossium et alios, qui in hac sententiarum coniunctione protasin interrogative pronuntiatam esse censeant, iam Wunderl. docuit. Ceterum de simili sententias coniungendi ratione dictum est supra ad v. 80. — *Sicyonia baca.* Olivae, ut poëtarum mos, a praestante aliquo genere adiectum nomen habent. (Cf. adnott. ad Ecl. I, 54.) *Sicyonem oliviferam* etiam Ovid. memorat in Ibin 319. ex P. IV, 15, 10. et Stat. Theb. IV, 50. Ceterum Ribbeck., cum Rom. *Siquonia* et Pal. *Sicunia* exhibeat, scripsit *Sicuonia.* Vid. supra ad v. 488. — *Trapetum, trapetus, trapes* (vox Graec. τραπητής, a τραπέω, calco, deducenda), i. e. mola olearia, fuse describitur a Catone R. R. 20. Cf. etiam Varro, L. L. V, 31. med. id. R. R. I, 55, 5. Colum. XII, 50, 6. Plin. XV, 6, 60. aliique, et singularis Schneideri Comment. de trapeto torculario, Vol. I. editionis Scriptorum R. R. p. 610 sqq. adiecta, ubi etiam effigies eius aeri incisas reperies. — 520. Wagn. coniungit verba *glande redeunt*, „i. e. a glande, quam in silvis fregerunt" et coll. locis Geo. I, 275. IV, 88. Aen. I, 358. 679. X, 473. docet, verba a *re* incipientia saepe cum nudo Ablativo coniungi. Rectius tamen alii (inter quos etiam Ameis. in Iahnii Nov. Annal. phil. LXII. p. 43., qui comparat Liv. XXVII, 31. *Classis Romana haudquaquam laeta praeda Naupactum rediit*) iungunt *glande laeti. Laeti* enim, i. q. satiati et propterea contenti, laeti. Cf. Sen. Ep. 92. med. *Mutis aggregetur animal pabulo laetum.* Schirach. p. 473., ut in illis locis, ubi *segetes laetae, gramina laeta* (v. 525.) et similia leguntur (de quibus vid. adnott. ad Geo. I, 1.), ita etiam hic pinguedinis et abundantiae notionem inesse censet. Peerlk. tamen p. 161., comparans *nitentes equos* Aen. VI, 654. et *nitida iumenta* Nep. Eum. 5., coni. *redeunt nitidi.* Sed quod quadrat in equos et tauros (cf. Aen. III, 20.), num etiam in sues? — *arbuta.* Vid. ad Ecl. III, 82. Ceterum hunc locum respexit poëta in Anth. Lat. III, 61, 3. Burm. canens *Dant cerasi ramos, dant mala rubentia silvae.* — 521. *ponit fetus autumnus,* dum poma natura deciduntur. Ita *ponere frondes* (quod alibi *deponere*) supra v. 403. Cf. ad v. 14. adnott. (Conington comparat Phaedr. II, 4, 3. *Sus nemori cultrix feturam ad imam* [arborem] *posuerat.*) Quare non erat, cur Burm., laudato Heinsio ad Ovid. A. A. I, 231. de appositis dapibus et vinis cogitans, verae illi interpretationi hanc alteram adiiceret: „*ponit*, sc. in mensis," quam tamen etiam Ameis. loco modo laud. repetit: („*der Herbst setzt seine mannichfachen Früchte vor.*") — 522. *Mitis* (per prolepsin dictum) *coquitur.* Cf. *uvam coquere* ap. Varr. R. R. I, 54. Sic Mart. X, 62, 7. *Tostamque fervens Iulius coquit messem.* Plin. XII, 5, 11. *coctus solibus fructus.* Cic. Sen. 19. *poma matura et cocta* etc. — *in apricis saxis.* Cf. supra v. 377. — 523. „Pergit ad gaudia agricolae domestica. *pendent circum oscula* iucundius quam: circum ora; sunt enim ad osculandum porrecta" *Heyn.* Eadem ambiguitate *oscula* Aen. I, 256. et XII, 434. dicta videm

Casta pudicitiam servat domus, ubera vaccae
Lactea demittunt pinguesque in gramine laeto
Inter se adversis luctantur cornibus haedi.
Ipse dies agitat festos fususque per herbam,
Ignis ubi in medio et socii cratera coronant,
Te libans, Lenaee, vocat, pecorisque magistris
Velocis iaculi certamina ponit in ulmo,
Corporaque agresti nudant praedura palaestrae.

Respexit autem poëta Lucretii III, 895. verba *nec dulces occurrent oscula nati Praeripere.* — 524. „Pudica est mulier. Cf. Horat. Epod. II, 39." *Heyn.* — 525. *demittunt*, gravi pondere detracta, i. e. ubera lacte demissa gerunt. Peerlk. vero, cui *demittere* „tacitam cogitationem morbi, vel tristitiae, vel senectutis involvere videtur"(?), p. 161. coni. *distendunt*. Ceterum Colum. III, 21, 3. hunc locum inepte imitatur de vitibus agens: *alma tellus - - mortalibus distenta musto ubera demittit*. Conington adnotat, Vergilium hic memorem fuisse Lucr. I, 257 sqq. — 526. Ex Arat. Diosem. 469. 370. — 527 sqq. „Quidquid in vita rustica iucunditatis esse solet, memorat poëta; itaque et festorum sollemnia diis rusticiis habita, inque his unum, in Bacchi honorem." *Heyn.* Cf. Ecl. V, 69 sqq. Tibull. II, 5, 95 sqq. ibique Dissen. — *Ipse*, scil. colonus, possessor praedii, quod ex comparatione totius orationis praegressae supplendum. Cf. Geo. III, 376. et Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 460. d. Colon, quod vulgo ponitur post *festos*, idem Wagn. recte in Comma mutavit, cum verba seqq. per epexegesin addantur. Nos, parcissima nunc distinctione contenti, vel Comma omisimus. — *dies agitat festos*, non quasi nihil aliud faciat, quam ferietur, sed quia ad dominum praedii procuratio sollemnium pertinet, e quibus unum certe commemoratur. Vid. adnott. ad v. 529. Ceterum cf. dictionem *agitare aevum* Geo. IV, 154. et Aen. X, 235. — *per herbam*, i. e. in loco herboso. Cf. Wagn. Qu. Virg. IX. p. 411., qui docet, ab hac dictione (quae redit Geo. IV, 121. Aen. III, 236. V, 102. VI, 656. VII, 109. IX, 164. 316.) differre alteram *per herbas*, quae rarius et tum demum usurpetur, cum de hominibus animalibusve passim per herbas vagantibus agatur (Geo. III, 162. Aen. III, 221. IV, 404.). Vid. etiam adnott. ad Geo. III, 436. — 528. „*Ignis ubi in medio*, ara, in qua sacrum fit, ex quo epulae parantur. Cf. Tibull. II, 1, 21. — *socii*. Cf. Hor. Epist. II, 1, 139. *Agricolae prisci*

Condita post frumenta levantes tempore festo Corpus - - Cum sociis operum pueris et coniuge fida. De sacro Lari vel Genio facto Hor. Od. III, 17, 13. sq.; sed h. l. Bacchi in primis sacrum respicitur, v. 529. — *socii cratera coronant*, e quo vinum haustum in pocula defunditur, quibus libatio fit; itaque corollis ornatur Cf. ad Aen. I, 724. Adumbratus est e nostro locus Gratii Cyneg. 486 sqq." *Heyn.* Adde Aen. III, 525. et Tibull. l. l. v. 89. *coronatus stabit et ante calix.* — Med. praebet *ingenio*, quare Burm., Schrad. et Heyn. coniciunt *ubi Genio*, ad quod ille supplet: ara est posita, hi autem Commate ante *Genio* posito, *Genio* (*coronant*) explicant: in honorem Genii. Peerlk. p. 162. totum versum (quem Verg. fortasse sic scripsisset: *Dum socii ad medios ignes cratera coronant*), spurium censet et *agitat* mutat in *agitans*. — 529. Ex variis sollemnibus, quae commemorari poterant, poëta unius modo mentionem facit, quod peracta vindemia in Bacchi honorem celebratur. Cf. Ecl. V, 67 sqq. *Lenaee*. Cf. adnott. ad v. 4. huius libri. — *pecoris magistris*. Vid. nott. ad Ecl. II, 33. — 530. *certamina posuit* Heyn. cum aliis explicat per: certaminis praemia posuit (*ἆθλα τίθησι*), sed rectius Wunderl. (cui Wagn. iure adsentitur): certamen instituit (*ἀγῶνα προτίθησι*), coll. Plat. Phaed. c. 42. p. 55. 1. 3. et Soph. Ai. 936. Cf. Vergilius ipse Aen. V, 66. *ponam certamina classis* et VIII, 639. *posito certamine*. Sic etiam Tac. Hist. V, 5. *ritus festos ponere* et similia. — *certamen iaculi* eodem modo dictum, quo *certamen vini* apud Tibull. III, 6, 11., quod Plinio XXXVI, 21. extr. est *certamen bibendi*. — *in ulmo*, ut aut ipsa ulmus aut aliquid ulmo affixum pro scopo sit. — 531. *nudant* Burm. recepit ex optimis libris, qui-

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus et frater; sic fortis Etruria crevit
Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces.
Ante etiam sceptrum Dictaei regis et ante

---

bus ex Foggin. et Freytagii testimonio etiam Medic. adiungendus, quem Heyn. temere ait vulgarem lectionem *nudat* (scil. pater familias, qui certamen proponit et auctor est nudandi corpora) exhibere. (Ribbeck. de Med. tacet.) — *Palaestrae* autem (i. e. ad luctam ineundam) pro vulg. *palaestra* ex Med. et fragm. Moret. Heinsio suasore iam Wakef. Lucr. V, 968. recepit (ubi *membra nudabant terrae* restituit pro vulg. *membra nuda dabant terrae*), eumque recte secuti sunt Wagn. et posteriores editores. *Palaestra* enim (a Pal., Rom., Gud., aliis exhibitum), quod multo facilius ex *palaestrae* oriri potuit, quam contra, iam ambiguitatis causa non scripsisset Vergilius, cum in promptu esset coniungere *praedura palaestra*, quod alienum est ab h. l.; non enim palaestra, sed omni vita rustica praedura sunt agricolarum corpora. Ceterum *agrestem palaestram* vocat, quia rustici non secundum leges Gymnasii, sed naturalibus viribus nitentes luctantur. Burm. confert Suet. Aug. c. 45., qui catervarios oppidanos pugiles opponit legitimis et ordinariis. — 532 sqq. Haec fuit vita priscae Italiae. Et de dura quidem Sabinorum vita vid. Aen. IX, 603 sq. coll. cum Hor. Od. III, 6, 37 sqq. — 533. *vitam coluere*, ut ap. Lucr. V, 1144. et 1149. (1145. et 1150.) *colere aevom.* — *Etruria crevit*, h. e. Etrusci agricultura potentes et opulenti facti sunt. De florente Etruriae agricultura cf. Müller. *Etrusker* I. p. 255. — Vulgo locus sic distinguitur: *crevit; Scilicet et rerum* etc., atque Wunderl., contra Heyn. disputans, qui recte *crevit scilicet* coniungi maluit, provocat ad Aen. I, 493. Sed ibi *et*, post *scilicet* collocatum, valet i. q. *etiam*, quod ab h. l. alienum; quare recte Wagn. Colon, quod vulgo post *crevit* ponitur, delevit. Nihilominus etiam Aeneis. Spicil. p. 28. *scilicet* cum sequentibus verbis vult coniunctum. Rectius dixisset, pertinere ad utramque sententiam et eadem ratione interiectum esse, qua Geo. I, 282., ubi vid. adnott. Ceterum cum toto loco nostro Heyn. conferri iubet Cic. Rosc. Am. 18, 50. — 534. „*rerum facta est pulcherrima*, nota forma, omnium imperiorum praestantissimum ac beatissimum factum est. Est scilicet Graecum *χρῆμα κάλλιστον*, *res pulcherrima*, et exquisitius *rerum pulcherrima*.“ *Heyn.* Ut enim apud Graecos *τῶν ὄντων*, ita apud Romanos Genitivum *rerum* haud raro vim Superlativi augere constat. Sic Ovid. Met. VIII, 49. (ubi vid. Burm. et Bach.) Her. IV, 125. et A. A. I, 213. *pulcherrime rerum*, i. e. pulchritudine prae ceteris omnibus insignis, Hor. Sat. I, 9, 4. (ubi vid. Heind.) *dulcissime rerum*, Val. Fl. III, 369. (ubi vid. Burm.) *tristissima rerum*, Ter. Eun. II, 2, 17. *qui esse primos se omnium rerum volunt* etc. Cf. praeterea Spalding. in Praef. ad Quinct. p. LXXXI. et Obbar. in *Krit. Bibl.* 1825. p. 291. *Pulcherrimus* autem ad civitates et populos relatum legitur etiam ap. Rutil. Itin. I, 47. (cui locus noster obversabatur) *Exaudi regina tui pulcherrima mundi Inter sidereos Roma recepta polos* atque ap. Flor. IV, 1. *pulcherrimum imperium* et II, 19. *pulcherrimus populus*. — 535. *arces*, i. e. montes, colles. Vid. adnott. ad Geo. I, 240. et supra ad v. 172. Ceterum hic versus redit Aen. VI, 783. Peerlk. p. 162. eum hoc loco a Grammaticis insertum putat, „cum Vergilius eosdem versus, ne litera quidem mutata, repetere non soleat;“ quod falsum est. Vid. adnott. ad Ecl. V, 37. (Addit autem p. 380.: „Si est Virgilii, posuisset, credo, ante v. 534. Roma prius sibi circumdedit arces septem, tum facta est domina Italiae et mundi.“) — 536. Ante Iovem, sub Saturno rege s. aurea aetate, sic vivebant homines. *Dictaeus rex* vocatur Iupiter a Dicte, Cretae monte (in orientali insulae litore sito et nunc *Lassiti* s. *Lasthi* appellato: cf. liber meus geogr. III. p. 1032.), in quo natus esse putabatur. (Cf. Geo. IV, 152. Apollod. I, 1, 3. ibique Heyn. p. 7.) Apud Ovidium vero Met. VIII, 43. Minos ita appellatur, cum *Dictaeus* poëtis omnino pro *Cretensis* usurpetur. Cf. adnott. ad Ecl. VI, 56. Co-

Inpia quam caesis gens est epulata iuvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat;
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Inpositos duris crepitare incudibus enses.
Sed nos inmensum spatiis confecimus aequor,
Et iam tempus equûm fumantia solvere colla.

---

nington conferri iubet Cic. N. D. III, 21. *tertium Cretensem, Saturni filium* etc. — 537. *Inpia gens*, h. e. hominum genus *inpium*, quod naturae legem violat bovem mactando. Cf. Arat. Phaen. 132. *πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων* (quem iam Serv. comparat), Colum. praef. l. VI. *bovis tanta fuit apud antiquos veneratio, ut tam capital esset, bovem necuisse, quam civem*, et Cic. de N. D. II, 63, 159. *Tanta putabatur utilitas percipi ex bubus, ut eorum visceribus vesci scelus haberetur.* — 538. *aureus Saturnus* ob auream aetatem, cuius tamquam parens et auctor fuit. Cf. adnott. ad Ecl. IV, 6. et 9. — 539. *Necdum etiam*. Peerlkampio p. 163. sententia postulare videtur *Necdum etenim*. — *classica inflari*, cani inflato cornu, tuba, buccina. Vid. Prop. IV, 2 (III, 3), 41. *Nil tibi sit rauco praetoria classica cornu Flare* et Tibull. I, 1, 4. *classica pulsa* (i. e. lituo vel cornu impulso, inflato edita) ubi vid. Heyn. — 540. Poëtico ornatu Vergilius de procudendis gladiis loquitur. Quod attinet ad anaphoram Particulae *necdum*, Wund. confert Plin. Paneg. c. 14. *Et necdum imperator, necdum dei filius eras.* — 541. Poëta, sumpta a Circo imagine, iam libro finem faciendum esse significat. Wagn. in Proleg. ed. min. p. XVIII sq. ex his versibus non temere concludit, Vergilium principio noluisse ultra primum et secundum librum procedere, postea vero, Maecenatis voluntate permotum (cf. Geo. III, 41.), etiam sequentes libros addidisse, hanc clausulam autem incuria intactam reliquisse, quamquam mutato consilio exordium totius carminis (I, 1—4.) iam mutavisset. Eadem fere est Tittleri sententia Progr. laud. p. 18. proposita. — *aequor*, i. e. locus planus omnino (cf. adnott. ad Geo. I, 50. et II, 105.) et hic quidem circus, *inmensum spatiis*, i. e. immensorum spatiorum, s. immensa *spatia* s. decursus (vid. ad Geo. I, 512.), habens. Cf. Aen. V, 584. VII, 380. et nostro similis locus Lucr. VI, 92. Ameis. tamen Spicil. p. 29. comparationem potius a peregrinante sumptam esse censet, qui longinquum iter confecerit et sub vesperam equis demat iugum; quod mihi languidius videtur. — „*Colla equorum solvere*, dum iugum solvitur, demitur. Sic *ὑφ' ἅρματος αὐχένας ἵππων λυσαμένη* Callim. h. in Pall. Lav. 10. Sollemne est *λύειν ἵππους, solvere equos.*“ *Heyn.* — *tempus - - solvere*. Vid. adnott. ad Geo. I, 305. — *fumantia colla*, ut Aen. XII, 337. *equi fumantes sudore*. Palat., Rom. et aliquot alii Codd. *spumantia*, eademque varietas apud Quinctil. Inst. VIII, 6. invenitur, ub i hic versus laudatur. Cf. etiam Burm. ad Phaedr. III, 6. et Cort. ad Lucan. IV, 754. Per se utrumque bene dicitur (cf. Hand. ad Stat. Silv. I, 21. atque Geo. III, 515. et Aen. XII, 338. cum Aen. IV, 135. V, 817. VI, 882. XI, 770. XII, 372. 651.); neque ego *colla* sub iugo vel freno *spumantia* cum Wagn. tamquam „non sanum“ damnaverim; ob meliorum tamen Codd. consensum vulgarem lectionem retinendam censeo, quam etiam Ribbeck. et ceteri editores recentissimi exhibent. Ceterum respexit hunc locum poëta in Wernsd. Poët. L. min. III, 170, 99. *arator Liberat emerito fervida colla bovi.*

P. VERGILI MARONIS

GEORGICON

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Orditur poëta, nunc de re pecuaria scripturus, librum ab expositione argumenti (1. 2.), et significat, se rem plane novam, quam nemo ante ipsum attigerit, tractaturum esse (3—9.), quo non sibi modo laudem, sed etiam Mantuae suae novum decus et ornamentum paret (10—12.), ibique Caesari Octaviano ludos et templum imaginibus et statuis in eius honorem confectis ornatum se instituturum (13—39.). Tum Maecenatem, a quo Georgica conscribere iussus erat, invocat, ut sibi hoc opus perficienti benevolus velit adesse (40—45.). Denique Octaviani bellicas laudes heroico carmine se concelebraturum promittit (46—48.). Iam carmen ipsum incipit, quod primum agit de equis et armentis (49—285.), et ita quidem, ut auctor doceat, primo loco legendas esse bonas equas et vaccas (49—62.); admissuram ita curandam, ut mares laeta iuventa validi ei adhibeantur (63—71.) et quibus notis equi generosi et ad admissuram idonei cognoscantur (72—122.). Tum transit ad equas et vaccas (de quibus agitur 123—216.) et primum quidem dicit de cura matrum gravidarum (138—156.), de cura vitulorum (157—178.), de cura pullorum equinorum (179—208.). Tum et boves et equos a nimia Venere arcendos esse docet (209 sqq.), cui praecepto additur digressio de boum libidine flagrantium certamine (219—241.) omninoque de Veneris stimulantis furore (209—285.). Iam progreditur ad curam ovium et caprarum, praefatus de difficultate argumenti digno modo pertractandi (286—403.); et primum quidem agit de ea cura, quae ad pecudes per hiemem in stabulis habendas spectat (294—321.); tum de pastione per aestatem (322—338.), cum excursu de vita pastoricia Afrorum et Scytharum (339—383.); quem sequuntur praecepta de studio lanae (384—393.) et lactis (394—403.). Post exponit utilitatem, quam canes pastoribus praebeant (404—413.) et adiungit praecepta de cavendis animantibus noxiis, imprimis de serpentibus depellendis et necandis (414—439.), et de avertendis morbis (440—473.). Ita aditum sibi parat ad narrationem de peste Norica armentorum ac pecudum nobilissimam (474—566.) et primum quidem de morbi causa et ratione agit (474—485.); tum de variis animalium generibus, quae illo morbo correpta fuerint: de pecoribus et minoribus animalibus domesticis (486—497.), de armentis (498—536.), de feris (537—540.), de aliis bestiis (541—547.); denique de omnium remediorum vanitate (548—566.).

Te quoque, magna Pales, et te memorande canemus
Pastor ab Amphryso, vos, silvae amnesque Lycaei.
Cetera, quae vacuas tenuissent carmine mentes,
Omnia iam volgata. Quis aut Eurysthea durum,
Aut inlaudati nescit Busiridis aras? 5
Cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos

---

1. 2. Nunc rem pecuriam exponam. Pro ea *Palem*, deam pastoriciam, et *pastorem ab Amphryso*, i. e. *Apollinem Nomium*, (de quibus vid. adnott. ad Ecl. V, 35.), et pro Pane *Lycaeum*, montem Arcadiae Pani sacrum, (cf. adnott. ad Ecl. X, 15.) nominat. *Pastor ab Amphryso*, pro *Pastor Amphrysius*, *νομεὺς Ἀμφρύσηθεν*. Ita v. c. Aen. VII, 647. *Tyrrhenis ab oris Mezentius*. Varr. R. R. II, 2, 1. *pastores a Pergamide*. Ovid. Am. II, 6, 1. *ales ab Indis*. Propert. V (IV), 6, 37. *servator ab Alba*. Liv. I, 50. *Turnus ab Aricia*. VI, 13. *coloni a Veletris* etc. Cf. Handii Turs. I. p. 18. et adnott. ad Ecl. I, 8. 53. Geo. II, 243. et infra v. 33. „*Amphrysus* Thessaliae et quidem Phthiotidis notum flumen; ad quod Apollo boves pavisse dicitur, cum Admeto, Pheraeorum regi, serviret. Vid. Eurip. Alc. pr. et Callim. in Apoll. 47 sqq. Tibull. II, 3, 11. III, 4, 67. Expressit locum Lucan. VI, 308." *Heyn.* Item auctor carminis in Anth. Lat. Burm. II, 189, 13. *teque, Pales et te pastor memorande per orbem*. De *Amphryso* fluvio (nunc ab oppidulo *Kefalosi* denominato) cf. liber meus geogr. III. p. 882. et Leake *Trav. in North. Greece* IV. p. 337. — Peerlk. p. 229. ante *vos* Copulam *et* vult insertam, qua non opus est. — 3. Alia argumenta iam ab aliis occupata, trita et vulgaria sunt. — *quae tenuissent*, delectavissent; prius nimirum, cum haec omnia nondum vulgata essent. Cf. Ovid. Fast. IV, 20. Met. XII, 167. V, 284. Phaedr. V, 5, 25. — *vacuas mentes*, scil. a curis, vacantes severis rebus ac studiis, ideoque proclives ad poëtarum carmina audienda. (Cf. adnott. ad Geo. II, 285.) Ceterum Codd. lectio fluctuat inter *carmine* et *carmina* (quod praebent Med., Rom., Gud., alii). Burm. et (in priore certe edit.) Iahn. hoc (quod tuentur Pal., fragm. Ver. et Philarg.: cf. Ribbeck. Proleg. p. 193.), Heyn. et Wagn. illud defendunt, quos sequor, quamquam bene scio, difficiliorem lectionem non semper esse veram. (In min. tamen edit. *Wagn.* deflexit ad alteram lectionem; ceteri autem recentiores editores nobiscum faciunt.) — 4. *Omnia iam volgata*, ideoque a me omittentur. Sic Nemes. Cyneg. 17. *Omnis et antiqui vulgata est fabula secli.* — „*Eurystheum* [notissimum illum Mycenarum regem: cf. Hom. Il. XIX, 123 sqq., ex quo haec fabula petenda] memorans, Herculis labores intelligit. Eodem referendi sunt *Busiris* ab Hercule caesus et *Hylas*. Commemorat autem fabulas, quas a satis multis poëtis tractatas esse constabat; etiam de *Delo* et de *Pelope*, qui *Hippodamiam* cursu quadrigarum obtinuit. Hinc *Cui non dictus? Dicere* enim de poëtis sollemne. At ea omnia poëtarum opera interciderunt, praeter Apollonii et Theocriti locos de Hyla, Herculis amasio, et Deli laudes apud Callimachum." *Heyn.* — 5. *inlaudatus*, in quo nihil laudatum est vel laudari potest, i. e. detestabilis. Cf. Gell. II, 6. ibique Gronov. Macrob. Sat. VI, 7. Schirach. p. 442 sq. et Huch in libello: Virgilii Horatiique nonnulla loca - - vindicare studet etc. (Lips. 1756.) p. 26 sqq. Sic etiam Claud. Ruf. II, 226. *non illaudata seditio*. Expressit autem Homeri *οὐκ ὀνομαστόν* Odyss. XIX, 260. 597. Peerlk. tamen p. 230. audacissime coni. *Pelusiaci*. — De *Busiride*, Neptuni et Lysianassae vel Libyae filio, crudelissimo Aegyptiorum tyranno, qui cum hospites omnes Iovi immolaret, ab Hercule, cui easdem insidias pararet, interfectus est, cf. praeterea Apollod. II, 1, 5. II, 5, 11. ibique Heyn. Schol. Apollon. IV, 1396. Herod. II, 45. Hygin. f. 31. Macrob. Sat. VI, 7. alii, et quae recentioribus temporibus de hac fabula disputarunt Creuzer *Symbol. u. Myth.* I. p. 357. ed. II. M. Hermann. *Myth. d. Griechen* II. p. 558. Schincke in: *Ersch's u. Gruber's Encycl.* XIII. p. 141 sqq. et Haakh in Pauly *Realencycl.* I. p. 2547. ed. 2. — 6. *Cui* (vel *Quoi*, ut Ribb. scribit cum sched. Vat. a.

Hippodameque humeroque Pelops insignis eburno,
Acer equis? Temptanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo victorque virum volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice Musas,

---

m. pr.: cf. eius Proleg. p. 413. et Wagn. Orth. Verg. 452.) poëtae *non dictus*. Vid. ad Ecl. III, 55. De *Hyla* cf. adnott. ad Ecl. VI, 43. — Heyn. gravius interpunxit post *puer*, quod, coll. Santenio ad Terent. Maur. p. 272. et Gaisfordo ad Hephaest. p. 308 sq., vituperat Wagn., cum sic, retenta pronunciantis voce, vitium contrahant numeri. — *Latonia Delos*, per Latonam clara et nobilis facta. Ita mons, in quo Latona peperit, Statio Theb. VII, 701. *Cynthus Latonius* vocatur. Ceterum vid. adnott. ad Ecl. VII, 29. — 7. De notissima *Pelopis* et *Hippodames* s. *Hippodamiae* fabula cf. Paus. VI, 20, 21. Schol. Pind. Ol. I, 127. Hyg. f. 84. et 243. aliique. Scilicet Pelops, Tantali, regis Lydiae, filius, quem pater ipse diis epulandum apposuerat et cui Iupiter in vitam restituto pro humero, a Cerere iam absumpto, eburneum iniecerat, postea Hippodamiam, cuius patrem Oenomaum, Pisae regem, quadrigarum certamine vicerat, uxorem ex pacto duxit. — *humero insignis eburno*. Cf. imprimis Pind. Ol. I, 72 sqq. et Ovid. Met. VI, 404 sqq. Verba *humeroque Pelops insignis eburno* iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 170, 150. Ceterum cf. adnott. ad Geo. I, 44. et 385. — 8. *Acer equis*, regendis quadrigis strenuus, excellens. Vid. Aen. V, 668. et Hom. Il. IV, 303. *ἱπποσύνῃ πεποιθώς*. Praeterea cf. Aen. IX, 176. et X, 411. Videtur poëta eum mythum respicere, ex quo Pelops Hippodamiam vicit Neptuni auxilio, qui ei equos alatos dederat. (Cf. Pind. Ol. I, 140 sq. et Pausan. V, 17, 4.) — 9. Circumspiciendum mihi est argumentum (nondum ab aliis tractatum adeoque a Graecis poëtis praetermissum: cf. v. 41. *intacti saltus*), cuius tractatione insignem consequi possim gloriam. *Temptanda* (vid. ad Ecl. I, 49.) *via est*. Conington confert Hor. Od. III, 2, 22. *Virtus - - negata temptat iter via. — victor*, qui Servio est *effector propositi et voti*, significat eum, qui rem magnam et difficilem, qualis haec est, feliciter perfecit. Cf. infra v. 17 sqq. Sic Lucr. I, 75. *Omne immensum peragravit Epicurus - - Unde refert nobis victor, quid possit oriri* etc. — *virorum per ora volitare* ornatius quam ferri per ora, in ore omnium esse. Notum autem ex Cic. Tusc. I, 15, 34. Ennii (p. 161. Hessel. s. p. 162. Vahl.) illud: *volito vivus per ora virum*. Vid. etiam Aen. XII, 235. *vivusque per ora feretur*, Palladii Epitaph. Ciceronis v. ult. *Vivus in aeternum docta per ora volo* et Silium III, 135. *ire per ora Nomen in aeternum paucis mens ignea donat*. Nihilominus Bryce (haud dubie memor eiusmodi locorum, quales sunt Sall. Iug. 31. *incedunt per ora magnifice* et Hor. Sat. II, 1, 64. *nitidus qua quisque per ora Cederet*) *ora* hic pro *vultus* posita et *per*, ut in verbis *per terram* (comae trahuntur: Aen. I, 481.) et similibus locis „*over the surface of*“ explicandum esse censet, ut sensus sit: victor quasi triumphans praetervolare („*soaring to the heights of poetry*“, vel, ut Coningtonis verbis utar inter utramque explicationem fluctuantis, „*a bird and flying in the air from country to country*“); quam tamen interpretationem, licet apte conveniat ad verba *se tollere humo*, iam ille Ennii locus debebat dissuadere, ut nihil dicam de notissimis dictionibus *διὰ στόματος εἶναι*, *in ore esse*, *in os venire* etc. Ceterum cf. etiam adnott. ad Aen. I, 375. — 10. „Primus ego inter Mantuanos [„non Romanorum, quod superbum esset“: Wagn.] nomen poëtae consequar [ad quam gloriam hic non prius adspirat, quam ubi in eo est ut argumentum tractet, quod ante eum nullus alius poëta attigit]. Qui primus inter aliquem populum poësi clarescit, is *Musas secum in patriam ducere* dici potest, et ornatius *ab Helicone*, Boeotiae, *Aonibus* olim habitatae, monte [vid. adnott. ad Ecl. VI, 65.]: idem *referre palmam*, laudem, gloriam, praemia, victoriae insignia, dici potest, respectu *certaminum musicorum*, quae inter Graecos haberi solebant.“ *Heyn.* Ita etiam *rediens* explicandum: e ficto illo certamine; non Neapoli, ubi Georgica conscripse-

Primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius et tenera praetexit harundine ripas.
In medio mihi Caesar erit templumque tenebit.
Illi victor ego et Tyrio conspectus in ostro
Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

---

rit et poëtica laude inclaruerit, ut Burm. interpretatur. — *deducam.* Conington confert Hor. Od. I, 37, 31. *Privata deduci superbo Non humilis mulier triumpho.* — *modo vita supersit.* Recordandum est, Vergilium semper imbecilla fuisse valetudine. (Cf. Diss. de vita et carm. Verg. p. XIV.) — 12. *Idumaeas palmas* poëta commemorat, epitheto a nobili aliquo genere petito. *Idumaea* enim regio meridionalis Palaestinae iuxta Moabitas usque ad Sinum Aelaniticum, (de qua cf. Strab. XVI. p. 760. Ptol. V, 16. Ioseph. Ant. II, 1. alii et liber meus geogr. II. p. 741.), hic pro tota Palaestina, quam quidem palmis abundare constat. Cf. Lucan. III, 216. *arbusto palmarum dives Idume,* Sil. III, 600. *palmifera Idume,* Stat. Silv. V, 2, 138. *palmeta - - et silvas Idumes* et Plin. XIII, 4, 6. *Iudaea inclyta palmis.* Iahn. docet, Weston. in Anglorum diario class. XX. p. 291. pro *Idumaeas* coniicere *Itonaeas,* coll. Stat. Theb. VII, 721. De tota autem sententia *primus - - deducam, referam* etc. Voss. conferri iubet Lucr. I, 925. Hor. Od. III, 30, 13. Prop. III (IV), 1, 3. Manil. I, 4., quibus imprimis addendus est Lucr. I, 118 sqq., quem Vergilio ante oculos fuisse liquet. — 13. Qui victoriam appetebant, ei numini, cuius auxilio maxime fidebant, aras, templa, ludos vovere solebant; ideoque etiam Vergilius, qui ex poëtico, quod fingit, certamine victoriam se reportaturum sperat, Caesari Octaviano, cui omnia ipsumque otium ad scribendum necessarium debebat, tamquam deo suo (vid. adnott. ad Ecl. I, 6.) templum ex voto exstruendum et ludos sollemnes instituendos promittit. Haec omnia autem allegorice capienda esse de carminibus, quibus auctor Octavianum celebrare velit, vix est quod commemorem. Et satis probabiliter Tittler, qui in Progr. laud. p. 12 sqq. docere studet, v. 1—48. huius libri posteriore demum tempore a Vergilio esse adiectos, hunc locum de templo exstruendo ad Aeneadem refert, quam conscribere poëtae iam stet sententia. Vid. etiam adnott. ad v. 46. — *templum ponere,* τιθέναι, satis notum. Cf. autem cum h. l. similes Hor. Od. IV, 1, 17 sqq. et Verg. Catal. 5, 5. — *de marmore.* Vid. adnott. ad Ecl. VII, 31. — 14. *Propter,* prope. Vid. ad Ecl. VIII, 87. De Mincio autem, vicinam regionem inundante, vid. ad Ecl. I, 51. VII, 12. 13. Geo. II, 198. Aen. X, 206. — *errat Mincius,* huc et illuc vagatur. Cf. Rhemn. Fannius de pond. 98. *errantes undis labentibus amnes,* et adnott. ad Ecl. IV, 19. — 16. Statua dei in medio templo, *ἐν τῷ ναῷ,* sacrario, ponetur. — 17. *Illi,* i. e. in honorem Caesaris: Dativus, quem vocant commodi. Aliquot tamen Codd., inter quos Rom., *Illic.* — *victor ego,* qui carminis palmam ac gloriam in patriam retulerim, ut v. 9. — *et ostro* (i. e. purpura: vid. ad Geo. II, 506. et infra ad v. 307.) *conspectus,* i. e. curator ludorum, ludos editurus magistratuum Romanorum exemplo, qui toga praetexta utebantur. Cf. Hor. A. P. 228. *Regali conspectus in auro nuper et ostro* (a Coningtone laud.). Praeterea cf. Aen. VIII, 588. *chlamyde et pictis conspectus in armis.* — 18. „*agitabo currus,* non aliter accipiendum, quam poëtam editurum ludos, in quibus quadrigae agitentur. — *Centum* autem *quadrigas* poëta ponit; recte hic memores locum Tibulli I, 7, 49. nec non Gratii Cyneg. 520." *Heyn.* Adde Catull. LXIV, 388. *Saepe pater divûm - - Annua cum festis venissent sacra diebus, Conspexit terra centum procurrere currus.* Numerus autem centenarius in sacris (ut Aen. I, 417. et IV, 199 sq. cf. adnott. ad Aen. IV, 510. et VIII, 716.) et in conviviis (ut Hor. Od. III, 8, 13.) sollemnis fuisse Wagnero non temere videtur (qui in min. edit. docet, *centum* non de uno missu intelligendum esse, sed de pluribus, et de centum quidem missibus in ludis saecularibus peractis conferri iubet Suet. Ner. 22.

Cuncta mihi Alpheum linquens lucosque Molorchi
Cursibus et crudo decernet Graecia caestu.
Ipse caput tonsae foliis ornatus olivae
Dona feram. Iam nunc sollemnis ducere pompas
Ad delubra iuvat caesosque videre iuvencos,
Vel scaena ut versis discedat frontibus, utque

---

et Domit. 4.). Cf. etiam Huschk. ad Tibulli l. l. Eiusmodi autem certamina, utpote in deorum honorem instituta, ipsa erant sacra. — *agitabo*, efficiam, ut agitentur. — *ad flumina*, ad Mincium. — 19. Graecos ipsos, posthabitis ludis Olympiacis et Nemeaeis, haec certamina concelebraturos praedicat propter maiestatem eius, cui fiant. *Alpheum* enim Olympiam praeterlabi, et *Molorchum*, Cleonaeum pastorem vel vinitorem, excepisse hospitio Herculem, cum leone Nemeaeo interempto ludos Nemeaeos aut primum faceret, aut per tempus intermissos restitueret, notum est. Vid. Apollod. II, 5, 1. De *Alpheo* autem, maximo Peloponnesi fluvio, qui etiamnum *Alfeo* (*Rofeo*, *Ryfo*) vocatur, cf. liber meus geogr. III. p. 872 sq., de Molorcho autem Tibull. IV, 1, 12 sq. Stat. Silv. III, 1, 29. IV, 6, 51. Theb. IV, 16. etc. — *Lucos* igitur *Molorchi* de Nemeaea silva intellige. — 20. *crudo caestu*, e corio crudo facto. Vid. adnott. ad Aen. V, 69. Cod. Rom. exhibet *duro*, qua voce Serv. lectionem *crudo* explicat. — *decernet*. Ita meliores Codd. (Med. tamen, Pal. et Rom. *decernit*, et in sched. Vat. non satis liquet, utrum *decernit*, an *decernet* scriptum sit); alii deteriores *decertet*. *Decernere* autem *caestu* etiam apud Senec. de benef. V, 3. legitur. Ceterum cf. infra v. 218. Aen. VII, 525. XI, 218. XII, 282. 695. — 21. 22. „Iam, quod ad se pertinent, se *ferre* velle *dona*, h. e. se sacrificia ad templum (paullo post *ad delubra*) esse facturum dicit [cf. Aen. IV, 453. V, 101. VII, 86. IX, 626.], capite corona oleagina redimito [ut mos erat sacrificantium: cf. Aen. V, 774. et VI, 809.]; *tonsam olivam* appellat, aut attonsam, ut volunt, ornatus causa, aut simpliciter, quia decerptae sunt frondes ex arbore. Invenitur etiam Aen. V, 774. et 556. Cf. ad Hor. Od. I, 7, 7." *Heyn.* Voss. *tonsam olivam* proprie dici putat, cuius folia, ut parem omnia haberent longitudinem, attonsa fuerint; Wagn. vero, qui censet, hoc veterum superstitionem non tulisse, ut res sacro usui destinata mutilaretur, suspicatur, *tonsam* propterea potius dici, quod maioribus foliis detonsis, i. e. decerptis, minora tantum relinquerentur, ne frontem nimis obumbrarent, quo sensu a Servio ad h. l. ut ad Aen. V, 556. et 774. ac Plilargyrio *comta corona compositaque minutis foliis* dicatur. Idem Wagn. docet, duplicem fuisse coronarum oleaginarum usum in certaminum victoribus ornandis et in sacris faciendis. Cum autem haec arbor imprimis felix et pacifera habita fuerit (Aen. VI, 230. VII, 750. Geo. II, 425. Aen. VIII, 116.), aptissimam eam fuisse ad pacem Deorum exposcendam et ad sacrificandos vinciendos. In quam rem conferri iubet Aen. V, 774. VI, 809. ibique Serv. VII, 417. 750. Ciris v. 147. Tibull. II, 1, 15. et Val. Fl. III, 424. Cf. adnott. ad Aen. VII, 154. — 22. *Dona feram*. Vid. Aen. V, 101. *laeti Dona ferunt*. Ovid. Her. VI, 77. *Dona feram templis* etc. ibique Burm. et Aen. VI, 809. *ramis insignis olivae Sacra ferens*. — „*Iam nunc iuvat*, tamquam poëta id, quod facere gestit animus, ad praesens tempus revocat, quasi actutum in eo occupatus sit." *Heyn.* — *pompam ducere* sollemnis dicendi formula, quae eo spectat, quod ante ludorum Circensium initium deorum signa feretris imposita in Circum deferebantur. Cf. Plaut. Cist. I, 1, 92. Ovid. Her. XII, 151. Civ. XXX, 38. fin. etc., etiam Geo. II, 148. — De voc. *delubri* vid. adnott. ad Geo. IV, 541. — 24. 25. Priora ad sacra pertinebant, haec iterum ad ludos, inter quos etiam *scenicos* editurus est. *Scenae* tunc erant versatiles, quae, si qua loci, quo res agebantur, mutatione opus erat, convertebantur ita, ut quae modo antica pars, s. frons, fuisset, fieret posterior, haec autem antica, (quod poëta dicit *frontes vertere*), utraque autem aliam locorum faciem repraesentaret. *Discedat* autem, Schirachio p. 421. docente, ad id pertinet, quod scenae ita erant fabricatae, ut a se divelli partes, et vero etiam con-

Purpurea intexti tollant aulaea Britanni.
In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam victorisque arma Quirini,
Atque hic undantem bello magnumque fluentem

---

iungi possent; quare non opus est, ut cum God. Hermanno Opusc. VI, 2. p. 166. (ab Ameisio laud.) de sola scena ductili s. eccyclemate cogitemus, sed potius cum Servio de scena et versili et ductili agi statuamus, quae est Ameisii sententia Spicil. p. 29. Etiam Schlegel. *Vorles. üb. dram. K. u. Lit.* T. I. p. 83. latera scenae versilia, posticum vero ductile fuisse suspicatur. Ceterum cum recentissimis editoribus ex Codd. Vat. et Gud. auctoritate (quibuscum certe Aen. I, 164. 429. IV, 471. Medic. quoque conspirat, qui etiam Geo. II, 381. *proscaenia* exhibet) edidimus *scaena*. Vid. Wagn. Orth. Verg. p. 470. (Ribbeck. Proleg. p. 385 sqq.) et quae ad Geo. l. l. adnotavimus. — 25. „Velum sive *aulaeum*, ut scena obtegeretur, non, ut nunc, demissum, sed in altum sublatum fuisse, itaque intextas seu pictas imagines, h. l. Britannos, procero corpore et fortasse eo habitu pictos, tamquam qui ipsi vela tollerent [?], quasi ex terra surgere visas esse, nunc quidem res satis nota est. Locus classicus Ovid. Met. III, 111—114.' *Heyn.* Vid. praeter Voss. ad h. l. Fea ad Hor. Ep. ad Pis. 154. Stieglitz. *Archaeol. d. Baukunst.* T. II. p. 200. et Becker in Pauly *Realencycl.* I. p. 1099 sq. Simplicior tamen Heynii explicatione, quam repetit Wagn., est Peerlkampii p. 230.: „Si aulaeum tollebatur, Britanni simul tollebantur. Hoc eleganter sermone poëtico dicitur: *Britanni tollunt aulaeum.* - - - Talis pictura [qualem Heyn. statuit] mihi non facilis intellectu videtur, nec pulchra, si aulaeum demitteretur." *Britanni* autem Caesari Octaviano in Gallia versanti ipsisque ter bellum paranti (vid. Dio Cass. XLIX, 38. LIII, 22. 25. coll. Hor. Od. I, 35, 29. et III, 5, 4.) a. U. C. 727. legatos miserant pacem petentes: quare Romani ab eo inde tempore de victis Britannis gloriabantur. Versus 26—39., ut alia quaedam, quae ad laudes bellicas Augusti pertinent, postea demum a poëta additi videntur. Cf. etiam Diss. de Verg. vita et carm. nota 47. et Wagneri Proleg. ed. min. p. XVIII. — 26—30. „Ad ornamenta templi in Augusti honorem condendi transit: anaglypha in foribus (cf. Aen. VI, 20 sqq.), et quidem ex ebore et auro, tum v. 34. signa ac statuas." *Heyn.* — 26. Vox *elephantus*, Graecorum ratione pro ebore usurpata, legitur etiam Aen. III, 464. *Dona - - auro gravia sectoque elephanto*, et VI, 895. *Altera* (porta) *candenti perfecta nitens elephanto.* — *Pugna Gangaridarum*, i. e. Indorum inter Gangis ostia et ad litus sinus Gangetici degentium: (cf. liber meus geogr. II. p. 501 sq.), quorum nomine hic omnino populi orientis significantur, spectat ad res, quas adulatores Augusti ab eo in Asia contra Indos et Parthos gestas praedicabant. Cf. supra Geo. II, 171. 172. et Aen. I, 289. „Augustum autem [alterum quasi Romae conditorem] per *Quirinum* designatum videri, obvium est; melius hoc, quam *Quirinum* pro populo Quirini, Romanis, a poëta dici. — *arma Quirini* poëtica consuetudine pro Quirino in armis, armato. Nisi *arma* pro bello, pugna vel victoria dicta accipias, quod et ipsum bene fieret." *Heyn.* Vid. adnott. ad Aen. I, 1. Cf. autem de hoc Augusti cognomine (quo Tittler Progr. laud. p. 12. utitur ad fulciendam sententiam suam de posteriore l. III. et IV. Georg. origine, simul concludens, hos versus post v. 46—48. conscriptos esse, ubi Augustus adhuc Caesar Octavianus nuncupetur (?): vid. Diss. nostram de Verg. vita et carm. not. 47.) Lydus de mens. p. 270. et Creuzer Antiqu. Rom. p. 227. — 28. 29. Aegyptum, Antonio et Cleopatra pugna Actiaca navali victis, in potestatem ab Augusto redactam memorat. — *hic*, i. e. in altera forium parte, ut altera valva pugnam Gangaridum, altera Aegyptiorum exhibeat. Brunck. et Voss. ex duobus Codd. *hinc* receperunt. — „*Nilum* amnem magno spiritu appellat, propter magnos apparatus bellicos ab Antonio in Aegypto factos; ut populos aut provincias *bello tumentes* dicunt, cum animose bellum parant; ut omnino superbia, fastu *tumere* dicuntur homines. Quod cum ad fluvium transfertur, [vid.

Nilum ac navali surgentis aere columnas.
Addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten
Fidentemque fuga partem versisque sagittis,
Et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea
Bisque triumphatas utroque ab litore gentis.

---

mox ad v. 30. adnott.] praeclare ille *bello undare* [quasi iratus minitari] dici potest." *Heyn.* Cf. Geo. II, 437. *Cytorum undantem buxo.* — *magnum*, copiose, *fluentem;* nam *fluit magnus, multus* fluvius, *πολὺς ῥέει.* Vid. adnott. ad Aen. VI, 659. coll. iis, quae Ecl. I, 33. et VII, 60. adscripsimus. De Adiectivo autem Adverbii loco cum Participio coniuncto cf. adnott. ad Aen. VIII, 559. — **29.** Columnam rostratam describit, victoriae Actiacae monumentum. — *navali aere surgentis*, poëtice pro: ex aereis navium rostris factas; *surgere* autem, quia de re celsa sermo est. Cf. Aen. I, 366. — Ceterum etiam numerorum gravitate praesignes esse hos versus, docet Wagn., hanc gravitatem et magnificentiam vel in ipsis Particulis *atque — ac* (quae nusquam praeterea per totum Vergilii opus in thesi primae sedis legatur) invenire sibi visus. — **30. 31.** „Victoriam de Armeniis, (quos Niphate monte designat, ad quem accolunt), et de Parthis promittit." *Heyn.* Augurari enim futuram, non narrare iam factam Vergilium Armeniae Parthorumque cladem, verissime etiam Unger de Valgio Rufo p. 359. iudicat, contra Frankium Fast. Hor. p. 181. disputans, qui sane sibi contradicit. — *urbes*, quae solebant per effigies mulierum repraesentari. Cf. praeter alios Hirt. *Mythol. Bilderb.* p. 183 sqq. *pulsum Niphatem*, pulsos Niphatae incolas. *Niphatem* autem montem ab antiquis saepius commemoratum (cf. liber meus geogr. II. p. 49.), cuius nomen nihil commune habet cum nive, sed factum est ex Armenico *Nebad.* s. *Nbadagan* (vid. St. Martin. *Mém. hist. et géogr. sur l'Arménie.* T. I. p. 48.), Ritter. *Erdkunde.* X. p. 77. quaerit iuxta fontes Euphratis meridionalis, qui nunc dicitur *Murad.* Plures autem Romanorum poëtae hunc locum ante oculos habuerunt, ita tamen ut praeter Horatium Od. II, 9, 19., qui eum recte intellexit, Lucanus III, 245. Iuven. VI, 409. Silius XIII, 775. et Vib. Sequ. p. 15. (quibuscum sane faciunt Schol. Lucan. p. 210. Web. Schol. Iuven. p. 236. et Schol. Cruq. Hor. p. 439.) falsa eius explicatione (vid. Servium) decepti, Niphatem pro fluvio haberent. Vid. Orell. ad Hor. l. l. Ceterum *pulsum Niphatem*, i. e. pulsos, victos Armenios, eadem ratione dictum, qua Geo. I, 509. *movet Euphrates*, II, 497. *coniuratus Hister*, II, 225. *Clanius arat* et Aen. VIII, 728. *pontem indignatus Araxes*, qui loci a me collati Ungerum l. l. p. 346 sq. moverunt, ut et ipse cum Schol. illis, Oberlino ad Vib. Sequ. p. 150. et Mitscherl. ad Hor. l. l. et Anal. p. 694. *Niphatem* hic fluvium esse putaret, quem tamen Geographi veteres ignorant. Conington, fluctuans inter utramque opinionem, proclivior tamen est ad illam, quam nos probavimus. — **31.** Haec omnia spectant ad morem Parthorum, ex quo fugam simulant, ut hostes incaute sequantur, statim autem versis equis et arcubus denuo contensis redeuntes maiore cum impetu in eos incursant. *Fidentem fuga.* Cf. Claud. IV. Cons. Hon. 531. *Scis refugo quae sit fiducia Partho*, et Hor. Od. II, 13, 17. *Miles* (timet) *sagittas et celerem fugam Parthi.* — *versis sagittis*, ab hostibus aversis (ut apud Hor. Od. I, 19, 11. *versis equis*) et mox rursus ad eos conversis. Imitatus est hunc locum Senec. Oed. 118. *Vidit et versus equitis sagittas, Terga fallacis metuenda Parthi*, eundemque fortasse etiam respexit Stat. Silv. I, 3, 78. *arcuque horrenda fugaci - - Armenia.* Praeterea cf. Ovid. A. A. III, 786. *Ut celer aversis utere Parthus equis.* — **32. 33.** „Exprimet porro in iis foribus duo tropaea, alterum de oriente extremo victo, alterum de occidente. Non autem, ad meum quidem sensum, haec sunt historice explicanda; nam non ea memorat, quae iam facta sunt; sed *quae ita fore auguratur.* Si tamen populum bello iam tum destinatum intelligere velles, de Cantabris, non de Britannis, ut Interpp. faciunt, haec essent accipienda. Ad bellum Cantabricum ipse tandem Augustus profectus est U. C. 728." *Heyn.* Et sane si *tropaea rapta* (etiam cum Peerlk.: vid. infra) de signis s. aquilis

Stabunt et Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles demissaeque ab Iove gentis
Nomina Trosque parens et Troiae Cynthius auctor.

Romanis demum a U. C. 734. a Phraate, Parthorum rege, redditis intelligimus, possumus etiam cogitare de bello Cantabrico, quo hic populus Hispaniae a. 729. ab ipso Augusto domitus, a. autem 732. rebellans a C. Furnio paene ad internecionem deletus est; tum enim omnino cum Heynio, (Vossio et Wagnero: vid. ad. v. 32.) sumendum esset, totum hunc locum aut suppositititium, aut pluribus demum annis post a Vergilio esse retractatum et suppletum; sed hoc non opus esse, nuper docuit Ribbeck. in Proleg. p. 20 sqq. Nihilominus concedendum erit, hos versus non eodem tempore, quo poëta hunc librum exorsus est, conscriptos, sed demum post pugnam Actiacam adiectos esse. (Vide, quae ad singulos versus adnotavimus.) — *tropaea rapta manu* simpliciter de victoriis reportatis intelligendum, nec in *rapta manu* argutandum; haec enim verba nihil significant nisi vi quaesita, parta, quia sermo est de re vi bellica, manibus consertis effecta, ut saepe dicitur *manu vincere, subigere, capere* et similia. Cf. etiam Aen. VII, 604. — *diverso ex hoste*, ex diversis terrarum partibus, ex Oriente et Occidente. Sic *diversos Celtas* appellat Gratius Cyneg. 156. Peerlk. p. 231. locum sic explicans: „duo signa Romana, aquilas, quae Parthi tropaea statuerant, monumenta victoriae a Romanis reportatae", *diversum hostem* mira ratione refert ad Parthos et *Armenios*, „qui, pars certe, fuerint amici Parthorum"; ut nihil dicam de non minus miro *duarum* aquilarum numero. — Totum orbem terrarum ab Augusto victum dicit; nam *gentes utroque ab litore* sunt extremi orientis et occidentis, per *utrumque* enim *litus* intelligenda ora maris interni et Oceani. Cf. Aen VII, 100. Prop. III, 9, 53. et Burm. ad Ovid. A. A. I, 173. *Ab litore* autem, scil. profectas, i. q. litus incolentes, ut Aen. VII, 647. *Tyrrhenis ab oris Mezentius.* Vid. supra ad v. 2. — *bis triumphatas*, de quibus bini triumphi habiti sunt. *Triumphatus*, de quo triumphatum est, legitur etiam Aen. VI, 837. Ovid. Am. I, 15, 26. Vopisc. Aurel. 33. et alibi; in qua constructione nemo haerebit, cum apud Lactant. VI, 23. Aurel. Vict. Vir. illustr. 61. Trebell. XXX. Tyr. 24. etiam Verbum activum cum Accus. Obiecti coniunctum inveniatur. Cf. etiam Ruddim. I. p. 298. et II. p. 223. Duo autem triumphi respondent duobus tropaeis antea commemoratis atque respiciunt in universum victorias et in oriente et in occidente reportatas, quamquam Octavianus re vera diebus 6—8. m. Aug. a. U. C. 725. tres triumphos egit, de Dalmatis, de Antonio et Aegypto (Dio Cass. LI, 21. Suet. Oct. 22. Liv. Epit. l. 123. et Orellii Inscr. II. p. 397.) Quare nescio, cur Wagn. ad Geo. IV, 230. solum versum 32. inter eos referat, qui „absoluto iam hoc libro aut etiam toto Georgicorum opere a Vergilio in marginem Codicis coniecti et inde in texta illati sint". — 34. *Stabunt.* Cf. Ecl. VII, 32. — *Parii lapides*, statuae marmoreae. *Parius lapis* pro marmore Pario (de quo cf. Plin. XXXVI, 7, 11.) redit Aen. I, 596.; quamquam veteres proprie inter lapidem et marmor distinxisse, e Plinio XXXVI, 6, 5. apparet. De ipsa insula *Paro*, quae hoc marmor praebebat, etiamnum *Paro* appellata, vid. librum meum geogr. III. p. 1028. — *spirantia signa*, tam pulchre et artificiose ficta, ut vivere et spirare videantur. Cf. Aen. VI, 848 sq. (ibique adnott.) — 35. „Gentis Iuliae [in quam Octavianus per adoptionem venerat] progenitores, ut vulgo ferebantur, ducta ab Iulo sive Ascanio, Aeneae filio, origine. A Iovis et Electrae filio Dardano ortus Erichthonius, cuius filius *Tros* Ilum, Ganymedem et Assaracum genuit. Vid. Homer. Il. XX, 215 sq. [230 sqq.] Ex Ilo Laomedon, Priamus: ex Assaraco Capys, ex hoc Anchises, pater Aeneae." *Heyn.* — *demissae*, h. e. oriundae. Cf. Aen. I, 288. et Horat. Sat. II, 5, 63. Codd. aliquot et Nonius p. 286. perperam *dimissaeque.* — *ab Iove.* Aliquot Codd. *a Iove;* sed vid. adnott. ad Ecl. III, 60. — 36. *Nomina*, cum emphasi dictum: nomina clara, illustria. Cf. Silius XVII, 492. *Iamque ardore truci lustrans fortissima quaeque Nomina obit ferro.* — „*Apollo* [*Cynthius*, cf. adnott. ad Ecl. VI, 3.] Troiae conditor, [vid. ad Geo. I, 502] adiungitur, quia is

Invidia infelix Furias amnemque severum
Cocyti metuet tortosque Ixionis anguis
Inmanemque rotam et non exsuperabile saxum.
Interea Dryadum silvas saltusque sequamur
Intactos, tua, Maecenas, haud mollia iussa.

---

imprimis magna religione tamquam tutelaris deus ab Augusto colebatur, quem adeo Apollinis filium vulgus ferebat. Vid. Suet. Aug. c. 94." *Heyn.* Burm. conferri iubet Parrhas. ad Claud. Rapt. Pros. III, 195. et Alciatum Parerg. VI, 6. — 37. „Altera ex parte in hoc templo signum ponetur Invidiae, sed debellatae et ad Tartarum proturbatae. Scilicet bella civilia omninoque discordiam civium plane coercitam esse, symbolice significat; ut in simili imagine Aen. I, 294 sq." *Heyn.* Voss. de imagine in pariete picta cogitat, atque etiam Wagn. in edit. min. putat de tabula picta cogitandum esse, cum aliter, quae hic a poëta ponantur, non facile omnia simul exprimi potuerint. Sed recte adversatur Ribbeck. in Proleg. p. 39. de hoc loco ita disputans, ut sumere videatur, v. 37—39. curis secundis in schedis poëtae versui 33. additos fuisse sententia nondum absoluta. Post *Parios lapides* commemoratos etiam hic de ectypis marmoreis cogitandum esse patet, quamquam rem ipsam aptius in foribus expressam dixeris. (Cf. etiam Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 44., picturam in hoc toto loco ne una quidem vocula significari verissime memorans.) — *Invidia infelix* Ribbeckio videtur referri posse ad inimicos Octaviani, qui Tartari terroribus moneantur, ne adversus deorum prolem peccent. Heynium locum aliter explicare, modo vidimus. — *amnem severum.* Cf. Aen. VI, 374. — De *Cocyto* (*Κωκύτῳ*, qui nomem habet a *κωκύειν*, a flendo, plorando) cf. Hom. Od. X, 514. Hes. Th. 740 sq. 807 sq. Plat. Phaed. c. 61. multique alii. Ex poëtis Latinis vid. praeter Verg. ipsum Geo. IV, 479. Aen. VI, 132. 297. et alibi v. c. Hor. Od. II, 14, 17. et Sen. Herc. fur. 685. — „*metuet*, terrebitur adspectu, simpliciter pro videbit, h. e. in Tartarum erit detrusa." *Heyn.* Ribbeck. l. l. huic lectioni in contextu a se exhibitae praefert Cod. Pal. scripturam *metuens.* — 38. „*tortos Ixionis angues*, quibus, pro vinculis, religatus est ad rotam, postquam illicitos Iunonis petivit amplexus. Ita Servius. Alii simpliciter vincula memorant, ut Apollon. Rhod. III, 62. Alia loca vid. in Misc. Obss. Vol. I. p. 269. Vol. III. p. 313 sqq. Cf. infra IV, 484." *Heyn.* De *Ixione* praeterea cf. Soph. Phil. 602. Diod. IV, 69. Hygin. fab. 62. Tibull. I, 3, 73. Ovid. Met. IV, 460. Servium ad h. l. et ad Aen. VI, 601. p. 269. et 389. Lion. et (quos laudat Unger de Valgio Rufo p. 202.) Staver. ad Hyg. fab. 62. p. 129. atque Ouwens. Noct. Hag. I, 3. p. 23. et III, 6. p. 390. Cum anguium in Ixionis supplicio alibi non fiat mentio, variis coniecturis hunc locum viri docti vexarunt, ita ut alii *Ixionis orbes* (quod etiam Cod. Rom. praebet), alii (inter quos Markland. et Davis. ad Cic. N. D. II, 42.) *Ixionis arces*, alii denique *I. artus* vel *ungues* legi vellent; quae tamen commenta omnia Heyn. iure reiicit, coll. Schradero ad Mus. p. 286. — *Saxum* Sisyphi significari in promptu est. Cf. Aen. VI, 616. *Saxum ingens volvunt alii.* Vid. de eo Hom. Il. VI, 153. Od. XI, 592 sqq. Apollod. I, 9, 3. ibique Heyn. p. 57 sqq. Hyg. f. 60. Hor. Od. II, 14, 19. Ovid. Met. IV, 177. 459. Cic. Tusc. I, 5, 10. et multi alii. „*non exsuperabile*, quoniam ad summum montis verticem emoveri et adduci nequit. Homero Od. XI, 598. Sisyphi saxum vocatur *λᾶας ἀναιδής*, improbus, ingens, qui pondere suo urget, nec submoveri potest. — 40. Interea argumentum se suum de armentorum cura prosecuturum esse ait. — *Dryadum saltus intactos*, rem pecuariam, argumentum carminis, quod nullus adhuc inter Romanos poëta attigit." *Heyn.* — De *Dryadibus* vid. adnott. ad Ecl. V, 59. et Geo. I, 11. *saltus*, pascua. Cf. adnott. ad Geo. II, 471. Videtur poëtae obversatus esse Lucretii locus I, 925 sq. *Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo: iuvat integros accedere fontes* etc. — *haud mollia iussa*, h. e. dura, quae rem difficilem imponunt vel etiam fortia, acria, quae negligi non possunt. Ita etiam Aen. IX, 804. Contra Ovid. A. A. II, 196. *Artis erunt cauto mollia iussa meae.* —

Te sine nil altum mens incohat. En age, segnis
Rumpe moras; vocat ingenti clamore Cithaeron
Taygetique canes domitrixque Epidaurus equorum,
Et vox adsensu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentis accingar dicere pugnas

---

42. Pro *inchoat* ex Med. et Serv. Dresd. auctoritate cum Wagn. Vol. V., Ribbeckio et Hauptio scripsimus *incohat*. Cf. Ribbeck. Proleg. p. 122. Wagn. Orth. Verg. p. 440. et ex iis, qui ibi laudantur, imprimis Schneid. Gramm. Lat. I, 1. p. 205. Fea ad Hor. Od. I, 4, 15. (qui de eadem re egit etiam ad Front. p. 154. et ad Cic. Rep. I, 35. III, 2.) Beier. et Orell. ad Cic. Orat. c. 9. extr. et Doederl. *Lat. Synon. u. Etymol.* III. p. 157. — *En age*, ad augendam adhortationis gravitatem; nam his verbis poëta semet ipse exhortatur. (Vide infra.) Ita apud Prop. I, 1, 21. *en agedum* et Aen. IV, 569. *eia age, rumpe moras*, quod repetunt Stat. Achill. II, 198. et Martial. II, 64, 9. Sic etiam Silius VIII, 215. *eia age, segnes Rumpe moras* et Stat. Achill. I, 508. *Eia age, rumpe* (vel, ut nunc editur, *Eia, inrumpe*) *deos*. Cf. Burm. ad Propert. I, 2, 21., Gebauer de poët. I. p. 207. et Hand. Tursell. I. p. 212. Probus Inst. I, 9, 6. etiam hic legit *Eia age*, quod probare videtur Lachm. ad Lucr. III, 374. p. 164. — 43. Sensus est: Videor mihi audire armenta, canes, equos, qui me vocant ad carmen Maecenatis iussu pangendum, h. e. res pecuaria vehementer nunc postulat (quod est *vocat ingenti clamore*) studium meum. Mox tamen Caesarem heroico carmine celebrabo. — *Cithaeron*, Boeotiae mons prope Thebas situs orgiisque ibi celebratis et discerpto a Bacchantibus Pentheo celeberrimus, (qui etiamnum antiquo nomine dicitur: vid. librum meum geogr. III. p. 861.) Cf. Aen. IV, 303. Ovid. Met. III, 702 sq. aliique. Hic aut propter ferarum copiam ad venandum, aut propter pascua sua et greges commemoratur. — 44. *Taygeti* (vid. supra Geo. II, 488.) *canes* ad venationem spectant. De canum venaticorum cura infra v. 404 sqq. sermo est, ubi v. 405. *Spartae catuli*, sicut v. 345. *Amyclaei canes*, iidem qui hic *Taygeti*. De Laconicae autem canibus venaticis magni aestimatis vid. Aristot. Hist. an. V, 2. VI, 20. VIII, 28. Xen. de ven. 10, 1. 4. Hor. Epod. VI, 5. Ovid. Met. III, 208. Lucan. IV, 441. Senec. Hipp. 35. Silium III, 295. Nemes. Cyneg. 107. Ceterum *Taygeti* pro Taygetii positum putat Heins. ad Claud. Stil. III, 259., haud dubie, quia supra l. modo l. forma *Taygeta* legitur, ubi iam vidimus, Romanis hunc montem dici *Taygetum* (Nomin. *Taygetus*). Cf. III, 12. 13. Claud. Cons. Mall. Theod. 291. R. Pros. II, 844. Bell. Get. 193. Lucan. V, 51., in quibus locis omnibus Genit. obiecti *Taygeti* legitur. — „*Epidaurus* cum tota Argolide *equorum* cura nobilis. Vid. Intpp. Hor. Carm. I, 7, 9. *Aptum dicit equis Argos*. Cf. inf. v. 121. et Strab. VIII. p. 595." *Heyn.* De *Epidauro*, ad Sinum Saronicum sita, Aesculapii cultu et templo nobilissima, (nunc *Nea Epidavros* s. *Pidhavro* appellata) cf. Strab. VIII. p. 369. Plin. IV, 5, 9. Mela II, 8. alii et liber meus geogr. III. p. 1000. De equis autem Epidauricis cf. etiam Strab. IX. p. 388. Lactant. ad Stat. Theb. IV, 123. p. 166. B. et Unger de Valgio Rufo p. 374. — Unus Leid. *equarum*, non male (vid. adnott. ad Geo. I, 59.). Sed masculinum praeter ceteros Codd. omnes etiam Lactant. ad Stat. Theb. IV, 123. agnoscit. — 45. Ea vox repercutitur per echo silvarum. Imitatus est hunc locum auctor carminis in Anth. Lat. Burm. III, 81, 74. *Terque quaterque simul vox ingeminata remugit*. — 46 sqq. Nescio, quo iure Wagn. in Prolegg. ed. min. p. XVIII. hos versus non ad Aeneidem mox condendam, sed potius ad ea referat, quae in his ipsis Georgicon libris ad Caesaris laudes bellicas pertineant. Cum enim ea omnia iam praecesserint (I, 505 sqq. II, 171 sqq. III, 26 sqq.), in sequentibus autem nihil amplius contineatur, quod huc trahi possit, ei, qui Wagneri sententiam probare vult, sumendum est, illos versus non solum postea (quod sane non ineptum esset), sed etiam plane alieno loco a Vergilio additos esse, (quod recte negat Tittler. Progr. p. 12 sqq.) Quare potius Serv. *mox* (*nächstens:* cf. Hand. Turs. III. p. 655.) recte videtur explicare: „postquam Georgica conscripsero." Utrum autem de Aeneide conscribenda hic cogitaverit poëta, an potius de alio carmine he-

Caesaris et nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Caesar.
Seu quis Olympiacae miratus praemia palmae
Pascit equos seu quis fortis ad aratra iuvencos,
Corpora praecipue matrum legat. Optuma torvae
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent;

---

roico Octavianum ipsum celebraturo (cf. Ribbeck. Proleg. p. 45.), in dubio relinquamus. Tittler Progr. p. 12 sqq. hos versus defendens cum plurimis editoribus non dubitat, quin eos ad Aeneadem referat. Ceterum hos tres versus, 46—48., quoniam abesse poterant, pro spuriis habuit Hand. A. P. 16. ab Iahnio allatus, atque etiam Peerlk. p. 232. eos spurios censet, quos tamen legit Nemes. Cyneg. 63. hunc locum sic imitatus: *nos vestros meliore lyra memorare triumphos Accingar.* Animadvertas autem insolentiorem verbi *accingendi* constructionem cum Infinitivo. Vid. adnott. ad Aen. V, 485. — 47. *Caesaris* nomen cum singulari v[illegible] in principio versus positum, quemadmodum apud Hor. Epist. I, 13, 18 [illegible] *Carmina, quae possint oculos auresque morari Caesaris.* — 48. „*Tithonus* etiam ad gentis Iuliae origines pertinet. Erat enim Trois ab [illegible] nepos, Laomedontis filius. Tempus, quod ab hoc progenitore effluxit ad [illegible] Caesarem, pro infinito tempore ponitur." *Heyn.* De *Tithono* iam ad Geo[illegible] I, 447. dictum. *Tithoni* autem *prima ab origine* nihil aliud nisi: [illegible] a Tithono. Sic Ovid. Met. IV, 213. *a prisci origine Beli* pro a Belo. — 49—51 [illegible] „De fetura armentorum acturus, vaccarum optimarum, quae tauro submitt[illegible] possint, notas enarrare incipit. Cf. Varr. R. R. II, 5. Colum. VI, 1. et 21 [illegible] Pallad. IV, 11, 5. Plin. VIII, 45, 70. Geopon. XVII, 2. — *miratus praem[illegible] p. Ol.*, h. e. studio certaminum curulium." *Heyn.* Couington *miratus* ex[illegible] plicans per desiderans (*desiring*) conferri iubet Hor. Ep. I, 6, 18. et Sat[illegible] I, 4, 28. — *palma Olympiaca* Wagnero omnino pro signo victoriae po[illegible] sita videtur, cum non vera palma, sed corona ex oleastro facta praemium Olympionicarum fuerit; sed ex Plut. Symp. VIII, 4, 1. ἔφη δ' ἀπορεῖν, τ[illegible] δήποτε τῶν ἀγώνων στέφανον ἄλλον ἄλλος ἔχει, τὸν δὲ φοίνικα κοιν[illegible] πάντες (quem Ladewig. laudat) apparet, palmam commune fuisse omnium victorum in ludis praemium ideoque etiam Olympionicis praeter coronam illam tributam. (Quare Wagn. in min. edit. sententiam suam corrigit.) — 50. Pro *pascit* Ribbek. contra omnium, puto, Codd. et Nonii p. 347, 2[illegible] auctoritatem edidit *pascet*, comparans supra I, 155. 188. 219. 227. 42[illegible] 428. 446. 454. 459. II, 233. 274. 346. et III, 73. Sed ex omnibus his locis quorum unus modo, I, 219., nostro ex asse responderet, non sequitur, etiam hic Futurum ponendum fuisse. — *fortes ad aratra*, sc. vehenda. Si[illegible] Propert. III, 1 (II, 10), 3. *fortes ad proelia turmas.* Cf. Burm. ad Ovid[illegible] Fast. II, 688. (*Vir - - fortis ad arma*), idemque ad Quinct. Decl. IV, 2[illegible] Drakenb. ad Liv. VII, 40. et Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 1, 30. Verba *fortes ad aratra iuvencos* iterantur ab imitatore Vergilii in Anth. Lat. Burm. [illegible] 178, 224. — 51. *Corpora matrum* cum quadam vi pro: matres form[illegible] praeclara insignes. Cf. adnott. ad Geo. IV, 475. Sequentia verba respex[illegible] Nemes. Cyneg. 263 sqq. *Nec pigeat, quod turpe caput* etc. et v. 247. *Pl[illegible] rima se validos cervix resupinat in armos.* — *torvae.* Vid. adnott. a[illegible] Ecl. II, 63. — 52. „*turpe caput*, fronte lata [et adspectu minus iucund[illegible] quam augustiore], ut omnes scriptores laudati docent; unde et *βοῦς εὐρ[illegible] μέτωπος* et *πλατυμέτωπος*. *Nec ab adspectu decoros* Columella Apenn[illegible] num alere dixerat VI, 1, 2. et Plin. VIII, 45, 70. *Non degeneres existimandi etiam minus laudato adspectu.* Nec tamen *turpis* et *magnus* propterea pro synonymis habenda." *Heyn.* Cf. etiam ad Geo. IV, 395., ubi Serv. *turpes phocas* de magnitudine intelligit. — *plurima cervix*, longa et crassa, in quo robur tauri imprimis spectatur. Cf. Nemes. l. l. Ita Ovid. Met. XI, 140. *fons, qua plurimus exit.* ibid. XIV, 361. *Plurima qua silva est* etc. Cf. adnott. ad Ecl. VII, 60. Geo. II, 183. et Aen. I, 419. — 53. *crurum tenus.* Vid. adnott. ad Aen. X, 210. — *palearia.* Palear, quo non facile nisi numero plurali utuntur, est pellis ex collo boum dependens, ita

Tum longo nullus lateri modus; omnia magna,
Pes etiam; et camuris hirtae sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat maculis insignis et albo,
Aut iuga detractans interdumque aspera cornu
Et faciem tauro propior, quaeque ardua tota
Et gradiens ima verrit vestigia cauda.
Aetas Lucinam iustosque pati hymenaeos
Desinit ante decem, post quattuor incipit annos;
Cetera nec feturae habilis nec fortis aratris.

---

dicta, quia gallinaceorum paleae quodammodo similis est. Cf. Varr. R. R. II, 5, 8. Colum. VI, 1, 3. Ovid. Met. VII, 117. et ibid. II, 854. — 54. Lateribus porrectis, *βαθυπλεύρους*, esse vult eas vaccas. Heyn. *latus* pro toto corpore positum censet; sed recte Wund. in Praef. p. XVIII.: „*latus* et h. l. proprie positum est, neque usquam Latine pro toto corpore usurpari memini. Exemplis certe comparatis, qualia haec sunt: Hor. Od. II, 7, 18. Virg. Aen. VII, 108., significatio illa nequaquam comprobatur.“ Ceterum cf. Grat. Cyneg. 272. *longum latus* et Nemes. Cyn. 244. *immodicum latus*. — 55. „*Pes etiam*, scilicet magnus est. Poëta totum crus eo nomine designare potuit. Crura autem etiam Varro l. l. *breviora potius quam longa* esse voluit, sed, cum brevia sunt, crassa, *compacta* (ut Colum. VI, 1, 3.) eoque magna esse possunt. *Σκέλη παχύτερα μᾶλλον ἢ μακρότερα*, Geopon. XVII, 2.“ *Heyn.* De pede crasso, compacto, etiam Schirach. p. 484. h. l. intelligit. — „*camura cornua* sunt incurva, introrsum conversa. Vid. Macrob. Sat. VI, 4. *ἕλικας βόας εὐρυμετώπους* Homeri (ut Odyss. XI, 289.) non male comparat Ursinus.“ *Heyn.* Respexit hunc locum Gratius Cyn. 269. *sint celsi vultus, sint hirtae frontibus aures*. — 56. *Nec mihi displiceat* per Litotin pro: valde placeat, ut Aen. VII, 261. *Munera nec sperno* et similia. — „*maculis insignis et albo* [cf. adnott. ad Geo. II, 192. et al.]: definire non ausim, utrum sint maculae nigrae in albo corpore, an albae in nigro rufove, ut sint *maculae* et *album*, maculae albae, nota figura. Commendat tamen hoc ipsa verborum iunctura, *maculis et albo*.“ *Heyn.* Wunderl. priorem, Wagn. et Ladewig. recte, puto, posteriorem rationem praeferunt. Cf. Ecl. II, 41. Maxime tamen placebant vaccae rubeae vel helvae. Cf. Varro R. R. II, 5. et Colum. VI, 1. — 57. *detractans* pro vulg. *detrectans* Wagn. ex pluribus bonis libris, in quibus Rom. et Pal., restituit, eumque ceteri recentiores editores praeter Coningt. secuti sunt. Cf. viri docti ab eo ad h. l. et in Orth. Verg. p. 381. laudati et Ribbeck. Proleg. p. 387. — *aspera cornu*, cornu petens, feriens. — 58. Verba *Et faciem tauro propior* iterantur a poëta Anth. Lat. Burm. I, 14, 2. Conington imprimis latam frontem respici putat. — 60. 61. „Aetas iusta ad admittendum taurum et pariendum. Colum. VI, 24, 1. *Ex his, qui quadrimis minores sunt, maioresque quam duodecim* (noster decem) *annorum, prohibentur admissura* etc. Cf. Varr. R. R. II, 5, 13. Plin. VIII, 45, 70. Tu vide, quam caste et decore poëta hanc rem expresserit; ut etiam in sqq.“ *Heyn.* — *aetas pati*. Cf. adnott. ad Geo. I, 305. et II, 73. — *Lucina* pro ipso partu legitur etiam Geo. IV, 340. Cf. Probus p. 59. Keil. et adnott. ad Ecl. IV, 32. (Wagn. et Ladew. prius *Lucinam* hic per coitum interpretati erant, quod iure vituperavit Ameis. Spic. p. 29.) — *iusti hymenaei*, iusta et matura aetate iniți, *hymenaei* autem pro coitu. Burm. comparat Ovid. Met. X, 36. *cum iustos natura peregerit annos*. Auson. Idyll. I. *iusta aetas*. Ovid. Am. II, 14, 14. *iusta pondera*, ibique adnott. — 61. Ladewig. observat, *ante decem, post quatuor annos* paullo insolentius esse dictum pro *ante decimum post quartum*, comparans Liv. XXXVIII, 51, 11. *ab annis septendecim ad senectutem* et Iustin. VIII, 617. *Cum igitur ad viginti annos pervenisset*. — 62. *cetera*, scil. aetas, quae aut quartum annum nondum attigit, aut decimum excessit. Hand. Tursell. II. p. 42. hunc locum inter eos refert, ubi *cetera* (neutr. plur.) pro *ceterum*, vel potius *ad cetera*, ut ipse explicat, positum sit (cf. adnott. ad Aen. III, 593.); quod neutiquam probare possum. — *habilis*, idonea, congruens; ut

Interea, superat gregibus dum laeta iuventas,
Solve mares; mitte in Venerem pecuaria primus,
Atque aliam ex alia generando suffice prolem.
Optuma quaeque dies miseris mortalibus aevi
Prima fugit; subeunt morbi tristisque senectus
Et labor et durae rapit inclementia mortis.
Semper erunt, quarum mutari corpora malis:

---

in simillimo loco Horatii Od. III, 19, 24. *Vicina seni non habilis Lyco*, scil. aetate. Ovid. Am. I, 9, 3. *Aetas bello habilis.* Sil. XI, 588. *portandis habiles gravioribus armis*, et quae sunt similia. Cf. etiam adnott. ad Geo. II, 92. — 63. *Interea*, hoc quinquennii spatio. — *superat* Bach. ad Tibull. p. 342. explicat per abunde est. Cf. quae nos iam supra ad Geo. II, 331. adnotavimus, ubi hunc locum consulto omisimus, in quo dubitare possis, utrum *superare* vere pro abunde esse, an pro superesse (de qua signif. ad Ecl. IX, 27. diximus) positum sit; quamquam illud probabilius videtur. — *gregibus* de solis vaccis intelligendum esse, docet Voss.; *gregem* enim (Ecl. VII, 7. Geo. III, 386.), ut *pecus* (Geo. II, 150. III, 72. 125. 155.) et *armentum* (Geo. III, 71. 129.), κατ' ἐξοχήν significare feminas pecudum, ex quibus greges maximam partem constent. Quare apud Ovid. Met. II, 684. legimus *incustoditae boves*. Vid. tamen Huschk. et Dissen. ad Tibull. III, 4, 67. et hic etiam ad II, 3, 11. — *iuventas* ab Heinsio pro vulg. *iuventus* ex melioribus libris restitutum. Constat enim, hoc vocabulum, quod primum deam iuventutis significat, interdum etiam pro aetate iuvenili poni (cf. Aen. V, 398. Hor. Od. II, 11, 6. aliique poëtarum loci) eodemque sensu etiam *iuventa* infra v. 437. IV, 565. Aen. I, 590. II, 473. IV, 32. et saepius. *Iuventus* autem apud Vergilium nil nisi iuvenum numerum et multitudinem significat. Cf. etiam adnott. ad Aen. V, 398. (ubi eadem deprehenditur varietas lectionis) et VIII, 160. — 64. *Solve mares*, sine eos rei venereae operam dare. Cf. Geo. IV, 198 sq. Ante admissuram enim boves et equi admissarii per aliquod tempus a grege separati in stabulis retinebantur. Cf. infra v. 214. — *mitte in Venerem.* Sic Nemes. Cyn. 121. *in Venerem permitte marem.* — *pecuaria* hic ipsa sunt pecora, boves. Vid. Pers. III, 9. *Arcadiae pecuaria rudere credas.* Cf. etiam infra v. 472. Deducitur autem hoc voc. ab antiquo *pecua* (pro *pecora*), de quo praeter Burm. ad h. l. cf. Drakenb. ad Liv. V, 48, 3. Oudend. ad Apul. Met. II. in. p. 83. Garat. et Beneck. ad Cic. Manil. 6, 15. — *primus* Heyn. interpretatur per quamprimum (mitte, dum iuvenilis aetas superest); rectius Wunderl. per „prior omnibus." Cf. Geo. II, 408. *Primus humum fodito, primus devecta cremato Sarmenta.* – Cum v. 65. cf. Nemes. Cyneg. 200 sqq. — 66. „*Optima dies*, ut *optima, melior, bona aetas*, de iuventute. Sententiam hic insertam, in qua ad homines refert vitae brevis ac fluxae conditionem, nec in pecudibus subsistit, non satis cum ceteris vinctam et iunctam esse dicas [quod etiam Schirach. p. 547. censet], at plus dignitatis per illam loco conciliari. Commentatur in h. l. Seneca Ep. 100." *Heyn.* — *miseris mortalibus*, ut Aen. XI, 182. et ap. Lucr. V, 944. Eodem sensu Geo. I, 237. *mortalibus aegris.* Omnibus tamen his locis de hominibus agitur, neque hic poëta hoc epitheto de animalibus usus fuisset, nisi communis esset sententia pariter etiam ad homines pertinens. — *subeunt morbi* etc. Cf. Nemes. Cyn. 117. *namque graves morbi subeunt segnisque senectus* et Wernsd. Poët. L. min. VI, 295, 153. *Iam subeunt morbi, subeunt discrimina mille.* Peerlk. p. 234 sq. hunc locum coniectura et mutata distinctione sic constituit: *O, quaeque d. miseri, ut mortalibus, aevi Prima: fugit: subeunt* etc., ut *miserum aevum* dictum sit, quemadmodum ap. Val. Fl. IV, 86. *misera vita* et haec prodeat sententia: „Prima quaeque dies miseri aevi est optima gregibus, ut est optima hominibus; carpe igitur. Nam fugit et instant morbi, senectus etc." — 69—71. Delectus vaccarum quotannis faciendus; nam enixae et vetustae, quae gignere desierunt, submovendae et novae in illarum locum substituendae sunt. Cf. Varro R. R. II, 5, 17. et Colum. VI, 22, 1. VII, 3, 13. 14. idem in ovibus faciendum esse docet. — *quarum m. corpora m.*, h. e. quas cum aliis

Semper enim refice ac, ne post amissa requiras,
Anteveni et subolem armenta sortire quotannis.
Nec non et pecori est idem delectus equino.
Tu modo, quos in spem statues submittere gentis,
Praecipuum iam inde a teneris inpende laborem.
Continuo pecoris generosi pullus in arvis

---

permutari velis, alias iis submittendo. Voc. *corpus* enim saepissime inservit circumlocutioni. Vid. adnott. ad Aen. I, 70. — Pro *malis* Ribbeck. cum Cod. Rom. exhibet *mallis*. Cf. de hac scribendi ratione Lachm. ad Lucr. III, 1014. p. 203 sq. Corssen. de pronunt. I. p. 83. et Ribbeck. Proleg. p. 429. — 70. *Semper enim refice.* „In verbis *semper erunt, quarum* latet: semper inquire, quae boves reiiciendae sint. Ita Coniunctio *enim* apta." *Wund.* De hoc similibusque locis Hand. agit Tursell. II. p. 380 sq., qui docet, in evocatione et adhortatione *enim* interdum fere idem esse, quod *igitur* (cum ita sit, iam etc.) et respondere nostro *so - - denn* et *nämlich*. Cf. etiam Voss. ad h. l. — *refice*, scil. armentum. — *ne post amissa* (sc. corpora) *requiras*, ne postea damnum cum desiderio sentias. — 71 sqq. Totum locum imitatione expressit Nemes. Cyneg. 200—205. — 71. Ribbeck. cum Med. et Rom. divisim scripsit *Ante veni*. — *Sortiri* etiam sine sortis notione est eligere et substituere. Cf. Nemes. l. l. 205. *et sortire gregem suffecta prole quotannis*. — 72 sqq. „Sequitur locus de equorum cura, et quidem de admissura usque ad v. 208. In equo admissario eligendo quae sint spectanda, v. 75. signa e forma, incessu, animo, colore, aetate: tum v. 100. parentes ac stirpem, alacritatem et impatientiam in curriculo — v. 122., et victum reliquamque curam, sub ipsum admissurae tempus subiungit, etiam in equabus — v. 137." *Heyn.* — *pecori equino*, equabus. Cf. adnott. ad v. 63. — *delectus*. Ita plurimi libri, quos cum Iahnio et mecum secuti sunt Ladew. et Haupt. Sed Heyn., Voss., Wagn., (qui tamen in min. edit. et ipse edidit *delectus*), Bryce, Ribbeck. et Conington ex Medic. et aliis duobus Codd. dant *dilectus*. Cum vero inter viros doctos nondum satis conveniat, utra scriptura verior sit (cf. Burm. ad Ovid. Met. X, 324. Drak. ad Sil. VII, 43. Duker ad Flor. IV, 11, 5. Gernhard. ad Cic. Off. I, 2, 6. Baumg. Crus. in Clav. Suet. s. v., et quos praeterea laudat novus Lexici Forcell. editor. s. v. Delectus), secundum analogiam autem verborum *deligere* et *diligere* forma *delectus* praeferenda videatur, plurimorum librorum auctoritati obtemperare satius duximus. — 73. „Exquisita varietate, ut Servius notavit, cum de taurino genere ageret, matrem, nunc, cum de equino, patrem admissarium describit." *Heyn.* — *modo* Imperativo additum est acriter urgentis vel impatientius requirentis aliquid, et respondet nostro *nur* (in *geh nur, warte nur, mache nur* etc.) Cf. Aen. IV, 50. et Hand. Turs. III. p. 640. *statues* Heins. ex Med. aliisque bonis Codd. pro vulg. *statuis* restituit, idque tuentur etiam Macrob. Sat. VI, 6. et Probus Inst. gramm. I. p. 1424. P. Recte enim Imperativo respondet Futurum de re, quae nondum fit, sed futura est. Cf. infra Geo. IV, 411 sqq. et Wagn. Qu. Virg. V, 5. p. 394. — „*Submittere* dicitur universe de iis, qui substituuntur in aliorum locum, aut ad supplendum gregem aluntur; tum proprie de iis, tauris vel arietibus, qui ad admissuram aluntur, h. e. ut in locum aliorum feturae inutilium succedant. Cf. ad Ecl. I, 46." *Heyn.* Vid. etiam infra v. 159. — *in spem gentis*, ut nova proles inde nascatur. Sensus igitur est: quos vis gregi submittere, ut adulti admissurae inserviant. Vid. adnott. ad Ecl. I, 15. *Gentem* enim de animalibus quoque dici constat. Cf. infra v. 122. et 158. Ovid. Fast. IV, 711. de vulpibus, Colum. IX, 9, 6. (coll. cum IX, 3, 3.) et Pallad. IV, 15, 3. de apibus. Vid. etiam adnott. ad Aen. VII, 282. — 74. *inpende laborem*. Cf. Geo. II, 61. (433. III, 124.) Nemes. Cyn. 204. *sollicitos inpende labores* etc. — 75. Sententia horum verborum secundum Wagn. haec est: „Statim ex incessu, s. ipso iam ex incessu coniectura de equo fieri potest." *Continuo* enim i. q. statim, nostrum *gleich, sofort*. Cf. Geo. I, 60. 169. III, 158. 271. 468. et Hand. Tursell. II. p. 104. — *pecus* h. l. equinum: vid. v. 72. *Pecus* enim est animal brutum cuiuscumque generis. Vid. infra ad Geo. IV,

Altius ingreditur et mollia crura reponit;
Primus et ire viam et fluvios temptare minaces
Audet et ignoto sese committere ponti,
Nec vanos horret strepitus. Illa ardua cervix
Argutumque caput, brevis alvus obesaque terga, 80

---

327. „Ad notas has generosioris pulli cf. Xenoph. de re equ. pr. Varr. R. R. II, 7. Colum. VI, 29. Geopon. XVI, 1. et 2. [Pollux I, 11. Pallad. IV, 13.] Inter poëtas praeter Oppianum, cf. Nemes. Cyneg. 240 sqq., ex nostro illustrandus, et Calpurn. Ecl. VI, 51 sqq.“ *Heyn.* — 76. *Altius ingreditur* non ad spiritum et superbiam referendum. Vid. etiam adnott. ad Aen. VII, 282. Varr. l. l. *Cruribus rectis et aequalibus* et Colum. l. l. *aequalibus atque altis rectisque cruribus.* De ultima syllaba voc. *ingreditur* arseos et caesurae vi producta vid. ad Ecl. I, 38. IV, 51. et alibi. — *mollia crura*, mobilia, quae facile flecti et incurvari possunt. (Cf. adnott. ad Ecl. II, 72. et Geo. II, 389.) Ameis. Spic. p. 29. potius explicat: quae tactui facile cedunt, quae significatio quomodo huc quadret, non perspicio. — *reponit*, in currendo sublata humi vicissim ponit, ut igitur vis Part. *re* (iterum iterumque) neutiquam prorsus evanescat. Vid. adnott. ad Geo. II, 29. Ceterum cf. Xen. de re equ. 10, 4. *τὰ σκέλη ὑγρὰ μετεωρίζει.* Quod si ars accesserit, tum *sinuat alterna volumina crurum* v. 192. Ceterum hoc hemistichium ab Ennio sumptum, cuius verba (Ann. fr. inc. 81. p. 79. Vahl. s. p. 143. Hessel.) de gruibus sunt haec: *Perque fabam repunt et mollia crura reponunt.* Burm. non male cum h. l. comparat Lucr. I, 36. *suspiciens tereti cervice reposta*, Quinct. Inst. IV, 2. *et vocem flectunt et cervicem reponunt*, Heyn. autem Xenoph. de re equ. I, 4. *πώλων ὑγρῶς κάμπτειν τὰ γόνατα.* Imitantur hunc locum Silius XVI, 443. *tum mollia crura superbi Attollens gressus* et Nemes. Cyn. 170. *crura natantia ponunt.* Cf. etiam Gratii Cyneg. 503. — 77. *Primus ire viam.* Colum. VI, 29., hunc locum omnino respiciens: *si ante gregem procurrit.* Cf. idem VI, 2. et Varro R. R. II, 7. *ire viam*, ut Aen. VI, 122. Hor. Ep. I. 2, 65. et saepissime. Cf. Broukh. et Burm. ad Prop. II, 19, 50. Oudend. ad Hirt. B. Afric. c. 75. Ruhnk. ad Ovid. Her. VII, 74. Obbar. ad Hor. l. l. Vol. I. p. 126. alii. Seneca in Ep. 95. hunc totum locum v. 75—85. exscribens exhibet *inire*, quod Peerlk. p. 235. verum habet, ut versu sequ. *ponto.* — *temptare fluvios* secundum Burm. est in vado transitum pedibus explorare, ut solent animalia. Cf. Ovid. A. A. I, 437. *cera vadum tentet* cum adnott. ad Ecl. IV, 32. et Geo. I, 207. Pro *minacis* Ribbeck. ex uno Cod. Pal., Schol. Bern. (vid. Proleg. p. 196.) et Seneca recepit *minantes*, quod in Proleg. p. 202. audaciam equi fluvios transnantis melius exprimere censet vulgari lectione. Seneca tamen, qui etiam versu sequ. *ponto* exhibet pro *ponti*, locum nostrum memoriter tantum videtur laudasse, quod Ribbeck. ipse concedit. — 78. *ponti.* Aliquot Codd. et Seneca *ponto*, quod post verba *fluvios minacis* languet. Vulgarem autem lectionem satis tuentur duo Columellae loci, qui hunc Vergilianum spectare videntur, VI, 2. de bubus: *Nec auditu nec visu pavidi, nec ad ingredienda flumina aut pontes formidolosi*, et ibid. c. 29. de equis: *Indolem licet aestimare, si hilaris, si intrepidus, si fossam sine cunctatione transilit, pontem flumenque transcendit.* Contra Plin. VIII, 43, 68. de asinis: *nec pontes transeunt, per raritatem eorum tralucentibus fluviis.* — 79. Verba *Illi ardua cervix — Et gilvo* Quinctil. Inst. VIII, 2, 15. interiecta et parenthesi includenda esse dicit, quem secuti sunt Both. et Iahn. Sed huic rationi totius loci oeconomiam, quam vocant, et imprimis v. 86 sqq. obstare, bene perspexerunt Voss. et Wagn. Primum enim (v. 76—82.) pulli iuvenilis ardor et forma, tum (v. 83—94.) equi iam adulti et militiae apti natura, denique (v. 95 sqq.) senescentis equi imbecillitas describitur. Respexit hunc locum Nemes. Cyneg. 243 sqq. — *ardua cervix* (*hochragend*) etiam ab Horatio Serm. I, 2, 89. equo pulchro adscribitur. — 80. *Argutum caput.* Heyn. provocat ad Varr. R. R. II, 7, 5. Colum. VI, 29, 2. et Horat. Sat. I, 2, 89., qui in generoso equo requirunt *caput non magnum, exiguum, breve*, et Iacobs. confert Catulli LXVIII, 72. *argutam soleam*, quae tamen magis stridentem, quam brevem et bene aptatam pedi

Luxuriatque toris animosum pectus. Honesti
Spadices glaucique, color deterrimus albis
Et gilvo. Tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus et tremit artus
Collectumque fremens volvit sub naribus ignem. 85

---

videtur indicare. Ante omnia conferendus erat Pallad. IV, 13, 2. *aures breves et argutas*, et ibid. §. 8. *musculosa et arguta corpora* in equis requirens. Noli tamen putare, Adi. *argutus* per se idem significare posse, quod *brevis*. *Argutum equi caput* est tam apte compositum, ut generositatem eius vel primo adspectu satis ostendat. Iam vero cum generosi equi habeantur, qui brevi capite sunt praediti, hic sane idem est, quod breve, exiguum caput. — *brevis alvus*, h. e. venter substrictus. Varro ibid. *ventre modico, lumbis deorsum versum pressis*, et Nemes. 244. *Immodicumque latus, parcaeque ingentibus alvi*. Ceterum Ribbeck. invitis libris scripsit *alvos*. Ubi Codd. huic formae Graecae favent, etiam nos eam recipere non dubitavimus. Cf. adnott. ad Ecl. III, 56. Geo. II, 150. et alibi. Idem Ribbeck. hic cum Pal. et infra v. 497. cum Med., Pal., Rom. et uno Bern. scripsit *obessa, obessis*. Vid. eius Proleg. p. 445. et Wagn. Orth. Verg. p. 469. — 81. „*Luxuriat toris animosum pectus*, ornate pro: pectus est torosum et eminens pulpis, ut Serv. ait, h. e. *latum ac plenum*, ut Varro ibid., Colum. autem: *lato et musculorum toris numeroso pectore*. Pallad. *pectus late patens*. *Luxuriare* vero ex more de laetioribus incrementis." *Heyn.* Cf. v. c. Ovid. Met. VII, 290 sqq. *Pulsa fugit macies, - - Adiectoque cavae supplentur corpore rugae, Membraque luxuriant*, et Gellius VII, 22. de homine obeso et praepingui: *cuius corpus in tam immodicum modum luxuriasset exuberassetque*. Ut hic *animosum pectus*, sic ap. Nemes. Cyn. 250. *virtus animosa*. — 82. Inter pulchros equorum colores refert *spadicem glaucumque*. *Spadix* (a spadice palma translatus) is est color, qui alibi in equis *badius* dicitur (Varr. ap. Nonium II, 87. Grat. Cyneg. 536. Pallad. IV, 13. Isid. Orig. p. 1114., Ital. *bajo*, Gall. *bai*, a *βαΐς*, *βάϊον*, palmae ramo), i. e. fuscus ille, quem nos a castanea appellamus, *glaucus* autem respondet nostro *grau*, quod proximo ad caeruleum accedit. Cf. imprimis Gellius II, 26. et III, 9. cum Interpp. ad Gratii l. l. Salmas. Exerc. Plin. p. 935. Schneid. ad Pallad. l. l. p. 135. et Heyn. ad h. l. — *Albi* equi (quorum color luteo et subflavo accedit) a *candidis*, quos alibi (Aen. XII, 84.) ipse commendat poëta, discernendi. Sic v. c. Ecl. VII, 38. *candidi cycni* et *hedera alba* coniunguntur. Cf. Doederl. *Lat. Synon. u. Etymol.* III. p. 193 sq., adnott. ad Aen. I, 472. et Weichert. de Medea oestro percita Comm. I. p. 13. ab Iahn. laud. *Gilvus* denique Heynio is color flavus esse videtur, qui ad mellis colorem proxime accedat. De coloribus equorum omnino vid. Bochart. Hieroz. II, 7. imprimisque de albo p. 104 sqq., de gilvo p. 109. Ceterum Hitzig. in Mus. Rhen. XV. p. 321. v. 82. cum sequentis initio spurium censet, servatis tamen verbis *honesti spadicis*, quae ad *pectus* vult referri, Ribbeck. autem in Proleg. p. 43. hos versus ex adnotatione retranctantis sua poëtae illatos et antiquum exitum v. 81. cum initio v. 83. inserta notula illa intercidisse suspicatur. — 83—85. Equus animosus et ardore pugnandi incensus describitur. — 84. *Stare loco nescit*. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. Burm. I, 170, 70. Cf. etiam Nemes. Cyn. 249. *nec pes officium standi tenet*. — *micat auribus*, pro: aures micant in capite, i. e. celeriter moventur. Cf. etiam Wakef. ad Lucr. II, 195. Sic Calpurn. VI, 52. *micat acre caput*. Nemes. Cyneg. 245. *agiles aures* commemorat. — *tremit artus* poëtice pro: tremit artubus s. artus ipsi tremunt. Vid. adnott. ad Ecl. I, 54. III, 106. Geo. II, 131. et cf. Lucr. III, 488. *Concidit et spumas agit, ingemit et tremit artus*. — 85. „*ignem* praeclare dixit ardentes anhelitus: ut etiam alii poëtae. Hinc *Diomedis equi spirantes naribus ignem* ap. Lucret. V, 29. *Fumant humentes calida de nare vapores* Nemes. Cyneg. 248. Cf. Stat. Theb. VI, 471. 472." *Heyn.* Adde Grat. Cyneg. 270. et Nemes. Cyneg. 255 sq. — *collectum* in pectore, ut *iram, rabiem, sitim colligere*. — *volvit*. cf. Lucr. VI, 1226. *vitales aëris auras Volvere in ore*, ibique Wakef. —

Densa iuba, et dextro iactata recumbit in armo;
At duplex agitur per lumbos spina, cavatque
Tellurem et solido graviter sonat ungula cornu.
Talis Amyclaei domitus Pollucis habenis
Cyllarus, et, quorum Graii meminere poëtae,
Martis equi biiuges et magni currus Achilli.
Talis et ipse iubam cervice effudit equina
Coniugis adventu pernix Saturnus, et altum

Pro *fremens* Ribbeck. ex Gud., Schol. Bern. (cf. Proleg. p. 196.) et Seneca, qui Ep. 95. hunc versum affert, revocavit priorem lectionem *premens;* sed *fremens* est plurimorum et optimorum Codd. lectio, quae satis comprobatur Lucretii loco, ex quo hic fluxit, V, 1076. *Et fremitum patulis sub naribus edit ad arma* (ubi Lachm. pro *sub* coni. *ubi*, nostri loci immemor). Ceterum cf. idem Lucr. V, 29. suprà laud. et Claud. de IV. Cons. Hon. 545. *Ignescunt patulae nares.* — 86. *Densa iuba* etc. Cf. Ovid. Met. II, 673 sq. *utque vagi crines per colla iacebant, In dextras abiere iubas.* — 87. „*Duplex spina* [ὀσφὺς διπλῆ ap. Xen. de re equ. 1, 12. a Ladew. laud.] ab omnibus veteribus in bono equo laudatur. Vid. Varr. II, 7, 5. Colum. VI, 29, 2. Geopon. XVI, 1. Indicari videntur spinam latam, crassam, ut maxime versus clunes tamquam cavum sulcum faciat, nec tamen ipsa spina appareat. Cf. Nemes. Cyneg. 243. *Illis ampla satis levi sunt aequora dorso*, et fortasse hinc Ovidii Met. XII, 401. *Sic tergum sessile, sic stant Pectora celsa toris.* Contrarium vitium *exstans* spina apud Varr. l. l. et Grat. Cyneg. 525. *si tenuis dorso curvatur spina.*" *Heyn.* — *lumbos*, i. e. eam dorsi partem, quae lumbos attingit. — 88. Cf. Hesiodi Scut. 61 sq. — „*solido cornu;* vult ungulas duras esse; ut docent Varro et Colum. l. l. — *sonat*, et hoc proprie. Vid. Xenoph. de re equ. c. 1. §. 3." *Heyn.* — *Amyclaeus Pollux.* Amyclae, oppidum Laconicae, viginti stad. a Sparta remotum (de quo vid. librum meum geogr. III. p. 993.), regia erat Tyndarei, cui Leda, Dioscurorum mater, nupsit (cf. Stat. Theb. VII, 163. Silius II, 434. alii), ideoque hi in eo educati. — 90. „*Cyllarus* equus vulgo Castori soli tribuitur, qui *ἱππόδαμος* iam Homero Od. XI, 300. dictus. Interdum tamen uterque frater equis insidet." *Heyn.* De *Cyllaro* equo cf. Suidas s. v. *Κύλλαρος*, Stat. Theb. VI, 327. et Sylv. I, 1, 54. Senec. Hippol. 810. Val. Fl. I, 426. Martial. VIII, 21. Claud. VIII, 557. alii. — *Graii.* Haupt., Ribbeck. et Ladew. hic et infra v. 148. *Grai.* Cf. Ribbeck. Proleg. p. 426. et Wagn. Orth. Verg. p. 445. Peerlk. p. 235. hunc versum spurium censet; sed eo deleto offendit Copula ante *Martis equi* omissa, et, quod verrissime docet Ribbeck. Proleg. p. 52., tres versus 89—91. ternario versuum seqq., qui et ipsi voce *Talis* incipiunt, numero flagitari videntur. — 91. *Martis equi* ex Homero Il. XV, 119. noti. — *biiuges*, Homeri Il. V, 195. *δίζυγες ἵπποι.* — *currus Achillis*, h. e. equi iugales. Vid. Homer. Il. XVI, 148 sq. et cf. Geo. I, 514. *neque audit currus habenas.* De forma Genit. *Achilli* vid. adnott. ad Ecl. VIII, 70. et Aen. I, 30. Cod. Med. praebet *Achilles*, supra scripta litera *i;* sed formam *Achillei*, quam nihilominus Ribbeck. ex Pal. recepit, alienam esse a Vergilii carminibus, docet Wagn. ad Aen. I, 30. — 92. „Talem formam habebat Saturnus, cum equi speciem assumpsisset, ut furta sua cum Phylira, Oceani filia (unde Chiron natus), in Pelio Opem celaret. Vid. Apollon. II, 1236 sq. Apollod. I, 2, 4. Hygin. f. 138." *Heyn.* — *et ipse* eadem ratione explicandum, qua Geo. I, 121. *Pater ipse.* Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 96. — Pro *effudit* Ribbeck. ex optimis sane Codd. (Med., Pal., Rom., Gud., Vat. Probi p. 60. K. et Nonio p. 386, 14.) recepit lectionem *effundit*, quem tamen sequi dubitavimus, cum Perf. huic loco magis conveniat, quamvis in Praes. cum Perf. coniuncto non haerendum esse, ad Aen. II, 482. III, 3. et alibi vidimus. — 93. *pernix* secundum Serv. infra ad v. 229. (ubi vid. adnott.) proprie is est, qui in nitendo perseverat, constans est in laboribus perferendis, ex Doederleinii autem sententia (*Synon. u. Etym.* II. p. 126 sqq.) is, qui magno nisu se promovere studet, ideoque celer, velox, qua significatione plerumque usurpari constat. A *nitendi* certe vocab.

Pelion hinnitu fugiens inplevit acuto.
Hunc quoque, ubi aut morbo gravis aut iam segnior annis
Deficit, abde domo nec turpi ignosce senectae,
Quamvis saepe fuga versos ille egerit hostis
Et patriam Epirum referat fortisque Mycenas
Neptunique ipsa deducat origine gentem.
Frigidus in Venerem senior, frustraque laborem

---

deducendum esse, dubitari nequit. — **94.** *Pelion.* Vid. ad Geo. I, 281. — *morbo gravis.* Vid. infra ad v. 506. — **96.** Non admodum diuturnus est vigor equi admissarii; hinc necessitas oritur submittendi subinde alium. Non recte interpretatur hunc locum (quem copiose tractavit Gronov. de Pec. Vet. IV, 8.) Heynius, qui, cum *abdere* proprie sit dare abs se, amovere, reiicere, et non minus dici possit loci ratione habita, unde aliquid amoveatur, quam loci, in quem reiiciatur, ut ibi servetur absconditum, ideoque cum Casu sexto iunctum, *abde domo* aut significare possit *a domo* aut *in domum*, coll. Nemes. Cyneg. 141. *Sin vero haec cura est, melior ne forte necetur, Abdaturve domo; catulosque probare voluntas*, ubi appareat esse: amoveatur, removeatur a domo, etiam hic *abde domo* accipit pro: remove a domo, ut poëta iubeat diligentem patremfamilias ablegare quocumque modo, vendendo quoque, effetum et inutilem ad admissuram (quamquam aliis adhuc laboribus sufficientem) equum. Quod negat Voss., locumque ita interpretatur, ut equus admissurae iam non idoneus, qui ab armentis removeatur et in stabulo ad opus faciendum habeatur, *domo* (pro *domi:* cf. Ruddim. I. p. 166. et II. p. 278.) *abdi* dicatur; idque cum Huschk. ad Tibull. II, 3, 65. Wakef. ad Lucr. IV, 421. (ubi *abdita caelo* legitur), Wagn., Ladew. et Coningtone (qui comparat Hor. Ep. I, 1, 5. *abditus agro*) etiam nos probamus, mite et benevolum poëtae ingenium respicientes. Ceterum de constructione verbi *abdere* vid. adnott. ad Aen. I, 60. — Verba *nec turpi ignosce senectae* duplici ratione coniungere et explicare possumus, aut (cum Heynio, Wagnero, Schirachio p. 624., Ladew. et Coningtone): *nec ignosce turpi senectae;* ut *turpis* significet: cui turpe est huic rei se dare, quae non satis virium habet in Venerem (quemadmodum etiam Silius XV, 651. hunc locum videtur intellexisse, scribens: *Turpi finem donate senectae*), aut (cum Cerda, Gronovio, Lambino ad Lucr. VI, 1162. Hand. ad Stat. Silv. p. 59. et Peerlk. p. 236.): *nec turpi ignosce senectae*, i. e. et ignosce senectae non turpi, ut ap. Hor. Od. I, 31, 19. *integra Cum mente nec turpem senectam Degere, nec cithara carentem*, quam rationem, prius nobis probatam, nunc versibus, qui sequuntur, huc transpositis alteri postponere cogimur. De Part. *nec* vetandi vi praedita cf. adnott. ad Ecl. VIII, 101. — Qui sequuntur tres versus, vulgo ponuntur post v. 119., sed Tittlero Progr. laud. p. 8 sq., et Peerlkampio p. 236. suasoribus eos cum Ribbeckio et Ladew. in hunc locum multo aptiorem transtulimus, vulgares tamen versuum numeros mutare iure dubitavimus. Hitzig. in Mus. Rhen. XV. p. 323 sq. eos minus commode ante v. 95. vult positos. Ceteri recentiores editores vulgarem versuum ordinem servarunt, quem etiam Hanov. Sched. crit. p. 12. tuetur. — **120.** *Quamvis saepe* cett. Bene Servius: „Quamvis sit saepe victor, quamvis nobili genere procreatus, tamen a magistris est aetas magnanimitasque requirenda; quae si non fuerint, illa nihil prosunt." — *fuga versos*, in fugam. — **121.** *Epirus* (vid. supra Geo. I, 59.) et *Mycenae*, ut omnino tota Argolis (cf. sup. v. 44.), equos praestantissimos alebant. — **122.** „Quamvis genus ducat ab ipso Neptuno, a quo et Cerere, in equum conversis, *Arion* ille notissimus in fabulis equus natus fuit. Variat tamen fabula." *Heyn.* De hoc Arione cf. Apollod. I, 8. III, 6. ibique Heyn. p. 292. et Ttetz. ad Lycophr. 152. Potest vero etiam de illo equo a Neptuno procreato cogitari, de quo ad Geo. I, 12. diximus. Ceterum *Neptuni origine* i. q. a Neptuno, tamquam primo generis auctore. Cf. supra v. 49. — **97.** *laborem*, i. e. coitum (qui eodem voc. infra v. 127. dicitur) *ingratum*, sibi non amplius gratum, *frustra*, sine effectu, *trahit* in longum, priusquam perficit. Peerlk. tamen p. 237. coni. *frustraque laborem In gratum trahitur*, et Hannovius p. 12 sq. verba *senior - - - trahit* postea

Ingratum trahit, et, si quando ad proelia ventum est,
Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,
Incassum furit. Ergo animos aevumque notabis
Praecipue; hinc alias artis prolemque parentum
Et quis cuique dolor victo, quae gloria palmae.
Nonne vides, cum praecipiti certamine campum
Corripuere ruuntque effusi carcere currus,

---

demum addita censet. Sed recte adversatur Ribbeck. Proleg. p. 52. — 98. *proelia* non ad veram pugnam ac bellum, sed ad ipsam admissuram referenda neque diversa esse a *labore*, in promptu est. Cf. Aen. XI, 736. *nocturna bella* Veneris. Ameis. Spic. p. 30. minus recte cogitat de proeliis in pascuis, ubi fervidus admissarius equas suas ab omni lascivia ac contrectatione aliorum furenter defendere soleat. — Cum v. 99. cf. Geo. I, 84 sq. Peerlk. l. l. coni. *e stipulis*, comparans Ovid. Trist. V, 8, 20. *Flammaque de stipula nostra brevisque fuit* et Silii V, 570. *stipula crepitabat inani Ignis iners.* — 100. *incassum.* Vid. adnott. ad Geo. I, 387. — *Ergo animos* etc. „Quae de virtutibus boni admissarii a v. 75. disputavit, breviter iam complectitur verbis: *Ergo animos - - praecipue*, apte ut iis annectat duas alias virtutes, *et prolem, et quis* etc.“ *Wund.* — *aevum*, Haupt. et Ribbeck. cum Pal. *aevom.* Cf. huius Proleg. p. 438. et adnott. ad Ecl. II, 22. — 101. *hinc*, i. q. tum, post, ut infra v. 494. IV, 55. Aen. II, 148. 671. Tac. Ann. II, 67. Agr. 14. Plin. VII, 52, 53. IX, 62, 88. Vid. Boetticheri Lex. Tacit. p. 232. et Hand. Turs. III. p. 90 sq. — *artes*, virtutes, nempe generositatem et laudis cupidinem. — *„prolemque parentum*, h. e. si quos alios iam pullos iidem, a quibus natus est, parentes ediderint, qua ii sint indole, quo vigore“ *Heyn.* Voss. et Iahn. haec verba ita interpretantur: prolem, quam procreant, pullos, quorum parentes iam facti sunt; ut sensus sit: „Notabis animos, aevum, artes; et si forte iam parentes facti sunt, etiam prolem.“ Rectius Wagn. ex Colum. VII, 6. 7. loco *Parit autem, si est generosa proles, frequenter duos* concludit, *prolem* hic id significare, quod nos dicimus *Schlag, Race;* et in min. quidem edit. haec adnotat: „*Parentes* h. l. sunt auctores totius generis, *proles*, qui ab his deinceps alii ex aliis procreati; ergo notabis, quales fuerint, per quos quasi gradus inchoatum a primis auctoribus genus ad ipsos descenderit;“ eademque ratione Ladew. *prolem parentum* reddit per *den Stammbaum*, coll. Hor. Od. IV, 4, 29 sq. Ameisio tamen Spic. p. 30. simplicius videtur, ut proavorum rationem non habentes cogitemus de equis ex iisdem parentibus natis, coll. Hor. Od. IV, 4, 30. *est in equis patrum virtus.* Alii ad coniecturas confugerunt, et Markland. quidem ad Stat. Silv. V, 3, 138. coni. *moremque parentum*, Schrader. *prolisque parentem*, Heyn. *prolemque parentesque* et Peerlk. p. 238. *pariterque parentum.* Ceterum cf. adnott. ad v. 113 sqq. — 102. „Observa, quem sensum victoriae aut ignominiae habeat; inest enim equis generosioribus laudis sensus. Expressus autem locus ex Homero Il. XXIII, 362 sqq. Cf. etiam Aen. V, 144 sq. Iunctura sententiarum sic instituenda: volebat pergere: Nonne vides, *quantus* amor laudum sit; cum vero tot alia interposita essent, novam vs. 112. exorsus est sententiam: *Tantus a. l.*“ *Heyn.* Simplicior autem est ratio, ut cum Ameis. Spic. p. 30. (cui nunc etiam adsentitur Ladew.) ad *Nonne vides* ex antecedentibus subintelligamus *hanc gloriam palmae.* Cf. adnott. ad Ecl. I[illegible], 12. Peerlk. tamen p. 380. coni. *quam praecipiti certamine*, quae sane [illegible]cillima est mutatio, cuique sequentem Indicativum non obstare, ad Ecl. IV, [illegible]2. vidimus. Ceterum Verg. ante oculos habuit Lucretii locum II, 263 sq[illegible] qui et ipse incipit verbis *Nonne vides.* — 104. *corripuere* (corripere s[illegible] lent: vid. adnott. ad Geo. I, 49.) *campum*, spatia per campum, spa[illegible] sampi (vid. inf. ad 142.), *certamine*, sc. currendi. — *praeceps certam*[illegible] videtur esse certamen celeritatis. De rebus enim, quae celerrime ferant[illegible] vel fiant, haud raro hoc Adiectivum dici, satis constat. Ideoque de curru[illegible] celeritate cogitandum, neque aliter *praec. cert.* intelligendum, atque ap[illegible] Ovid. Met. II, 185. *praeceps ventus*, ibid. XIV, 330. *praeceps amnis* [illegible] multa similia. Cf. etiam infra v. 359., ubi tamen paullo alia obtinet rat[illegible].

Cum spes arrectae iuvenum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans? Illi instant verbere torto
Et proni dant lora, volat vi fervidus axis;
Iamque humiles, iamque elati sublime videntur
Aëra per vacuum ferri atque adsurgere in auras;
Nec mora, nec requies; at fulvae nimbus harenae
Tollitur, humescunt spumis flatuque sequentum:
Tantus amor laudum, tantae est victoria curae.
Primus Erichthonius currus et quattuor ausus

Wund. confert. Soph. Elect. 699. *ὠκύπους ἀγών.* — *effusi carcere.* Vid. Geo. I, 512. — **105.** Cf. Hom. Il. XXIII. 370. *πάτασσε δὲ θυμὸς ἑκάστου Νίκης ἱεμένων*, qui totus locus (362—381. et 500—507.) Vergilio haec canenti obversabatur. — *„spes arrectae iuvenum*, h. e. aurigarum; in soluta oratione: *animi sunt arrecti spe.* Ita etiam exponenda Aen. XI, 452. *arrectae stimulis haud mollibus irae;* 538. *laudum arrecta cupido.* — *exsultantia corda*, h. e. micantia, trepidantia non modo metu ignominiae, ut dixit Lucr. III, 142. *Hic* (in pectore) *exultat enim pavor ac metus:* verum etiam omnino toto illo animi motu, quo in tali tempore animus agitari solet." *Heyn.* Iacobs. a Wagn. laud. comparat Alexandrid. apud Athen. XV. p. 688. B. *ὦ πονηρὰ καρδία, Ἐπιχαιρέκακον ὡς εἶ μόνον τοῦ σώματος, Ὀρχῇ γὰρ εὐθύς, ἂν ἴδῃς δεδοικότα* et Aeschyl. Choeph. 161. *ὀρχεῖται δὲ καρδία φόβῳ.* — *Pavor*, qui Heynio exprimere videtur omnem illum animi tumultum et aestum, spe, metu, laudis studio et pudore subinde pectus vexante, *haurit corda*, exhaurit, dum sanguinis liberum meatum intercludens et impediens efficit, ut cor vehementer propellat sanguinem. Wagn. praeter Aeschyli locum iam laud. conferri iubet eiusd. Prometh. 906. *καρδία φόβῳ φρένα λακτίζει.* In min. autem edit. coll. Aen. II, 600. explicat per: alte penetrat, quod tamen notioni vocis non prorsus satisfacere, quisque videt. Ceterum verba *exsultantiaque - - pulsans* iterantur Aen. V, 137 sq. — **106.** *verbere torto. Verber* pro flagello, ut saepissime. Vid. Tib. I, 6, 46. id. I, 9, 22. Ovid. Met. XIV, 820. Liv. VIII, 28, 4. et cf. Heins. ad Ovid. Ibin v. 161. cum Dissen. ad Tib. l. l. Verba *torto verbere* redeunt Aen. VII, 378. Sic Calpurn. III, 71. *vimine torto.* Cf. etiam supra Geo. I, 309. — **107.** *volat vi*, i. e. cum impetu. Wakef. ad Lucr. V, 434. (ubi *Altivolans solis rota* commemoratur) minus probabiliter iungit *vi fervidus.* Cf. etiam Aen. V, 819. ibique adnott. — *fervidus axis.* Cf. Aen. XI, 195. et Hor. Od. I, 1, 4. *meta fervidis Evitata rotis.* Ceterum totus hic versus iteratur in Anth. Lat. Burm. I, 170, 130. — **108. 109.** *Iamque humiles* etc. ex Hom. Il. XXIII, 368. 369. — *sublime ferri* (quod legitur etiam Ecl. IX, 29. Cic. N. D. II, 39, 101.), *sublime volare* (Aen. X, 664. Lucr. VI, 96.), et similia satis nota. Possumus vero etiam coniungere *elati sublime*, ut ap. Liv. XXI, 30, 8. *eos ipsos, quos cernant, legatos non pinnis sublime elatos Alpes transgressos.* — *in auras.* Vid. ad Ecl. I, 56. — *vacuum*, ornans epitheton, quod non premendum. Cf. Aen. V, 515. XII, 92. et Hor. Od. I, 3, 34. *Expertus vacuum Daedalus aëra* a Coningt. laud., qui praeterea conferri iubet Pind. Ol. I, 10. *ἑρήμας δι' αἰθέρος.* — **110.** Verba *Nec mora nec requies* hinc repetuntur in Anth. Lat. Burm I, 172, 22. — *fulvae nimbus harenae Tollitur:* Hom. Il. l. 365. *ὑπὸ δὲ στέρνοισι κονίη Ἴσταθ' ἁθροιζομένη, ὥστε νέφος ἠὲ θύελλα.* — *humescunt.* Wund. comparat Soph. Elect. 718. *ἀμφὶ νῶτα ἵδρυον.* et Conington Hom. Il. XXIII, 380. Wakef. ad Lucr. I, 307., ubi *vestes uvescunt* legitur, et hic temere coni. *uvescunt.* — *amor laudum*, desiderium, cupiditas laudis. Vid. supra ad Geo. II, 476. — **112.** Verba *tantae est victoria curae* repetuntur in Anth. Lat. Burm. III, 81, 16. — Versus, qui sequuntur, **113—119.** Tittler in Progr. supra laud. p. 9. probabiliter post v. 102. collocari suasit, atque etiam Ribbeck. Proleg. p. 40. vividam de certantibus equis narrationem multo venustius versu 112. finiri iudicat. Tamen ne nondum prorsus liquida vulgarem versuum ordinem immutare dubitavimus. — **113.** De *Erichthonio* s. *Erechtheo*, Athenarum rege post Am-

Iungere equos rapidusque rotis insistere victor.
Frena Pelethronii Lapithae gyrosque dedere
Inpositi dorso atque equitem docuere sub armis
Insultare solo et gressus glomerare superbos.
Aequus uterque labor, aeque iuvenemque magistri

---

phictyonem et quadrigarum inventore, cf. Eratosth. Cataster. 13. Hygin. Astr. Poëtt. II, 13. Plin. VII, 56, 57. et Serv. ad h. l.; — 114. *rapidusque* Heins. e Medic., Rom. aliisque bonis libris, quibuscum faciunt quatuor Codd. Potter., recte restituit. Ante vulgo edebatur *rapidisque*. — *rotis insistere victor*, quadrigarum cursu certare. *Rota* pro toto curru, qui currit, redit infra v. 170., ubi vid. adnott. — 115. *Lapithae* aut pro Centauris positi sunt, aut eos simul complectuntur, nam hi vulgo primi equorum domitores fuisse perhibentur. *Pelethronii* denominantur a Pelethronio saltu in Pelio Thessaliae monte, de quo cf. Strab. VII. p. 299. et Steph. Byzant. p. 539. Apud Plin. l. l. et Hygin. f. 274. Pelethronius viri est nomen, qui frena et strata equorum invenerit. Alibi tamen Bellerophon frenorum usum invenisse dicitur. Cf. Pind. Ol. XIII, 90 sq. — *gyros dedere*, h. e. docuere equum in gyrum flectere, s. invenerunt artem equitandi. *Gyrus* autem, *γῦρος*, est cursus equorum in orbem inflexus, qui, cum freno parere discunt, consulto non in liberum campum ducuntur, sed in angustius aliquod spatium, ut saepius sit flectendum. Cf. Ovid. A. A. III, 384. Tibull. IV, 1, 91. et 206. Manil. V, 74. Lucan. I, 425. Tac. Germ. 6. et Markl. ad Stat. Silv. V, 2, 129. Imitatus videtur hunc locum Manil. V, 636. *Hic glomerabit equo gyros.* Ceterum vid. infra v. 191. Iahn. de hoc versu conferri iubet Weichert. de L. Varii et Cassii Parm. vita p. 109. — 116. „*equitem* veteres Grammatici pro equo dictum volebant. Vid. Gell. XVIII, 5. Macrob. Sat. VII, 9. [ut Philarg. ad h. l. et Nonius p. 106, 31. provocantes ad Ennii Ann. VII. fr. 9. p. 37. Vahlen. s. p. 72. Hessel. *quadrupedem equitem.*] Perperam. Cur *eques* non *insultare* dicatur, qui et incedere, decurrere? *Angusto prius ore coërcens Insultare docet campis* iam Varius ante Vergilium dixerat apud Macrob. VI, 2." *Heyn.* Sic etiam Silius IV, 64 sq. *isse sub armis Poenorum turmas equitemque per arduo vectum Insultasse iugo*, hunc locum imitatus. Nihilominus Peerlk. p. 239., cum hic de solis equis sermo sit et sequantur verba *gressus glomerare superbos*, coni. *equitum*, quae sane tam facilis est coniectura, ut, nisi vetaret ille Silii locus, recipienda videri possit. — „*eques sub armis*, armatus, *insultat* campo, et *glomerat gressus superbos*, quatenus equum id facere cogit. Similiter apud Horatium Epod. XVI, 12. *eques verberat ungula. Lapithae* itaque, insidentes equis, *docuere* exemplo suo *equitem insultare solo*, h. e. primi fuere huius artis auctores." *Heyn.* Cum verbis *insultare solo* cf. Varius ap. Macrob. Sat. VI, 2, 19. *insultare docet campis* et Hor l. modo l. ibique Orell.; *gressus* autem *glomerare* Lemar. bene interpretatur: „colligere reductis et in arcum replicatis cruribus anterioribus, dum posteriora tenduntur;" vel potius, ut Ameis. Spicil. p. 31. explicat: „dum posteriora omni nervorum contentione annituntur, ut sensus sit: equum ferocius exsultantem cum affectatione quadam ostentare" (ideoque nostrum *courbettiren lassen?*) Ceterum cf. Plin. VIII, 42, 67. *quibus mollis alterno crurum explicatu glomeratio.* — 118. Redit oratio ad v. 103. *Aequus uterque labor*, scil. equorum (ut v. 182.), et in opere Venereo (cf. v. 97.) et in certamine sive curuli sive equestri. Sic haec verba cum Heynio (qui tamen *laborem* non ad equos, sed ad homines equis utentes videtur referre), Wagn. et Peerlk. p. 240. interpretor. Alii (inter quos Voss., Ameis. Spic. p. 31., Ladew. et Coningt.) cum Servio et Philarg. usum equorum ad equitandum et ad currum vehendum intelligunt. Ceterum Haupt. scripsit *Aecus*, Ribbeck. autem *Aequos*. Vid. ad Ecl. V, 4. et Geo. II, 71. 225. Philarg. legit *Durus uterque labor*, quod ex Geo. II, 412. repetitum esse Wagn. docet. Pro *labor* Voss. et Both. ediderunt *labos*. Sed idem Wagn. ad Ecl. III, 56. adnotat, a Mediceo constanter quidem exhiberi *arbos* et *honos*, numquam vero *labos*, si discesseris ab uno loco, ubi *Labos* personae nomen sit, Aen. VI, 277. Vide etiam ad Ecl. IV, 51. VI, 44. 53. et alibi adnott. — Ceterum

Exquirunt calidumque animis et cursibus acrem.
His animadversis instant sub tempus et omnis
Inpendunt curas denso distendere pingui,
Quem legere ducem et pecori dixere maritum;
Florentisque secant herbas fluviosque ministrant
Farraque, ne blando nequeat superesse labori

Wagn. (qui comparat *Aeque - - et* apud Ciceronem [v. c. de Fin. I, 20, 67. pr. Rosc. Com. 1, 2. pr. Mur. 13, 28. pr. Cluent. 69, 195. etc.] et *aeque et - - et* apud Pallad. de R. R. I, 6.), *aeque - - que* pro *aeque - - ac* positum censens, *aeque* coniungit cum *iuvenem calidumque*, ut sensus sit: iuvenem aeque ac calidum et acrem exquirunt. Sed cum *aeque - - que* alibi nusquam usurpatum videatur (cf. Hand. Tursell. I. p. 191.), rectius haud dubie Iahn. censet, totius loci rationem poscere, ut *aeque* cum verbis *aequus uterque labor* ad antecedentia referatur, hoc sensu: „Uterque labor, quem equi et in cursu et in admissura subeunt, aequus est (idem virium impendium exigit): itaque magistri ad utrumque *aeque* (i. e. pari cura) equum et iuvenem et calidum acremque requirunt;" eademque est Coningtonis sententia. — „*magistri* sunt alendorum equorum studiosi, non fingendorum. Sic infra v. 445. ovium, et IV, 283. qui apes colit, apiarius." *Heyn.* Ante omnia infra v. 185. et 549. debebant comparari. Vid. etiam adnott. ad Ecl. II, 33. — Qui vulgo hic sequuntur tres versus, vide supra post v. 96. positos. — **123—134.** „De admissura ipsa praecipit. Equus et taurus (nam v. 49. de utroque praecipere incipiebat) ea ingruente, saginandi, equae ac vaccae sunt macerandae. Commune praeceptum Varronis II, 5, 12. et II, 1, 17. Columellae VI, 27, 8., Palladii et omnium, qui hac de re praeceperunt." *Heyn.* — *His animadversis*, quae supra poëta praecepit de admissariis eligendis. Ceterum Ribbeck., ut iam supra II, 259. cum Cod. Pal. scripsit *animum adversis*. — *sub tempus*, scil. admissurae appropinquantis. — **124.** „*curam inp. distendere*, h. e. in eum distendendum. Tac. Hist. II, 10. *Crispus incubuerat delatorem pervertere.*" *Wund.* Quem Taciti locum aptius cum Geo. IV, 248. conferas. *Inpendere curam* ut simpliciter apud Ennium p. 89. Hessel. s. p. 49. Vahl. *venter carnibus humanis distentus*. Cf. etiam adnott. ad Ecl. IV, 21. — *pingue* pro pinguedine. Simili ratione apud Plin. XXVIII, 9, 38. *Taurorum, leonum ac pantherarum pinguia*. Eo minus igitur haerendum in coniunctione verborum *densum pingue*, de qua vid. adnott. ad Geo. I, 393. — „*denso*, non laxo, quod quibusdam potionibus per fraudem agasones facere consueverunt, ut bene Servius. Idem *dixere*, h. e. designavere. Horat. Od. II, 7, 25. *Quem Venus arbitrum dicet bibendi? fluvios, aquam.*" *Heyn.* — **125.** Pal. pro *maritum* male *magistrum* ex Ecl. III, 101. — **126.** *Florentisque.* Ita optimi et antiquissimi libri omnes, neque aliter Gellius I, 22.; deteriores aliquot Codd. *Pubentesque*, quod tamquam doctius et elegantius plurimi editores temere receperunt, cum appareat, veram lectionem ex Aen. IV, 514. mutatam esse, cum quo loco Heyn. etiam Aen. XII, 413. comparat, ubi vid. adnott. Quare iam Iahn. meliorum librorum scripturam retinendam censuit, vereque revocavit Wagn., qui, cum rei rusticae auctores iubeant molles herbas, non proceras, pubentes igitur, non florentes, admissariis praeberi, *florere* autem proprie dicatur de nitore (ut Aen. VII, 804., ubi vid. Serv.), Vergilium censet per *florentes herbas* significare voluisse verno tempore nitentes, quare etiam Serv. subiiciat: „Sane quidem nonnulli *florentis*, nonnulli *pubentis* legunt, *quod tantumdem valet.*" Iahn. vero, qui *pubentes* vel ex interpretamento, vel ex Aen. IV, 514. ortum putat, coll. Heynio ad Aen. XII, 413., pubertatem herbarum simul cum flore venire docet. — *fluvios* pro aqua fluviali, ut Aen. II, 686. *fontes* pro aqua fontinali. — **127.** „Ut possit sufficere admissurae [de *generandi* enim *labore* agi, in promptu est] et ne pulli prodant patrum maciem et infirmitatem. Colum. IV, 27, 8. *eoque tempore, quo vocatur a feminis, roborandus est largo cibo; et, appropinquante vere, hordeo ervoque saginandus, ut Veneri supersit; quantoque fortior inierit, firmiora semina praebeat futurae stirpi.* Cf. eund.

Invalidique patrum referant ieiunia nati.
Ipsa autem macie tenuant armenta volentes
Atque, ubi concubitus primos iam nota voluptas
Sollicitat, frondisque negant et fontibus arcent.
Saepe etiam cursu quatiunt et sole fatigant,
Cum graviter tunsis gemit area frugibus et cum
Surgentem ad Zephyrum paleae iactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne luxu obtunsior usus
Sit genitali arvo et sulcos oblimet inertis,

VI, 24. Varr. II, 5., qui et II, 2, 13. *hordeum si est datum, firmiores fiunt ad laborem sustinendum.* Cf. supra ad v. 97." *Heyn.* — *superesse*, hic pro sufficere et perferre posse positum, Gellius I, 22. explicat „supra laborem esse, neque opprimi a labore." Conington comparat *superesse dolori* ap. Ovid. Met. XI, 703. — **128.** *nati.* Editt. quaedam contra omnium libror. auctoritatem *gnati* exhibent. Cf. adnott. ad Ecl. V, 22. — **129.** Equi et tauri sub admissurae tempus saginandi sunt, equae autem et vaccae extenuandae et macerandae. Cf. Varro R. R. II, 5, 12. et Colum. VI, 27, 8. Nam *ipsa armenta* (i. e. equae et vaccae) opponuntur *marito* (v. 125.) Vid. supra ad v. 63. — *tenuant.* Sic Hor. Sat. II, 2, 84. *corpus tenuatum.* Prudent. Cathem. VIII, 54. *artus ieiunio tenuare.* Propert. III, 15 (II, 22), 21. *Sed tibi si exiles videor tenuatus in artus, Falleris.* (Idem verbum, quod alias apud Verg. non legitur, Peerlk. Georg. I, 92. a librariis remotum censet.) — *volentes*, i. e. de industria, data opera, *absichtlich.* Cf. Heins. ad Ovid. Met. II, 128. — **130.** Editores hunc versum variis coniecturis vexarunt, quibus non opus esse, verissime docet Wagn., qui verba *iam nota vol.* proprie accipienda, *ubi primos* autem poëtica licentia dictum putat pro *ubi primum, cum primum*, coll. locis infra v. 187. Aen. I, 723. V, 857. VII, 61. VIII, 59. XI, 573. Equidem ne ad licentiam quidem poëticam confugiendum esse dixerim; quid enim impedit, quominus de primo cuiusque anni concubitu cogitemus, cum ipsa illa verba, quae adduntur, *iam nota voluptas*, omnem ambiguitatem tollant? *Notam enim voluptatem* Heyn. minus recte interpretatur: „cuius iam sensum habent, quam sentire incipiunt," cum potius significet: quae iam ex superioribus annis iis nota est, quod signis quibusdam produnt. Iahn. tamen et Ladew. potius sic interpretantur: voluptas, quae nota est armentariis, desiderium voluptatis, cuius signa armentarii facile cognoscunt; quod probare non possum. — *Primi* igitur *concubitus* sunt primum initium habentes (*die beginnende Begattung*), non quibus omnino primum indulgent pecudes, ut anni temporis, non aetatis animalium ratio habeatur; (cf. Aen. IV, 118. VII, 601. XII, 103. etc. et Wagneri Qu. Virg. XXVIII, 3. 4.) et *voluptas sollicitat concubitus* i. q. sollicitat, stimulat eas ad concubitus. Superest, ut virorum doct. coniecturas afferam. Burm. coni. *iam nata voluptas*, Schrader. *concubitus primi iam mota* vel *ignota voluptas*, vel etiam *concub. primos innata voluptas*, et Peerlk. p. 241. *concubitu primo iam nota voluptas.* — *frondisque negant*, cf. infra v. 528. — **132.** „*quatiunt*, agitant, conficiunt, ut vires relaxentur. — **133.** Cf. Geo. I, 192. et 298. h. e. medio aestu. Mense Iulio admittuntur tauri; at equi iam inde ab aequinoctio verno." *Heyn.* — *area* (vid. adnott. ad Geo. I, 178.) *gemit.* *Gemere* haud raro etiam ad res inanimatas referri, quae quasi laborantes unum semper vel pressum vel flebilem sonum edant, satis notum. Vid. v. c. infra v. 183. Aen. II, 631. VI, 413. Hor. Od. I, 14, 6. *Antennae gemunt.* II, 20, 14. *gementis litora Bospori.* Ovid. ex P. III, 3, 10. *Et gemuit parvo mota fenestra sono* etc. coll. cum iis, quae ad Ecl. I, 58. adnotavimus. Vid. etiam Heins. ad Ovid. Met. XIV, 739. Cort. ad Lucan. VI, 137. Bach. ad Ovid. Met. III, 94. alios. — **134.** Paleae a frumentis separatae, cui rei aptissimum habebatur tempus, quo lenis Favonius flabat. Cf. Colum. II, 21, 5. — **135. 136.** „Ne partes genitales sint obtusiores, nimia obesitate, ad usum, quem habent in concipiendo fetu. Hinc *usus* pro ipsa re, qua quis utitur. Vid. not. ad Geo. II, 466. Hoc idem exprimitur altero membro: *ne luxus*, lu-

Sed rapiat sitiens Venerem interiusque recondat.
Rursus cura patrum cadere et succedere matrum
Incipit. Exactis gravidae cum mensibus errant,
Non illas gravibus quisquam iuga ducere plaustris, 140
Non saltu superare viam sit passus et acri
Carpere prata fuga fluviosque innare rapacis.
Saltibus in vacuis pascunt et plena secundum
Flumina, muscus ubi et viridissima gramine ripa,

---

xurians pinguedo, *oblimet sulcos inertes*, h. e. ne eae partes (*sulcos* eadem metaphora appellat, qua secundum Graecos, qui αὔλακας dixere, iam Lucretius [IV, 1268.] erat usus, ut *arvum* et alia dicuntur) oblimatae sint, h. e. obductae, pinguedine interclusae; sed ut celeriter concipiant genitalem auram. Haec ultima v. 137. ex Lucret. IV, 1205. 1206. expressit, at et castius et venustius." *Heyn.* — *usus obtusior*, h. e. imminutus seu infractus *luxu nimio*. Cf. etiam Geo. I, 395. ibique adnott. — **138—156.** „Admissura facta, admissarii negliguntur, et tota cura in matres gravidas convertitur. — **139.** Cum vicinae partui sunt, *exactis gravidae mensibus errant*. Vid. Varr. II, 7, 10. et 14. et reliquos de R. R. scriptores." *Heyn.* Solebant enim a concipiendi tempore ad tempus pariendi menses numerari: cf. Ecl. IV, 61. — *Rursus*, vice versa, ut infra v. 484. et alibi. — *cadere*, remittere, ut ap. Ovid. Am. II, 13, 4. *ira cadit metu*. Liv. II, 40. *non tibi ira cecidit?* etc. Eodem sensu venti et maris fluctus *cadere* dicuntur. Cf. adnott. ad Geo. I, 354. — **139.** Cum hoc loco cf. Grat. Cyneg. 286. — **140.** Proprie plaustra ducuntur a bubus iugo iunctis; sed cum iugum simul cum plaustro promoveatur, non inepte quoque ipsum iugum duci s. trahi dicitur. *Plaustris* igitur, quod prius cum Wagn. pro Dativo habui, nunc potius cum Ladew. (cui *iuga ducere plaustris* poëtica inversione dictum videtur pro *plaustra ducere iugis*) et Coningt. Ablativum esse iudico. — **141.** *et acri - - fuga fluviosque.* Simplices Copulas praecedente negatione negare vel repetere negationem, res satis nota. Cf. praeter alios Huschk. ad Tibull. II, 4, 17. Hand. Tursell. II. p. 536. et Wagn. Qu. Virg. XXXVI, 10., omnes hunc locum respicientes. — „*Carpere prata.* Proprie *via carpitur* per prata; quandoquidem singulis gressibus aliqua pars de via carpitur, demitur. Poëtae inde etiam dicunt: carpere campum, rura, et sic porro." *Heyn.* Conf. v. c. infra v. 191. et 325. IV, 311. Hor. Od. II, 17, 12. (ubi vid. Orell.) Sat. I, 5, 94. Ovid. Met. VIII, 219. XII, 196. XV, 507. Trist. I, 10, 23. etc. Voss. comparat supra v. 103. *corripere certamine campum.* — *fuga* de celerrimo cursu, ut infra v. 201. Vid. ad Aen. I, 317. — *fluvios innare.* Cf. adnott. ad Geo. II, 451. *Rapaces* autem *fluvios* iam Lucr. I, 17. dixit. — **143.** „*saltus vacui*, in quibus solae, quietae, otiosae pascantur; sine maritis, Philargyr. exponit." *Heyn.* Ita etiam Voss. locum intelligit, comparans Hor. Od. III, 25, 13. *vacuum nemus.* Rectius Serv. Dresd. reddit per *apertos;* sunt enim saltus intelligendi, in quibus nulla saxa humi sparsa, foveae vel alia impedimenta pastionis inveniuntur. *Pascunt.* Heyn. putat non minus armenta et pecudes, quam pastores intelligi posse. Sed rectissime Iahn. et Wagn., Wakefieldio ad Lucr. II, 995. adsentientes, negant, Romanos umquam *pasco* pro *pascor*, dixisse; Participii vero *pascentes* (Ecl. III, 96. IV, 95. V, 12.), quod etiam ad Deponens *pasci* referri possit, aliam sane esse rationem, apud Tibull. autem II, 5, 25. *pascebant herbosa Palatia vaccae* simplex verbum *pascere* pro compos. *depascere* positum esse docent. Vid. etiam Wagn. ad Aen. I, 464. Ceterum *pascunt* (quod est poëtae narrantis, quae armentarii facere soleant) cum Wagn. recepimus ex Medic., Rom. aliisque bonis Codd.; idemque amplexi sunt omnes recentiores editores. Vulgatum *pascant* (quod est praecipientis, quid fieri debeat) ortum videtur ex Coniunctivis praegressis et sequentibus. Peerlk. tamen p. 242. ob hos ipsos Coniunctivos etiam hic eodem Modo opus esse putat, et Copula deleta scribit *pascantur.* — „*plena flumina*, ne, dum aquam ex alto hauriunt, fetum elidant." Sic *Heyn.* paullo subtilius. — **144.** *muscus ubi*, sc. est, quod verbum subst., cum alibi in enuntiatis e Coniunctione aliqua vel e Pron. relativo penden-

Speluncaeque tegant et saxea procubet umbra.
Est lucos Silari circa ilicibusque virentem
Pluribus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est, oestrum Graii vertere vocantes,
Asper, acerba sonans, quo tota exterrita silvis
Diffugiunt armenta; furit mugitibus aether
Concussus silvaeque et sicci ripa Tanagri.

---

tibus non facile omittatur, post Particulam *ubi* tamen interdum desiderari, iam ad Geo. II, 180. vidimus. — **145.** *saxea umbra*, i. e. saxis effecta ut Ecl. IX, 20. *viridis umbra*. Cf. etiam Aen. VII, 463. *virgea flamma*, VIII, 694. *stuppea flamma*, XI, 786. *pineus ardor* et similia. Sequitur poëta Hesiodum Op. 589. ubi *πετραίη σκιή* legitur. — *procubet*, h. e. extendatur. Vox rarissime obvia in veterum scriptis, quae praeter h. l. non nisi apud Claudian. I, 120. inveniri videtur, ubi tamen primam et propriam habet significationem. — **146—156.** „Arcendum esse a gravido pecore *asilum* ait, qui cum in omnibus pascuis, in primis in pratis aquosis, obvius sit, maxime tamen in silvis montis *Alburni* [nunc *Monte Capaccio* s. *di Postiglione:* cf. Kephalides *Reise* II. p. 144.] iuxta *Silarum* [nunc *Selo*], Lucaniae fluvium, qui *Tanagrum* [hodie *Negro*] recipit, frequens esse solet; unde ab his locis a poëta declaratur. [De illo monte cf. liber meus geogr. III. p. 495 sq., de fluviis commemoratis ibid. p. 518 sq. Silarum et Alburnum eadem ratione coniungit Lucil. III. fr. II. p. 29. Dousae.] Est autem *asilus*, noto inter Romanos nomine, Graeco *οἶστρος* dictus. Vid. Odyss. XXII, 300. et praeter Apollon. I, 1265 sqq. Oppian. Hal. II, 521 sqq." *Heyn.* E Romanis scriptoribus de *asilo*, insecto illo e muscarum genere, gregibus infestissimo, quod etiam *tabanum* appellabant, agit Plin. XI, 28, 34. et alibi. Cf. etiam Varr. R. R. II, 5, 14. Solet autem asilus aculeo acutissimo, quem in cauda gerit, ova in cutem armentorum demittere, unde his ulcera perniciosa oriuntur. — **147.** *volitans* Substantivi loco positum, ut alibi *volantes*. Vid. infra ad v. 541. — *cui*, una syllaba pronuntiandum. Cf. adnott. ad Geo. II, 204. Heyn. qui alibi ubique *cui* edere solet, hoc uno loco *quoi* recepit, haud dubie, quia Med. a m. pr. sic exhibet. (Cf. Ribbeck. Proleg. p. 413.) Ribbeck. non solum hoc loco antiquiorem formam admisit. Cf. adnott. ad Geo. I, 344. et III, 6. — **148.** *vertere vocantes*, poëtica inversione pro: verso (mutato) nomine vocant. Cf. etiam Schirach. p. 628 sq. Peerlk. p. 242 sq. hunc versum non sine causa spurium censet; quod tamen si probamus, etiam Senecam, qui in Epist. 58. v. 146—150. affert, interpolatum esse statuamus necesse est. Etiam Philarg. hunc versum hic invenit. Cf. Ribbeck. Proleg. p. 52., qui suspicatur, fortasse ignotum fuisse animalculum in regionibus Graecis et aliunde inlatum in notitiam linguamque eorum, ideoque haec a poëta esse addita. Serv. autem adnotat: „Asilus apud Graecos prius *μύωψ* vocabatur, postea magnitudine incommodi *οἶστρον* appellarunt. - - Non de Latino in Graecum (*vertere vocantes*), sed de Graeco in suam linguam, quae prior fuit." Ceterum loci poëtarum, ubi Latinis vocabulis adiiciuntur, quae respondent Graeca, sunt e. g. (Aen. III, 210. VI, 242.) Manil. II, (679. 814.) 881. Seren. Samon. c. 20. v. 367. Seren. Sam. de Med. c. 20. v. 367. alii. — **149.** *asper*, iracundus, qui facile exacerbatur. — *acerba sonans*, pro acerbe; edens membranis alarum sonitum et susurrum gravissimum. Verba *asper, acerba sonans* imitantur locum Lucr. V, 34. *Asper, acerba tuens*, quem noster repetiit Aen. IX, 794. et XII, 398. Cf. de hoc dicendi genere adnott. ad Ecl. III, 8. et IV, 43. Ceterum Heyn. cum h. l. conferri iubet Val. Flacc. III, 581 sq. *Continuo volucri ceu pectora tactus asilo, Emicuit Calabris taurus per confraga septis* etc. — *furit aether*, pro: furit mugitus per aetherem, h. e. aether resonat furientium mugitu. Wunderl. usum dicendi Graecum esse adnotat, coll. Aesch. Sept. c. Th. 141. *Δουνίνακιος δ' αἰθὴρ ἐπιμαίνεται.* — **151.** *Concussus*. Peerlk. p. 382. malit *Percussus*, Praepositiones in hoc verbo centies permutari memorans, coll. Heinsio ad Aen. VI, 475. — „*siccus Tanager*, aestu solis exsiccatus. Habuit autem poëta ante oculos Homer. Odyss. XXII, 300 sq. et Apol-

Hoc quondam monstro horribilis exercuit iras
Inachiae Iuno pestem meditata iuvencae.
Hunc quoque — nam mediis fervoribus acrior instat —
Arcebis gravido pecori, armentaque pasces
Sole recens orto aut noctem ducentibus astris.
Post partum cura in vitulos traducitur omnis,
Continuoque notas et nomina gentis inurunt
Et quos aut pecori malint submittere habendo
Aut aris servare sacros aut scindere terram

---

lon. I, 1265 sqq.“ *Heyn.* — 152. *Hoc monstro,* hoc asilo, quem immisit Iuno. *Monstra* autem quaecumque res perniciosae, maxime si eaedem tetrae sunt formae, appellantur. Cf. etiam Geo. I, 185. — *exercuit iras,* ut infra v. 229. *vires exercet.* Cf. etiam IV, 453. Aen. IV, 623. V, 779. VII, 441. etc. — 153. *Inachia iuvenca* est Io, Inachi filia, quam a se compressam Iupiter, ne uxor superveniens fraudem sentiret, in iuvencam transformavit. Sed Iuno, nihilominus, id, quod res erat, suspicata, vaccam illam a Iove sibi dono dari postulavit, eique acceptae Argum custodem praeposuit, quo per Mercurium, a Iove missum, interfecto, deorum regina vehementer exacerbata oestrum vaccae immisit, cuius aculeis illa in furorem conjecta omnem fere terrarum orbem pererravit, donec in Aegyptum pervenit, ubi, Iunone a Iove placata, cum pristinam formam recuperasset, Isidis nomen accepit et Osiridi nupsit. De qua fabula satis nota cf. imprimis Aeschyl. Suppl. 301 sqq. et Prom. 643 sqq. praeterea Hygin. f. 145. Apollod. I, 1, 2. Ovid. Met. I, 568 sqq. et 724 sqq. alii. — 153. *pestem meditata,* grave malum excogitavit. — 154. *mediis fervoribus,* medio die, ut infra v. 331. *mediis aestibus.* (Vid. ad Geo. I, 297.) Ita locum intelligendum esse, docet v. 156. Cf. etiam Geo. I, 401. Alii minus recte de media aestate cogitant. — *acrior instat,* saevius vexat. — 155. *arcebis pecori.* Ita Ecl. VII, 47. legimus *Solstitium pecori defendite,* ubi vid. adnott. Cf. etiam Drakenb. ad Sil. III, 650. idemque ad Liv. V, 8, 8. XXVI, 41, 6. et al. Burm. ad Val. Fl. II, 118. et 368. De Futuro pro Imperativo posito vid. adnott. ad Geo. I, 167. et Aen. II, 547. et de hiatu *pecori armenta* vid. adnott. ad Ecl. III, 6. — 156. *noctem ducentibus astris,* i. e. adducentibus, secum adferentibus, ut apud Hor. Od. V, 14, 3. et Ovid. Met. II, 735. *somnum,* ap. Tibull. I, 2, 79. *soporem ducere* etc. Cf. etiam Gronov. Obss. II, 1. Ut hic *sidera adducunt noctem,* ita ap. Tibull. II, 1, 87. *noctis currum sequuntur sidera.* — 157. Cf. Grat. Cyn. 306. *Transeat in catulos omnis tutela relictos.* — 158 sqq. „A gravidis et enixis matribus cura ad vitulos et pullos convertitur. Ac primum de vitulis egit Vergilius. *Nomen* stirpis ac *generis inurunt notas* (vid. ad Calpurn. V, 84. et Aen. III, 444. *foliisque notas et nomina mandat*) seu signo, quo id denotetur. [*Notas et nomina gentis* pro: notas gentem indicantes: cf. adnott. ad Ecl. II, 8.] In sqq. Copula *et* non habet, cui bene iungatur. Sunt qui construant: *continuoque inurunt notas,* et *nomina g.* et *quos,* ut verba et *nomina* et *quos* pro appositione habeantur, *genusque* et *usus* distincte designetur.“ *Heyn.* Ergo *nomina gentis inurunt, Et, quos* cett., i. q. *et* inurunt notas iis (simul signis notant eos), *quos.* Ita praeter Heyn. etiam Voss., qui conferri iubet Aen. V, 62. XII, 393. et Ovid. Met. VIII, 428., et Iahn. locum intelligunt; Wunderl. autem minus probabiliter *et* pro *et quidem* positum censet. Quae prius contra Wagn. disputavi, nunc possum omittere, cum et ille mutata sententia in min. edit. haec adnotaverit: „notas inurunt, quibus indicetur, et quo quisque genere sit ortus, et quos aut admissarios esse malint, aut hostias.“ *Inurunt* impersonaliter. Vid. adnott. ad Geo. II, 282. Peerlk. p. 224. versum 158. post v. 161. vult transpositum, v. 160. *aut* ante *scindere* in *et* mutato, falso autem refert, Ribbeckium eum prorsus delendum censere. (Vid. Ribbeck. Proleg. p. 51.) Ceterum de re ipsa cf. supra ad Geo. I, 263. adnott. — 159. *submittere.* Vid. ad v. 73. et Ecl. I, 44. — *habendo,* quod habent, alunt, ut Geo. I, 3., ubi vid. adnott. — „*aris servare* decentius

Et campum horrentem fractis invertere glaebis.
Cetera pascuntur viridis armenta per herbas.
Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem,
Iam vitulos hortare viamque insiste domandi,
Dum faciles animi iuvenum, dum mobilis aetas.
Ac primum laxos tenui de vimine circlos
Cervici subnecte; dehinc, ubi libera colla
Servitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos
Iunge pares et coge gradum conferre iuvencos;

---

erat, quam lanio tradere. Conington comparat Varr. R. R. II, 5. *ad victimas farciunt atque ad deorum servant supplicia.* — 161. „*campum horrentem*, novalem pro quovis agro duras et asperas glebas habente. — 162. *cetera* [i. e., Philarg. interprete, non signata, unde lac tantum erogabatur aut carnes] *armenta*, reliqui quidem omnes vituli in communi grege pascuntur, praeter eos, qui operi rustico destinantur, de quibus in sequentibus diligenter agit. [Cf. infra v. 212 sqq.] Nam transit v. 163. ad praeceptum de matura iuvencos domandi cura, quod ita orditur: *Tu quos*, qua formula et alibi utitur pro vulgari: Quos tu autem ad studium agreste, h. e. opus rusticum, educare paras, hos iam vitulos cura adsuefacere labori.“ *Heyn.* De adiecto Pron. *Tu* vid. adnott. ad Geo. II, 241. Rationem domandi boves a Varrone petiit de R. R. I, 20. Cf. Colum. VI, 2. Pallad. IV, 12. — *pascuntur.* Voss. ex duobus Codd. *pascantur* praetulit; sed (quod Iahn. iam adnotavit) poëta h. vs. narrat tantum, quod vulgo fieri soleat, et a versu sequ. demum praecepta exorditur. — *per herbas.* Vid. adnott. ad Geo. II, 527. Ribbeckio hic versus spurius videtur, quem tamen omnes Codd. exhibent atque Serv. et Philarg. legerunt. (Cf. eius Proleg. p. 51.) — 164. „*viamque insiste domandi*, artem et rationem ingredere, curam suscipe domandi, h. e. iam tum mature doma.“ *Heyn. Insistere* cum quarto Casu constructum redit Aen. VI, 563. VII, 689. XI, 573. Cf. Sanctii Min. III, 3. p. 243. Periz. Ruddim. II. p. 142. Burm. ad Suet. Vitell. 2. Oudend. ad Caes. B. G. III, 14., quos iam laudavi ad Lucr. I, 407. — 165. *faciles animi*, scil. ad flectendum et formandum, ideoque dociles, ut igitur hic usus simillimus sit ei, de quo ad Geo. I, 266. diximus. Vid. etiam Heyn. ad Tibull. I, 1, 40. — *mobilis aetas*, in qua corpus mobile, flexile, agile. — 166. 167. Similia praecepta vide ap. Varr. R. R. I, 20. et Colum. VI, 2. Expressit hunc locum Nemes. Cyneg. 184. *Libera tunc primum consuescant* (canes) *colla ligari Concordes et ferre gradus.* — *circlos*, per syncopen in vocc. *periclum, vinclum, poclum, saeclum* aliisque satis usitatam. Vid. adnott. ad Aen. IV, 59. Pauci Codd. *circos*, quam vocem Vergilio ex Lucretio restitutam vult Wakef. ad Lucr. VI, 954. — 167. *dehinc*, bisyllabum, ut Hor. Epod. XVI, 65. A. P. 144. et alibi. Vid. adnott. ad Aen. I, 131. — 168. *ipsis e torquibus*, non aliis e circulis, vel potius, ut Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 467. interpretatur: pariter e circulis vimineis; cum *ipse* interdum etiam abeat in significationem Pronominis *idem*, ubi aliquis sibi ipsi opponatur. Haec est vulgaris loci explicatio, de quo tamen Bryceum rectius statuere arbitror. Hic enim a *circlis*, i. e. capistris („*collars*“), *vimineis* distinguit *torques* e funibus contextos et armentorum collis circumdatos, qui Pronomine *ipsis* („*themselves*“), usitatum et vulgare iuvencos plaustro iungendi genus indicante, illis quodammodo opponantur; laxum enim capistrum vimineum ne ad vacuum quidem plaustrum vehendum suffecturum esse non temere observat. Sic autem habemus sententiam aptissimam: Primum laxa capistra viminea iuvencis inlice, deinde, si semel vinculis adsueverunt, vulgari ratione par eorum funibus vacuo plaustro iunge; denique iis iugi ope etiam ad plena plaustra vehenda utere (v. 172.). — „*aptos*, vinctos, nexos et illigatos invicem ex vimineis illis vinculis; non ex cornibus, ut iam tum usus hominum multorum ferebat.“ *Heyn. Aptus* pro *aptatus* legitur etiam Aen. IV, 482. VI, 798. XI, 202. al. — 169. *gradum conferre*, i. e. pari gressu progredi. Idem

Atque illis iam saepe rotae ducantur inanes
Per terram et summo vestigia pulvere signent;
Post valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepat et iunctos temo trahat aereus orbis.
Interea pubi indomitae non gramina tantum
Nec vescas salicum frondes ulvamque palustrem,
Sed frumenta manu carpes sata; nec tibi fetae
More patrum nivea inplebunt mulctraria vaccae,
Sed tota in dulcis consument ubera natos.
Sin ad bella magis studium turmasque ferocis,

---

fere est infra v. 191. *gradibus sonare compositis*, ubi vid. adnott. Alibi *gradum conferre* (cum aliquo) idem significat, quod *pedem, manus conferre*, i. e. pugnam inire vel cominus pugnare. Vid. Liv. VII, 32, 11. Tac. Ann. II, 22. Hist. II, 42. Sil. Ital. XII, 381. — **169.** Verba *Iunge pares* Grat. Cyneg. 263. repetit, sed de admissura agens. — **170.** „*rotae inanes*, vacua plaustra, quorum mox vestigia intellige leviter expressa in pulvere, quia levia sunt." *Heyn.* *Rotae* pro curru, qui rotis promovetur, apud poëtas saepissime legitur. Vid. supra v. 114. Aen. XII, 533. 671. Ovid. Met. II, 312. id. A. A. II, 320. Prop. I, 2, 20. IV, 10, 42. etc. — **172.** „His adsuefacti plaustro ponderoso et onusto iungantur. Pars ex Homeri illo Il. V, 838. *μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων* versa." *Heyn.* — *valido sub pondere.* Similiter Tibull. III, 4, 6. *validi labores.* — **173.** *temo aereus*, aere, ut nunc ferro, vinctus. — *iuncti orbes*, rotae, h. e. currus, cui temo iunctus est. Cf. infra v. 361. et Lucr. VI, 551. *Ferratos utrimque rotarum succutit orbes.* — **174.** *pubi indomitae*, vitulis nondum domitis. — **175.** „*vescas salicum frondes*, exiles, tenues, parum succosas. Sic *vescum papaver* Geo. IV, 131., parva grana habens." *Heyn.* Vulgaris enim huius Adiectivi explicatio, quae nititur Gellii V, 12. et XVI, 5., Festi [p. 158. Lindem.], Servii et Philarg. ad h. l. auctoritate, ea est, ut, ex *ve* et *esca* compositum, primum edendi fastidio laborantem, deinde, cum, qui cibum fastidiat, macer exilisque fiat, omnino rem minutam, gracilem, parvam significet; unde non multum recedit Vossii sententia ad h. l. prolata, cui *vescus, vescendi* verbo cognatum, primum idem est, quod emacians, exurens (*auszehrend*), deinde emaciatus, macer (*ausgezehrt, mager, dürr*). Longe aliam tamen etymologiam proposuit Doederlein. *Synonym. u. Etym.* IV. p. 168., qui, quemadmodum *vascus* a *vacare*, sic *vescus* a *vagari* deducendum arbitratur, ut cum vacillatio signum sit imbecillitatis, etiam vescus i. q. imbecillis, exsuccus, macilentus significare possit. Bryce autem Adiectivum nostrum cognatum habet cum *vesica* s. *vensica*, a voc. *ventus* derivanda, et reddit per *light, small;* quod probet, qui velit. Cf. etiam adnott. ad Geo. IV, 131. et Coningt. ad h. l. — *ulva*, herbae palustris genus, eadem cum typha nostra habetur. Cf. Ecl. VIII, 87. Aen. II, 135. VI, 415. Burm. ad Ovid. Met. XIV, 103. et Schneider. ad Pallad. XII, 7, 22. — **176.** *Sed* etiam *frumenta sata*, herbas novellae segetis, et farraginis quidem: cf. v. 205. Vid. Varr. R. R. II, 5, 17. — **176—178.** „Praeceptum a multis veteribus et recentioribus tum de bovillo tum de ovillo genere repetitum. Cf. Varr. R. R. II, 17. Colum. VII, 4, 3. Geop. XVIII, 3. extr. et pulchri versus Calpurnii Ecl. V, 36. *Parce tamen fetis, nec sint compendia tanti, Destruat ut niveos venalis caseus agnos. Nam tibi praecipuo fetura colatur amore.*" *Heyn.* De Futuro pro Imperativo posito vid. adnott. ad Geo. I, 167. Aen. II, 547. — *fetae*, quae pepererunt. Cf. adnott. ad Ecl. I, 49. — *more patrum* (ut Aen. XI, 185. Ovid. Am. I, 11, 3. Sil. Ital. III, 389. etc.), h. e. quod solebant maiores facere, prisci patresfamilias et agricolae; ex Varrone enim constat, matribus olim mulgendo fuisse lac subductum. De ipsa re cf. Ecl. III, 30. — **179—180.** „Transit nunc ad curam pullorum. Vid. Varr. II, 7, 6. 15. Colum. VI, 29, 1. Etiam horum dilectum esse faciendum primo loco praecipit. *Sin magis est studium* [scil. equarii] *formare* (quod ex v. 163. repetendum est), pullos *ad bella tur-*

Aut Alphea rotis praelabi flumina Pisae
Et Iovis in luco currus agitare volantis:
Primus equi labor est, animos atque arma videre
Bellantum lituosque pati tractuque gementem
Ferre rotam et stabulo frenos audire sonantis;
Tum magis atque magis blandis gaudere magistri
Laudibus et plausae sonitum cervicis amare.
Atque hac iam primo depulsus ab ubere matris
Audeat, inque vicem de mollibus ora capistris

---

masque, h. e. usum bellicum, *aut praelabi*, s. praeterlabi, *rotis*, quadrigarum certamine. [Vid. adnott. ad Geo. I, 305. et II, 73.] De certamine Olympico eum loqui satis patet, quod habebatur iuxta Alpheum. Vid. v. 19. In luco Iovis erat stadium, ut ex Strabone et Pausania apparet.“ Ita *Heyn.*; sed rectius *Wund.* haec adnotat: „Vix ferri potest ellipsis *formare pullos*. Vide, an Vergilius ad formam *studium conferre ad* audacius non vaverit *est mihi studium ad*;“ cui cum Ladew. et Coningt. adsentior. Simili ratione etiam Bryce de illa ellipsi dubitans et cogitans de dictionibus *modus est, animus est* cum Infin. pro solemus, volumus, *studium est* properas, *inclinas*, vel etiam pro *studiosus es* positum censet. Peerlk. denique p. 245., ut haec superioribus respondeant, scribendum putat: *Sit belli magis ad studium*. — 181. *Iovis in luco*, in Alti. Vid. supra ad v. 19. — Verba *currus agitare volantes* iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 170, 12. et 178, 407. — 182 sqq. „Ante omnia equus assuefaciendus est (*primus equi labor est*) *videre*, ut videat, videre toleret bellantes s. pugnas (nam *animi*, ut irae, *θυμός*, pro pugna, quae animose fit: et h. l. animi et arma bellantum sunt poëtae ipsi pugnantes) et lituos tubasque audire [de qua re Voss. conferri iubet Aelian. V. H. XVI, 25.], aut strepitum currum frenorumque *ferre*, perferre auribus; *rotam*, currum *gementem tractu*, stridentem, dum trahitur, et in *stabulo frenos audire sonantes*. De hoc vid. Varr. R. R. II, 7, 12. [ibique Schneider.] Geop. XVI, 1.; res nota.“ *Heyn.* — *Tractus*, de curru, quem trahere discant, capiendum; *tractu gementem ferre rotam* i. q. ad auditum gemitum rotarum non terreri, dum trahitur currus. Ceterum cf. Senec. Hippol. 76. *fertur plaustro praeda gementi*, et supra ad v. 133. adnott. — 185 sq. *magis atque magis*. Vid. ad Aen. II, 299. — *blandis gaudere--laudibus*. Vid. supra v. 102. — *magistri*, domitores (Cic. de Off. I, 16, 90.) s. domatores (Tibull. IV, 1, 116.) equorum, *ἱππόδαμοι, πωλοδάμναι*. Cf. Hor. Ep. I, 2, 64. *Fingit equum tenerum docilem cervice magister*. — Respexerunt hunc locum Silius XVI, 357. *qui cervicis amaret Applausae blandos sonitus* et IV, 265. *stimulans grato plausae cervicis honore* et „expressit verba Nemes. Cyneg. 295 sqq.: *atque tauros manibus percurrere equorum, Gaudeat ut plausu sonipes, laetumque relaxet Corpus*. Est hoc *palpare, ποππύζειν*.“ *Heyn.* Cf. Aen. XII, 85. — 187. *iam primo depulsus ab ubere*, pro: quam primum, statim ac depulsus est. Vide supra ad v. 130. Wakef. ad Lucr. I, 261. (cum Serv. Dresd.) non *primo uber*, sed *iam primo audeat* coniungi voluit, minus recte (etiam Handio iudice in Turself. III. p. 123 sq.). Ceterum vid. adnott. ad Ecl. I, 22. — 188. *Audeat* pro vulg. *audiat* ex Medic., fragm. Vat., Pal., Rom. aliisque bonis libris restituit Heins. Positum est pro *faciat*, sed pulli timidi et paventis ratione habita. Ladew. recepit coniecturam suam *Gaudeat*, prolatam in Progr. Neostrel. 1853. p. 20., quae tamen (a ceteris recentioribus editoribus iure neglecta), ne urgeam iteratum illud *gaudere* (v. 185.) -- *gaudeat*, ita propterea ferri non potest, quia quae sequuntur, collata cum v. 182 sqq., proficiscuntur ab audacia quadam, non a gaudio. Cf. etiam Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 399 sq. — *in vicem* (i. e. alterna vice: cf. Geo. IV, 166. Aen. XII, 502. Tibull. IV, 1, 93. etc.) haec experienda, i. e. modo strepitum modo capistris adsuefaciendus equus, *invalidus* adhuc, antequam fortior factus refragetur. Schrader. temere tres proposuit coni., *inque diem, inque*

Invalidus etiamque tremens, etiam inscius aevi.
At tribus exactis ubi quarta accesserit aestas,
Carpere mox gyrum incipiat gradibusque sonare
Conpositis sinuetque alterna volumina crurum
Sitque laboranti similis; tum cursibus auras,
Tum vocet ac per aperta volans ceu liber habenis

---

viam, inque fidem. — **189.** „Equus ferox, indomitus, potest videri *conscius* esse *aetatis*, iuventae, vigoris, virium; itaque *inscius aevi*, virium, quas [propter aetatem nondum] nec habet nec expertus est. Cf. Val. Fl. I, 771. *rudis aevi*. Recte Serv.: nondum habens ab annis fiduciam." *Heyn.* — *invalidī s.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 29. — *etiam* i. q. etiamnum, adhuc, ut Aen. VI, 485. Ter. Eun. II, 2, 55. Hec. III, 4, 16. IV, 3, 8. Cic. Cat. I, 1, 1. Verr. III, 23, 56. alibi. Cf. Hand. Tursell. II. p. 571. Peerlk. tamen, cui haec non satisfaciunt, redit ad lectionem quorundam Codd. ab Heinsio et Burm. receptam *et iamque - - et iam*, hac adiecta explicatione: „Pullus vires sentire iam coepit. Iam enim tremit et inscius aevi est, vult resistere, non valet, iam habet fiduciam, sed annis maiorem." — **190.** Vide Varr. R. R. II, 7, 12 sq. et Colum. VI, 29, 4. Wagn., qui *aestatem* hic pro anno positam censet (ut Geo. IV, 207. Aen. I, 756. Sil. Ital. III, 382. Val. Fl. VI, 115. et alibi), ne hic locus adversetur Columellae l. l. sic scribenti: *Equus bimus ad usum domesticum recte domatur, certaminibus autem expleto triennio, sic tamen, ut post quartum demum labori committatur*, respuit plurimorum Codd. lectionem *accesserit*, ex qua, cum verbum *accedere* in numerando eam vim habeat, ut valeat *insuper addi, adiici*, exacto demum quarto anno equum domari iuberet Vergilius; et ex duobus Codd., Rom. et Regio, recepit *ubi quarta acceperit aestas* (sc. eum: cf. adnott. ad Ecl. VIII, 39.), i. e. ineunte quarto anno, eumque secutus est Ribbeck. Sed si *aestatem* proprio sensu dictum accipimus, non opus est, ut a plurimorum Codd. auctoritate recedamus, cum equae, quibus vere admissarius imponi soleat, per integrum annum ventrem ferant, ut equus, cuius aetati quarta *aestas* (*Sommer*) accesserit, non sit alius, ac quartum aetatis annum modo ingressus; quam locum expediendi rationem debeo Hildebrando in Iahnii Annall. l. l. p. 170. *Acceperit* fortasse ex *occeperit* ortum, quod fragm. Vat. praebet, et Iahnio interpretamentum videtur verae lectionis ex Lucretio petitum. Etiam Bryce, Ladew., Haupt. et Coningt. (qui confert Cic. ad Qu. fr. I, 1. *annum tertium accessisse desiderio nostro et labori tuo*) nobiscum faciunt. — *tribus exactis* igitur est tertius Casus. Praeterea in plerisque Codd. legitur *aetas* (pro *aestas*) cui lectioni Iahn. (in priori certe edit.) patrocinatur, cuius tamen veritatem, cum certus locus, ubi poëta aliquis *aetas* absolute pro anno dixerit, nusquam inveniatur, (nam apud Val. Fl. VI, 115. et Calpurn. Ecl. IV, 18. lectio fluctuat inter *aestas* et *aetas*), cum Wagn. in incerto relinquam. — **191. 192.** „*Die Reitschule steigt vom Kreisgange u. gehaltenem Schritte zum windschnellen leichten Galopp.*" *Ladew.* *Carpere gyrum*, ut viam, campum carpere (vid. modo ad v. 142. et ad Aen. VI, 629.), h. e. in gyrum s. orbem ire. Voss. praeter Varii aliquem locum apud Macrob. VI, 2. comparat Tibull. IV, 1, 93. *Inque vicem modo directo contendere cursu; Seu libeat curvo brevius compellere gyro.* — *sonare gradibus conpositis*, incedere ungula sonante (cf. Aen. VIII, 596.); *compositis*, i. e. sedatis, moderatis, placidis. Sic apud Colum. VI, 2, 5. de iuvencis domandis: *Licebit producere et docere - - composite ac sine pavore ambulare.* — *sinuet alterna volumina crurum*, h. e. sinuans tollat, iactet crura alternis vicibus. — **193.** *Sit laboranti similis.* „Laboranti est similis et propter cohibitum libere currendi impetum et propter difficilem incessum." *Wagn.* Cf. Aen. V, 234. et VIII, 649. Recte, puto, Bryce eum equi incessum describi censet, quem Angli *the canter*, nos *kurzen Galopp* appellamus et qui in bello maxime commendandus est, quia equitem celeriter promovet et tamen minus fatigat, quam aliae equitandi rationes. — **193. 194.** *tum cursibus auras, Tum vocet*, h. e. tum, tum volare incipiat. *Cursibus* autem Dativum ha-

Aequora vix summa vestigia ponat harena;
Qualis Hyperboreis Aquilo cum densus ab oris
Incubuit Scythiaeque hiemes atque arida differt
Nubila: tum segetes altae campique natantes
Lenibus horrescunt flabris summaeque sonorem

beo pro *ad cursus* positum. Coningtoni videtur Ablat. instrumenti, ut Aen. XII, 84. *anteirent cursibus auras.* — *vocet*, h. e. provocet quasi auras ad celeritatis certamen. Ita simplex *vocare* legitur infra Geo. IV, 76. Aen. XI, 374. 442. Sil. Ital. XIV, 199. Stat. Theb. VI, 747. et alibi; plenius *vocare in certamina* Aen. VI, 172. (Non prorsus eadem ratio est locorum Geo. III, 322. Aen. IV, 223. 417. V, 211. VIII, 707., ubi *vocare* pro advocare, arcessere positum est.) Quare non video, cur Ladew. et Ribbeck. receperint unius Cod. Pal. et Schol. Bern. (cf. Ribbeck. Proleg. p. 196.) lectionem *Provocet.* Nam in Part. *tum* cum vi iterata profecto non haerendum. Cf. Geo. I, 136 sqq. 341 sqq. II, 368. IV, 187. — *per aperta - - aequora.* Vid. adnott. ad Geo. I, 50. et II, 105. — *vestigia ponat.* Serv. ad Aen. V, 317. *signat*, ut apud Silium IV, 147. hunc locum sic imitatum: *volans per aperta procella Tenuia vix summo vestigia pulvere signat*, ubi vid. Drakenb. Voss. cum h. l. confert Hom. Il. XX, 226 sqq. et Aen. VII, 806 sqq. Adde Silium XIII, 327. Stat. Theb. VI, 638. et Claud. III. Cons. Hon. 547. a Wold. Ribbeckio collatos. — **196—201.** Cursus celeritatem cum vento comparat. *Volans* equus, *qualis aquilo volat, cum* etc. *Qualis cum* formula comparandi satis usitata. Vid. v. c. Aen. II, 223. III, 679. VIII, 622. etc.; ita etiam *qualis ubi* Aen. II, 471. IV, 143. VIII, 589. et alibi. — *Hyperboreas oras* simpliciter pro borealibus s. septemtrionalibus, ut infra v. 381. et IV, 517. Adde v. c. Val. Fl. VIII, 210. *Hyperboreae pruinae.* Lucan. V, 23. *Hyperboreae plaustrum glaciale sub Ursae*, et cf. Voss. ad h. l. — *Aquilo densus*, non, ut volunt, qui densat nubila; sed qui condensata quasi ideoque ad resistendum difficili aura flat, magna igitur cum vi et impetu fertur, ergo omnino gravis, vehemens. — *differt hiemes* s. procellas, tempestates, h. e. dissipans ante se agit, ex Lucret. I, 273. *venti vis - - nubila differt.* Adde eiusdem II, 674. VI, 690. Aquilo autem, siccus ventus, (de quo cf. liber meus geogr. I. p. 612.) serenat Italiae caelum. — *arida nubila*, nubes sine pluviis, quippe sicci Aquilones. Wagn. conferri iubet Sen. N. Qu. III, 28. *suppressis Aquilonibus et flatu sicciore* et Lucan. IV, 50 sq. *Pigro bruma gelu siccisque Aquilonibus horrens*, ibique Cort. Peerlk. tamen p. 246. coni. *Incubuit Scythiae, hiemes atque horrida differt N.* — **198.** *tum* respondere antecedenti *cum*, quisque videt. Cf. Aen. I, 148 sqq. similesque locos. — *segetes altae*, adultae. Ameis. tamen Spic. p. 31. explicat: „quae sunt in profundis locis s. in convallibus", ne bis idem dicatur, cum sequantur verba *campique natantes.* Sed in convallibus segetes et silvae ventis minus sunt expositae. — „*campi natantes*, segetes undantes et fluctuantes, a similitudine maris fluctus volventis." *Heyn.* Translatum ex Lucr. V, 489. et VI, 1141., ubi tamen *campi natantes* sunt maria et lacus. Cf. etiam Aen. VI, 724. *campi liquentes.* Schrader. temere coni. *campi nitentes.* Ceterum *segetes altae campique natantes* per epexegesin dictum pro: segetes altae vento motae. Cf. supra I, 498. II, 241 sq. Aen. I, 2. 258. 569. II, 722. VII, 659. 804. multosque similes locos cum iis, quae ad eos adnotavimus. — **199.** *horrescunt. Horrescere* et *horrere* (nostrum *schauern*) de aristis vento motis et agitatis dici, satis notum. Cf. Hor. Od. I, 23, 5. et Ovid. Her. X, 139. Eodem sensu Ovid. Her. XIV, 39. (ubi vid. Burm.) *vibrari* posuit. — „*Lenia flabra* videntur ab aquilone, qui *densus* incumbit, aliquantum esse aliena; sed segetes, utpote humiliores et cedentes, lenius, leniore cum strepitu, agitantur: arbores contra, maiorem venti impetum sustinentes, sonorem [i. e. gravem et acutum sonum] edunt ac fragorem." *Heyn.* Eadem est Schirachii (p. 414 sq. et 502.) sententia, qui putat, magis respexisse poëtam ad ipsum sonum, quem dent segetes agitatae vento, stridentem, sibilantem; fluctus enim aristarum leniter sese inclinantium natura sua non nisi lenem stridorem posse efficere, quamvis

Dant silvae longique urguent ad litora fluctus;
Ille volat simul arva fuga, simul aequora verrens.
Hic vel ad Elei metas et maxuma campi
Sudabit spatia et spumas aget ore cruentas,
Belgica vel molli melius feret esseda collo.

---

ventus sit vehemens. Cf. etiam Wagn. Qu. Virg. XXXV, 3. Praeterea Heyn. suspicatur, imitatum esse h. l. Maximianum (personatum Gallum) [in Anth. Lat. Burm. V, 62, 2.] verbis *Arva sub aestivis undant horrentia flabris.* Santenio ap. Terentian. p. 249. scribendum videtur: *Horrescunt levibus flabris*, temere. Vid. etiam Catull. LXII (LXIV), 273. *clementi flamine pulsae* (undae) *Procedunt* (a Keightleio ap. Coningt. collatus). — *sonorem Dant silvae.* Hor. Od. I, 23, 3. *non sine vano Aurarum et silvae metu.* — 200. *longi fluctus*, longo tractu porrecti. Vid. infra ad v. 223. — *urguent*, protrudunt, propellunt sese (*drängen sich*). Vid. adnott. ad Geo. I, 443. Quod ad rem attinet, cf. Geo. I, 358 sq. — 201. „*Ille*, aquilo, *volat.* Quia tot ornamentis sententia erat intercepta, Pronomen interponitur. [Vid. ad Aen. I, 3.] De equo hunc versum parum commode accipias; cum sit *aequora verrens.*" *Heyn.* Sane alteram interpretationem utpote simpliciorem praeferendam esse, quisque videt. Ceterum cf. locum Aen. I, 148 sqq. similiter conformatum. — *fuga*, de celeri cursu ac motu. Cf. supra ad v. 142. — *verrere* de ventis, ex more poëtarum, pro perflare. Vid. Aen. I, 62. Lucr. I, 279. V, 267. Lucan. V, 572. etc. Ceterum Peerlk. l. l. hunc versum, qui impediat orationem et absit a fragm. Moret., spurium Vergiliumque potius *Ille volans--verrit* scripturum fuisse censet. — 202—204. „Hic bonus erit in certaminibus, e quibus Olympica, praestantius genus, memorat, vel agitandis curribus. *Hinc* (pro *hic*) Medic. a m. sec., Gud., fragm. Vatic., Rom. aliique, et recte; ab hoc tempore, quod designatum erat v. 190. et 205." *Heyn.* Ita etiam Iahn. censet atque Ladew. et Ribbeck. *Hinc* receperunt, cui lectioni etiam Ameis. Spic. p. 32. patrocinatur. Sed cum v. 205 sq. *Tum demum* etc. hanc rationem parum iuvent, non video, cur a Med. a m. pr., Pal. duorumque Bern. lectione *Hic*, quam etiam Probi p. 61, 26. Keil. et Acronis ad Hor. Od. I, 1, 3. tuetur auctoritas, recedendum sit, quam propterea cum Hauptio, Wagnero et Coningtone retinui; nam quod in recentiss. Wagneri edit. *Hinc* receptum est, id editor ipse in Praef. p. VIII. vituperat, qui etiam in Philol. Suppl. I. p. 314. huic lectioni adversatur. *Hic* fere idem est, quod *talis*, tam egregius equus, qui in superioribus descriptus est, ita doctus et ad omnem cursum institutus. — Vix autem est quod moneam, verba sic esse iungenda: *ad metas et spatia campi Elei.* De *Eleo* autem *campo* vid. ad Geo. I, 59. et de *spatiis*, i. e. loco, ubi decurritur, et hic quidem hippodromo, vid. ad Geo. I, 513. et Aen. V, 316. Markland. ad Stat. Silv. V, 1, 21. temere coni. *maxima Circi S. sp.* — 203. *Sudabit.* Cf. Prop. V (IV), 1, 70. *Has meus ad metas sudet oportet equus.* — *spumas aget ore.* Vid. not. ad Geo. II, 130. — *cruentas*, haud dubie ore duris lupatis (v. 208.) laeso. Ceterum hic quoque Maro ante oculos habuit Lucr. III, 488. *Concidit, et spumas agit, ingemit, et tremit artus*, quem versum etiam supra v. 84. et infra v. 516. imitatus est. Cf. etiam adnott. ad Aen. VI, 874. — 204. „E curribus *esseda Belgica* ponit, seu pro curribus bellicis, quod praefero, cf. v. 179., seu omnino pro nobiliore currus genere, ut poëta." *Heyn.* Illud unice verum; quare, quae Heyn. praeterea adiecit, omittenda censui. Rectissime enim Wagn. sententiam horum vss., detracto ornatu, hanc esse docet; is equus talis est, quali in certaminibus Graeci, in bellis Belgae e curru pugnantes utuntur. Pauci Codd. (inter quos sane Med. a m. pr. et Pal.) *Bellica - - esseda*, quam lectionem iam Heins. reiecit. Receptam lectionem praeter ceterorum Codd. etiam Servii, Philarg., Probi p. 61, 29. Keil., Nonii p. 528, 2., Schol. Lucani I, 426. et Ter. Mauri p. 1029. tuetur auctoritas. De *essedis* Gallorum (cf. hic locus) et Britannorum (vid. Prop. II, 1, 76. *Esseda caelatis siste Britanna iugis*) cf. imprimis Caes. B. G. IV, 24, 33. V, 16. Liv. X, 28. et Scheffer. de re veh. II, 23. — „*feret*, ut v. 184., pro *patietur* dici adnotat Burm.; nam pro

Tum demum crassa magnum farragine corpus
Crescere iam domitis sinito: namque ante domandum
Ingenia nolent animos pensique negabunt
Verbera lenta pati et duris parere lupatis.
Sed non ulla magis vires industria firmat,
Quam Venerem et caeci stimulos avertere amoris,
Sive boum sive est cui gratior usus equorum.
Atque adeo tauros procul atque in sola relegant
Pascua, post montem oppositum et trans flumina lata,
Aut intus clausos satura ad praesepia servant.
Carpit enim vires paullatim uritque videndo

---

rahebatur ab equis, partim vero etiam collo ferebatur. — *molli collo* i. e. domito, ut iam Serv. interpretatur; *mollis* enim dicitur interdum, qui non resistit, qui facile cedit, obsequiosus, imbecillus, imbellis. Cf. Aen. IX, 340. *molle pecus*. Prop. III, 12 (II, 19), 23. *lepores molles* et quae supra ad v. 165. adnotavimus. Ceterum imitatus est h. l. Silius III, 337. *Aut molli pacata celer rapit esseda collo*. — 205. *farragine crassa*, quae crassos reddit. Vid. adnott. ad Geo. I, 320. De *farragine* cf. Varr. R. R. I, 31, 5. Colum. II, 11, 8. Nemes. Cyneg. 283. et Plin. XVIII, 16. 41. Festus [p. 68. Lindem.] vocem ita explicat: *Farrago appellatur id quod ex pluribus satis* (farre, hordeo, viciis, leguminibus) *pabuli causa datur iumentis*. Farrago autem dicta, quia maxime ex farre constat. — *crescere*, crassescere. — 206. *iam domitis* epexegesis est verborum *Tum demum*. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXIV, 6. — *ante domandum*, i. e. si farraginem praebueris, antequam domare inceperis. Haec opponuntur illis *Tum demum - - iam domitis*. — 207. 208. *prensi* proprie intelligendum; vid. Geo. I, 285. — „*verbera lenta*, lenti flagelli. — *lupatum*, frenum lupis seu aculeis ferreis, qui forma luporum dentes imitantur, munitum.“ *Heyn.* Cf. Ovid. Am. I, 2, 15. *Asper equus duris contunditur ora lupatis*. Dicuntur autem et *lupati* (freni) et *lupata* (frena). Cf. Mart. I, 105, 4. et Solin. 45. med. Idem est *lupus*, v. c. Ovid. Trist. IV, 6, 3. Plena dictio *lupata frena* legitur ap. Hor. Od. I, 8, 6. — 209—293. „Exspatiatur in locum praeclarum de furore armentorum ex Veneris stimulis. Parat autem transitum commemoratione exhaustarum nimia Venere virium. — 210. *caeci amoris*, non oculis capti, sed occulti, clam per venas et ossa saevientis.“ *Heyn.* Vid. adnott. ad Geo. I, 89. et 464. cum Aen. I, 356. IV, 2. V, 64. Simili ratione Ovid. Met. I, 726. *Protinus exarsit - - - stimulosque in pectore caecos Condidit*. — 211. In fragm. Vat. pro *cui* est *quo*, litera *i* supra adiecta (vid. supra ad v. 147.); in eodem *bovom* a m. pr. (Vid. infra v. 419.) Ribbeck. et *quoi* et *bovom* recepit. Cf. eius Proleg. p. 413. et 448. — 212. „Habuit locum ante oculos Colum. VI, 27, 8., et versum sequentem Gratius Cyneg. 377. *trans altas ducere valles Admoneo; latumque fuga superabilis amnem*. Ovid. A. A. II, 487. *spatio remota per loca dividuos amne equos* dixit.“ *Heyn.* — *procul atque in sola pascua*. Cf. quae de Copulae vi explicativa ad Ecl. III, 34. VIII, 101. et alibi disputavimus. — *sola pascua* sunt deserta, ut Hor. Od. I, 25, 10. *Flebis in solo levis angiportu* et alibi saepissime. Vid. ad Ecl. X, 14. — 213. *oppositum* (vid. etiam infra v. 373.), obiectum, quia impedit conspectum vaccarum. Vid. Burm. ad Ovid. Am. III, 6, 7. idemque ad Grat. Cyneg. 377. et Serv. ad v. 253. — 214. *satura praesepia* sunt plena, quae saturant. (Vid. adnott. ad Geo. II, 197.) Ribbeck. ex Cod. Med. edidit *praesaepia*, quod tamen Wagn. Orth. Verg. p. 470. librario imprudenti excidisse putat, cum alibi Cod. ille constanter *praesepe* exhibeat et Ecl. VII, 9., cum primum *praesaepia* scriptum fuisset, medium *a* transfossum sit. Negari tamen nequit, in eodem Cod. non minus constanter *saepes* et *saepire* scriptum esse. — 215. *Carpit enim vires*. Haec verba repetuntur in

Femina nec nemorum patitur meminisse nec herbae
Dulcibus illa quidem inlecebris et saepe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantis,
Pascitur in magna Sila formosa iuvenca:

Anth. Lat. Burm. I, 170, 132. Cf. autem Aen. IV, 2. *caeco carpitur igni.* — *urit*, macerat, consumit, *videndo*, eo, quod vacca eum videt. Cf. adnott. ad Geo. II, 250. — 217. Vacca saepe tauros etiam inter se pugnare cogit; argumentum a poëtis saepe tractatum. Cf. Ovid. Met. IX, 46 sqq. Am. II, 12, 25 sq. Stat. Theb. VI, 864 sqq. Calpurn. XI, 34. Oppian. Cyneg. II, 43 sq. Delevimus autem nunc cum Ribbeckio, Ladew. et Coningtone Punctum prius post *herbae* positum, ut hic versus cum superioribus cohaereret; Pronomen enim *ille* interdum nulla alia de causa adiicitur, nisi ut eo oratio fiat fortior et vividior Subiectumque antecedens magis prematur (cf. Geo. II, 434. Aen. V, 457. et Wagn. Qu. Virg. XXI. p. 603.); *ille quidem* autem hic fere vim habet Particulae *quamvis*, ut etiam Aen. IX, 796. et X, 385. Ceterum verba *Dulcibus illa quidem inlecebris* iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 14, 4. — *et saepe* pro: et saepe quidem (cf. adnott. ad Aen. II, 86.); si enim *et* simplex Copula haberetur (quam profecto nemo dicet quintum pro primo locum occupare), haec prodiret inepta sententia: vacca illecebris et saepe cornibus suis subigit tauros inter se decernere. Peerlk. tamen p. 248. pro *et* coniicit *ut*, signo exclamandi in fine v. 218. posito. — 218. „Totus versus unum illud Apollonii II, 89. exprimit: *ἠΰτε ταύρω φορβάδος ἀμφὶ βοὸς κεκοτηότε δεριάασθον.*" *Heyn.* — 219. *pascitur.* Vacca tranquille pascens bene opponitur tauris certantibus sequentium versuum. Vide autem, quam apte etiam numeri utrique rerum conditioni respondeant. „Pro ingrato et ieiuno *silva* [quod omnes Codd. videntur exhibere, ita tamen ut in Medic. U puncto notetur tamquam delendum] Servius memorat olim lectum fuisse *Sila*, quod poëta dignissimum. Erat ea silva et mons Bruttii in extrema Italia, nota vel e Cic. Bruto 20. Plin. III, [5,] 10. Cf. Aen. XII, 715. *ingens Sila* [ubi vid. adnott.]." *Heyn.* Rectissime Heyn. hanc Servianam lectionem restituit, quem posteriores editores iure secuti sunt, cum, Wagnero quoque iudice, numeri huius versus per spondeos tracti et recurrentes eaedem vocum terminationes simplici *silvae* nomini minus conveniant. — Idem tamen Wagn. totum versum (qui iam Heynio nimis tenuis et sono minus gratus visus erat, ut eum expunctum mallet, recte autem a Wakef. ad Soph. Trach. 531. p. 250. ed. Erf. contra eum defensus est), ut ingratam moram narrationi obiicientem abesse malit marginique adscriptum suspicatur ex alio quodam carmine simile taurorum super aliqua vacca certamen continente et ab hoc ipso versu exordium capiente. Sed quamvis non negaverim, aliquam veri speciem hanc coniecturam prae se ferre (imprimis cum hic versus in Lips. II. post v. 221. iteretur), tamen et omnium Codd. consensus, et parallelus ille Aeneidos locus, ne cupidius eam amplectamur, dissuadere videntur. Minime autem otiosum esse hunc versum neque ingratam narrationi moram obiicere, Iahn. iam docuit, coll. Aen. I, 530. II, 713. III, 163. IV, 481. V, 124. VII, 563. VIII, 597., poëtas ampliorem rei cuiusdam descriptionem saepenumero a loci notatione exordiri demonstrans. Quibus adde, quae Ribbeck. in Proleg. p. 31., versum defendens, adnotat, subitum taurorum conspecta procul iuvenca certamen non potuisse acrius depingi, quam omissa omni inter v. 219. et 220. Copula. Cf. etiam eiusd. Lect. Verg. p. 5. (Non tamen reticendum, in recentiss. edit. Wagnerum mutata sententia asteriscum huic versui appictum removisse. Cf. etiam eius Lect. Verg. in Philol. Suppl. I. p. 314.) Ceterum de Sila monte, et boum gregibus et pice sua celebrato, iam supra ad Geo. II, 438. sermo fuit; *in magná Silá* autem cum singulari vi et gravitate dictum, ut Aen. I, 569. *Hesperiám magnám*, IV, 345. *Italiám magnám*, II, 251. *umbrá magná*, VI, 179. *in antiquám silvám*, V, 179. *humerós latós* et similia. Alibi vitiosa putanda esse in Vergilio pariter cadentia Substantiva et epitheta iuxta se posita, si eorum ultimae syllabae sub ictum veniant, Wagn. docet Qu. Virg. XXXIII, 8., cui etiam ex-

Illi alternantes multa vi proelia miscent
Volneribus crebris, lavit ater corpora sanguis
Versaque in obnixos urguentur cornua vasto
Cum gemitu, reboant silvaeque et longus Olympus.
Nec mos bellantis una stabulare, sed alter,
Victus abit longeque ignotis exsulat oris.
Multa gemens ignominiam plagasque superbi
Victoris, tum, quos amisit inultus amores,
Et stabula adspectans regnis excessit avitis.

---

empla modo laudata debentur. — 220. *alternantes*, ἀμειβόμενοι, i. e. vicissim, invicem inter se. Ceterum eosdem fere versus iteravit poëta Aen. XII, 720—723. — *proelia miscent.* Vid. adnott. ad Geo. II, 282. Coningtон conferri iubet imitationes huius loci ap. Ovid. Met. VIII, 46. et Stat. Theb. VI, 864. atque pugnam Herculis cum Acheloo ap. Soph. Trach. 517 sqq. — 221. *lavit* poëtice pro perfundit corpus, defluit de corpore. Vid. v. c. Aen. X, 727. XII, 722. Plaut. Pers. I, 1, 8. Val. Fl. IV, 153. Ovid. Met. IX, 680. Lucan. VI, 709. etc.; cum quibus cf. adnott. ad Geo. I, 117. — 222. „*obnixos* cum dilectu et vi. Non omisit huius vocis usum Statius, cum imitatione hunc locum exprimeret Theb. IV, 399. *Ardua collatis obnixi cornua miscent Frontibus.* — *longus Olympus* pro vulg. *magnus Olympus*, iam Heinsio probatum, recepit Burm. ex uno Medic. et Macrob. VI, 4. extr., ut sit mons longo iugo excurrens. Verum h. l. *Olympus* non mons, sed coelum." *Heyn.* Hoc sane verissimum (cf. adnott. ad Ecl. V, 56.), sed nihilominus lectio *longus*, i. e. longe porrectus (vid. supra v. 200.) propter additum voc. *reboant* praeferenda. Voss. inter alios locos comparat Aen. VII, 288. *ex aethere longo* et Ovid. Met. VI, 64. *longum caelum.* Alteram scripturam ex Aen. X, 437. huc illatam videri, bene docet Wagn. Ceterum *reboandi* verbum ex Lucretio depromptum videtur, ubi II, 28. *Nec citharis reboant - - templa* et IV, 545. *reboat raucum bombum tuba* legitur. Cf. etiam Silius XVII, 252. Val. Fl. III, 634. Calp. Ecl. VIII, 72. etc. — 224. *stabulare*, neutrali sensu pro magis usitato *stabulari*, i. e. in stabulo versari, degere, legitur etiam Aen. VI, 286. Stat. Theb. I, 275. 457. Apulei. Met. VI, 113. p. 393. et alibi, fortasse etiam Sil. III, 399. et Gell. VI, 3., ubi Particip. *stabulans* invenitur. Cf. Priscian. VIII, 6, 29. p. 799. P. et Ruddim. I. p. 277. not. 64. — 225. *Victus abit* etc. Cf. imitationem huius loci ap. Lucanum II, 601 sqq. In fine huius versus Hanovio suasore Sched. crit. p. 5. (cuius de hoc loco sententiam etiam Ribbeck. Proleg. p. 54. probat) cum Ladew. Punctum posuimus. — 226. Multum gemens, propter vulnera nimirum a victore accepta. *Multa gemens* autem etiam Aen. V, 869. Sic apud Cic. Div. I, 20, 41. *multa lacrimare*, ad Fam. III, 3. in. *multa queri*, infra Geo. IV, 301. *multa reluctari*, Aen. III, 610. *haud multa moratus* etc. Erant autem, qui *multa* et *multum* unum idemque habent; cum *multa* singulas alicuius rei partes respiciat, ad quas iterata vel continuata actio referenda sit, *multum* vero non nisi modum indicet, sensuque non differat a *vehementer, valde* (cf. imprimis Kritz. ad Sall. Cat. 27, 4. et Bremi ad Nep. Epam. 6, 1.); quod tamen discrimen poëtae non semper strenue observant. Cf. Geo. IV, 301. Aen. III, 610. (ubi vid. Thiel.) IV, 390. VII, 593. IX, 29. XII, 402. 506. etc. Ceterum respexit hunc locum poëta Anth. Lat. Burm. III, 81, 108 sq. *Multa gemens - - plagasque superbi Victoris* etc. — 227. Hunc locum ante oculos fuisse Valer. Flacco II, 548 sq. (taurus victor ubi) *revisit Et patrium nemus, et bello quos ultus amores*, iam Cerda docuit. — 228. *stabula adspectans*, respiciens, retorquens oculos ad stabula, quae invitus relinquit. — *regnis excessit avitis*, ut rex ex regno suo fugere coactus. — Quod attinet ad mutationem temporis *excessit - - exercet*, observandum est, saepe in narratione exponenda Perfectum ita ad Praesens, quod sequitur, referri. Cf. Aen. II, 465. 481 sqq. IV, 220—222. VI, 476. VII, 621. VIII, 506. IX, 432. X, 451. 659. XII, 380. et Wagn. Qu. Virg. VII, 7. p. 497. Cort. ad Lucan. II, 328. Wunderl. ad h. l. et ad Aen. II, 465. alii.

Ergo omni cura vires exercet et inter
Dura iacet pernix instrato saxa cubili
Frondibus hirsutis et carice pastus acuta,
Et temptat sese atque irasci in cornua discit
Arboris obnixus trunco ventosque lacessit
Ictibus et sparsa ad pugnam proludit harena.

Praesens tum rem significat, quae alteram, per praeteritum expressam, consecuta est, vel potius consequi debuit; quare v. c. Val. Flacci locus I, 610. (a Wunderl. laud.) *portam Impulit Hippotades: fundunt se carcere laeti* ita est explicandus: portam impulit H., et ita se fundunt etc. — **229** sqq. „Praestantissimum hunc locum, ut iam dudum viderunt Intpp. cum Scalig. Poët. cap. 14., imitati sunt Lucan. II, 601—607., Statius Theb. II, 323—330., Sil. Ital. XVI, 4—10." *Heyn.* — **230**. Difficile est de h. l. iudicium. Plurimi et optimi Codd., Serv. ad h. l. et ad Aen. XI, 718. Schol. Bern. (vid. Ribbeck. Proleg. p. 197.) et Nonius p. 368. et 444. constanter tuentur lectionem *pernix*, cui Voss., Iahn. et Hildebrand. in Iahnii Annall. l. l. p. 170 sq. patrocinantur, et quam nobiscum receperunt Ladew. et Ribbeck., cum ex Philarg. appareat *pernox* antiquam modo coniecturam esse (cf. Ribbeck. Proleg. p. 217.); sex modo Codd. (inter quos Palat.), editt. Ald. II. et III. et Schol. Iuven. VIII, 70. exhibent *pernox*, quod Scaligero iam et Heinsio suadentibus revocavit Burm., quem Heyn., Wakef., Wagn. (etiam in Philol. Suppl. I. p. 372.) et reliqui editores recentiores praeter Ladew. et Ribb. secuti sunt. Nos in prima edit. et ipsi recepimus *pernox*, Doederleinium potissimum secuti, qui in libro suo *Lat. Synon. u. Etym.* P. II. p. 127 sq. docere studet, *pernix iacet* continere contradictionem in adiecto, cum *pernix* alibi valeat i. q. velox, celer, strenuus (vid. supra ad v. 93.). Postea tamen, cum sane difficillimum sit dictu, quomodo lectio *pernix* in contextum venerit, *pernox* autem paullo languidius videatur, ad alteram lectionem reversi sumus, quam cum Servio (*pernix* iure a *pernitendo* deducente) capimus pro: *perseverans;* ut ea significetur pertinax tauri succensentis victori studium se ulciscendi, quo ductus vires ad novum impetum colligit, alia omnia negligens. Insolentior quidem est haec Adiectivi *pernix* significatio, quae tamen ex analogia potest defendi. — *instrato*, h. l. non strato, *cubili*, in nudo solo. Wakef. tamen, cum *instratus* ubique sit Participium verbi *insternere*, neque ullo alio loco significet *non stratus*, ad Lucr. V, 985., ubi legimus *instrata cubilia fronde*, etiam h. l. ita distinguendum censet: *instrato saxa cubili Frondibus hirsutis; et carice p. a.* — **231**. *carex*, iunci genus. Cf. Ecl. III, 20. et Calpurn. III, 94. *acuta carice tectus.* — **232**. *irasci in cornua discit* Heyn., ac si duae sententiae in unam confusae essent, interpretatur: irascens exercet se in cornua seu ad cornuum usum. Rectius tamen Voss. (coll. Eurip. Bacch. 732. *Ταῦροι - - χ'εἰς κέρας θυμούμενοι*, Ovid. Met. VIII, 882. *vires in cornua sumo*, et Calpurn. Ecl. XI, 34. *coiere in cornua*) *irasci in cornua* explicat: iram quasi colligere in cornua, quae sunt irae et ultionis instrumenta. Ceterum cf. similis locus Aen. X, 455. *meditantem in proelia taurum.* Wagn. autem, et ipse Vossio adsentiens, coll. Bentl. ad Manil. II, 246., docet saepe a poëtis animorum affectus tribui rebus, quibus illi utantur ad explendam suam cupiditatem. Ceterum haec verba cum duobus vss. seqq. poëta repetit Aen. XII, 103 sqq. Vergilium autem expressit Silius XV, 64. verbis *torvi in cornua tauri.* Vid. etiam adnott. ad Aen. X, 455. — **233**. *ventosque lacessit Ictibus* Lemario videtur gladiatorium verbum *ventilare* circumscribere, quod usurpatur de gladiatoribus, qui ante pugnam gladiis motis et lusoriis ictibus aërem ferientes proludunt ad certamen. Quare etiam Seneca XXI, 118. *Quam stultum est, cum signum pugnae acceperis, ventilare.* Ceterum cf. similis locus Aen. V, 377. *verberat ictibus auras.* — *ad pugnam proludit.* Ita etiam Aen. XII, 106.; ubi tamen cum nonnuli libri (?) Praepositionem omittant, Wakef. ad Lucr. V, 658. et hic Praep. *ad* delendam censet, comparans Rutil. Itin. I, 257. (taurus) *Ut solet excussis pugnam praeludere glebis, Stipite cum rigido cornua prona terit*, qui

Post ubi collectum robur viresque refectae,
Signa movet praecepsque oblitum fertur in hostem:
Fluctus uti medio coepit cum albescere ponto,
Longius ex altoque sinum trahit, utque volutus
Ad terras inmane sonat per saxa neque ipso
Monte minor procumbit, at ima exaestuat unda

---

sane Maronem imitatus videtur. Sed contra omnium Codd. auctoritatem nihil hic mutandum. — *sparsa harena.* Cf. Ecl. III, 87. *Iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam,* atque etiam Silius V, 315. *et sparsa pugnas meditantem spectat arena.* — 235. *Post.* Ladew., qui prius ex Med. receperat *Ast*, in recentissima edit. recte *Post* restituit. (Cf. etiam Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 373., qui addit: „Quodsi *Atque* legeretur in Med., id ferrem reponeremque.") — *robur.* Ribbeck., Lachmanno suasore ad Lucr. II, 1131. p. 140., ex Rom. et Gud. a m. pr. edidit *robor.* — *viresque refectae* Heins. restituit e Medic. aliisque melioris notae Codd.; vulgo *receptae*, quod Heynio magis placet, provocanti ad Lucan. II, 604. et Stat. Theb. II, 326. Sed hic Vergilianus usus respiciendus. Cf. Aen. XI, 731. et XII, 788. — 236. „Pulchre ex re militari, cum signa, aquilae, inferuntur; ut Geo. IV, 108. de apibus. — *oblitum*, qui omnem iam adversarii sui memoriam animo dimiserat, iam securum." *Heyn.* — 236. *Signa movet*, ut exercitus in proelium discedens. Wagn. in edit. min. docet, Vergilium multa e vita humana ad vitam reliquorum animalium transtulisse, coll. Geo. IV, 108. et Aen. XII, 6. — 237–241. „Laudata a multis comparatio, ex Hom. Il. IV, 422—426. expressa, notante iam Macrob. V, 13., repetita eadem Aen. VII, 528—530." *Heyn.* — *Fluctus uti medio - - - ponto.* Medic. et alii quidam Codd. *Fluctus ut in medio*, quod Peerlk. p. 249. praefert. Wagn. quidem Qu. Virg. XV. p. 435 sq. et Ladew. contendunt, Vergilium ubique Praepositionem omittere, ubi *medius* non locum indicet, qui inter ceteros vere medius sit, sed improprie usurpatum fere Praepositionum *in*, *per*, *inter* vim sustineat, *mitten in* (ut Geo. III, 466. Aen. I, 314. 505. 638. III, 73. 104. 270. IV, 382. 620. V, 188. VII, 563. VIII, 467. X, 665. etc.), contra *in medio* semper proprie dici (*in der Mitte:* ut Ecl. III, 40. Aen. II, 328. 512. III, 624. V, 110. 160. 288. VII, 227. X, 219.); quod tamen non prorsus verum esse docent loci Geo. III, 519. Aen. II, 67. III, 202. IV, 76. VII, 577. XI, 225. 838. XII, 213. 732. alii. — *albescere*, quod de spumantibus maris fluctibus dictum, praeclare pro existere, surgere. Cf. Aen. VII, 528. — 238. Cf. Aen. I, 160. *Omnis ab alto Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.* — „*trahit sinum*, facit, sinuatur, longe et ex alto versus litus; nam in hoc versatur notio princeps, ex alto ad litus volvi fluctus. Martyn. interpunxit cum aliis *coepit cum albescere ponto longius, ex altoque sinum trahit.*" *Heyn.* Wagn. comparat Hom. Il. IV, 426. κυρτὸν ἐὸν κορυφοῦται. Cf. etiam Geo. IV, 420. et Aen. I, 161. ibique adnott. Huschk. ad Tibull. I, 10, 51. hunc locum refert inter eos, ubi Copula *que* tertio demum, ut alibi quarto adeoque quinto enuntiationis vocabulo adiiciatur (qua de re vid. infra ad Geo. IV, 22. adnott.); eandemque opinionem protulit Bossler in Philol. XXI. p. 159 sqq. (cf. Ladew. Append. p. 196.), qui putat *longius ex alto* unam efficere notionem (*fern her vom hohen Meere*), Copulam autem *que* coniungere verba *albescere coepit* et *sinum trahit;* sed rectius cum Heyn. et Wagn. hunc locum eadem ratione explicueris, qua Geo. II, 290. *Altior ac penitus*, ut *longius* et *ex alto* per Copulam coniungantur alterumque altero explicetur, de quo Copulae usu diximus ad Ecl. III, 34. et VIII, 101. Quod perspexit etiam Wakef. ad Lucr. IV, 200., hoc *longius ex altoque* comparans cum Lucretiano *penitus ex altoque.* Unde etiam patet, errare Vossium aliosque, qui *ex alto* per: ex profundo explicent, quod infra demum sequitur v. 240 sq. Cf. potius Aen. locus supra laud. — *volutus ad terras.* Cf. Anth. Lat. Burm. I, 45, 15. *ruit ille volutus Ad terram.* — 239. *inmane sonat.* Vid. supra ad v. 149. — *neque Monte minor.* Cf. Geo. IV, 361. et Aen. I, 105. — *ipso monte*, cuius pars sunt *saxa* (s. scopuli) ante commemo-

Verticibus nigramque alte subiectat harenam.
Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque
Et genus aepuoreum, pecudes pictaeque volucres
In furias ignemque ruunt: amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leaena
Saevior erravit campis, nec funera volgo
Tam multa informes ursi stragemque dedere
Per silvas; tum saevus aper, tum pessima tigris;

---

rata. Cf. Aen. X, 127. *Saxum, haud partem exiguam montis.* Eadem comparatio fluctuum alte surgentium cum monte invenitur infra IV, 361. et Aen. I, 105. Wagn. Qu. Virg. XVIII, 3. a. docet, Pronomen *ipse* ad naturam Subiecti, et hic quidem ad id, quod maxime conspicuum est in monte, ad altitudinem, esse referendum, vernacule autem non nisi gravius pronuntiando ipso Substantivo reddi posse. Confert praeterea similes locos Aen. IV, 600 sqq. et Geo. IV, 354. — 241. *verticibus*, aquis in turbinis modum sursum actis. Iahn., Weichertum ad Val. Fl. VIII, 348. laudans, in priore edit. scripsit *Vorticibus*, in altera tamen ob Cod. Medic. auctoritatem ad alteram formam *verticibus* rediit. Vid. adnott. ad Geo. I, 481. — *subiectat*, cum vi sursum propellit. Med., Rom. aliique libri optimae notae *subvectat*, quod tamen reiiciendum, cum non nisi de oneribus, de rebus gravibus et ponderosis dicatur (cf. Aen. XI, 131. 474.). Quare probo, etiam Ladewigium, qui prius ediderat *subvectat*, in recentissima edit. tacite ad *subiectat* rediisse. Utriusque vocabuli confusio redit Geo. IV, 385. Videtur autem poëta ante oculos habuisse Lucr. VI, 700., ubi mare dicitur ex montibus ardescentibus *Saxaque subiectare et harenae tollere nimbos.* Iahn. tamen lectionem *subvectat* subtilius quam verius defendit. — *harenam* profundi maris, ut Aen. I, 107. *furit aestus harenis.* — 242 sq. „Multi poëtae varie hunc locum de furiis amoris in animantibus tractarunt. Sed proxime noster Lucretii vestigia pressit, imprimis I, 12 sqq. una cum Aristot. loco hist. Anim. IV, 18." *Heyn.* — *adeo.* Vid. adnott. ad Geo. I, 24. — *hominumque ferarumque.* Cf. adnott. ad Geo. I, 295. II, 69 (344. 443.) — 243. Wakef. *pecudes* appositionem vv. *genus aequoreum* esse putat, coll. Hor. Od. I, 2, 6. et not. sua ad Lucr. I, 137. — *pictae volucres* redeunt Aen. IV, 525. Cf. etiam Geo. IV, 13. Ovid. Met. III, 669. et Claud. XL, 3. Cf. etiam infra ad v. 264. — 244. Peerlk., cui vox *amor* post verba antecedentia tenuior videtur, pro qua Vergilius potius scripsisset *ardor*, p. 250. coniicit *In furias ignemque ruit amor;* ut *ruere* activa significatione dictum sit de qua diximus ad Geo. I, 105. — 246. Tum ferae, e quibus leaenas et ursas primo loco nominat, sunt saevissimi ingenii. — *erravit.* Vid. adnott. ad Geo. I, 49. Moret. II. exhibet *occurrit*, quod, ne idem vocabulum statim recurrat, cum Heinsio et Burm. praefert Peerlk. p. 250. — 247. *informes ursos* Cerda „vastos et truces" interpretatur rectissime. Apud Ovid. Trist. III, 5, 35. eodem sensu *turpes ursi* vocantur. Heynio sunt deformes, turpes. — *stragem dedere.* Cf. infra v. 556. Aen. XII, 454. (VIII, 570. IX, 526. 784.) Nemes. Cyneg. 204. cett. etiam infra v. 265. et adnott. ad Aen. IX, 323. — 248. *tum saevus aper.* Vid. infra ad v. 255. Peerlk. tamen, quem pariter offendit vox *saevus* per breve intervallum repetita, coniicit *tum sus asper.* Sed *saevus* etiam legit auctor carminis in Anth. Lat. Burm. I, 172, 28. *per silvam tum saevus aper.* Ceterum Haupt. et Ribbeck. edunt *saevos.* Vid. adnott. ad Geo. II, 71. 225. III, 118. etc. Inde ab hoc versu Ribbeck. vulgarem versuum ordinem prorsus mutavit, ut singuli sic se exciperent: 249. 255—57. 264. 265. 258—63. 250—54. (quos a poëta secundis curis additos esse putat, ut substituerentur vv. 269. et 70. delendis) 266 sqq. simulque v. 263. spurium censet (cf. eius Lect. Verg. p. 6. et Proleg. p. 33. cum iis, quae contra eum disputant Ladew. in Iahn. Annal. phil. LXXIII. p. 466. et Tittler. Progr. p. 5 sq.); atque etiam Peerlk. p. 382. vv. 264. et 65. post v. 257. collocandos et v. 270. et 71. in hunc unum contrahendos censet: *Ascanium, avidis ubi subdita flamma medullis.* Nos, quamquam non mi-

Heu male tum Libyae solis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertemptet equorum
Corpora, si tantum notas odor attulit auras?
Ac neque eos iam frena virum neque verbera saeva,
Non scopuli rupesque cavae atque obiecta retardant
Flumina correptosque unda torquentia montis.

---

nus haeremus in repetita sententia vv. 253. 54. et 269. 70., tamen, ne vulgares versuum numeri nimis turbarentur, illos viros doct. in re adhuc valde incerta sequi dubitavimus. Etiam ceteri recentiores editores omnes vulgarem versuum ordinem servarunt. — **249.** „Cf. Calaber Paralip. V, 373. 377. 378. Formam orationis iam supra vidimus I, 448. *Heu! male tum mites defendit pampinus uvas.*“ *Heyn.* — **250.** *pertemptet.* Moret. sec. et duo Rottend. *pertentat*, quod post *vides ut* ferri posse contendunt Burm. et Heyn., Voss. autem et Conington praeferunt. Rectissime vero Wagn. censet, aliud esse *vides ut*, aliud *Nonne vides ut.* Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 56. et Ecl. IV, 52. Vox *pertemptare* pro cum vi pervadere et vehementer commovere posita, quae reddit Aen. I, 502. V, 828. et VII, 355., ex Lucretio VI, 287. (ubi, ut hic, *tremor pertemptat*) et V, 191. 426. sumpta videtur. De vocis autem scribendae ratione vid. adnott. ad Ecl. I, 49. — **251.** „*si notas odor attulit auras*, exquisitiore ratione dictum, quam *odor allatus est, si auras odorem attulere;* modo teneas, *odorem* sic esse rem, quae sensum olfactus excitet, emittendo corpuscula, quibus aurae ingravescunt. Convenit Horat. Od. II, 8. extr. *tua ne retardet aura maritos.*“ *Heyn. Odorem* igitur intelligas ab equa emissum, quo captato equus mas in venerem ruit. Cf. Orell. ad Hor. l. l., qui recte docet, talia non ad nostrum sensum esse diiudicanda, ab huiusmodi enim imaginibus ex ipsa rerum natura petitis minus abhoruisse Graecos et Romanos. — **252.** *Ac neque iam frena virum - - retardant*, quae antea satis valida fuerant ad eos retardandos, coërcendos. „*Ac* i. e. quod ubi fit; copulatur per hanc Particulam eventus cum causa ita, ut ille hanc statim subsequi significetur. Vid. Aen. V, 504.“ *Wagn.* — De voc. *iam* Particulis negandi iuncta, ut respondeat nostro *jetzt nicht mehr*, quod, qui nunc Latine scribunt, minus recte per *non amplius* exprimere solent, cf. Wagn. Qu. Virg. XXIV, 2., hos Vergilii locos congerens: Geo. III, 548. Aen. I, 556. III, 260. IV, 431. V, 194. 633. IX, 515. XI, 71. Vid. etiam adnott. ad Aen. X, 881. De coniunctione singulorum membrorum per *neque - - neque - - non - - que* cf. idem Wagn. Qu. Virg. XXXVI, 10., hunc locum conferens cum Geo. II, 83 sq. 136 sqq. III, 10 sq. (ubi vid. adnott.) 252 sq. IV, 210 sqq. Aen. X, 319 sq. IV, 227 sq. IX, 138 sq. et similibus. — **253.** „Varii versum poëtae nostro propositum fuisse, notant Interpp.: *Non amnes illum medii, non ardua tardant*, apud Macrob. Sat. VI, 2. p. 381.“ *Heyn.* Imitati sunt hunc locum Claud. in Ruf. II, 184. *Haud illos rupes, haud alta vetarent Flumina, praecipites stravissent omnia cursu*, (unde Peerlk. l. l. concludere videtur, etiam hic praeferendum esse Coniunctivum *retardent*, i. e. retardare possunt, quem Codd. quidam exhibent) et Prudent. Perist. IX, 115. *Per silvas, per saxa ruunt, non ripa retardat Fluminis, aut torrens oppositus cohibet.* — „*flumina torquentia unda*, fluctu et impetu suo, *montes*, fragmina, saxa ruentium montium.“ *Heyn.* Schrader. coni. *pontes*, quod cupide arreptum in contextum adeo recepit Wakef. Sed vulgarem lectionem poëta multo digniorem praeter omnium Codd. consensum tuetur etiam Silii imitatio IV, 522 sqq. *Ut torrens - - Cum sonitu ruit in campos, magnoque fragore Avulsum montis volvit latus*, coll. cum eiusd. IX, 395. *Tum silicem scopulo avulsum, quem montibus altis Depulerat torrens, raptum contorquet in ora Turbidus.* Non minus reiicienda Marklandi coni. (in Epist. crit. ad Fr. Hare p. 52. proposita), *fundo* pro *unda* legendum esse statuentis. — *correptosque*, iam ab editt. Aldd. II. et III. aliisque spretum, ex optimis Codd. restituerunt Wakef., Voss., Iahn. et recentissimi editores (praeter Haupt.), etiam Wagn. ipse in min. edit., quem prius Copulam reiicientem temere secuti sumus. Sensus enim est: non flumina obiecta, quae etiam

Ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit sus
Et pede prosubigit terram, frigat arbore costas
Atque hinc atque illinc humeros ad volnera durat.
Quid iuvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? Nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat caeca serus freta; quem super ingens
Porta tonat caeli et scopulis inlisa reclamant

---

vulgaris equi cursum morantur, eos retardant, immo ne tam rapida quidem, ut vel montes (i. e. saxa) avulsos secum torqueant. In maius autem extollit poëta Lucretii verba I, 288. *volvitque sub undis grandia saxa.* — 255. „Locos alios poëtarum congessere Guellius et Cerda. At praeivit poëtarum pater, Il. XI, 416. XIII, 475. Hesiod. Scut. 386 sqq." *Heyn.* Offendit quodammodo iterata suis commemoratio, cum iam v. 248. de saevo apro sermo fuerit; quare Wagn. Qu. Virg. XL, 2. hunc locum inter eos refert, ubi bonus Vergilius dormitasse censendus sit. Discrimen tamen, quod intercedit inter aprum (ferum) et verrem (domesticum), quos hic sibi opponi docet iam additum Pron. *ipse*, hanc iterationem, quae videtur, satis excusat. *Ruere* verbum proprium de suibus. Cf. Donat. ad Ter. Ad. III, 2, 21. et IV, 2, 11. *Sabellicus.* Vid. adnott. ad Geo. II, 167. De Sabinorum quidem porculatione nihil diserte proditur, sed cum Picenum vicinum ea excelleret (Martial. XIII, 35.), etiam Sabellicum agrum suibus abundasse credibile est. De voce monosyllaba in fine versus posita (ut apud Lucr. V, 25. *et horrens Arcadius sus*) vid. adnott. ad Geo. I, 181. — 256. *prosubigendi* verbum, quod Serv. hic interpretatur „fodere et pedibus alternis impellere," invenimus etiam apud Val. Fl. IV, 288. et Prudent. *περὶ στεφ.* III, 129., qui hunc locum ante oculos habuit scribens: *impositamque molam Turibulis pede prosubigit.* In seqq. vulgo editur *fricat arbore costas Atque hinc atque illinc, humerosque* etc. Sed cum Copulam *que* praeter alios Codd. omittant Medic., Gud. (a m. pr.) et quatuor Parisini, quam crebro Copulae usui in hoc loco deberi censet Wagn., verba autem *atque hinc atque illinc* praecedentibus adiecta mihi quidem aliquantum languere videantur, in his verbis constituendis secutus sum Wagnerum. Intellexi enim, huius loci aliam esse rationem, atque Ecl. V, 23., et prius *atque* coniungere utramque sententiam, posterius autem Adverbia *hinc* et *illinc*, quamvis optaverim, ut poëtae minus ambigue scribere placuisset. Etiam ceteri editores recentiores Copulam *que* iure spreverunt. — 257. „*durat*, indurat. Plin. VIII, 52, 78. *Sues ferae semel anno gignunt. Maribus in coitu plurima asperitas. Tum inter se dimicant, indurantes attritu arborum costas, lutoque se tergorantes.* Cf. Aristot. Hist. Anim. VI, 17. Res satis nota." *Heyn.* — 258—263. „Ad Leandri Hellespontum tranantis, ut Hero potiretur, audaciam respici, obvium est. Praeter Musaei grammatici carmen et Ovidii Epistolam cf. Stat. Theb. VI, 542—547." *Heyn.* — 259. *Durus amor*, ut Aen. VI, 442., in Anth. Lat. Burm. I, 178, 150. et alibi. — „*procellae abruptae*, h. e. abrumpentes se (ut *proruptus, praeruptus*), praecipites cum impetu ruentes. Cf. ad Aen. III, 199." *Heyn.* — *abruptis.* Wakef. ad Lucr. V, 505. suspicatur h. l. legendum esse: *obruptis, turbata procellis*, quod sic explicat: „se ob iuvenem rumpentibus, vel in vultum se frangentibus, et illidentibus." Sed praestat plurimorum librorum lectionem retinere, de qua etiam cf. Burm. ad Lucan. VI, 35. Vid. similes locos Aen. II, 416. et XII, 451. — 260. *serus*, sero tempore. Vid. not. ad v. 407. — *nocte caeca*, tenebricosa. Vid. Cic. Mil. 19, 50. Aen. III, 87. 203. Ita apud Silium VII, 350. *caeca silentia* pro tempore nocturno. Ceterum cf. adnott. ad Aen. II, 19. et XII, 444. Peerlk. p. 250. in Cod. Goth. I. lectione *sectus freta* suspicatur latere veram scripturam *Sesti freta*, quam ingeniosam coniecturam recipiendam dixerim, cum sane *serus* post *nocte caeca* langueat atque etiam Stat. Silv. I, 3, 27. de eadem re canens *Sestiacos sinus* commemoret. — 261. „*Porta tonat caeli*, h. e. caelum, ab Ennio et Homero petitum esse, iam in Senecae Epist. 108. extr. legitur. Ratio inter plures inanes, quas afferunt Interpp., vera est illa, quod caelo,

Aequora; nec miseri possunt revocare parentes
Nec moritura super crudeli funere virgo.
Quid lynces Bacchi variae et genus acre luporum
Atque canum? quid, quae inbelles dant proelia cervi?
Scilicet ante omnis furor est insignis equarum;
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci?
Potniades malis membra absumpsere quadrigae.

Olympo, poëtae tribuunt regiam, hinc etiam fores, limina, *portas*. Cf. Homer. Il. V, 749. VIII, 393 sq. et Ennii fragm. Annal. v. 595. Vahl. *Quem super ingens Porta tonat caeli;* quod autem ad tonandi verbum attinet, etiam supra Geo. I, 371. *Eurique Zephyrique tonat domus.* — 262. 263. Nec cogitatio de luctu parentum, nec quod amata puella eius morti superstes esse nolet, eum retinet. — *crudeli funere*, acerba morte. Quodcunque ab immiti animo, fato, decreto proficiscitur, et ipsum est immite, crudele." *Heyn.* Cf. Ecl. V, 20. Aen. IV, 308. X, 386. XI, 53. XII, 636. Aen. II, 561. 368. etc. — Voss. et Ladew. (Ameis. Spic. p. 32. secutus, qui confert Musaeum 440. *καὶ δ' Ἠρὼ τέθνηκεν ἐπ' ὀλλυμένῳ παραχοίτῃ*) coll. Aen. X, 727. non recte coniungunt *super crudeli funere*, cui rationi iam caesura versus adversatur; immo Aen. IV, 308. plane eadem ratione: *Nec moritura tenet crudeli funere Dido. Super* igitur i. q. insuper, praeterea. Cf. adnott. ad Aen. II, 71. Ribbeck. Lect. Verg. p. 5. hunc versum spurium et ex illo Aeneidis loco ortum iudicat; sed recte eum defendere videtur Tittler. Progr. p. 6. not. 3. — 264. *Quid*, scil. dicam, ut illae furant, cum constet omnium maxime furere equas? — *lynces Bacchi;* quia Bacchi currum a bestiis illis trahi fabulabantur mythographi. Cf. Interpp. ad Ovid. Met. III, 668. *Quem* (Bacchum) *circa tigres, simulacraque inania lyncum, Pictarumque iacent fera corpora pantherarum*, et IV, 25. *tu biiugum insignia frenis Colla premis lyncum*, itemque ad Prop. IV, 16 (III, 17), 8. *Lyncibus in caelum vecta Ariadna tuis.* — *variae*, maculosae, ut Aen. I, 323. Ita apud Senec. Hipp. 63. *variae tigres.* Cf. etiam Lucr. I, 590. *omnia constant Usque adeo, variae volucres ut in ordine cunctae Ostendant maculas generaleis corpore inesse* (coll. cum eiusd. II, 144. 344. IV, 1004. V, 799. 1077.) ubi dubium est, num *variae volucres* sint varii generis, an variis coloribus distinctae. Ceterum vid. supra ad v. 243. — *genus acre luporum.* Cf. parallelus Lucretii locus V, 860. *genus acre leonum.* — 265. *quid, quae.* Voss. recepit alteram lectionem *quique*, quae etiam Heynio et Wunderlichio magis placet. Sed recte Wagn. in eiusmodi rebus a spectatissimorum Codd. auctoritate non recedendum esse censet; *quique* autem non nisi in uno Cod. Parrhas. videtur apparere. — *dant proelia.* Cf. Grat. Cyneg. 155. et adnott. ad Aen. IX, 323. *Edere proelia* legitur ap. Lucr. II, 118. et Liv. XXV, 38. Peerlk. p. 382. vv. 264. et 265. post v. 257. ponendos esse censet, ut „absolutis pecudibus, exemplum hominis in fine memoretur" eoque eos revera transtulit Ribbeck. Sed nonne vel sic redit poëta ad pecudes v. 266.? — 266. „Quid haec omnia commemorem, cum omnium praesentissimum exemplum in equis ipsis sit? hinc est *scilicet* profecto, utique [*ja doch*]." *Heyn.* Cf. Hor. Od. I, 25, 14. *flagrans amor et libido, Quae solet matres furiare equorum*, et Dissen. ad Tibull. II, 1, 67 sq. — 267. *mentem* pro concitata animi amore flagrantis agitatione ponit. Ladew. comparat Tibull. IV, 3, 7. *quis furor est, quae mens.* Hor. Ep. I, 2, 60. *dolor quod suaserit et mens* et Od. I, 16, 22. *compesce mentem.* Adde Pervig. Ven. 63. Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 46. *mentem dedit* simpliciter reddit *beseelte, begeisterte sie.* „Fabula de *Glauco* [Sisyphi, Corinthi regis, filio] vel ex Palaephato et Ovidio nota. Alebat ille equos *Potniis*, qui Boeotiae vicus erat, non longe a Thebis, quibus Venus furorem immisit, ut ipsius domini membra dilaniarent, quoniam eos ab admissione arcebat. Diversas causas alii memorant. *Ποτνιάδες πῶλοι*, Eurip. Phoen. 1140." *Heyn.* Vid. Palaeph. c. 26. et Ovid. Met. XII, 233. XIII, 925 sqq., quibus adde Hygin. f. 250. et 275.

Illas ducit amor trans Gargara transque sonantem
Ascanium; superant montis et flumina tranant.
Continuoque avidis ubi subdita flamma medullis —
Vere magis, quia vere calor redit ossibus: — illae
Ore omnes versae in Zephyrum stant rupibus altis
Exceptantque levis auras et saepe sine ullis
Coniugiis vento gravidae — mirabile dictu —
Saxa per et scopulos et depressas convallis
Diffugiunt, non, Eure, tuos, neque solis ad ortus,

---

quadrigae pro equis omnino positum videtur. — 269 sq. Vide quae de his versibus, quibus Ribbeck. asteriscos praefixit, supra ad v. 249. disputavimus. Solito poëtarum more pro quovis monte ac fluvio certum quendam montem ac fluvium commemorat. Vid. Geo. I, 9. — *Gargara.* Vid. adnott. ad Geo. I, 103. — „*Ascanius lacus* Bithyniae sub Olympum montem satis quidem notus; at hic fluvius ex eo exiens intelligendus; nam *sonantem* et equis transmittendum memorat. Meminerat autem eius fluvii Euphorion (vid. Strabo XIV. p. 999. C. D.), e quo non pauca mutuatum esse Virgilium suspicor." *Heyn.* Praeterea de eo (qui nunc vocatur *Tschatirgha Su*) cf. Stephan. Byz. p. 122. Ptolem. V, 1. Plin. V, 32, 40. et praeterea liber meus geogr. II. p. 379. — *et flumina tranant.* Cf. Lucr. I, 14. *Inde ferae pecudes persultant pabula laeta Et rapidos tranant amnes.* — 272. *vere calor redit ossibus,* ut contra Aen. III, 308. *calor ossa reliquit.* Ceterum cf., quae supra II, 323 sqq. de vere legimus. — *ossibus,* h. e. medullae ossibus inclusae, quae sedes caloris habebatur. Vid. adnott. ad Aen. II, 120. — 273. *Ore,* quia distributive loquitur poëta, ut etiam infra Geo. IV, 201. Paullo aliter se habent loci, quales sunt Hor. Od. II, 19, 31. Tibull. I, 3, 71. IV, 1, 71. et similes, ubi vere *ore* pro *oribus.* — *in Zephyrum.* Rom. et alii libri exhibent *ad Zephyrum.* Scilicet plane omissa fuerat in Medic. Praepositio, deinde pro arbitrio suppleta et ex eo in alios libros translata: *in Z.* autem testatur Philarg. Cf. Wagn. ad h. l. et in Qu. Virg. VIII, 3. a. Ceterum de utraque Praepositione huic Verbo adiuncta cf. Drakenb. ad Liv. IX, 2, 15., iam a Burm. laud. — 274. „Res vulgata, veteres credidisse, *ἐξανεμοῦσθαι,* vento gravidas reddi posse equas. Praeter Cretam (v. Aristot. Hist. Anim. VI, 18.) in Lusitania circa Olyssiponem (cf. Varr. R. R. II, 1, 19.) Favonio seu Zephyro flante id potissimum contingere, existimatum est, quia aestuantes amore equas versus oceanum currentes Zephyrum hiante ore excipere videbant. Vide imprimis Colum. VI, 27, 3 sqq., ubi totus hic locus adscribitur. Res iam Homeri aetate nota. Vid. Il. XVI, 150. 151. Apud eundem ex Borea suscepti equi Il. XX, 222 sqq." *Heyn.* — 276. *Saxa per.* De Praepositione Casui suo postposita vid. adnott. ad Geo. I, 161. — *depressas convallis.* Spondaicus exitus hic, ubi de celeri fuga sermo est, imprimis cum etiam duo spondei praecedant, paullo durior censendus. Cf. tamen v. c. Aen. VII, 634. Ovid. Met. I, 117. Catull. LXVIII, 87. etc. Voss. et hic artem Vergilii admirans comparat Hom. Il. IV, 74. et X, 359., ubi spondaici numeri pariter celerem et sine impedimento continuatum motum indicent. Ribbeck. cum Plotio de metris p. 251. Gaisf. scripsit *convalleis.* — 277—279. *diffugiunt* dispersae, non certum locum habentes, quo deferantur. Cf. Iahn. ad Geo. II, 8. p. 404. ed. II. — „*non Eure, tuos.* Cum ex Zephyri afflatu conceperunt, diffugiunt et discursant in Boream Caurumque et Austrum, non autem ad ortum. Illustratur hoc Aristotelis verbis l. l.: *θέουσι δὲ οὔτε πρὸς ἕω, οὔτε πρὸς δυσμάς, ἀλλὰ πρὸς ἄρκτον ἢ νότον·* Differt tantum philosophus a poëta in hoc, quod occidentem simul excludit." *Heyn.* Cf. etiam, quae Conington de h. l. disputat, certam tamen sententiam non proferens. De *Euro* vid. adnott. ad Geo. I, 371. — „*Caurus* seu *Corus* [noster *Nordwest*] hic septemtrionalibus ventis adnumeratur; *flat ab occasu solstitiali et occidentali latere septemtrioni, a Graecis dictus Argestes, ex frigidissimis et ipse,* Plin. XVIII, 34, 77." *Heyn.* Cf. etiam infra v. 356. Aen. V, 126. Caes. B. G. V, 7. Gellius II, 22. al. et liber meus geogr. I. p. 614. Ceterum Serv. „*Caurum* pro *Corum,*

In Borean Caurumque, aut unde nigerrimus Auster
Nascitur et pluvio contristat frigore caelum.
Hic demum, hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum destillat ab inguine virus,
Hippomanes, quod saepe malae legere novercae
Miscueruntque herbas et non innoxia verba.
Sed fugit interea, fugit inreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore.

---

sicut *saurex* pro *sorex*, *caulis* pro *colis*" dici docet. Cf. etiam Schneideri Gr. L. I, 1. p. 58 sqq. Fluctuat librorum scriptura inter *Corus* et *Caurus* apud Plin. II, 47, 46. Senec. N. Q. V, 16. Veget. R. Mil. IV, 38. et alibi. — *nigerrimus Auster*, caelum nubibus obscurans; vid. ad Geo. I, 460., de Austro ipso autem ad Geo. I, 462. Cf. etiam Aen. V, 696. *imber - - densis nigerrimus Austris* et Avien. descr. 834. *duo nigri partibus Austri Curvantur.* — 279. *„pluvium frigus*, quod *Austro* tribuitur, molestias creat Interpp. Enimvero notum satis est, poëtico sermone *hiemem* et *frigus* simpliciter de pluvio tempore dici [quia omnis pluvia refrigerat aërem]. Itaque et *frigidus Auster* Geo. IV, 261., qui *humidus Auster* Geo. I, 462." Haec *Heyn.*, recte simul reiiciens unius Cod. Rom. (et Schol. Bern.: cf. Ribbeck. Proleg. p. 197.) lectionem *pluvio sidere*, cum hic de Austri vi et effectu agatur, qui contristet *frigore*, *hieme*, *pluvia*, non vero *sidere*. (De permutatis voc. *frigus* et *sidus* cf. Burm. ad Ovid. Met. V, 281. et Heins. ad Claud. XXVIII, 444.) Ceterum hic versus Aen. X, 275. ex parte sic iteratur: *Nascitur et laevo contristat lumine caelum.* — 280. *Hic demum* i. q. tum demum, si equae a Borea et Cauro afflantur. Cf. Hand. Tursell. II. p. 255. Wagn. in edit. min. adnotat, *demum* hic vim restrictivam habere, cum hippomanes vero et proprio nomine vocatum distinguatur ab alia re improprie eodem nomine appellata (vid. infra.) Voss. ex paucis Codd. et Philarg. recepit *Hinc.* — *„hippomanes*, humor ex equae, ubi Veneris stimulis incaluit, locis eliquatus, quo philtro usae sunt veneficae; *vero quod nomine dicunt*, proprie, quia scilicet eo nomine appellatur etiam caruncula nigra, fronti pulli recens editi innasci et ab equa enixa statim devorari credita. Vid. Plin. VIII, 42, 66. cf. Aen. IV, 515. 516.; etiam herba aliqua Theocrit. II, 48. 49. Cum nostro loco cf. Tibull. II, 4, 58. Prop. IV [V], 5, 18. Respicit ad eum Plin. XXVIII, 80." *Heyn.* — 281. *destillat.* Sic meliores libri omnes: alii perperam *distillat*. Eadem varietas ap. Lucan. VIII, 177., ubi vid. Cort. — 282. *malae novercae*, i. q. supra Geo. II, 128. (ubi sequentem versum haud dubie ab alia manu adiectum iam legimus) *saevae*. Wagn. poëtam hic maxime de Phaedrae in Hippolytum amore cogitasse suspicatur. — *quod legerunt - - Miscueruntque* (pro *et cui miscuerunt*) *- - verba* eadem ratione dictum, qua Aen. III, 381 sq. *Italiam, quam tu iam vere propinquam Vicinosque - - portus* pro: et *cuius* portus etc., cum haud raro Pronomen relativum post Copulam alio Casu sit repetendum. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXXIV, 4. et adnot. nostra ad Ecl. VIII, 3. Alia est Ameisii Spic. p. 32. et Ladewigii sententia, qui in eiusmodi locis eundem inveniunt transitum a relativa constructione ad demonstrativam, de qua diximus ad Geo. I, 230., ideoque hic potius supplent Pron. ei. De correptione terminationis *- - erunt* cf. adnott. ad Ecl. V, 61. — *non innoxia verba;* carmina magica. Cf. Ecl. VIII, 67 sqq. et adnott. ad Geo. II, 128. Repetuntur haec verba ab imitatore Vergilii in Anth. Lat. Burm. I, 178, 54. (de cuius Medea, centone Vergiliano, nuper singularem Diss. scripsit Car. Regel in Progr. gymn. Cellensis a. 1866., quod iam supra ad Ecl. III, 78. commemorare debebam.) — 284. „Transitus a cura armentorum ad curam ovium et caprarum — ad v. 403. Dum omnia haec, inquit, de armentorum cura sigillatim pertractamus, singula perlustramus, capti harum rerum studio, *amore*." *Heyn.* Ladewigio haec verba respicere videntur consilium supra v. 46—48. significatum. — *inreparabile tempus* redit Aen. X, 467. Sic ap. Senec. Ep. 123. med. *irreparabilis vita* et Colum. XI, 1, 29. *Temporis fuga irreparabilis.* — *dum capti amore* (ex ipsius rei

Hoc satis armentis; superat pars altera curae,
Lanigeros agitare greges hirtasque capellas.
Hic labor, hinc laudem fortes sperate coloni.
Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam sit, et angustis hunc addere rebus honorem;
Sed me Parnasi deserta per ardua dulcis
Raptat amor; iuvat ire iugis, qua nulla priorum
Castaliam molli devertitur orbita clivo.

---

iucunditate prodeunte) *singula circumvectamur*, i. e. speciatim omnia describimus. Imago a cursu maritimo petita. Cf. adnott. ad Geo. I, 41. et II, 40. — *capti amore*, ut Ecl. VI, 10. Ceterum Peerlk. p. 252 sq. hos quatuor vv. 282—85. tamquam spurios vult deletos. — 286. *Hoc satis* (sit) *armentis;* his contenta sint armenta, haec sufficiant de armentis, quibus etiam equi includuntur, ut Aen. III, 540. et XI, 494. — *superat*, i. q. superest. Cf. not. ad Ecl. IX, 27. — *agitare greges* non solum est pascere, curare, ut Heyn. interpretatur, sed operam impendere cultui gregum describendo, nam *agitare rem* significat cogitare de re eique operam dare. Sic v. c. ap. Tac. Germ. c. 26. *agitare fenus.* — *lanigeros greges*, ex Lucr. II, 318. 661. V, 864. Cf. etiam Aen. III, 642. 660. Attius apud Cic. Div. I, 22, 44. Ovid. Met. VII, 312. Phaedr. I, 1, 6. etc. — 288. Cura pecudum vobis imprimis cordi sit; ex opera iis navata *laudem* boni et prudentis patrisfamilias certissime sperare potes. *Hic labor:* in hoc opera vestra sit posita. — *fortes* h. l. ornat, sed non abundat; idem est quod strenui, industrii, laboriosi. Sic Hor. Serm. II, 2, 115. *fortis colonus* et Epist. II, 1, 139. *fortes agricolae.* Peerlk. p. 254. hanc protulit coniecturam: *hinc laudem fortis sperare coloni*, quam Ladew. adeo in contextum recepit, cum poëta iis, quae ad se pertineant, minus apte inserat hanc colonorum allocutionem. Sed quamquam proba est constructio *Labor* (i. e. difficillimum) *est, hinc laudem sperare* (ut Aen. VI, 126. legimus *Sed revocare gradum* etc., *Hoc opus, hic labor est*), nonne tum sequentia continent aliquam tautologiam? — 289—293. „Satis quidem novi, quam difficile sit, haec poëtica oratione commode eloqui, et res tam tenues pro dignitate carminis satis exornate commemorare. Sed studium huius rei abripit me ad hoc carmen pertexendum, et inflammat me haec ipsa cogitatio, quod in materia versor, a nullo adhuc e Romanis poëta tractata. Ceterum manifestum est, poëtam hic vestigia pressisse Lucretii I, 921—929. et V, 98 sqq., Nostro autem haec eadem sublegit Manil. III, 25—30 sqq. et locum respexit Plin. XIX, 419. extr." *Heyn.* Adde Lucr. V, 734. *Difficile est ratione docere et vincere verbis.* — *Nec sum animi dubius*, ut apud Lucr. I, 137. in simillimo loco: *Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta Difficile illustrare Latinis versibus esse*, quem locum iam Macrob. VI, 2. in. cum nostro comparat. Ceterum cf. etiam Aen. IV, 96. et adnott. ad Geo. IV, 491. — „*vincimus* ardua et difficilia; h. l. ea, quae tenuia et exilia sunt, ut in carmine vix placere possint, vincit poëta ornando verbis ornantibus et tropis." *Heyn.* — 290. *hunc addere rebus honorem*, hunc verborum ornatum, qui a poëta requiritur, vel potius, ut Ameis. Spic. p. 32 sq. explicat: „exiguas res ad tantum honorem efferre, ut vere poëtica oratione describantur." Burm., cum quo consentit Wakef. ad Lucr. I, 921., malit *hinc:* ex verbis honorem addere rebus, et Peerlk. p. 255. *nunc*, quod languet. Immo contra Codd. nihil mutandum. — *Parnasi deserta*, quia ante Vergilium nullus poëta has res carmine exposuit. De Parnasso vid. adnott. ad Ecl. VI, 29. — 293. *Castaliam*, scil. *χρήνην*. De celeberrimo *Castalio* fonte, e Parnassi radicibus prorumpente, cf. Strab. IX. p. 418. Paus. X, 8. et omnes fere poëtas, ut Ovid. Met. III, 14. Am. I, 16, 35. Senec. Oed. 229. etc. et librum meum geogr. III. p. 859 sq., de omissa autem Praep. *ad*, quae ad Geo. I, 134. Aen. I, 679. et alibi adnotavimus. — *molli clivo*, leniter adsurgente, ut facilis adscensus et descensus sit. Cf. Ecl. IX, 8. Respicit autem hic Lucretii I, 925. *Avia Pieridum peragro loca nullius ante Trita solo; iuvat integros accedere fontes - - - Insignem-*

Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.
Incipiens stabulis edico in mollibus herbam
Carpere ovis, dum mox frondosa reducitur aestas,
Et multa duram stipula filicumque maniplis
Sternere subter humum, glacies ne frigida laedat
Molle pecus scabiemque ferat turpisque podagras.
Post hinc digressus iubeo frondentia capris
Arbuta sufficere et fluvios praebere recentis
Et stabula a ventis hiberno opponere soli
Ad medium conversa diem, cum frigidus olim

---

que meo capiti petere inde coronam, Unde prius nulli velarint tempora Musae. — *devertitur*, deflectit, ducit ad Castalium fontem. Sic autem, non *divertitur*, quod praebent aliquot Codd., scribendum esse, iam Burm. docet. Cf. idem ad Petron. c. 10. Heins. ad Ovid. Am. II, 6, 9. Drak. ad Liv. XLIV, 43, 2. Ruhnk. ad Ter. Eun. IV, 2, 7. Bötticher. Lexic. Tacit. p. 155. aliique. — **294**. Rem admodum difficilem (cf. v. 289 sq.) exorsurus, Palis auxilium invocat poëta. Cf. similes loci Aen. VII, 37. 641. etc. — „*veneranda Pales*, ut *sancta dea*. Videtur tamen ad religiones pertinere. Nam etiam *cana Pales* apud Statium Theb. VI, 111., *grandaeva Pales* [Calp. Ecl. VIII, 68.]" *Heyn.* Vid. etiam Ecl. V, 35. ibique adnott. — „*magno ore sonandum*, quod rebus tenuibus carmine suo dignitatem addere constituit. v. 289 sq." *Heyn.* Cf. autem Hor. Serm. I, 4, 43. *os magna sonaturum*, ubi fortasse hic locus respicitur. — **295** sqq. Per hiemem in stabulis tenendas et alendas esse docet oves et capras. — *Incipiens*, ἀρχόμενος, i. q. *Principio*. Respondet ei v. 300. *Post hinc digressus*, h. e. deinde vero. — *edico*, Palis nomine. Cf. etiam infra v. 300. et adnott. ad v. 329. Cum Infin. verbum eadem ratione construitur Aen. XI, 463. *armari Volscorum edice maniplis.* — „*stabula mollia* explicat v. 297. 298. De substernendae autem frondis diligenti cura vide Cat. R. R. 7, 7. Varr. II, 2, 7. 8. Colum. VII, 3, 8. Adde Calpurn. Ecl. V, 116 sq.; locum e nostro adumbratum. — *carpere herbam*, sc. in praesepi appositam, h. e. ali; (quae autem eae herbae seu pabula sint, vide apud Colum. VII, 3, 21. 22. et 4, 2. cf. Calpurn. Ecl. V, 98—130." *Heyn.* Cf. Aen. IX, 353. *Carpunt gramen equi*, et vide infra ad v. 325. adnott. — „*dum mox frondosa reducitur aestas;* non vernum tempus, quo educi possunt in prata tantum vicina et campos, sed aestatem memorat, cum caeli constantia ea est, ut in silvis et saltibus sub dio agere possint. Calpurn, V, 44—52." *Heyn.* De Part. *dum* (nostro *bis*) cf. adnott. ad Ecl. IX, 23. — **297**. De virgultis ovibus substernendis cf. Cato 5, 7. Varr. II, 2, 8. et Colum. VII, 3, 8. — De *filice*, vid. ad Geo. II, 189. „Substerni iubet *in humo stramina*, ut adversus gelu defendantur; pro hoc dixit: substernere *humum stipula*." *Heyn. Sternere* enim est etiam i. q. obtegere. Aen. IX, 666. Hor. Od. III, 17, 9. Val. Fl. V, 175. etc. Ceterum videtur hunc locum respexisse Calpurn. V, 116. *Praecipue gelidum stipulis et fronde caduca Sterne solum.* — Ribbeck. scripsit *supter*. Cf. adnott. ad Ecl. X, 4. — **299**. *molle pecus*. Vid. supra ad v. 204. — „*turpem podagram*. Videtur *clavum* significare, morbi genus, cum tubercula in ungulae discrimine nascuntur. Vid. Colum. VII, 5, 11.; reddit autem pedes *turpes*, deformes tuberibus et nodis." *Heyn.* — **300**. Etiam caprarum cura est habenda; ac primum per hiemem. *Post hinc digressus.* Vid. ad v. 295. — *Arbuta* (vid. Ecl. III, 82. et Hor. Od. I, 17, 5 sqq.) *frondentia* pro *frondibus arbuti*. Cf. infra v. 320. *virgea pabula.* — **301**. *fluvios recentes*, i. e. aquam vivam. Cf. supra ad v. 126. adnott. — **302—304**. „Colum. VII, 3, 8. de ovibus: *humilia facere stabula - - ut simul hieme calida sint - - ea poni debent contra medium diem: namque id pecus, quamvis ex omnibus animalibus vestitissimum, frigoris tamen impatientissimum est:* et de capris VII, 6, 5. *huic pecudi nocet aestus, sed magis frigus.* Aliter tamen Varro de R. R. II. 2, 7. *stabula* (ovium) *loco idoneo ut sint; ne ventosa, quae spectent magis ad orientem, quam ad meridianum tempus:* et de capris c. 3,

Iam cadit extremoque inrorat Aquarius anno.
Haec quoque non cura nobis leviore tuendae,
Nec minor usus erit, quamvis Milasia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores:

---

6. *stabulatur pecus melius, ad hibernos exortus si spectat, quod est alsiosum.* Cf. Geopon. XVIII, 9. — *a ventis*, h. e. aversa a ventis, imprimis aquilone. Cf. infra v. 318." *Heyn.* Sic etiam ap. Grat. Cyneg. 422. *a vento* pro aversi a vento. — *hiberno soli opponuntur* eo ipso, quod *sunt ad meridiem conversa.* Voss. ex uno Arundel. *dum* recepit, quod etiam Iahnio necessarium videtur, nisi Puncto post *diem* posito reliqua sic distinguantur: *Cum frigidus - - anno; Hae quoque - - tuendae.* Sed nulla prorsus causa apparet, cur reliquorum omnium Codd. lectionem et vulgarem loci distinctionem deseramus: neque donec Aquarius cadat (ut Voss. locum capit), sed eo ipso tempore, quo cadat, haec omnia facienda dicit Vergilius. De verbis *cum - - olim Iam* cf. supra II, 403. ibique adnott. — **304.** *Aquarius* (Ὑδροχόος), undecimum Zodiaci signum, in quod sol mense Ianuario ingreditur, occidit medio Februario, quod tempus hic *extremum annum*, i. e. extremam anni partem, vocat poëta, quia rustico annus rerum naturae convenientius a verno tempore initium habet, quo operis rustici nova fiunt exordia, (quod iam Heyn. docuit). Cf. Geo. I, 64. et Tibull. III, 1, 1 sqq. Poëta autem satis habet extremam hiemis partem significare, quo appareat, curam illam per totam hiemem esse adhibendam. — **305.** *Haec* (caprae) *- - - tuendae* ex Rom. et fragm. Vat. (cf. etiam Ribbeckii Var. lectio, unde concludendum, etiam Bern. b. a m. sec. exhibere *haec - - tuendae*, et Philarg.: „legitur et *haec*") cum Ribbeckio et Coningtone recepimus, ut sit antiquior forma Nom. Plur. femin. generis, quam ap. Lucr. III, 600. (*haec*, mens et anima, *ipso cum corpore conlabefiunt:* cf. Lachm. ad VI, 456. p. 372.), Ter. Andr. IV, 1, 32. (*haec nuptiae*), Cic. Tusc. I, 11, 22. (*haec sententiae*), ibid. III, 34, 84. (*haec sunt illae fibrae*), alibi optimi Codd. exhibent, cuiusque apud Verg. etiam alia vestigia inveniuntur. (Sic Aen. III, 167. Menag. 1. et Franc. et VII, 175. Rom. praebent *haec - sedes*, VI, 852. Pal. a m. pr. *haec - artes*, XII, 849. (*haec - - pestes*), quibus tamen in locis propter ceterorum omnium librorum consensum vulg. *hae* sollicitare non ausi sumus.) Cf. tamen Fleckeisen. in Mus. Rhen. VII. p. 271 sqq. Non mirum autem est, hanc formam minus cognitam (qua sane Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 373. Vergilium abstinuisse censet) librarios movisse, ut plurimi (inter quos etiam Med. et duo Bern.) *haec* (sc. stabula) *- - tuenda*, alii autem (inter quos Pal. et Gud. a m. pr.) *hae - - tuendae* scriberent. Ceteri recentiores editores *hae* servarunt. Wund. et ipse lectionem *Haec - - tuenda* defendens haec adiicit: „Ceterum hunc versum ad priora trahendum esse arbitratus plene post *tuenda* distinxi. Tum *nec* est: *Et*, si curam iis iustam impenderis, *non minor usus erit.*" Sed praestat vulgaris ratio, cum *cura* et *usus* aperte sibi respondeant, ut sententia ita procedat: caprae quoque magnam curam poscunt, sed eaedem non minorem afferunt utilitatem. — **306.** „Caprini generis cura non est negligenda, etsi ditiorem proventum ex ovibus esse negari nequit; est tamen etiam ex capris utilitas aliqua. *Milesiam lanam* memorat poëtarum more, quibus genus aliquod, et quidem praestantius fere, pro communi nomine ponendum est." *Heyn.* Cf. adnott. ad Ecl. I, 54. De Milesiorum lana mollissima et pretiosissima cf. Aristoph. Lys. 729. Ran. 541. ibique Scholl. Theocr. XV, 125. Athen. XII. p. 553. B. (Tom. IV. p. 555. Schweigh.) Strab. XII. p. 578. Colum. VII, 2. 3. Plin. VIII, 48, 73. Dorvill. ad Charit. p. 350. Valcken. ad Theocr. Adoniaz. p. 404. et Baer. ad Plut. Alcib. p. 194 sq. Ceterum *Milesia vellera* redeunt infra Geo. IV, 334. — „*magno mutentur*, permutentur, magno pretio emantur [vel potius *vendantur*. Cf. Colum. VII, 9. *lactens porcus aere mutandus est.* Ladew. putat, poëtam hac voce parum definita uti, quia et emptori et venditori magnum lanae pretium de lucro in ovibus faciendo persuadeat.] *vellera incocta Tyrios rubores*, pro incocta ruboribus, lanae coquendo tinctae purpureo colore." *Heyn.* De constructione vid. adnott. ad Ecl. I, 54. *Tyrius* (i. e. Phoenicius,

Densior hinc suboles, hinc largi copia lactis;
Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra,
Laeta magis pressis manabunt flumina mammis.
Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci saetasque comantis
Usum in castrorum et miseris velamina nautis.

---

haud raro a poëtis ponitur, ubi de purpura et purpureo colore sermo est; quod satis notum. Cf. v. c. supra v. 17. Hor. Ep. I, 6, 18. (ubi vid. Obbar.) Ovid. A. A. III, 170. id. Met. VI, 222. Tibull. I, 1, 63. id. I, 10, 70. Claud. XXI, 79. etc. Cf. etiam adnott. ad Ecl. IV, 44. et Geo. II, 506. — **308.** Heyn. conferri iubet Geopon. XVIII, 9. et Colum. VII, 6, 7. — *Hinc*, ex eo. Cf. adnott. ad Aen. II, 97. — **309.** *Quam magis* — (tam) *magis*, i. e. quo magis — eo magis, ut etiam Aen. VII, 788. Rom. aliique Codd. (et Schol. Bern.: cf. Ribbeck. Proleg. p. 197.) *Quo magis* ex interpretamento. Sic *quam magis — tam magis* etiam ap. Plaut. Bacch. V, 1, 5., *quam magis — tam* (omisso altero *magis*) ap. eund. Asin. I, 3, 6., *quam magis — tanto magis* ap. eund. Men. I, 1, 19. et Lucr. VI, 459., *quanto magis — tam magis* ap. eund. V, 453. Cf. imprimis Heins. ad h. l. De omissa autem Particula *tam* cf. v. c. Liv. XXXV, 49, 7. *Homo non, quam isti sunt, gloriosus.* id. XXVI, 31, 2., *sed non quid ego fecerim, in disquisitionem venit, quam quid isti pati debuerint* etc. Drakenb. ad Liv. II, 56, 9. Cortius ad Sall. Iug. 100, 4. et Beneck. ad Iustin. XII, 8, 14., rectius, quam ceteri, de hac re disserens. — Verba *spumaverit ubere mulctra* Calpurn. V, 33. sic imitatur: *tumidis spument tibi mulctra papillis.* — **310.** *laeta flumina*, i. e. larga copia lactis. De epitheto *laetus* vid. infra ad v. 320.; *flumen* autem poëtis pro magna rerum humidarum copia dici, res notissima. Ita Aen. I, 469. *largum* (lacrimarum) *flumen.* Lucr. II, 354. *sanguinis calidum flumen.* Cf. ibid. IV, 1029. et alii loci. Neque aliter Burm. intelligendum censet Ovid. Met. I, 111. *Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant*, quae verba Lactant. V, 5. falso de rivis lactis et vini intelligere videatur. Multi quidem Codd. (inter quos Pal. et Rom.) et Nonius p. 341, 3. praebent *manabunt ubera mammis*, quam lectionem etiam a Philarg. una cum altera commemoratam Oudend. ad Lucan. II, 497. aliique probarunt; sed cum *ubere* praecedat v. 309., altera lectio haud dubie praeferenda, etsi per se vox *uber* cum *mammis* iuncta non minus reprehendenda esset, quam *silvae nemorum, rivorum aquae* et similia. Ceterum de h. l. Stieberi Coniect. et opiniones in nonnullos P. Ovidii etc. locos (Erlang. 1786.) p. 6., conferri iubet Iahn. — V. **311—313.** fluxerunt e Varr. R. R. II, 11, 11. Cf. Calpurn. V, 67. 68.; locum expressit Silius III, 274 sq. — *incana menta* redeunt Aen. VI, 809. — *tondent*, sc. pastores, impersonaliter positum (*man pflegt zu scheeren*). Cf. adnott. ad Geo. II, 282. Schirach. p. 615 sq. ridicula fere ratione *tondent* intransitive positum habet pro deponunt, praebent in usum; Cerda, Ruaeus, Burm., alii *tondent* pro *tondentur* usurpatum censuerunt; Reisk. vero aut *tradent* aut *hircis*, ut ipsi *Cinyphii* Subiectum sint sententiae, aut denique *Cinyphiis hircis*, et Peerlk. p. 255. *ponent* coniecerunt, omnes scilicet *Cinyphii hirci* pro Nominativo habentes. Quidni vero sit Genitivus? an propter *barbas, menta, saetas* Plur. numero adiecta? Sed vide adnott. ad Ecl. IV, 40. Omnium minime placet Peerlk. coniectura, cum *barbam ponere*, alias non nisi de hominibus dictum, vix id significare possit, quod ille vult, et *incana menta ponunt* pro: quod in mentis incanum est, mire sit expressum. — *Cinyphii hirci.* De *Cinyphe* s. *Cinypho*, Libyae fluvio in regione Syrtica (nunc Tripolitana) inter utramque Syrtin in mare exeunte, qui etiamnum *Cinifo* s. *Wady Quaham* dicitur, cf. Herod. IV, 175. 198. Strab. XVII. p. 835. Mela I, 7. Plin. V, 4, 4. Silius II, 60. III, 275. et liber meus geogr. II. p. 835., de hircis autem villosissimis circa eum magna copia degentibus vid. imprimis Martialis, ubi VII, 95. *Cinyphius maritus* pro hirco, VIII, 51. *Cinyphius tonsor* pro hircorum tonsore, et XIV, 140. *Cinyphius sinus* pro pilis hircinis commemorantur. Ceterum cf. adnott. ad v. 306. 345. 405. — **313.** Cf. Geop. XVIII, 9. *ἡ δὲ θρὶξ τῶν αἰγῶν ἀναγκαία πρός τε σχοί-*

Pascuntur vero silvas et summa Lycaei
Horrentisque rubos et amantis ardua dumos;
Atque ipsae memores redeunt in tecta suosque
Ducunt et gravido superant vix ubere limen.
Ergo omni studio glaciem ventosque nivalis,
Quo minor est illis curae mortalis egestas,
Avertes victumque feres et virgea laetus
Pabula, nec tota claudes faenilia bruma.
At vero Zephyris cum laeta vocantibus aestas
In saltus utrumque gregem atque in pascua mittet,

νους καὶ σάκκους καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια καὶ εἰς ναυτικὰς ὑπηρεσίας, οὔτε κοπτόμενα ῥᾳδίως οὔτε σηπόμενα. Iam Serv. et Philarg. hic *Cilicia* respici viderunt, de quibus Ascon. Ped. p. 95. *Cilicia texta de pilis in castrorum usum atque nautarum*, quae secundum Celsum ap. Philarg. ad h. l. primum e Cilicia invecta erant. Intendebantur iis tentoria et plutei, nec minus milites et nautae iis velebantur, quare etiam ap. Avien. Or. mar. 220. legimus *castrorum in usum et nauticis velamina*. Cf. Cic. Verr. I, 38, 95. Varr. R. R. II, 11. extr. Liv. XXXVIII, 7. Colum. XII, 46. (48.) in. et Voss. ad h. l. De formula autem notissima *in usum* cf. Geo. IV, 295. (ubi prius *ad usus* edebatur) Aen. IV, 647. Cul. 391. Moret. 20. Burm. ad Lucan. VI, 561. Oudend. ad Suet. Dom. 7. not. 3. Duker in Opusc. de ICtorum Latin. p. 351. not. 10. (laud. ab Ungero de Valgio Rufo p. 279.) et Hand. Tursell. III. p. 323. — **314—321.** Addit poëta, facilem esse rationem alendi capras. — *Pascuntur silvas*, sc. *caprae*, quod e v. 300. supplendum. Cf. etiam v. 316. *ipsae*. *Pascuntur* autem (i. e. depascuntur), Graeca ratione cum Accusativo Obiecti constructum, redit infra IV, 181. de apibus. Cf. etiam quae supra ad v. 143. et infra ad v. 458. adnotavimus. — De *Lycaeo* vid. adnott. ad Ecl. X, 15., de *rubis* ad Ecl. III, 89., de *dumis* ad Ecl. I, 76. — *amantes ardua*, ut Geo. IV, 124. *amantes litora myrtos*. — **316.** *ipsae*, i. e. sua sponte. Cf. nott. ad Ecl. IV, 21. — *suosque ducunt* de fetibus, quos matres educunt et reducunt, cum Servio intelligendum. Ceterum Wagn. Qu. Virg. XIII., quae agit de caesura post primum pedem, p. 431. docet, spondeum in primo pede non admisisse Vergilium, nisi 1) trisyllabi vocabuli ultima elisa (ut Ecl. VII, 19. Geo. I, 14. Aen. III, 497.) 2) copula, quae necteret sententias, istum excipiente spondeum (ut hic, infra v. 375. IV, 40. 164. Aen. I, 433. V, 131. 807. VI, 213. VIII, 641. etc.) 3) Particula aliqua copulae loco repetita (Ecl. I, 24. VIII, 98.) 4) voce bisyllaba cum singulari vi posita, qua de re iam ad Ecl. V, 21. diximus. — **317.** *gravidum uber*, plenum et grave. Cf. Ovid. Trist. I, 2, 107. *gravidae nubes*. Sil. VI, 156. *gravidae venenis alvus* (serpentis). ibid. II, 220. *mellis apis gravidae*, coll. cum iis, quae supra ad Geo. I, 111. 319. et II, 5. adnotavimus. — **318.** „Eo magis frigus, cuius impatientissimum est hoc pecus, ab eo arcere stude, et hanc ei operam impende *tanto magis, quo minus* illud in ceteris omnibus rebus cura humana indiget.“ *Heyn.* — **319.** *est egestas* (egent) *curae mortalis*, i. e. hominum curae. Cf. Geo. I, 123. et 330. (ibique adnott.) Aen. II, 605. etc. — **320.** Cf. Calpurn. V, 96 sqq. 110 sqq. — **321.** Interdum etiam per hibernum tempus foenum iis apponendum. — *virgea pabula*. Cf. supra v. 301. *frondentia arbuta*. — *laetus* Heyn. de studio intelligit, si quis facit aliquid libenter et prompte; rectius vero Wagn., coll. v. 494 sq., ubi iunguntur laetae herbae et plena praesepia, et infra v. 394. *At cui lactis amor, cytisum lotosque frequentes Ipsa ferat*, per pinguis, largus, explicat, ut v. 385. — **321.** *bruma*. Vid. adnott. ad Geo. II, 317. — **322** sq. Haec quidem per hiemem: nunc transit auctor ad gregum curam per aestivum tempus. — *utrumque gregem*, et ovium et caprarum. — „V. **322.** legebatur: *At vero Zephyris cum laeta vocantibus aestas*: *In saltibus - - - mittes*. Ita vero dura esset verborum iunctura, cum supplendum esset: *cum laeta aestas* sc. erit. Obvium tamen est, duo versus 322. 323. esse protasin: *mittet* autem et leniorem

Luciferi primo cum sidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba.
Inde ubi quarta sitim caeli collegerit hora,
Et cantu querulae rumpent arbusta cicadae,
Ad puteos aut alta greges ad stagna iubebo

---

et elegantiorem orationem efficere; *aestas mittit*, qua incipiente mittuntur. Et *mittet* Medic. a m. pr. et libri apud Ursinum habere memorantur. Ceteri omnes cum editis *mittes*, prono lapsu. [Quod tamen receperunt Ribbeck. et Ladew., dum ceteri recentiores editores nobiscum consentiunt.] Itaque aestate redeunte, oves et caprae in pascua educuntor. Cf. Calpurn. Ecl. V, 16—23. — 324. Sequentia e Varr. R. R. II, 2, 10—12. Repetit versus Colum. VII, 2, 23.: sententiam vero cum verbis Pallad. XII, 13, 4 sqq., imitatione expressit Calpurn. Ecl. V, 51—65." *Heyn.* Adde eiusdem Ecl. VIII, 7 sqq. et V, 24., ubi, ut hic, legimus *greges in pascua mittere*. Voss. iam Homerum Od. IV, 85 sqq. de Nomadibus Libyae agere docet, praeterque ea comparat Silium II, 441 sqq. — *Carpamus rura*, scil. pedibus, carpamus viam per rura, grege illuc deducto, ut sup. v. 142. *carpere prata fuga*, ubi vid. adnott. Sic Heyn., Ladew. et Wagn. in edit. min. cum Ameisio in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 46.; alii (inter quos nosmet ipsi in prioribus editt. et Klotz. in Lex. suo) paullo artificiosius interpretantur: educamus greges, ut carpant herbas per rura, praeeunte Servio: „carpere cogamus capras," ut *rura* pro graminibus ruris posita sint, quemadmodum apud Stat. Theb. V, 528. *campus* pro satis et frugibus. Et sic sane locum nostrum intellexisse videtur Seneca Herc. fur. v. 139. sic canens: *Pastor gelida cana prima Grege dimisso pabula carpit.* Ceterum poëta se pastoribus adiungens, ut saepe, *carpamus* scribit pro: Vos, pastores, carpatis. Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 47., pastores et greges in unam notionem confundi ratus locum sic explicat: „cum gregibus procedamus per rura." — 325. Haupt. et Ribbeck. *novom.* Vid. adnott. ad Ecl. II, 22. — 326. Idem versus legitur iam Ecl. VIII, 15., ubi vid. quae de omisso verbo substantivo adnotata sunt. Imitatur eum Calp. Ecl. IX, 7, 8. De rore pecoribus utilissimo Voss. conferri iubet Colum. VII, 3. Pallad. XII, 13. et Geopon. XVIII, 2. Cf. etiam Calpurn. V, 52 sqq. — 327. Heyn. conferri iubet Palladium l. l. §. 4. *Quarta hora calescente potus puri fluminis aut putei praebeatur aut fontis. — ubi quarta hora* (i. e. nobis fere octava vel nona; Romani enim ab ortu solis numerabant horas, ut iis Plinio teste II, 75, 77. longissimus dies quindecim horas haberet), cui *caeli* adiungitur, quia temporis mensura pendet a solis per caelum decursu (cf. Geo. I, 335. *caeli menses* et IV, 100. *caeli tempore*), *sitim collegerit*, ubi aestu crescente animantibus sitis facta fuerit. Vid. Ovid. Met. V, 446. *Fessa labore sitim collegerat.* Heyn. confert Hor. Carm. IV, 12, 13. *Adduxere sitim tempora, Virgili.* — 328. „Praeivit Hesiod. Ἔργ. 582. 583. Scut. Herc. 393—395." *Heyn.* — *querulae cicadae.* Vid. adnott. ad Ecl. II, 12. et Geo. I, 378. Sic in Anth. Lat. Burm. III, 164, 1. *Corpore par querulis es, par clamore cicadis.* — „*rumpent* [personabunt] *arbusta*, sollemne de magno clamore aut strepitu. [Hic versus in Copa 27. sic iteratur: *Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae.* Cf. etiam Iuven. I, 12. *convulsa marmora clamant Semper et assiduo ruptae lectore columnae.*] Proprie rumpitur aër clamore per silvam; tum ipsa silva. — *Arbusta*, h. l. inter vites iugatas secundum Plin. IX, 27, 32., qui cicadas *nec in campis, nec in frigidis aut umbrosis nemoribus esse* ait." *Heyn.* Ita etiam Voss. De *arbusto* cf. adnott. ad Geo. II, 290. 299. et Müller Spicil. Animadvv. in Catull. p. 13. Ceterum cf. etiam similem locum Ecl. II, 13. *resonant arbusta cicadis.* — Iunge *currentem canalibus*, ut Geo. I, 132. *rivis currentia vina.* Pro plurimorum Codd. et Nonii p. 219. lectione *iubeto* Wakef. coni. *iubebo*, quod, donec mera coniectura erat, cum Iahnio ceterisque editoribus reiiciendum censui, nunc autem, cum sciam, etiam fragm. Vat. a m. pr. et Cod. Palat. esse lectionem, cum Ribbeckio et Coningtone in contextum

Currentem ilignis potare canalibus undam,
Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Iovis antiquo robore quercus
Ingentis tendat ramos, aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra;
Tum tenuis dare rursus aquas et pascere rursus
Solis ad occasum, cum frigidus aëra vesper
Temperat et saltus reficit iam roscida luna
Litoraque alcyonen resonant, acalanthida dumi.
Quid tibi pastores Libyae, quid pascua versu

---

recepi probe perspiciens, vulgarem lectionem quadrare quidem ad v. 312 sqq., neutiquam vero ad v. 335., ubi, si *iubebo* legimus, non opus est, ut Infin. *dare* et *pascere* pro Imperativis positos habeamus, quod prius statui, sed facilius construere possumus *iubebo* (pastores gregibus) *dare* etc. Etsi enim verum est, quod Iahn. docet, Vergilium in eiusmodi praeceptis fere semper Imperativum (Geo. II, 409. 412. 425. III, 65. 71. 96. 164. 206. IV, 90. etc.) vel Coniunctivum, raro autem Indicativum Futuri usurpare, hic tamen etiam supra v. 100. (*notabis*) et infra IV, 264. (*suadebo*), ut Ind. Praesentis *iubeo* supra v. 300. et *edico* supra v. 295. legitur. Cf. etiam Hor. A. P. 317. *Respicere exemplar vitae morumque iubebo Doctum imitatorem* etc. Heyn. comparat *suadebo* infra IV, 264. (Ceteri recentiores editores Imperativum retinuerunt.) — 330. *ilignis*. Haec Adiectivi forma pro altera *ligneus* praeter h. l. legitur etiam apud Ter. Ad. IV, 2, 46. *Lectulos ilignis pedibus faciundos*, ubi tamen Prisc. II, 8, 44. p. 587. P. legit *ligneis*. Nostro quoque loco Codd. variant; nihilominus utroque loco vulg. lectio non sollicitanda. Iligni autem Wagnero auctore sunt canales, ut vim solis perferre possint nec fatiscant, coll. Terent. Ad. IV, 2, 46., ubi aliquis lectulos, quibus in sole utatur, ilignis pedibus sibi faciendos curet. — 332. *Sicubi*. Cf. adnott. ad Ecl. VI, 57. Ribbek. ex Cod. Pal. edidit *Sicube*. Cf. adnott. ad Geo. I, 441. — *antiquo robore quercus*. Cf. Aen. IV, 441. *annoso - - robore quercum*. — *Iovis quercus*. Cf. adnott. ad Geo. II, 16. — 334. „*nemus accubet*, adstet, in propinquo situm sit, imprimis si in clivo sit, ut sup. v. 145. *saxea procubet umbra*.“ *Heyn.* Immo ab ipsa umbra verbum *cubandi*, *accubandi* hic transfertur ad res umbram praebentes, ut Wagn. docet. Ceterum cf. Aen. I, 165. — 335—338. „Tum poti greges iterum educendi et pascendi usque ad extremum vesperem. Cf. Calpurn. V, 60 sq. [et VIII, 86.] et supra laudatos.“ *Heyn.* — *tenues aquas*, ut infra IV, 410. et supra I, 92. *tenues pluviae*, ubi vid. adnott. Ulitius ad Grat. Cyneg. 393. haec perperam de tenui aquae copia explicat. De ipsa autem re cf. supra v. 330. — 336. Wagn. Vol. V. scripsit *occassum*. Vid. eius Orth. Verg. p. 496. et Ribbeck. Proleg. p. 444. — *vesper*. Wagnero iudice rectius cum Ald. 3. *Vesper* maiori litera; ut etiam proximo versu *Luna*. — *aëra temperat*. Cf. supra I, 110. (unda) *arentia temperat arva*. — 337. „*reficit roscida luna*, h. e. ros cadens noctu, dum luna lucet; sed adscriptus vulgari opinione lunae tamquam causae. Contra sideribus tribuitur ab aliis *Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus*, Pervig. Ven. 20. Ea ipsa de rore et nocturno humore observatio fecit haud dubie, ut Lunam Deam *γόνιμον*, almam rerum matrem, crederent.“ *Heyn.* — *Litora resonant alcyonen*, h. e. referunt cantum alcyones, memoratae iam Geo. I, 398. 99. Ribbeck. (quem Conington sequitur) Lachmanno suasore ad Lucr. III, 383. p. 165. edidit *alcyonem*, ut Bern. c. et Reg. scribunt. Sed vide Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 337. — *Acalanthis* pro eadem habetur cum *acanthide* seu *carduelí*, *Goldfink*. Cf. Heins. et Voss. ad h. l. et Titius ad Calpurn. VI, 7. (*ut vincat acanthida cornix*), ad quem l. Barth. conferri iubet Nicolaum Loënsem in Miscell. III, 26. Graecis quoque et *ἀκαλανθίς* et *ἀκανθίς* dicitur. Vid. imprimis Aelian. h. an. X, 32. praeterea Aristoph. Ach. 871. et Pac. 1078. Suidas, Hesych., Etym. M. v. *Ἀκαλανθίς*. — 339 sq. „In saltus et pascua educendos esse greges, dixerat a v. 332. Dum poëta undique ornatum car-

Prosequar et raris habitata mapalia tectis? 340
Saepe diem noctemque et totum ex ordine mensem
Pascitur itque pecus longa in deserta sine ullis
Hospitiis; tantum campi iacet. Omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque Laremque
Armaque Amyclaeumque canem Cressamque pharetram; 345
Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Iniusto sub fasce viam cum carpit et hosti

---

mini et gratiam ex varietate quaerit, ut ad hanc pascendarum ovium curam exemplo invitet, Afrorum nomadum morem memorat, qui per totam aestatem pecus in saltibus habent; at contra v. 349. in septemtrionalibus plagis semper in stabulis pecus continetur. — 340. *mapalia*, casae seu tuguria cannis ferulisve confecta in coni seu furni aut carinae speciem, sparsim solo fixa, seu plaustris imposita, *mobilia*, ut ex Sallustio Iug. 21. [18, 8.] notum." *Heyn.* Praeter Coningtonem ad h. l. (qui de his domiciliis Afrorum nostrae aetatis conferri iubet Shaw *Travels* p. 220 sqq. ed. a. 1757. et Hay *Western Barbary* p. 25.) vide imprimis Kritz. ad Sall. l. l., qui de forma Festum h. v. (Gramm. Lat. T. II. p. 169. Lindem.), de exstruendi modo Livium XXX, 3, 8., praeterea vero Tac. Ann. III, 74. ibique Ernest., IV, 25, 1. Hist. IV, 50. extr. Liv. XXIX, 31, 8. Plin. V, 3, 2. Lucan. IV, 684. conferri iubet. Forma tantum, non significatione differunt *măpalia* et *măgalia*, Aen. I, 421. — *raris habitata tectis*, quia ipsa sunt rara, utpote maximis intervallis dispersa, ideoque i. q. raras habitationes praebentia. Ameis. tamen p. 33. paullo artificiosius: „quorum vix singula tecta eminent, *bewohnte Hütten, von denen man nur hier und da ein Dach erblickt.*" Imitatur h. l. Sen. Troad. 836. *Olenos tectis habitata raris.* — 341. *ex ordine*, continenter, (*ununterbrochen fort*). Cf. Geo. IV, 507. Aen. I, 456. V, 773. VII, 139. 177. Ovid. Met. II, 109. XII, 211. XV, 733. etc. Praeiverat Luer. V, 419. *ex ordine ponam*, i. e. deinceps enarrem. Cf. Hand. Turs. II. p. 653. et adnott. ad Ecl. VII, 20. — 342. *longa deserta.* Vid. adnott. ad Geo. I, 393. — 343. *Hospitia* sunt certae sedes ac stabula, quo se recipiant. Cf. infra Geo. IV, 24. ibique adnott. et Pallad. V, 8, 2., ubi pariter de apum hospitiis sermo est. — *tantum campi iacet*, tam longe patent, porriguntur campi, quibus verbis accuratius describuntur superiora *longa deserta.* Ladew. (contra quem recte disputat Ameis. Spic. p. 33.) prorsus novam proponit explicationem: pecus tantum in campo (*auf freiem Felde*, quod potius esset *sub dio*) iacet, ut *campi* sit Casus locativus, quemadmodum Aen. XI, 87. XII, 130. 382.; quod etiam Conington iure reprobat. — *Omnia secum agit.* Conington confert Varr. R. R. II, 2. *in saltibus qui pascunt et a tectis longe absunt, portant secum crates aut retia, quibus cohortes in solitudine faciant, ceteraque utensilia.* — 344. Imitatur hunc locum, quem etiam Val. Fl. VI, 324—439. ante oculos habuit, Silius II, 441 sqq. — 345. „*Amyclaeum* (vid. v. 89.) *canem* et *Cressam*, s. Creticam, *pharetram* a praestantiore genere [vid. ad v. 306. et infra ad v. 405.] nominat. Alibi de Nomadibus Afris talia memorari non possent. Ita haerent Interpp. in Horat. Od. III, 26, 10. III, 19, 8." *Heyn.* De canibus Spartanis vid. supra ad v. 44. Ut hic *Cressa pharetra*, ita v. c. Prop. II, 1, 61. *Cressae herbae*, Ovid. A. A. I, 758. *Cressa corona* (Ariadnes) etc. Proprie *Cressa* est mulier Cretensis. Masculi enim generis forma *Cressus* nusquam invenitur; cognatum autem Adiect. *Cressius* legitur v. c. Aen. IV, 70. et VIII, 294. — 346. „Agit secum omnia Numida, ut Romanus miles, cum armatus incedit: hoc est *Romanus in armis*; adiectum *patriis*, pulchro epitheto, quod *patriam virtutem, disciplinam* in animum revocat. — 347. *iniusto sub fasce*, magno onere, [cui ferendo vires vix sufficiunt], ut Serv. iam explicuit. Cf. ad Geo. I, 145., ubi *labor inprobus.* [Quem tamen locum nos aliter interpretati sumus. Aptius contuleris Geo. I, 164. *iniquo pondere rastri* ibique adnott. et Cic. Or. 10. extr. *iniustum onus.*] Res est nota de Romano milite vel ex Cic. Tusc. Qu. II, 16., et laudatur Veget. I, 19. *Pondus quoque baiulare usque ad LX libras, et*

Ante exspectatum positis stat in agmine castris.
At non, qua Scythiae gentes Maeotiaque unda
Turbidus et torquens flaventis Hister harenas,
Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem.
Illic clausa tenent stabulis armenta, neque ullae
Aut herbae campo adparent aut arbore frondes;

ĭter facere gradu militari etc. Cf. Interpp. ad Tacit. Germ. 30." *Heyn.* — *cum carpit.* Nonius p. 312, 17. et Donat. ad Ter. Andr. I, 1, 9. *dum carpit* contra Vergilii Codd., quorum Vatic., quem sequitur Ribbeck., hic diserte exhibet formam *quom*, de qua vid. Wagn. Orth. Verg. p. 449. et Ribbeck. Proleg. p. 438. — 348. *Ante exspectatum*, antequam exspectetur, h. e. subito, repente. Vid. Ovid. Met. IV, 790. *Ante exspectatum tacuit tamen;* ibid. VIII, 5. *Ante exspectatum portus tenuere petitos.* Silius II, 31. *dabitur tibi copia nostri Ante exspectatum.* Sen. Ep. 114. *Verba ante exspectatum cadentia.* Eodem sensu ap. Vellei. III, 123. legitur *exspectato maturius* et ap. Silium XVI, 500. *non exspectato.* Cf. etiam Drakenb. ad Sil. l. l. et Burm. ad h. l. idemque ad Vellei. II, 123. Haupt., Ribbeck. et Coningt. scribere solent *expectare* etc. Sed vide Wagn. Orth. Verg. p. 436. Corssen. de pron. I. p. 124. et Ribbeck. ipsum Proleg. p. 445 sq. Additum *hosti* prius cum Wagn. Graeca constructione positum censui pro: ante quam *ab hoste* exspectatur; sed simplicior videtur Ladewigii et Coningtonis ratio, qui de Dativo ethico cogitant. — *„stat in agmine*, adstat agmine, ut *incedere, ire, sequi agmine.* Usitatiore modo diceres: *agmen stat.* Scilicet *agmen* ipse exercitus, dum incedit." *Heyn.* Ribbeck. Cod. Palat. secutus edidit *in agmina* (cf. eius Proleg. p. 310.) et Peerlk. p. 256., coll. Geo. II, 280. *campo stetit agmen aperto*, coniicit *oppositis stant agmina castris*, cum miles *in agmine* sit miles *in itinere* et in optimis Codd. legatur *stat agmine.* Sed quid vir doct. censet de locis Tac. Hist. I, 23. *In itinere, in agmine, in stationibus - - militem nomine vocare* et Val. Fl. VI, 452. *in agmine stare?* quos afferens Ladew. recte docet, *in agmine* esse i. q. *agmine instructo* et indicare milites ad quodque imperium exsequendum paratos. — *positis castris*, dum interea celeriter castra ponuntur. Nam cum agmen hosti se ostendit, a tergo vallum fit. — 349. Cum toto, qui sequitur, loco conferri potest Ovid. Met. XI, 592 sqq. — *At non* ita pascitur itque pecus etc. Debet itaque maior distinctio poni in fine versus 351." *Heyn. At non* enim haud raro elliptice ponitur, ut ex antecedentibus verbum temporis intelligendum sit: Cf. Geo. IV, 530. Aen. IV, 529. (atque etiam Wagn. Qu. Virg. p. 721.) — *Maeotia unda*, ut apud Val. Fl. IV, 720. *Maeotia aequora*, apud Plin. II, 67, 67. *Maeotia palus*, et IV, 12, 24. *Maeotius lacus* pro palude Maeotide, quae hic omnino septemtrionalibus inservit regionibus indicandis. Ita etiam Aen. VI, 800. *Maeotia tellus.* Val. Fl. VI, 38. *Maeotia pubes* etc. — 350. *turbidus* eo ipso, quod arenas flaventes *torquet*, secum volvit. Vid. supra v. 254. Ordo enim verborum hic est: *Et turbidus torquens.* Vid. adnott. ad Aen. VIII, 559. (supra ad Geo. I, 163. 320. etc.) — *Hister.* Vid. adnott. ad Geo. II, 497. — 351. *„redit porrecta*, pro: it, procedit, est porrecta, accipies. Vulgaris ratio erat *sita est, iacet* Scythia, palus Maeotis, Ister et Rhodope; sed ut *flectit se* de montibus dicimus, sic *redit* pro hoc ipso poni potuit. Similiter *vergit, tendit* mons ad septemtrionem." *Heyn.* Noli tamen putare *redire* idem significare posse, quod procedere. Immo *redire* hic respicere videtur curvum, inflexum montis tractum, qui, a meridie ad septemtrionem porrectus, inde semicirculum ducens meridiem versus redit (*sich herumzieht*). Servio propterea vocatur *gammoides* (γαμμοειδής) i. e. in formam literae Γ reflexus. Peerlk. tamen p. 257. audacter coni. *riget*, coll. Ovid. Met. IX, 150. Silio III, 480. (Ovid. ex P. II, 7, 72.) et Gronov. ad Sen. Oed. 475. Ceterum de ipsa *Rhodope* cf. adnott. ad Ecl. VI, 30. et de *axe* pro polo posita ad Geo. II, 271. *Thracia* vero, ubi Rhodope quaerenda, a posterioribus scriptoribus haud raro terris septemtrionalibus adiungitur. Cf. infra Geo. IV, 517. ibique adnott. Accuratius de hac re egit Voss. ad h. l. - - *„medium sub*

Sed iacet aggeribus niveis informis et alto
Terra gelu late septemque adsurgit in ulnas.
Semper hiemps, semper spirantes frigora Cauri.
Tum Sol pallentis haud umquam discutit umbras,
Nec cum invectus equis altum petit aethera, nec cum
Praecipitem Oceani rubro lavit aequore currum.
Concrescunt subitae currenti in flumine crustae
Undaque iam tergo ferratos sustinet orbis,
Puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris;
Aeraque dissiliunt volgo vestesque rigescunt

---

axem, [i. e. recta ad septemtrionem] sub polum, non ex geographica ratione poni, patet per se. — 354. *Sed iacet terra late, informis aggeribus niveis et alto gelu, septemque in ulnas ea adsurgit*, sc. his ipsis aggeribus nivis et alto gelu seu glacie. Poëtica ratione extulit, quod vulgare erat: *nix*, qua terra obducta est, *adsurgit in septem ulnas.*" *Heyn.* — Rectissime Wagn. Qu. Virg. XXXIV, 3. hunc locum inter eos refert, ubi alterum Verbum finitum per Copulam adiectum pro Participio est positum (vid. ad Ecl. VI, 20. VIII, 97. Geo. II, 56. 207. etc.), ut sensus sit: Terra iacet informis gelu adsurgente in altitudinem septem ulnarum. Poëtam vero ornatus causa hic et in seqq. rem nimis augere et in maius extollere, non est quod moneam. Ceterum ut hic Vergilius terram ob hiemem *informem* dicit, ita Hor. Od. II, 10, 15. *hiemes* ipsas *informes* vocat. — 356. *Cauri*. Vid. supra ad v. 278. *Cauri frigora* inveniuntur etiam ap. Grat. Cyneg. 420., ubi v. 296. *Caurinum frigus* legitur. — 357. *Tum* in descriptionibus ad res connectendas usurpari, docet Wund., coll. Tibull. I, 3, 71. Vid. imprimis Iahn. ad Ecl. III, 10. p. 373. ed. II. — *pallentes umbras*, dies illius temporis caliginosos. „*umbrae* sunt nebulae et caliginosum etiam interdiu caelum per maiorem anni partem. Tres hi versus ex Homero versi Odyss. XI, 15—19. Cf. Tibull. IV, 1, 65 sq. Val. Fl. III, 399. Ovid. Met. XI, 592." *Heyn.* Similiter Lucr. V, 640. de *gelidis frigoris umbris* loquitur. Voss. praeter Homeri l. l. confert Pind. Isthm. IV, 29. Diod. V, 25. 26. Lucan. IV, 103. Curt. VII, 3. — 358. *invectus equis*, curru, ut Homer. ἵπποις pro ἅρμασι. Cf. Nitzsch. ad Hom. Od. V, 371. Ruhnk. ad Ovid. Her. I, 46. Burm. ad Ovid. A. A. I, 214. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 7, 77. Vol. I. p. 391. — 359. „*rubro - - aequore* non proprio vocabulo, sed ornante, pro rubescente a sole, igneo. — 360. Ornatissimi versus de glacie, ex repentino gelu, [quibuscum cf. simillimus Ovidii locus Trist. III, 10. inprimis inde a v. 25.]. *Mollesque luti concrescere crustas* dixisse ante eum Lucretium VI, 626. notant Interpp. Idem *ferratos rotarum orbes* VI, 550." *Heyn.* Wund. conferri iubet Plinium Paneg. c. 12. *Danubius - - duratus glacie ingentia tergo bella transportat.* — 361. *orbes* pro rotis s. plaustrorum tympanis iam supra v. 173. legimus. — 362. *unda - - Puppibus illa* (de quo Pron. pleonastice adiecto vid. adnott. ad Aen. I, 3.) *- - hospita* etc.; quae antea naves hospitio quasi excepit, i. e. tulit (cf. Aen. III, 337. *hospita aequora*), nunc *plaustra* (vid. ad Geo. I, 163.) fert, sustinet: *patula* autem plaustra sunt ampla, lata, ut apud Ovid. Met. VIII, 676. *patula canistra*, apud Plin. XXXVI, 9, 14. §. 3. *patulae in latitudinem naves* etc. Recte enim Heyn. post Burm. aliosque *patulis* ad *plaustris* refert ex canone illo, alterum potius ornandum esse epitheto, quam nomen prius, unde maior orationis vis exsistat. Burm. *patula plaustra* de apertis, non tectis et constratis accipit. Alii, ut Wakef. ad Lucr. VI, 550., *patulis*, quod Commate a seqq. seiungunt, ad *puppes* referri malunt, (ut supra II. 445. legimus *pandas carinas*). Sed (quod iam Iahn. docuit) obstat Adverb. *prius*, quod cum oppositum sit voc. *nunc*, extremum locum tenere debet. — 363. „*Aera dissiliunt*, ut Geo. IV, 135. 136. *saxa gelu* rumpuntur. De aereis vasis e gelu ruptis fuit fama ex Eratosthene ap. Strab. II. p. 126." *Heyn.* *Aera* pro vasis et instrumentis aereis legimus etiam Aen. II, 734. et VI, 165. Cf. adnott. ad Aen. I, 593. — *volgo*. Cf. infra v. 494. et Aen. III, 643. ibique adnott. — *vestes rigescunt Indutae*, h. e. in

Indutae caeduntque securibus humida vina
Et totae solidam in glaciem vertere lacunae
Stiriaque inpexis induruit horrida barbis.
Interea toto non setius aëre ninguit:
Intereunt pecudes, stant circumfusa pruinis
Corpora magna boum, confertoque agmine cervi
Torpent mole nova et summis vix cornibus exstant.
Hos non inmissis canibus, non cassibus ullis

---

ipso corpore, invito (*trotz*) naturali cutis calore. — *caedunt securibus vina.* Cf. Plin. XIV, 21, 27. et Herodian. VI, 7. — **364.** „*humida vina*, h. e. alibi fluida. Non itaque otiosum epitheton, ut apud Quinctil. Inst. VIII, 6, 40. [immo, ut illud *indutae*, interpretandum: invita natura sua humida et liquida. Ceterum cf. Geo. IV, 363. *humida regna* et Aen. V, 594. *humida maria.*] Locum expressisse videtur Ovid. Trist. III, 10, 23. 24. [*Udaque consistunt, formam servantia testae, Vina, nec hausta meri, sed data frusta bibunt.*] Burm. laudat Statii Intpp. ad Theb. IV, 1. et Macrob. Sat. VII, 12. Vini usum in terris, quae cerevisia utebantur v. 379., non satis commode memorasse Maronem, alii viderunt." *Heyn.* Non tamen de vinis ibi natis, sed importatis sermonem esse patet. — **365.** *lacunae*, lacus et stagna. Wunderl., cui stagna post flumina concreta gelu (v. 360.) abundare videntur, pro *lacunae* potius *lagenae* vult legi, quod Bothius re vera edidit. Sed recte Iahn. docet, huic vel lectioni vel explicationi obstare verba addita *totae in glaciem vertere*, et gradatione in his usum esse Vergilium. *Lacuna* pro aquae collectione, stagno, lacu, legitur etiam supra Geo. I, 117., apud Lucr. VI, 551. Mart. IV, 4. et alibi; ut mare ipsum a Lucr. III, 1045. et V, 792. *salsae lacunae*, ab Auct. ad Herenn. IV, 10, 15. *Neptuniae lacunae* vocatur. Ribbeck. provocans. ad Lachmann. in Lucr. (III, 1031.) p. 205. et Ritschel. in Mus. Rhen. VIII. p. 494. cum Med. a m. pr. scripsit *lucunae*. Cf. eius Proleg. p. 430. — *vertere* pro: se vertere, i. e. solent se vertere. Vid. adnott. ad Geo. I, 49. (itemque ad Ecl. IV, 45. Geo. I, 333. Aen. I, 234.) — **366.** Cf. Ovid. Trist. III, 10, 21. *Saepe sonant moti glacie pendente capilli, Et nitet inducto candida barba gelu.* — *induruit.* Vid. adnott. ad Geo. I, 49. Cf. autem Aen. IV, 251. *glacie riget horrida barba.* Conington hunc versum cum antecedente sic cohaerere putat, ut sermo sit de barba eorum, qui ex illis lacunis biberint; quod tamen quomodo fieri potuerit totis illis in glaciem versis, non perspicio. Immo haec verba non arctius cum ceteris cohaerent, quam *vestes rigentes* cum aeribus dissilientibus et vinis securibus caesis. Ceterum Peerlk. p. 257 sqq. hunc locum ad arbitrium sic constituit, ut v. 262—64. tamquam spurios eiiceret, v. 366. autem post v. 382. transponeret; quod absonum esse docet Ribbeck. Proleg. p. 51., cum Subiectum *gens effrena* a Verbo suo *velatur* seiungi non possit immixta aliena sententia *Stiria - - - induruit.* Versus tamen 362. etiam huic viro doctiss. ut loquacior displicet. — **367.** *non setius* (vid. ad Geo. II, 277.) Heyn. explicat: non minus atque ante, coll. Geo. II, 277.; rectius vir. doct. in Seebodii Nov. Bibl. crit. T. VIII. Vol. II. p. 1192. (a Wagn. laud.): quam saevum frigus, tam multae nives. — *toto aëre ninguit*, est totus aër nive cadente repletus. — **368.** „*pruinis* pro nivibus. Videtur poëta h. l. certasse cum Homero Il. XII, 278—286. praeclaro loco. Accipe de repentinis nivibus per eos quoque dies, quibus pecudes stabulis emissae pascuntur." *Heyn.* Sed hoc contradicit iis, quae v. 352. legimus; quare cogita potius cum Ladew., Wagn. et Coningt. de bubus plaustro iunctis et subitis nivibus obrutis. Aliter tamen Ameis. Spic. p. 33 sq.: „nives per tenues rimas in ipsa stabula penetrant, quo facto pecudes gelu intereunt;" quod probari non potest, nivibus enim, quae per tenues rimas se insinuant, pecudes vix possunt interire, maiores autem fissuras pecuarii in stabulis suis non ferent. — **369.** *Corpora magna boum.* Cf. adnott. ad Aen. I, 193. Wagn. Vol. V. *bovum* edidit. Vid. adnott. ad v. 419. — **370.** *moles nova*, sc. nivis, Heynio et Coningtoni est insolens, Wagnero autem recens lapsa. Prior

Puniceaeve agitant pavidos formidine pinnae,
Sed frustra oppositum trudentis pectore montem
Comminus obtruncant ferro graviterque rudentis
Caedunt et magno laeti clamore reportant.
Ipsi in defossis specubus secura sub alta
Otia agunt terra congestaque robora totasque
Advolvere focis ulmos ignique dedere.
Hic noctem ludo ducunt et pocula laeti
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.

---

ratio mihi praeferenda videtur. Ceterum Heyn. recte docet, quod hic *molem* (nivis), idem v. 373. esse *montem*. — 373. „*formidinem* hic funiculum illum venatorum, plumis intextum, esse, quo [partem silvae circumcludente] cervi territi in retia aguntur, obvium est. Cf. Aen. XII, 750. IV, 121. et Sen. Hippol. 46. *picta rubenti linea penna vano cludat terrore feras.*" *Heyn.* Vid. etiam Lucan. IV, 437. et Sen. de ira II, 12. Accuratius de hac *formidine*, τῇ μηρίνθῳ Graecorum, agit Nemes. Cyn. 303 sqq. — 374. *rudentis*. Hoc verbum, quod proprie dicitur de asinis (Ovid. Fast. I, 433. VI, 342. A. A. III, 290. Pers. III, 9. Apul. Met. VII. p. 130. Elm.), interdum etiam ad alia animalia transfertur, ut hic ad cervos, Aen. VII, 16. ad leones, Claud. de Cons. Mall. Theod. 296. ad ursos. Praeterea cf. Aen. VIII, 248. et III, 561. — 375. „*magno l. cl. reportant*. Imitatus est hunc locum Silius XII, 253. *Galeam magno sociûm clamore reportans.* — 376. Vita populorum borealium declarata per ea, quae de Thracibus et Sarmatis narrari solebant, partim etiam de Germanis." *Heyn.* Cf. Xen. Anab. IV, 5, 25. Melam II, 1. et Tac. Germ. 16. — *Ipsi*, dum cetera rigent, ut recte Wagn. haec explicat Qu. Virg. XVIII, 2, 6. Cf. adnott. ad Geo. II, 527. — „*defossos specus* pro fossis dixit, ut in Cul. 273. *defossas domos* pro subterraneis. *Defodere* est proprie alte fodere, mox et fodiendo aliquid condere." *Heyn.* Plerumque de rebus dicitur, quae infodiuntur, ut supra Geo. II, 507.; interdum vero etiam de terra ipsa, quae alte effoditur, ut apud Hor. Sat. I, 1, 42.. *quid iuvat te pondus auri Furtim defossa timidum deponere terra.* — 377. *totas | que*. Vid. adnott. ad Geo. II, 69. 344. 443. et alibi. — 378. *advolvere*, advolvere solent, ut modo v. 365. *vertere*. — 379. *noctem*, tempus longae hiemis ob caliginem nocti simillimum. Cf. v. 357. 358. — *ludus* de omni genere hilaritatis, de cantu, saltu, alea etc. intelligendum. Vid. interpp. ad Val. Fl. I, 251., qui hunc locum imitatur; *ducunt* vero est transigunt, exigunt usque ad finem, ut Prop. V (IV), 6, 85. *noctem ducere carmine*, Aen. I, 748. et Ovid. Met. XII, 159. *noctem sermone trahere*, Aen. VI, 539. *flendo ducere horas.* Sic etiam *producere noctem alloquiis* apud Lucan. X, 173., *noctem producere vino* ap. Martial. II, 89. etc. et nostro loco simillime Stat. Theb. VIII, 220. *vario producunt sidera ludo.* Cf. imprimis Obbar. ad Hor. Ep. I, 5, 9 sqq. (ubi legitur *sermone tendere noctem*) Vol. I. p. 257. et quos ille laudat. Eodem sensu Aen. IV, 560. *ducere somnos.* — 380. „*pocula vitea*, vinum, [vid. Ecl. VIII, 28. ibique adnott. et Geo. I, 9.] *imitantur fermento*, hordeo seu frumento fermentato, h. e. cerevisia, *atque sorbis.* Franc. *froment;* notabilis locus, utpote de cerevisia e frumento cocta. Tac. Germ. 23. *Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus.*" *Heyn.* Cf. etiam Serv.: „Potionis genus est, quod cerevisia nominatur." Alibi *fermentum* esse ζύμην Graecorum, nostrum *Sauerteig*, satis notum. Cf. Plin. XVIII, 11, 26. De Gallorum et Germanorum cerevisia cf. Tac. Germ. 23. et Plin. XIV, 22, 29. et XXII, 25, 82. — *sorbis.* Agi videtur de vini genere nostro vino ex pomis parato simili. Cf. Pallad. II, 15, 4. *Item ex sorbis maturis, sicut ex piris, vinum fieri traditur et acetum.* et Plinius XIV, 16, 19. §. 3. Est autem *sorbus* nobis *Sperberbaum*, *Arlesbeere*. Cf. Plin. XV, 21, 23. Dioscor. I, 175. Theophr. h. pl. III, 12. Varr. R. R. I, 59, 3. Cat. R. R. 7, 5. Colum. V, 10, 19. XII, 16, 4. Pallad. II, 15, 1. 4. alios. Graecis ἡ ὄα, οἴη, οὔα, bacca τὸ ὄον, Gallis, Italis et Hispanis etiam nunc *Sorbe, Sorba*, (Gallis etiam *Cormier*) vocatur. Wagn.

Talis Hyperboreo Septem subiecta trioni
Gens effrena virum Rhipaeo tunditur Euro
Et pecudum fulvis velatur corpora saetis.
Si tibi lanitium curae, primum aspera silva
Lappaeque tribulique absint; fuge pabula laeta;
Continuoque greges villis lege mollibus albos.
Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,
Nigra subest udo tantum cui lingua palato,
Reice, ne maculis infuscet vellera pullis

---

in edit. min. *fermento atque sorbis* pro sorbis fermentatis positum putat; rectius autem Ameis. Spic. p. 34. et Ladew. de duplici genere potus videntur cogitare. — 381 sqq. „Ita agunt gentes boreales. *Septemtrio* seu *septem triones*, h. e. boves, quasi *teriones* a terendo dicti (vid. Var. L. L. VI, 4. VII, 74. et Gell. II, 21.), sidus, antiquis Graecis ἅμαξα appellatum, quia sub plaustri specie septem versus polum arcticum stellas repraesentabat; ut fortasse *septemtrio* sit *septem* stellarum *terio* seu currus. In plaustri locum mox ursa maior et minor, aut altera certe (Hom. Odyss. V, 273.) successit: vid. Arat. Phaenom. 27. et cf. Aen. I, 744." *Heyn.* — *Hyperboreo* (vid. supra v. 196.) — *Septem subiecta trioni.* Eadem tmesis invenitur apud Cic. N. D. II, 41, 105. (ex Arateis) *Stellae, Quas nostri Septem soliti vocitare triones*, et Ovidium Met. I, 64. *Scythiam Septemque triones.* — 382. *Gens effrenarum virorum*, h. e. immanium, ferorum. — *Eurum* hic pro quocumque vento dictum putat Heyn.; sed cum Eurus septemtrionalibus regionibus imprimis sit infestus, causa non patet, quidni eum proprie hic dictum capiamus. *Rhipaeus* vocatur a montibus Rhipaeis, de quibus vid. adnott. ad Geo. I, 240. et Voss. ad h. l. Ribbeck. etiam hic scripsit *Riphaeo.* — 383. *velatur* recte Heins. reposuit e Codd. Rom., Pal. et Gud., quibuscum facit Rufinian. p. 256. R.; ut hic notissimum illum habeamus graecismum *gens velatur corpora*, quemadmodum Aen. III, 545. *capita Phrygio velamur amictu*, VIII, 662. *scutis protecti corpora longis* etc. Cf. adnott. ad Ecl. I, 54. II, 3. et alibi. Wakef. ad Lucr. IV, 591. coni. *vallatur*, quod iam Naugerium in Ald. 3. exhibuisse docet Heyn. Plurimi Codd., inter quos Med., *velantur*, quam lectionem Cort. ad Lucan. IV, 267. non debebat defendere, cum vicinum Pluralem *corpora* librariis fraudem fecisse appareat. Ceterum *tunditur et velatur corpora* dictum pro: tunditur, velata habens corpora. Vide supra ad v. 354. De ipsa re Voss. conferri iubet Melam II, 2. Ovid. Trist. III, 10, 19 sq. Iustin. II, 2. Senec. ep. 90. Praeterea cf. quae supra ad v. 366. adnotavimus. — 384 sqq. Sequuntur praecepta de lanarum studio usque ad v. 393. Vid. Colum. VII, 3, 9. 4, 4. De *lappis et tribulis* cf. Geo. I, 153. *Lappaeque.* Vid. adnott. ad Ecl. IV, 51. — 385. *fuge pabula laeta.* Heyn. conferri iubet Colum. VII, 2, 3. *pretiosiores lanae habentur - - quae circa Parmam et Mutinam macris stabulantur campis.* Adde Philarg.: „Laeta pascua solocem lanam faciunt, h. e. minutam, duram atque hirsutam." De epitheto *laetus* vid. adnott. ad Geo. I, 1. Schrader. male coni. *pabula tetra.* — 386—389. „Ita omnes auctores R. R. post Democritum: Geop. XVIII, 6. Varr. R. R. II, 2, 4. Colum. VII, 2, 6. 3, 1. Pallad. VIII, 4, 2. Plin. VIII, 47, 72. Aristot. Hist. Anim. VI, 13. cf. Calpurn. Ecl. II, 36 sqq." *Heyn.* — — *Continuo.* Vid. ad Geo. I, 60. — *Illum*, scil. arietem, quod, ut saepe apud poëtas, ex relativa sententia (*quamvis aries* etc.) huc trahendum. Sic alibi Subiectum sequitur demum in secundaria sententia a Coniunctione aliqua pendente, velut Geo. IV, 33. *Ipsa autem, seu - - seu lento fuerint alvearia vimine texta, Angustos habeant aditus.* Aen. XII, 641. *Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens Adspiceret* etc. — 387. *ipse* totum arietem distinguit a singula eius parte, *lingua.* Cf. Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 467. (qui comparat Geo. IV, 542. et Aen. XII, 300 sqq.) et quae de simillimo huius Pronominis usu ad Geo. II, 297. adnotata vides. — 389. *Reice.* nunc edidimus pro vulg. *Reiice.* Vid. adnott. ad Ecl. III, 96. et VI,

Nascentum, plenoque alium circumspice campo.
Munere sic niveo lanae, si credere dignum est,
Pan deus Arcadiae captam te, Luna, fefellit
In nemora alta vocans; nec tu aspernata vocantem.
At cui lactis amor, cytisum lotosque frequentis
Ipse manu salsasque ferat praesepibus herbas.
Hinc et amant fluvios magis et magis ubera tendunt
Et salis occultum referunt in lacte saporem.
Multi iam excretos prohibent a matribus haedos

---

19. — **390**. *Nascentum.* Vid. adnott. ad Ecl. IV, 8. — *pleno* (pecudum pascentium) *campo* i. e. e toto grege, qui campum complet, *alium* (arietem) *circumspice*, (*explorans* quaere.) De Praepos. *in* omissa vid. adnott. ad Geo. I, 237. et al. — **391**. Fabula e Nicandro sumpta, qui Georgica et ipse scripserat. Vid. Macrob. Saturn. V, 22, 10. Pan, qui Lunae amore flagrabat, in arietem mutatus, nivei velleris pulchritudine amatam in nemorum recessus pellexit. Cf. etiam Philarg. ad h. l. et Ribbeck. Proleg. p. 146. — *munere* lanae niveae, h. e. pretio; nam *munus* (Wagnero docente) dicitur quidquid aptum est ad gratiam et amorem vel significandum (ut Geo. IV, 520.), vel conciliandum (ut h. l.). Voss. *munus* minus recte interpretatur *einnehmende Pracht*, coll. Prop. I, 2, 4., ubi *peregrina munera* sunt ornamenta. Aptius comparat Plaut. Poen. V, 4, 3. *munera meretricum*. — *si credere dignum* legitur etiam Aen. VI, 173. Ovid. Met. III, 311. Rutil. Itin. I, 255. et alibi. Cf. de hoc usu formulae *dignum* est (pro par est, fas est, decet, ut apud Graecos δίκαιος pro ἄξιος) Heins. ad Sil. III, 95. Rupert. ad Liv. I, 14, 3. et quos laudant Hand. ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 80. Bentl. ad Hor. Sat. II, 1, 85. et Gierig. ad Ovid. Fast. I, 401. — **392**. *Pan, deus Arcadiae.* Vid. Ecl. X, 26. — **394—403**. „Nunc de lactis studio. E Varrone II, 2, 19. cf. Pallad. XII, 13, 8. Geopon. XVII, 12. et 19." *Heyn.* De *cytiso* cf. adnott. ad Ecl. I, 78. *Lotus* autem hic non est arbor illa, de qua ad Geo. II, 84. diximus, sed ea herba pratensis, qua iam apud Homerum (Il. II, 776. XIV, 348. XXI, 251. etc.) pecora vescuntur, Trifolium melilotus officinalis *Linn.* (*Steinklee*). Cf. Dioscor. IV, 71. Theophr. h. pl. VII, 9. IV, 10. Plin. XXI, 9, 29. Pallad. XI, 14, 8. aliique. — **395**. *Ipse. Ille*, quod, cum in plurimis et bonis libris, etiam Rom. et Pal., legatur, praeferendum censet Heyn., in priore edit. etiam Iahn. commendaverat, qui tamen in edit. II. iure ad alteram lectionem reversus est, bene intelligens opponi rusticum ipsum capellis, hac loci sententia: qui lactis causa gregem alit, is non exspectet, ut pecudes sibi in pascuis salsas herbas conquirant, quibus sitis excitatur, sed eas ipse sua manu iis ferat. Paullo aliter Wagn. (qui etiam conf. in Qu. Virg. XVIII. p. 466.) Pronomen *ipse*, notandis rebus contrariis inservire putat. Nam cum auctor antea ei, cui lanitium curae sit, praeceperit ut laeta et larga pabula fugiat, nunc eum, qui lactis causa gregem alat, contrarium faciat iubere. Formulae autem *ipse manu*, i. e. mea, tua, sua manu (*mit eigner Hand*), Vergilio satis frequentata. Cf. Geo. IV, 329. Aen. II, 321. 645. III, 372. V, 241. 499. VII, 143. 620. XI, 74. — *salsas herbas* Voss. interpretatur herbas sale mixtas coll. Arist. h. an. VIII, 10. Colum. VII, 3. et Pallad. XII, 13. — **396**. *magis et magis* pro vulg. *magis ac magis* (quod librariis debetur satis nota illa formula *magis ac magis, magis atque magis* deceptis, qui etiam Geo. IV, 311. *ac* inter *magis magis* intruserunt) ex Medic. aliisque bonis Codd., inter quos etiam Rom. videtur esse, cum Wagn. revocavi. Apertum est enim, h. l. alterum *magis* ab altero per *et* seiungendum esse. Cf. etiam Hand. Turs. III. p. 565. — „*tendunt* (s. distendunt, distentant, ut alibi, v. c. Ecl. IX, 31.) *ubera* lacte. Nam pinguescunt oves potissimum ex potu. Notavit iam Arist. Hist. An. VIII, 10." *Heyn.* — **398**. Ut lactis maiorem copiam habeant, multi haedos non submittunt capellae, sed statim a matre depellunt subolem, quod vulgo post quartum demum mensem fieri solebat. — „*Multi* (eadem orationis forma Geo. I, 225. cf. 193.) *prohibent haedos a matribus* et *ex-*

Primaque ferratis praefigunt ora capistris.
Quod surgente die mulsere horisque diurnis,
Nocte premunt; quod iam tenebris et sole cadente,

---

cernunt, seu secernunt, amovent, hinc ornate *prohibent excretos*." *Heyn.* Servius *excretos* interpretatur validiores, duxitque adeo ab *excrescere*, in quo eum sequitur Ruddim. I. p. 229. not. 49. et II. p. 223. propter additum *iam;* sed recte cum Heyn. consentit Voss., nisi quod *iam*, ab Heynio minus recte pro *porro* acceptum, comparans supra v. 187. *iam depulsus* et similes locos, non melius explicat *statim* (postquam excreti sunt). Quae vox si nihil aliud sibi vellet, quam transitum parare (quae Wagneri est sententia, in min. tamen edit. paullo mutata sententia adnotantis: „significat novum hoc esse institutum, antea fuisse incognitum"), videtur in principio sententiae collocanda fuisse; quare potius cum Ameisio Spicil. p. 34. explices: postquam iam excreti sunt s. praeter illam secretionem etiam etc. Handio enim in Turs. III. p. 142 sq. coniungenti verba *multi iam*, quod pro *multi adeo* dictum sit, adsentiri non possum. Alia tamen est Brycei sententia, qui *excretos* explicat per positos, partos, (e matris corpore excretos, ut vox respondeat Angl. „*fallen*"), quae interpretatio per se minime spernenda, sed ante omnia aliis locis probantibus fulcienda, (nam Celsi II, 8. *venter excernit mollia* et similes non sufficiunt) requirit, ut *iam* pro *statim* positum habeamus, de quare cf. Wagn. Qu. Virg. XXIV. p. 614. Ribbeck. ex Palat. et Bern. b. recepit *Multi etiam*, quod Coningtoni probabile videtur. — *prohibent*, impediunt, quominus matres haedos ad se admittant. Ceterum Wagn. in edit. min. locum sic interpretatur: „Multi prohibent hoedos recens natos a lacte matrum ita, ut eos aut separent (*excretos*), aut capistrum ori praefigant," ut copula *que* vim habeat disiunctivam, de qua re diximus ad Geo. I, 442. Rectius autem Ameis. l. l., quem sequitur Ladew., *que* explicativam vim habere contendit. Est enim fere i. q. et propterea et locus sic explicandus: Quia interdum accidit, ut haedi iam a matribus secreti tamen lactis cupidi ad eas perrumpant, oribus eorum praefiguntur capistra, ne matres eos ad ubera admittant. — „*Capistra* περιστομίου genus aculeis insertis, quod non quidem os obturet, sed, si uberibus os admoveant, matrem pungat, eamque recalcitrare faciat." *Heyn.* Simile erat illud capitis vinculum, quod asinis et equis adhiberi solebat, quodque eodem *capistri* nomine vocant Varr. R. R. II, 6, 4. Ovid. Met. X, 125. aliique. Ceterum *ora praefigere capistris* per hypallagen dictum pro capistra praefigere oribus. Cf. adnott. ad Geo. I, 430. *prima* autem, loci, non temporis ratione habita rectius explicueris per extrema, quam (propter illa *iam excretos*) per primum. Etiam Binder convertit: *Vorn an das Maul anheftend ein eisenbeschlagenes Halfter.* — 400. *mulsere.* Hanc Perfecti formam, laudato hoc ipso loco et Ennii Ann. VII. (p. 72. Hessel.), alteri *mulxi* praefert Prisc. IX, 9, 50. p. 870. P. Cf. etiam Ruddim. I. p. 221. — 401. „*Nocte premunt*, h. e. inde figurant caseum [cf. adnott. ad Ecl. I, 34.]; quod autem lac vesperi mulsere, id aut mane in urbem vendendum mittunt, aut caseum inde faciunt, et quidem compactum et durabilem, ut contra priore loco v. 401. de caseo, qui recens consumitur, loqui videtur. Sic satis expedita res videtur." *Heyn.* Eadem est Wagneri sententia. Aliter tamen Schirach. p. 542.: „Lac matutinum non venditur, sed praeter id, quod die consumitur, vesperi in caseum premitur: lac vespertinum, illud demum divenditur mane in oppidis, aut praeparatur cibus in hiemem. At qua ratione? puto, ut in butyrum coagulent et ceteros huiusmodi cibos efficiant, quibus in hieme, cum lac deficit, aeque delectentur;" sed butyro Romani non nisi medicina utebantur (Plin. H. N. XXVIII, 11. 12. Cels. IV, 5, 18. Colum. VI, 12. extr.), quamquam eos non fugiebat, barbaros eo pro cibo uti (Plin. XXVIII, 9, 35. XI, 41, 96.) Cf. potius cum hoc loco Calpurn. V, 34. *rursusque premetur Mane, quod occiuuae mulsura redegerit horae*, unde patet etiam ex lacte vespertino caseos esse factos; quominus enim de recente lacte cogitemus, impedire videntur *calathi*, quamquam negari nequit, non satis claram esse discriminis a poëta factae causam. — *iam tenebris* opponi praecedentibus

Sub lucem exportant calathis — adit oppida pastor —
Aut parco sale contingunt hiemique reponunt.
Nec tibi cura canum fuerit postrema, sed una
Velocis Spartae catulos acremque Molossum
Pasce sero pingui. Numquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem incursusque luporum,
Aut inpacatos a tergo horrebis Hiberos.

---

surgente die, quisque videt. Cf. etiam Wagn. Qu. Virg. XXIV, 1. — **402.** Exportant *calathis* vimineis, vitilibus. Cf. Copae v. 16. Calpurn. Ecl. II, 77. IX, 34. Colum. VII, 8. a Voss. laud. De aliis calathis ad Ecl. V, 71. diximus. — *Exportant.* Wagn. (qui etiam conf. in Philol. Suppl. I. p. 374.) putans hunc Pluralem deberi praegresso *premunt*, et memor haud raro Partic. Praes. cum tertia Pers. Plur. Praes. confundi (velut Aen. I, 57. *tenent* Medic. a m. pr. pro *tenens;* III, 527. *stant* Med. pro *stans;* VIII, 43. *recubant* Med. a m. pr. pro *recubans;* X, 540. *superstant* Med. pro *superstans;* X, 696. *manent* Med. et Pierii Obl. pro *manens*) recepit Scaligeri (ad Catull. LXII.) coniecturam *exportans* (in quo eum sequuntur Ladew., Bryce, Haupt. et Ribbeck., dum Iahn. in edit. II., Ameis. Spicil. p. 35. et Conington mecum consentiunt.) Sed cum parallelismus membrorum, quem vocant, Pluralem requirere videatur, neque commode sibi opponantur: quod mane et medio die mulserunt, nocte premunt, quod vero vesperi (mulserunt, aut) exportans adit oppida pastor, aut - - hiemi reponunt, non video, cur omnium librorum lectionem (cui etiam patrocinantur Priscian. XIV, 50. Serv. ad Ecl. III, 5. et Geo. I, 67. Acron. ad Hor. Od. I, 25, 11. et Alcuin. Gramm. p. 2141. P., qui tantum scripturae mendo *exornant* exhibet) reiicere potius, quam, ea servata, verba *adit oppida pastor* explicationis causa per parenthesin adiecta habere malimus, quibus, ut alibi, recte dominus gregis et pastor distinguantur et quo caseos exportent rustici, accuratius indicetur. — **403.** Hic aliud casei genus, firmius et magis durabile commemorari videtur. — „*parco sale*, quia *et nimio sale imbui* potest. Cf. Colum. VII, 8, 5. ibid. §. 4. *caseus rursus torrido sale contingitur.*" *Heyn.* Cf. etiam Celsus de med. II, 24. in. *quae - - contacta sale modico sunt. Contingere* pro inficere redit infra v. 448. Cerda dubitat, utrum a *tango*, an a *tingo* deducendum sit; sed haud dubie praestat de *tangendi* verbo cogitare; quamquam verum est, haec duo verba saepissime confundi. (Vid. Burm. ad Ovid. Epist. XIX, 44. Fast. IV, 439. et Calpurn. Ecl. V, 54.) Wagn. Vol. V. et in edit. min. h. l. scripsit *continguunt*, cum Med. ubique exhibeat *tinguere*, quod verum esse ostendat etiam compositum verbum *distinguere*. Cf. eius Orth. Verg. p. 478. Ceteri recentiores editores praeter Haupt., qui edidit *continguont*, servarunt formam *contingunt*. — **404—13.** Locus de utilitate, quam canes pastoribus praestent. Heyn. confert Hesiod., qui praeiverat Ἔργ. 604. 605., Varr. II, 9. Col. VII, 12. et Plin. VIII, 11, 61 sq. Adde Nemes. Cyneg. 103 sqq. *Principio tibi cura canum non segnis ab anno Incipiat* cett. et Grat. Cyneg. 151. *prima illa canum, non ulla per artes Cura prior.* — **405.** „*Spartani canes* (qui v. 345. *Amyclaei*) *veloces*, imprimis sagacitate et odoratu praestantes, venationi, *Molossi* autem ex Epiro cum venationi tum gregum curae adhiberi soliti." *Heyn.* De canibus *Spartanis* vid. supra ad v. 44., de *Molossis* autem Aristot. h. an. IX, 1. Lucr. V, 1062. Hor. Sat. II, 6, 114. Prop. V (IV), 8, 24. Lucan. IV, 440. Mart. XII, 1. Grat. Cyneg. 107. alios. Utrosque, ut hic Verg., coniungunt etiam Hor. Epod. VI, 5. *Molossus, aut fulvus Lacon, Amica vis pastoribus*, et Nemes. Cyneg. 107. *Seu Lacedaemonio natam, seu rure Molosso, Non humili de gente canem* et 123. *sed non Spartanos tantum tantumve Molossos Pascendum catulos.* — **406.** *Pasce sero pingui.* Expresserunt h. l. Nemes. Cyneg. 159. et Gratius Cyneg. 307. Conington de sero canum pabulo Dioscor. II, 80. et Colum. VII, 12. conferri iubet. — **407.** „*stabulis furem - - horrebis.* Wund. confert Iuven. VI, 17. *timere furem pomis.* — **408.** „Eodem, quem saepe iam vidimus, poëtarum more communi, pro quocumque abigeo et praedone (qui Hesiodo ἡμεροκοιτος ἀνήρ l. c.) *Iberum* posuit, quia ea gens rapinis et

Saepe etiam cursu timidos agitabis onagros,
Et canibus leporem, canibus venabere dammas;
Saepe volutabris pulsos silvestribus apros
Latratu turbabis agens montisque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Disce et odoratam stabulis accendere cedrum
Galbaneoque agitare gravis nidore chelydros.

---

praedationibus infamis, imprimis cum nondum satis perdomita esset; hinc *inpacatos Iberos* appellat. Cf. Varr. R. R. I, 16, 2. et L. I. ff. de *abigeis.*" *Heyn.* *Iberi* autem hic non sunt Asiae illa gens ad Caucasum degens, sed Hispani, quorum antiquissimum nomen erat Iberes vel Iberi; quare fuerunt, qui eos eiusdem originis cum illis et ex Asia in Hispaniam immigrasse censerent. (Cf. liber meus geogr. III. p. 23. not. 73.) Cf. enim Varro l. l. *refert, infesta regio sit necne; multos enim agros egregios colere non expedit propter latrocinia vicinorum, ut in Sardinia - - et in Hispania prope Lusitaniam.* Ceterum *Iberos* potius ex Med. auctoritate scribendum, quem omnes recentiores editores iure sequuntur. Cf. etiam Phocas p. 1724., supra adnott. ad II, 497. Oudend. ad Lucan. II, 50. Wagn. Orth. Verg. p. 442. et Ribbeck. Proleg. p. 421. — *a tergo* pro in vicinia habitantibus dictum putat Heyn.; sed potius Italiae superioris s. Galliae Cisalpinae situs respicitur, cui Hispani omninoque occidentales populi *a tergo* habitare commode dici poterant. Wagn. tamen, fortasse rectius, in edit. min. haec adnotat: „*a tergo* veniunt, qui insidiantur." — **409.** „*Onagros*, ferum asinorum genus, Phrygiae et Lycaoniae, Arabiae, ut nunc Syriae, nec non Africae cum assignent veteres (vid. Varr. R. R. II, 6, 3. Plin. VIII, 44, 66.), nemo in Italiae silvis esse memorat. Itaque poëtico more, cum omnino feram, quae canibus agitari posset, nominare vellet, certum quoddam genus, utque oratio doctior esset, minus notum posuit. Sic supra [II, 374.] *uros*, sic *cervos* alibi." *Heyn.* Onagros tamen hic aptissime commemorari, patebit ex iis, quae Xen. Anab. I, 5, 2. de eorum fugiendi venatoresque illudendi ratione narrat. (Cf. Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 47.) — **411.** *volutabrum*, locum indicans, in quo sues volvuntur, legitur etiam apud Arnob. VII, 224. *Cum ad ultimum porculi coenum vobis profunderent ex volutabris horrentibus, lutosis, et voraginibus sumptum.* — **412.** „*agens*, urgens, ad ornatum adiectum, ut alibi: Aen. I, 191. *et omnem Miscet agens telis nemora inter frondea turbam*, et IV, 70. *cerva, quam fixit pastor agens telis.*" *Heyn.* In omnibus tamen his locis minime abundat, sed est i. q. modo *agitare* et *canibus venari*, nostrum *jagen, hetzen.* Etiam Conington, qui comparat Aen. VII, 481., recte per *chasing* explicat. — **413.** Pauci quidam Codd. et Schol. Stat. Theb. IV, 223. *Ingenti clamore*, ut supra v. 43., quod Burmanno praeferendum videtur, cum hic non agatur de cervo, an magno, an exiguo sit corpore, sed de canibus, in quibus, ut latratus, ita et ingens clamor probetur (Varr. R. R. II, 9. Colum. VII, 12.). Sed vide ad Aen. I, 192. — *premere*, premendo, urgendo ad retia agere. Cf. Ovid. Her. IV, 41. *pressisque in retia cervis* et Isid. Orig. X. extr. *Quattuor sunt venatorum officia, vestigatores, indagatores, alatores et pressores* (laud. a Coningtone.) — *cervum.* Haupt. et Ribbeck. *cervom.* Vid. ad Ecl. II, 22. et alibi. — **414—439.** „Praecepta de cavendis noxiis animantibus. Vide Colum. VII, 4, 6. Geop. XVIII, 2. Ante oculos poëta habuit Nicandri Ther. 35. 51—53. (*βαρύοδμος ἐπὶ φλογὶ μοιηθεῖσα χαλβάνη* etc.). Nostri vestigia pressit Calpurn. Ecl. V 86 sqq." *Heyn.* De *cedro*, fortasse iunipero oxycedro, vid. adnott. ad Aen. VII, 13., ubi, ut hic, *odorata* dicitur. Ribbeck. hic scripsit *caedrum*, Cod. Med. auctoritatem secutus, (supra autem II, 443. *cedrum.*) Cf. eius Proleg. p. 385. et Wagn. Orth. Verg. p. 419. — **415.** „Plin. XII, 25, 56. *Dat et galbanum* (succum viscidum) *Syria in eodem Amano monte e ferula* (de qua vid. ad Ecl. X, 25.). *Sincerum si uratur, fugat nidore serpentes.* Eiusdem *ferulae* etiam radix adversus morsus serpentum adhibebatur. Vid. Sammonicum de Medic. 846." *Heyn.* De *galbano*, Graecorum *χαλβάνη*, (Bubone Galbano

Saepe sub inmotis praesepibus aut mala tactu
Vipera delituit caelumque exterrita fugit,
Aut tecto adsuetus coluber succedere et umbrae —
Pestis acerba boum — pecorique adspergere virus,
Fovit humum. Cape saxa manu, cape robora, pastor,
Tollentemque minas et sibila colla tumentem
Deice. Iamque fuga timidum caput abdidit alte,
Cum medii nexus extremaeque agmina caudae

Linn.) praeterea cf. Dioscor. III, 97. Theophr. h. pl. IX, 7. Plin. XXIV, 5, 18. Calpurn. Ecl. V, 89. (*Lurida conveniet succendere galbana saeptis--- ipse videbis Serpentum cecidisse minas.*) Lucan. IX, 916. et infra Geo. IV, 264. ibique adnott. — „*graves chelydros* dixit, (ut inf. 451. *elleboros graves*, graveolentes, ex ipsa natura), quia sunt fetore intolerabili quasi putris ulceris. Vid. Nicand. Theriac. 411 sqq. (p. 27. ed. Gorr.)" *Heyn.* Wagn. in edit. min. *graves* fortasse rectius explicat per „periculum facientes gregi" (cf. adnott. ad Ecl. X, 75 sq.); quamquam *gravis* de foedo odore legitur etiam apud Hor. Epod. XII. 5. *an gravis hirsutis cubet hircus in alis.* Cf. etiam Geo. IV, 49. Ameis. Spic. p. 35. *graves* explicat per horribiles (*grauenvoll*), quod probare non possum. De *chelydro* autem vid. adnott. ad Geo. II, 214. — 416. Heyn. conferri iubet Colum. VII, 4. 6. *Stabula vero frequenter everrenda et purganda - - nec tantum coeno aut stercore, sed exitiosis quoque serpentibus tecta liberentur.* De *vipera* vid. Plin. X, 62, 82. — *inmotis praesepibus*, i. e. diu non loco motis, excussis, a sordibus purgatis, ut iam Burm. interpretatur, qui tamen et alteram profert explicationem, ut praesepia, quae fixa et certo semper sint loco, opponantur mobilibus, quae transferri possint. — *mala tactu*, noxia, si tangitur. Cf. Lucr. II, 408. *Omnia - - bona sensibus, et mala tactu.* — 417. *delituit caelumque fugit*, i. e. lucem exosa delituit. Cf. Wagn. Q. Virg. XXXIV, 3. et supra v. 354. *Caelum* pro luce etiam Aen. VI, 896. positum videtur, ubi vid. adnott. — 418. „*Coluber* quod serpentis genus sit, satis constitutum nondum vidi. Videtur h. l. pro quocumque serpente dici, nec tamen ex mitiore et domestico genere, quia solet *pecori virus adspergere:* Aen. II, 471. *mala gramina pastus coluber est.*" *Heyn.* Vossio hic intelligendus videtur Coluber Natrix *Linn.* (*die Ringelnatter*), quem in stabulis lacti insidiari constet. — 419. *boum.* Medic. hic et alibi *bovum;* ut etiam apud Cic. de Rep. II, 9. a m. pr.; et sic ubique Wagn. Vol. V. edidit. — 420. „*Fovit humum.* Magis explicite Geo. IV, 42. 43. *effossis latebris Sub terra fovere larem.* Fovet locum is, qui multum et assidue in eo moratur; sic *castra fovere* Aen. IX, 57. et sic *fovere latebras in humo;* hinc magis poëtice *fovere humum.* Mox *Cape saxa.* Ita pugnantem inducit pastorem in Culice 155 sqq. et 190." *Heyn.* — *robora* fortasse tantum ob praecedens *saxa* Plurali posita pro uno fusti gravi et nodoso, quamquam etiam cum Ameisio Spic. p. 35. cogitare possumus de pluribus fustibus in usum vocatis, ut uno fracto statim alter ad manus sit. Ceterum cf. Aen. V, 275. — 421. *Tollentem minas*, capite sublato minantem. — *tumentem* ira et furore, respectu simul habito veneni, quo coluber tumescit. Cf. Aen. II, 381. *Attollentem iras et caerula colla tumentem.* Ovid. Met. III, 33. *Igne micant oculi; corpus tumet omne veneno.* ibid. I, 460. *Stravimus innumeris tumidum Pythona sagittis* etc. Heyn. confert Nicand. Ther. 179 sq. *Ψαφαρὸς δ' ἀναπίμπλαται αὐχὴν Ἄκριτα ποιφύσσοντος.* — *sibila colla*, quae sibulum edunt, ut Aen. II, 211. *sibila ora.* — „*deiice*, [s. *deice*, ut nunc scripsimus: vid. adnott. ad Ecl. III, 96. et VI, 19.] quia *tollentem minas*, h. e. sublato pectore et capite minantem. — 422. *caput abdidit alte*, in terrae latebras sese proripiens; tamen vel sic feriri potest parte sui extrema. — 423. *nexus*, orbes, ut *κύκλοι*, proprie de serpentibus. — *extrema agmina caudae*, praeclare ad magnitudinem." *Heyn.* Cf. Aen. V, 90. *ille* (draco) *agmine longo - - serpens* et ibid. II, 212. *illi agmine certo Laocoonta petunt.* Modus autem, quo serpentes promoventur, similis est fluminis cur-

Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbis.
Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
Squamea convolvens sublato pectore terga
Atque notis longam maculosus grandibus alvum,
Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus et dum
Vere madent udo terrae ac pluvialibus austris,
Stagna colit ripisque habitans hic piscibus atram
Inprobus ingluviem ranisque loquacibus explet;
Postquam exusta palus terraeque ardore dehiscunt,
Exsilit in siccum et flammantia lumina torquens

---

sui, de quo et ipso *agmen* usurpatur. Vid. Aen. II, 782. Obbar. ad Hor. Ep. I, 3, 25. Vol. I. p. 214. hunc locum refert inter exempla Genitivi appositioni inservientis (*extrema agmina*, quae sunt *caudae*), de quo pluribus disputat. Vid. adnott. ad Aen. XII, 546. — *solvuntur*, sensim demorientes. Respexit hunc locum Auson. Mos. 138. *Longi vix corporis agmina solvis.* — 424. *sinus ultimus*, i. e. ultimus flexus, ultima curvatura, *trahit*, aegre ducit (cf. infra v. 485.), *tardos orbes*. Cf. Aen. II, 204. Ceterum Serv. locum recte sic videtur explicare: „Caede serpentem, donec et caudae volubilitas conquiescat." — 425. „De *chersydro* seu *dryino* et *dryina* agit. Est etiam hic ex hydrorum genere, forma similis fere aspidi chersaeae parvae. Versus de eo Nicandri Ther. 358 sqq., quos expressit Vergilius. Videtur de eodem in Culice agi; nescio an etiam inf. IV, 458. 9. Respexit locum Statius Theb. V, 520 sqq." *Heyn.* Chersydros in Calabria plurimos fuisse testatur etiam Solin. c. 8. — 426. *sublato pectore*, erecto; ut v. 421. Idem versus redit Aen. II, 474. Cf. adnott. ad Ecl. V, 37. — 427. *alvum*. Haupt. et Ribbeck. *alvom* cum Gud. a m. pr. et Pal. (qui praebet *aevom*.) Vid. adnott. ad Ecl. II, 22. — 428. *rumpuntur*, rumpunt se, erumpunt. Vid. adnott. ad Geo. I, 446. et cf. Aen. I, 246. II, 416. — 429. *ac pluv. austris*. Wagn. Qu. Virg. XXXV, 18. docet, praeter h. l. non nisi Geo. III, 429. IV, 225. Aen. IV, 330. 477. V, 454. 661. Part. *ac* arsin quarti pedis occupare, quod, cum versus ita in duas aequales partes dividatur, merito inelegans habeatur; quare etiam Vergilium scite sic instituisse, ut aut duarum brevium syllabarum vocabulum praecederet, aut elisione sustentarentur numeri. — 430. „Versus abest a Menag. pr.; molestum *que* et *hic*, sive ad *stagna* sive ad *ripis* referas: multo tamen molestius est, si prius adoptes. Vereor ne antiqua lectio metri metu mutata sit, cum esset: *stagna colit ripisque habitat; hic* etc. Francian. *hinc*, quod malim." *Heyn.* Sed recte Wagn. docet, nihil mutandum esse; orationem enim sic procedere: „anguis, qui stagna colit, et, in ripis habitans, hic quidem, in stagnis, piscibus ingluviem explet, sed, postquam exusta palus, in agris saevit, homines et pecudes mordens." Cum igitur Pron. *qui* v. 428. etiam ad v. 433 sq. pertineat, post v. 431. Semicolon pro Puncto posuit. Peerlk. tamen p. 261. coni. *Stagna colit ripasque; inhians ubi piscibus* etc. Ribbeck. autem Proleg. p. 54. *sibi* pro *hic* scriptum esse malit. — 431. *Inprobus*, nimium avidus, vorax. Vid. adnott. ad Geo. I, 119. „*ingluviem* improprie dixit pro ventre, ut iam Servius; nam proprie est *πρόλοβος*, ut in avibus, primum in gutture cibi receptaculum. [Cf. Colum. VIII, 5, 17.] Laudatur Aristot. Hist. An. II. c. 17. Silius haec imitatus VI, 155—158." *Heyn.* Ita apud Apulei. Met. V. p. 70. Elmenh. *Priusquam bestia ingluvie voraci me misellam hauriret.* Quare etiam pro voracitate dici constat, ut ap. Hor. Sat. I, 2, 8. Iahn. in Proleg. ad Pers. p. XVIII. ad h. l. spectare censet Placidi glossam in A. Mai Auct. class. III. p. 476. (Vid. Ribbeck. Proleg. p. 128.) — *atram*, h. e. exitiosam, luctuosam. Cf. Aen. VII, 525. ibique adnott. coll. cum iis, quae ad Geo. I, 129. adscripsimus. — 432. Etiam haec fluxerunt ex Nicandri l. l. — *exusta palus*. Sic Stat. Theb. III, 258. *tacent exusti solibus amnes*. Cf. etiam supra Geo. I, 107. *exustus ager*, et infra IV, 427 sq. Pauci quidam Codd. (inter quos Gud.) *exhausta*, male. — *terrae ardore dehiscunt*. Cf. supra II, 353. De Part. *postquam* cum Praesente constructa vid. ad Ecl. I, 30. Cum toto autem loco cf. similis ap. Calpurn. V, 86. — 433. *lumina* pro oculis, ut sexcenties

Saevit agris asperque siti atque exterritus aestu.
Nec mihi tum mollis sub divo carpere somnos 435
Neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbas,

---

apud poëtas, interdum etiam apud pedestris orationis scriptores, velut ap. Cic. Tusc. V, 39, 114. Cf. tamen adnott. ad Aen. IV, 364. — *Exsilit.* Med. perperam praebet *Extulit* (scil. se, quod prius Ladew. cum Paldamo temere receperat: cf. Wagn. in Phil. Suppl. I. p. 374.), Gud. et duo Bern. *Exiit;* sed receptam lectionem multum praestare, quisque videt. Ribbeck. cum Menag. I. scripsit *Exsulit.* Cf. eius Proleg. p. 451. — Verba *flammantia lumina torquens* repetit Vergilii imitator in Anth. Lat. Burm. I, 178, 236. — 434. „*Saevit agris,* gravius, quam serpit, incedit per agros. Nicander dixerat v. 371. *νέμεται διψήρεας ὄγμους,* incedit per *siccos agros.*" Apparet autem, hoc verbum arcte cohaerere cum sequentibus et sensum esse: saevit lumina torquens, quippe asper siti atque aestu exterritus. — *asper siti,* exasperatus, furens sitis impatientia. Heynio videtur reddere voluisse Graecorum *Λίψῃ καρχαλέος,* ut Iliad. XXI, 541. Siti autem quam maxime cruciari serpentes et in furorem coniici, res satis nota. Cf. Sall. Iug. 89, 5. *Natura serpentium, ipsa perniciosa, siti magis quam alia re accenditur.* Quod ad ipsum epitheton attinet, cf. Hor. Od. I, 37, 26. *asperae serpentes.* (Aen. IX, 62. Ovid. Met. XI, 402. etc.). — „*exterritus* interpretibus negotium fecit cum *aestu* iunctum. Simplicissimum utique est, ut *furens, insanus* [vel potius cum Wagn. exagitatus, in furorem coniectus] exponatur." *Heyn.* Cf. supra v. 149. et Aen. IV, 450. Burm. conferri iubet Observv. Misc. Crit. Vol. I. p. 2. et 83. Vid. etiam Obbar. ad Hor. Ep. I, 6, 11. Vol. I. p. 272. — 435. Heyn. docet, Maronem hic pastoris in Culice memorem esse; sed Culicis potius auctorem sua ex Vergilio sumpsisse, iam supra ad Geo. II, 461. vidimus. *Nec mihi.* In prima edit. vulgarem lectionem *ne mihi* (quam postea etiam Handio Tursell. IV. p. 122. et 180. probatam vidi) defenderam, *nec - - neu* sibi non posse respondere ratus (quod praeter alios etiam Hand. Tursell. IV. p. 179. arbitratur), cum *neve* et *neu* semel positum non nisi praecedentibus Partt. *ut* aut *ne* usurpetur, *nec* autem, quamvis simplici negationi *non* interdum substituatur, numquam tamen pro *ne* ponatur; postea tamen veriora edoctus a Loersio ad Ovid. Trist. I, 1, 11. Obbario in Excurs. ad Hor. Ep. I, 11, 23. Fasc. V. p. 125. et in Muetzellii Ephem. gymn. a. 1850. p. 913 sqq. et Iahnio ad h. ipsum l., in altera edit. Codd. Med. et Gud., Quinct. Inst. IX, 3. et Probi Inst. I, 10, 1. scripturam revocavi, cum etiam apud Ovid. Trist. l. l. *Nec - - poliantur pumice frontes, - - Neve liturarum pudeat* et A. A. III, 683. *te - - moderate iniuria turbet, Neu sis audita pellice mentis inops; Nec cito credideris* legamus, et simplex *nec* haud raro pro *et ne* ponatur (ut Ecl. II, 34. VIII, 88. 101. X, 46. Geo. I, 36. II, 96. III, 96. Aen. IV, 618. IX, 150. X, 32. XI, 354. XII, 801. Cf. quos laudat Obbar. ad Hor. l. l. et in Muetzellii Ephem. gymn. a. 1850. p. 549 sq. Nihilominus Ribbeck. et Conington ex Pal., Rom., duobus Bern. et Servio ad Geo. II, 475. Particulam *ne* revocarunt. Quid vero, si suspicemur, utramque scripturam prodiisse ex prima *Neu mihi,* iterata prohibendi Particula, quemadmodum supra Geo. II, 298 sq. (ubi vid. adnott.) Geo. IV, 47. et alibi? cum *ne, nec, neu* in Codd. saepissime confundi constet. (Cf. praeter alios Drak. ad Liv. II, 15, 2. et XXXIV, 35, 9.) — Ceterum cum totius orationis forma cf. Geo. I, 456 sqq. et II, 315. Heyn. commemorat, Maroni hic ante oculos fuisse alium Nicandri locum Ther. 28—34. et 137. 138. — *molles carpere somnos.* Cf. Hom. Od. X, 548. — 436. *dorsum* proprie est montium (cf. v. c. Caes. B. G. VII, 44. Liv. I, 3, 3. XLI, 18, 9. Iustin. XLIV, 1, 8. Suet. Caes. 44. etc.); hinc etiam silvarum, nemorum, quibus montes sunt consiti. Hor. Sat. II, 6, 91. *Praerupti nemoris - - dorso.* Burm. locum in nemore editiorem putat intelligi, in quo tamquam in pulvino iacens quis dormiat, cum et *dorsa* in mari a nautis *pulvinos* vocari docecat Serv. ad Aen. X, 303. — *libeat,* ut Ecl. II, 28. Prop. III, 28 (II, 30), 25. *Libeat tibi, Cynthia, mecum Roscida muscosis antra tenere iugis.* Cf. Burm. ad Phaedr. I, 3. — *iacuisse ἀοριστικῶς* pro iacere. Vid. adnott.

Cum positis novus exuviis nitidusque iuventa
Volvitur aut catulos tectis aut ova relinquens
Arduus ad solem et linguis micat ore trisulcis.
Morborum quoque te causas et signa docebo.
Turpis ovis temptat scabies, ubi frigidus imber

---

ad Aen. III, 606. — *per herbas.* Cf. supra ad v. 162. — **437.** Hic versus, quocum cf. Nicand. Ther. 137., iteratur Aen. II, 473. — *positis*, depositis. Vid. adnott. ad Geo. II, 14. 403. et Aen. I, 302. al. — *iuventa.* Pellibus exutis nova quasi iuventa gaudere serpentes admodum pulchre fingunturTur. Cf. Ovid. Met. IX, 266. *Utque novus serpens posita cum pelle senecta* etc. Tibull. I, 4, 35. *serpens novus exuit annos.* Minus bene se habent, quae sequuntur v. 438. *aut catulos* etc.; cum serpentes nidos et lustra non servent, nec ulla catulorum caritate ad iram stimulentur, quod poëta a quadrupedibus bestiis male ad serpentes transtulit; quare Wagn. Qu. Virg. XI. p. 594 sq. hunc locum iis adnumerat, ubi Vergilius dormitasse videatur, et Peerlk. adeo p. 263. hos tres versus 437—439. spurios censet. Bryce tamen, plura de natura serpentium disputans, poëtam omni culpa liberare studet, atque etiam Ribbeck. Proleg. p. 52. Peerlkampio iure adversatur. Heyn. (qui etiam coniicit *atque ova*) haec adnotat: „Aut *catulos* aut *ova*, cum alia serpentum genera sint vivipara, alia ovipara. Melius Cerda: aut ova, aut catulos iam ovis exclusos. Ceterum erunt, qui ad unum tempus haec, *ponere exuvias* et *catulos aut ova relinquere*, referri velint. At enim serpentes fetum conceptum Augusto mense edere, spolium autem hieme depulsa, qua sub humo latuerant, incalescente sole, interdum tamen etiam auctumno exuere, memorat Arist. Hist. An. V. extr. VIII, 15. al. 17. Itaque statuere malim, diversas causas et diversa tempora esse intelligenda: *cum volvitur* (aut) *novus exuviis positis, aut relinquens catulos aut* (relinquens) *ova.*“ Sed haec eo minus ad vivum resecanda, quo magis in omni re a serpentium natura poëtam recessisse modo vidimus. — **439.** „*arduus ad solem*, erectus ad caelum, sed cum dilectu *ad solem*, cuius calore recreatur.“ *Heyn.* — Pro vulgari *micat lingua*, h. e. celeriter movetur, vibratur, poëtice: *serpens micat linguis* (ut supra v. 84. equus *micat auribus*) (*in*) *ore.* De Praepositione omissa vid. adnott. ad Geo. I, 430. Aen. IV, 501. V, 190. VI, 187. al. Qua auctoritate Heyn. invexerit lectionem *ora*, prorsus ignoramus; cum omnes libri, quorum lectiones accurate enotatae sunt, unanimo consensu *ore* praebeant, (ut non videam, quo iure Iahn. in priore edit. contendat, h. l. omnes Codd. praeter unum *ora* tueri, dum in parallelo Aeneidis loco Aen. II, 475., ubi vv. 437—39., altero tantum pro diversa utriusque loci natura immutato, repetuntur, omnes *ore* exhibeant) atque etiam apud imitatorem Vergilii in Anth. Lat. Burm. I, 178, 293. legamus *Linguis micat ore trisulcis.* Idem Iahn. falsam lectionem, coll. adnot. sua ad Ovid. Met. VI, 312., ita nos interpretari posse censet, ut *micare* activa potestate dictum sit: „micare facit ora linguis trisulcis;“ et Voss. veram lectionem inexplicabilem (!) iudicans, *micat ora* poëtice dictum contendit pro *ora eius micant.* — *linguis trisulcis.* Trisulca vocatur serpentis lingua, quia tam celeriter vibratur, ut triplex videri possit; nam vere non trifidam, sed bifidam eam esse constat, quamquam sunt, qui Plinio XI, 37, 65. freti (ad quem l. vid. Harduin.) illud quoque contendant. Nostram tamen explicationem iuvare videntur etiam verba illa Ovidii Met. III, 34. *Tresque vibrant linguae, triplici stant ordine dentes*, coll. cum Apulei. Met. VI. p. 179. Elmenh. *Trisulca vibramina draconum*, atque Stat. Theb. V, 509. *ter lingua vibrat, terna agmina adunci Dentis*, et comparatio eorum locorum, ubi *trisulcum fulmen* commemoratur (cf. Varr. ap. Non. VI, 2. Ovid. Met. II, 848. coll. v. 325. id. in Ibin. 741. Senec. Hipp. 189. Thyest. 1089.); etsi me non fugit, etiam hoc ab aliis aliter explicari. — **440.** De morbis ovium cf. Varr. R. R. II, 1, 21. et Cato 96. Schrader., cum poëta *causas* morborum non expediat, coni. *curas.* Sed nonne statim in seqq. causae exponuntur, quae scabiem ovorum efficiant? — **441.** „Vide Colum. VII, 5, 5. ubi ad h. l. provocatur.“ *Heyn.* De ipsa re multus est ad h. l. Voss. Columella l. l. testatur, *oves frequentius quam ul-*

Altius ad vivum persedit et horrida cano
Bruma gelu, vel cum tonsis inlotus adhaesit
Sudor et hirsuti secuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magistri
Perfundunt, udisque aries in gurgite villis
Mersatur missusque secundo defluit amni;
Aut tonsum tristi contingunt corpus amurga,
Et spumas miscent argenti et sulfura viva

---

lum aliud animal infestari scabie. — *Turpis scabies.* Sic ap. Grat. Cyn. 408. *deformis - - corpus Persequitur scabies.* — Ribbeck. pro *ubi* cum Gud. a m. pr. scripsit *ube.* Vid. supra ad v. 332. adnott. — *frigidus imber*, ut Geo. I, 259. — 442. *persedit*, pervenit, penetravit. Cf. Lucret. VI, 1124. *clades nova pestilitasque - - fruges persidit in ipsas.* — *ad vivum.* Haupt. et Ribbeck. cum Gud. a m. pr. *ad vivom.* Vid. supra ad v. 427. Simili ratione, qua hic *ad vivum* (i. e. vivam carnem) *persidere*, alibi dicitur *ad vivum resecare* (v. c. Colum. VI, 12, 3.); quibus locis explicandis inserviunt Plinii XXVIII, 10, 13. verba *vulnera circumcidere ad vivas usque partes.* Cf. etiam Liv. XXII, 17, 2. *calor, iam ad vivum ad imaque cornuum adveniens, velut stimulatos furore agebat boves*, et similes loci. — 443. Cf. Colum. VII, 5. *Scabies nascitur, - - si aestivum sudorem mari vel flumine non abluas.* Cf. etiam infra v. 561. — Pro *inlotus* Ribbeck. edidit *inlautus*, cum Med. a m. pr., Pal., Rom. et Gud. a m. pr. exhibeant *inlutus.* Cf. eius Proleg. p. 436. — 444. „Vid. Calpurn. Ecl. V, 74 sqq. — *hirsutis* Medic., ut modo *tonsis* ovibus. Sic etiam Rom., et hoc praeferri debebat." *Heyn.* Sed recte Wagn. literam *s* adscitam putat e proximo vocabulo, ut Geo. I, 125. 146. III, 108. 141. 349. Aen. II, 559. II, 333. et saepe alibi, et si *hirsutis* legeretur, requiri contendit Part. *aut*, non simplicem Copulam *et*, cum hirsutarum, longos igitur villos gerentium corpus non facile a vepribus laedi possit. — De genere voc. *vepres*, quod plerumque est mascul. (Aen. VIII, 645. Hor. Epist. I, 16, 8. Colum. XI, 3, 3.), apud Lucr. IV, 60. vero et Hor. Epist. I, 16, 8. etiam femin. (quorum locorum nescio an memor fuerit auctor Cod. Franciani, h. l. *hirsute* scribens, quod, cum Codex ille omnibus diphthongis careat, pro *hirsutae* positum videtur), cf. Prisc. V, 8, 42. p. 658. P. Ruddim. I. p. 41. not. 22. Schneider. Gramm. II, 1. p. 95. et Obbar. ad Hor. l. l. Fasc. VI. p. 278. — 445. „E Varrone II, 1, 23.; hinc supra I, 272. *balantum gregem fluvio mersare salubri.*" *Heyn.* — *magistri.* Vid. supra ad v. 118. — 447. *missus* (cf. Geo. II, 452.) *secundo defluit amni.* Cf. adnott. ad Aen. VII, 494. — 448—451. „Cf. Varr. II, 11, 7. Colum. VII, 4, 7. 5, 7. Geopon. XVIII, 8. et 15. Compara etiam Gratii Cyneg. 415. 416. — *tristi*, amara, ut saepe. Sic *tristis lupinus* Geo. I, 75. [et II, 126.] — *contingunt:* vid. supra v. 403. — *spuma argenti*, sc. defervescentis, dum coquitur (*λιθάργυρος, Silberglätte*). Locus de ea classicus apud Plin. XXXIII, 6, 35." *Heyn.* Cf. etiam Voss. ad h. l. — *miscent* pro admiscent, ut apud Tibull. II, 4, 5. et apud Pind. Isthm. IV, 25. *χιρνάμεν.* — *tristi amurga.* Vid. adnott. ad Geo. I, 75. De *amurga* ipsa s. *amurca* (ut Ribbeck. cum Med. et Gud. scribit) vid. adnott. ad Geo. I, 194. — 449. *et sulfura viva* cum Iahn. et Wagn. edidi, Codd. optimos, Med. (a m. sec., Rom., omnes Pierii, Erf., Longob., alios, Bedam de orthogr. p. 2345., incertum auct. de orthogr. p. 2790. P. et Vergilii imitatorem in Anth. Lat. Burm. I, 178, 332. secutus; neque aliter posteriores editores praeter Bryceum et Coningtonem, nisi quod Haupt. et Ribbeck. ex Med., Rom. et Gud. a m. pr. ediderunt *sulpura.* Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 474. et Ribbeck. Proleg. p. 424. Vulgo *vivaque sulfura*, ut versus hypermeter efficiatur (cf. adnott. ad Geo. II, 69.), quem Bryce et Conington, Macrob. Sat. V, 14, 4. et incerti auct. de gen. nom. 97. H. auctoritatem secuti, restituerunt. De *vivo sulfure*, quod Graeci *ἄπυρον* vocarunt, i. e. nativo (nobis *Jungfernschwefel*), cui oppositum est factitium s. mortuum, *πεπυρωμένον*, cf. Plin. XXXV, 15, 50. et Voss. ad h. l. deque eius usu Geopon. XVIII, 15. Sic ap. Calpurn. V, 78. *viventia*

Idaeasque pices et pinguis unguine ceras
Scillamque elleborosque gravis nigrumque bitumen.
Non tamen ulla magis praesens fortuna laborum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os: alitur vitium vivitque tegendo,
Dum medicas adhibere manus ad volnera pastor
Abnegat, aut meliora deos sedet omina poscens.

---

sulfura. — 450. *Idaeas pices*, scil. liquidas (*Theer*). Cf. Plin. XXIV, 7, 24. et Geopon. XVIII, 8. Pix autem Idae, Mysiae et Phrygiae montis (cf. adnott. ad Aen. II, 696.), qui multas habebat pinus (Aen. V, 449. X, 230.), imprimis celebrata. Vid. etiam infra Geo. IV, 41. — *pinguis unguine ceras*, multum succi ad unguendum apti habentes. Sic Grat. Cyneg. 363. *nigrae circum picis unguine signant.* — 451. *scilla* est Scilla maritima *Linn.*, s. cepe marinum, *die Meerzwiebel.* Cf. Dioscor. II, 202. Theophr. h. pl. I, 7, 10. VII, 11. Plin. XIX, 5, 30. et XXI, 17, 66. — *elleborus gravis*, a gravi odore. Vid. supra ad v. 415. *Elleborus* s. helleborus (ἑλλέβορος, rarius ἐλλέβορος) Romanis proprie dicitur *veratrum*, nobis *Nieswurz;* cuius duplex genus habetur, nigrum et album. Cf. Dioscor. IV, 148. 149. Plin. XXV, 5, 21 sqq Et h. quidem l. *album* genus spectari, viderunt iam alii ex Colum. VII, 5, 7. Ceterum imitator Vergilii in Anth. Lat. Burm. I, 178, 332. hunc versum cum 449. sic coniungit: *Scillamque elleborosque graves et sulfura viva*, et *nigrum bitumen* in v. 378. tragoediae suae transtulit. — De *bitumine* autem cf. adnott. ad Ecl. VIII, 82. — 452. Nullum praesentius auxilium est adversus ovium morbum s. scabiem. „Excitat versus Colum. VII, 5, 10. Habuerunt ante oculos Gratius Cyneg. 360 sqq. et Calpurn. V, 75 sqq. *Labores* pro ipso malo, morbo, cuius nulla medela, *nulla fortuna, magis praesens est*, quam si ulcus aperiatur. — *fortuna* pro remedio, quatenus effectus remedii est fortunae obnoxius; uti *fortuna* sollemni modo pro successu et eventu dicitur. Alio modo dictum est Aen. VII, 559. *si qua super fortuna laborum est*, casus fortunae.“ *Heyn.* Schol. Bern. (vid. Ribbeck. Proleg. p. 197.) afferunt lectionem *malorum*, quam qui libri exhibeant, nescimus. — 453. *si quis ferro potuit rescindere*, i. e. si quis a se impetrare potuit, ut rescinderet, quemadmodum Aen. IV, 19. *Huic uni forsan potui succumbere culpae* (cf. etiam Aen. VII, 309.); quae simplicissima loci interpretandi ratio debetur Ameisio Spic. p. 35. — *ferro rescindere ulceris os*, quod vulgo aperire ulcus. Cf. Aen. XII, 390. Petron. c. 113. *recentem cicatricem rescindere*, et Lucr. II, 406. *vias rescindere* (i. e. secando aperire), ubi vid. Wakef. Cf. etiam quos laudant Schmid. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 3, 32. et supra ad Geo. I, 280. adnott. De *ore ulceris* Burm. adnott. ad Gratii Cyneg. 352. (*per ulceris ora*) et Samonici c. 44. vult conferri. Ceterum in his ulceribus rescindendis cum Marone consentit Calpurn. V, 75. (*quae* [pustula] *nisi ferro Rumpitur* etc.) a Voss. laud. — 454. *vitium*, ulcus, sanies. — *tegendo*, dum tegitur. De passivo, quem dicunt, Gerundii usu vid. adnott. ad Geo. II, 239. et 250., imprimis autem ad Aen. II, 81. Est autem versus adumbratus e Lucret. IV, 1062. *Ulcus enim vivescit et inveterascit alendo.* — 455. *adhibere manus*, χειρουργεῖν, i. e. secundum Diog. L. III, 85. (a Coningt. laud.) aut τέμνειν aut καίειν. — 456. *aut* e melioribus libris omnibus loco vulg. *et* restituit Heins.; et recte Wagn. adnotat: „*abnegat* est desperantis, medendo posse quidquam profici, *sedet* est ignavi; hinc *aut* recte editur. Ribbeck. tamen et Ladew. ex Rom. et Gud. a m. sec. receperunt *et.* — *meliora omina*, quae plurimorum librorum est lectio, pro auxilio deorum bonis ominibus significato. Nonnulli Codd., inter quos sane Medic., Pal., Rom. et Gud., *meliora omnia* (ut apud Graecos *βελτίονα πάντα*, *πάντα ἔσται καλῶς* et similia), quod vulgo editur. Iahn. in priore edit. *omnia* receperat, in altera tamen meliorem lectionem tacite revocavit. Verissime enim Wagn. docet, *omnia* non in deprecando locum habere, sed in apprecando, ut *omnia bona precari* et quae sint his similia; neque *meliora omnia* usquam videri legi. Nihilominus Ribbeck. et Ladew. *omnia* ediderunt, quorum ille etiam ad Servium

Quin etiam, ima dolor balantum lapsus d ossa
Cum furit atque artus depascitur arida febris,
Profuit incensos aestus avertere et inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam,
Bisaltae quo more solent acerque Gelonus,
Cum fugit in Rhodopen atque in deserta Getarum
Et lac concretum cum sanguine potat equino.
Quam procul aut molli succedere saepius umbrae

---

provocat, qui comparet Sall. Cat. 52. *prospera omnia cedunt.* Quod ad ipsam sententiam attinet, Conington confert Soph. Aj. 581. *οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ θρηνεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι.* — 457. *dolor*, morbus, exulceratio. — *balantum.* Vid. ad Geo. I, 272. et cf. Lucr. VI, 1132. *venit - - pigris balantibus aegror.* — *ad ossa.* Vid. adnott. ad v. 272. — 458. *depascitur*, *νέμεται*, absumit. Cf. Aen. II, 215. (serpens) *miseros morsu depascitur artus.* — 459. *Profuit*, i. q. solet prodesse. Cf. adnott. ad Geo. I, 49. — *incensos aestus* pro usitatiore fervidos aestus. Wakef. ad Lucr. I, 301. multos locos congerens, ubi *validus aestus* legitur, coni. *intensos aestus*, quod in pervetusta Vergilii editione se invenisse ait, quodque iam Heinsio in mentem venerat. Sed recte Burm. Codd. lectionem defendit, comparans *nascentem ortum* Geo. I, 44., *pavidum metum* et similia, de quibus egerit ad Ovid. Met. II, 66., et sic pergit: „*Incensus* ergo *aestus* hic est vehementissimus ardor febris, et non dissimili modo dixit Aen. II, 706. *propiusque aestus incendia volvunt*, i. e. calorem propius admovent, et ita *ardens, fervidus aestus* et similia inveniuntur, ut *ardens* et *fervida febris*, et *accendere febres* dixit Cels. III, 9., et noster *sol accenderit aestus* infra Geo. IV, 401." — Vss. 459. et 460. recitat Colum. VII, 5, 10. Peerlk. p. 264. pro *ferire* coni. *aperire*; sed *venam ferire* legitur etiam apud Corn. Celsum VII, 10. in. — Cum *saliente vena* Conington confert *venas currentes* ap. Pers. III, 91. — 461. *Bisaltae*, Thraces circa Strymonem et in Macedoniae oris habitantes. Cf. praeter Gattereri de Herodoti et Thucyd Thracia Comment. III. p. 33 sqq. in Commentt. Soc. Reg. Gott. Vol. VI., quam Heyn. laudat, Diodor. XII, 68. et fragm. T. X. p. 229. Bip. Plin. IV, 10, 16. Liv. XXXV, 29. 30. et liber meus geogr. III. p. 1067. Primam syllabam nominis producunt etiam Ovid. Met. VI, 117. et Claudian. XX, 134., corripit autem Gratius 523. *facilis tutela Bisaltae.* — *Geloni*, ad Borysthenem habitantes; vid. ad Geo. II, 115. et Aen. VIII, 725. — 462. „*Cum fugit*, simpl. migrat [adiuncta tamen celeritatis notione], ut apud Horatium, et a Borysthene inde per Getarum desertu, cis et ultra Istri ostia, descendit in Thraciam et ad Rhodopen." *Heyn.* Verius Wagn. docet, alterum nomen, Rhodopen, referendum esse ad Bisaltas, alterum, deserta Getarum, ad Gelonos; neque enim utrumque ad Gelonos pertinere, quippe quibus propior sit Getarum regio, remotior, interiecto etiam Istro flumine ac monte Haemo, Rhodope (de quo monte vid. adnott. ad Ecl. VI, 30.); verbum autem *fugit* ad propius subiectum accommodatum esse. Ceterum per *deserta Getarum* (*τὴν τῶν Γετῶν ἐρημίαν* Strabonis VII. p. 302. 305., de qua vid. librum meum modo comm. III. p. 1104.) intelligenda est vasta illa regio inter Danubium et Tyran (*Dniester*) sita, quae nunc pars est Moldaviae inferioris. — 463. Lactis equini usus in his aliisque populis notus est. Cf. Homeri Il. XIII, 5. *Ἱππημολγούς*, Hesiodi Fr. 45. Herod. IV, 2. Strab. VII. p. 301 sq. 311. Hippocr. I. II. p. 537 sq. Kühn. Plin. XVIII, 10, 24. et quae disserui in Pauly *Realencycl.* VI. p. 902. Idem de Concanis, Cantabriae populo, refert Hor. Od. III, 4, 34. et de Massagetis Stat. Achill. I, 307. Respexit locum nostrum Avien. descr. 921. *nam sanguinem equinum Et lac concretum per barbara guttura sorbent.* — 464—469. „De lue pecudum. Signa pecoris febri pestilenti tentati enumerat: *Quam videris* cett. ad v. 467." *Heyn.* Ceterum animadverte *ἀναχολουθίαν* huius loci; cum enim Vergilius sic incepisset *Quam* (scil. ovem) - - *videris* - - *decedere nocti*, v. 468. non sequi debebant verba *Continuo culpam compesce*, sed potius: hanc continuo macta vel tale quid. Cf. adnott. ad Aen. V, 51. VIII, 403 XI, 552. etc. — 464. „*molli*

Videris aut summas carpentem ignavius herbas
Extremamque sequi aut medio procumbere campo
Pascentem et serae solam decedere nocti:
Continuo culpam ferro conpesce, prius quam
Dira per incautum serpant contagia volgus.
Non tam creber agens hiemem ruit aequore turbo,
Quam multae pecudum pestes. Nec singula morbi
Corpora corripiunt, sed tota aestiva repente
Spemque gregemque simul cunctamque ab origine gentem.
Tum sciat, aërias Alpis et Norica si quis

---

umbrae pro gratae [„in qua molliter est ei, qui eam petit" *Wagn.*]. Permutantur enim nomina et attributa sensuum poëtico usu." *Heyn.* Cf. infra v. 520. Ceterum compares similem locum Ecl. V, 5. *Sive sub incertas - - umbras, Sive antro potius succedimus.* — **466.** *medio campo*, omissa Praepositione. Vid. supra ad v. 237. — *procumbere.* Cf. Ecl. VIII, 87. *viridi procumbit in ulva.* — **467.** *„serae decedere nocti* (vid. Ecl. VIII, 88.) exquisitius quam *sera nocte;* uti adventanti aut accedenti de via decedimus. — **468.** *culpam*, h. e. causam morbi, vitium, *ἄτην*, *compesce*, coërce, ne latius serpat, *ferro;* statim eam occide. Gratius Cyneg. 410. *In primo adcessu tristis medicina, sed una Pernicies redimenda anima, quae prima sequaci Sparsa malo est, ne dira trahant contagia vulgum.* Cf. ibid. v. 369 sqq." *Heyn.* Cf. etiam Colum. VII, 5., quem Voss. affert. — **469.** *Dira contagia* hinc repetit Grat. Cyneg. 412. — Ut hic de ovibus, ita Aen. I, 190. de cervis, Lucr. II, 920. de feris, Sen. Hippol. 957. de monstris marinis voc. *vulgus* usurpatur. — *incautum*, quod sibi praecavere non possit. Burm. comparat Aen. III, 332. et Sallust. fragm. *Repente incautos agros invasit.* — **470. 471.** „Infirmum et variis morbis obnoxium pecus ovillum. Conferri potest Varro II, 3. 5. 8. Colum. VII, 5. Geopon. XVIII, 9. Gratius Cyneg. 497 sqq. — *turbo agens hiemem*, procellas, imbres; [vid. Geo. I, 320. et 391.] non tam *creber*, crebro, *ruit*, h. e. non tam crebri ac frequentes turbines in mari exoriuntur, [ubi procellarum vehementia maxime sentitur]. Similis locus Geo. IV, 80. 81. Placet admodum lectio altera Codicum *aequora:* cf. Aen. I, 84." *Heyn.* Hanc lectionem, quam praebent Gud. a m. pr. et Rom., etiam Heinsio ad Aen. VIII, 63. comprobatam, recepit Wakef. Sed verissime docet Wagn., hic non agi de concitato mari, quod esset *ruit aequora;* sed de crebro, i. e. denso imbre. Verba enim ita sunt coniungenda: Non turbo, hiemem agens, tam creber ruit; non sic: Non tam creber turbo, hiemem agens, ruit. *Aequore* additur, quia tempestates in mari imprimis horridae solent esse. Constructio eadem est, quae Aen. II, 250. *ruit oceano nox.* Peerlk. tamen p. 264. totum versum spurium censet et v. sequ. post *pestes* exclamandi signum ponit. Sed vide Ribbeck. Proleg. p. 52., qui locum sic explicat: „Nimirum non densior imber turbine concitatus ruere et sternere sata dicitur, quam ruunt sternuntque pestes pecudes alias super alias." — *pestes*, morbi. — *aestiva* (scil. castra), ut v. 64. *pecuaria* pro gregibus. Sic Plin. XXIV, 6, 19. *montium aestiva* commemorat, cum quo loco Conington conferri iubet Varr. R. R. II, 2. *Mihi greges in Apulia hibernabant, qui in Reatinis montibus aestivabant.* Ceterum cf. cum hoc loco Severi Sancti Carmen bucol. in Wernsd. Poët. L. min. II. p. 225. v. 85 sqq. — **473.** *Spemque gregemque*, „agnos cum matribus." Servius. Cf. *spem gregis* Ecl. I, 15. — *cunctamque ab origine gentem.* Appositioni, qua hic uti poterat, poëta praetulit epexegesin per Copulam adiectam, ut gravior exsisteret oratio. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXXIII, 7.. qui cum nostro loco confert v. c. infra v. 541. *maris immensi prolem et genus omne natantum*, (ubi tamen vid. adnott.) et Aen. VII, 85. *Hinc Italae gentes omnisque Oenotria tellus In dubiis responsa petunt*, in quibus locis, ut hic, Adiectivum rem in maius augens adiiciatur. Verbis additis *ab origine* Wagn. docet malum significari a minimis natu pecudibus usque ad maximas pertinens. — **474.** *„Tum sciat* aliquis, morbis totos greges abripi. Sequitur

Castella in tumulis et Iapydis arva Timavi
Nunc quoque post tanto videat desertaque regna
Pastorum et longe saltus lateque vacantis.
Hic quondam morbo caeli miseranda coorta est
Tempestas totoque autumni incanduit aestu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.

---

locus de peste auctumnali armentorum ac gregum celeberrimus, adumbratus e Lucret. VI, 1136 sqq. Cum quo conferendae sunt nobiles pestilentiae descriptiones ap. Hippocr. Epidem. III. sect. 3. (etsi haec non pestis proprie dicta, sed lues) Thucyd. II, 47 sqq.; tum, qui omnes Maronem aemulati sunt, ornatus varietate mirabili, affectibus tamen movendis multo inferiores, Ovid. Met. VII, 518 sqq. Silium XIV, 581 sqq. Lucan. VI, 80 sqq. Senecam Oedip. 35 sqq. Add. Aen. III, 137 sqq. - - - Respexit haud dubie poëta similem aliquam calamitatem, tum quidem satis notam, quae aliquo tempore ante maxime afflixerat Noricum, h. e. terras, quas nunc episcopatus Salzburgicus, magna Austriae pars cum Stiria et Carinthia, occupat." *Heyn.* — *aërias Alpes*, perpetuo montium epitheto. Vid. adnott. ad Ecl. I, 58. — *„Norica castella in tumulis* non esse possunt loca munita; nam agitur de armentis et gregibus; sed habitationes in locis editis, adeoque villae, vici in montibus. Pro saltibus et pascuis dixit ornate *castella in tumulis, arva, regna, saltus.*" *Heyn.* Conf. Hor. Od. IV, 14, 11. et Liv. XXI, 33. — De *Norico* vid. liber meus geogr. III. p. 446 sqq. Wagn. ornatum huius loci ex Copula observari iubet, cum *aëriae Alpes* et *Norica castella*, et *Iapys Timavus*, et *deserta pastorum regna*, et *saltus vocantes* eodem denique redeant. Simillimus est hac in re locus, qui infra legitur Geo. IV, 467 sqq. — 475. *Timavus*, fluvius in ora Venetorum, hic a vicinis *Iapydibus*, Illyrici populo (de quo vid. liber meus geogr. III. p. 836.), *Iapys* appellatus. Vid. ad Ecl. VIII, 6. — Med. a m. pr., Pal., Rom. et Gud. exhibent *Iapygis*, quod iam Servius recte reiicit. — 476. *regna pastorum*, agros, notum vel ex Ecl. I, 69. — *post tanto* pro *tanto post;* in qua formula non minus quam in simili *post paullo* (de qua cf. Burm. ad Quinct. Inst. II, 5.), *post* absolute positum est pro *postea* (qua de re vid. ad Ecl. I, 69.), ut voc. *tempore* neutiquam sit supplendum. Cf. Herm. ad Hom. H. in Merc. 126., ubi δηρὸν δὴ μετὰ ταῦτα legimus. Ladew. comparat Caes. B. G. VII, 60. *post paullo*, Cic. Cat. III, 5, 11. *post aliquanto* et Corn. Nep. Paus. 3, 1. *post non multo.* — 477. *longe lateque* redit Aen. VI, 378. Cf. de hac formula vir doctus in Observ. Miscell. Vol. II. p. 63. a Burm. laud. — 478. *morbo caeli*, i. q. Ecl. VII, 57. *vitio aëris.* Cf. Aen. III, 137 sqq. — *coorta est.* Ribbeck. *cohortast* ex Med. et Gud. Cf. eius Proleg. p. 423. et Wagn. Orth. Verg. p. 440. — 479. *tempestas*, aëris temperies. — *miseranda*, ut Aen. III, 138. *lues* ipsa *miseranda* dicitur. — *„totoque autumni incanduit aestu*, non tam exarsit, ortus est, aut duravit toto autumno, sed aër inflammatus est tota aestus autumnalis vi. Solet enim aestus autumni [qui apud Romanos incipiebat III. Id. Aug. et desinebat III. Id. Nov.] imprimis gravis et intolerandus esse et morbos gignere." *Heyn.* Cf. quos Obbar. laudat ad Hor. Ep. I, 7, 5 sqq. Vol. I. p. 357. — 480. Ladew. sibi non constans hic et Geo. IV, 90. *Neci dare*, Aen. II, 85. *Neci demittere*, et Aen. X, 662. *Morti demittere* grandi litera, contra vero Aen. V, 691. *morti demittere* et V, 806. *leto dare* minuta litera scripsit. Equidem, ut feram *Morti, Neci demittere*, quod componas cum *Orco demittere* Aen. II, 398., non tamen probare possum *Neci, Morti dare*, memor Lucr. VI, 1143. *catervatim morbo mortique dabantur* et V, 96. 998. *dabat exitio*, ubi de prosopopoeïa profecto cogitari non potest. — Peerlk. p. 383. ex hoc loco emendandos censet parallelos locos Martial. Spect. 21. et Anth. Lat. Burm. II. p. 436. [V, 143, 14.], ubi pro *pecudum genus omne ferarum* legendum sit *pecudum et genus omne ferarum*, et poterat sane hanc emendationem quodammodo fulcire alia Vergilii imitatione ap. Calpurn. II, 10. *Adfuit omne genus pecudum, genus omne ferarum.* — 481. „Ordinem, inquit Servius, secutus est, quem et Lucretius tenuit VI, 1094 sqq.

Nec via mortis erat simplex, sed ubi ignea venis
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus,
Rursus abundabat fluidus liquor omniaque in se
Ossa minutatim morbo conlapsa trahebat. 485

---

et Sallustius, primo aërem, inde aquam, post pabula esse corrupta." Wagn. aegre desiderat Copulam in altera versus parte; quare insistens vestigiis Serv. Dresd., in quo legitur *Corrupitque lacus infecitque pabula tabo* scribendum censet *infectaque*, causa corruptionis a praegresso *corrupit* repetita, vel: *Corruptique lacus infectaque pabula tabo.* Tamen vulgarem lectionem defendit ad Ecl. IV, 6., ubi vir doctiss. *infecit* idem fere esse docet, quod *corrupit*, ideoque h. l. quodammodo inter eos referri posse, ubi Verbum iteratum Copulae munere fungatur. Et sane contra omnium Codd. auctoritatem nihil hic mutandum, cum activa constructione continuata elegantia loci magis iuvetur, quam subito in passivam transitu, Copulae autem defectus in carmine facile excusari possit. Cf. supra ad v. 257. Non temere tamen Haunius in Ameis. Spicil. p. 36. adnotat: „Haud scio an v. 480. et 481. melius procederent, si ordine inverso scripti essent." Peerlk. autem p. 265. versum 481., qui adversetur vv. 494. et 520., spurium censet. Sed recte eum defendunt Ladew. *Beurtheil.* etc. p. 19. et Ribbeck. Proleg. p. 53., cum *pabula tabo* (i. e. veneno, miasmate aëris: cf. Lucr. VI, 1123 sqq.) *infecta* esse et tamen *herbae* externa specie fallentes *laetae* apparere potuerint. — 482. *„Nec via mortis erat simplex* [vid. ad Geo. II, 73.]; varii morbi exitus, variique mortis modi, quales mox nonnulli enumerantur; 483 sqq. 494 sqq." *Heyn.* Ab hac loci interpretatione, ultro se offerente et magis etiam Lucretii comparatione confirmata, non multum recedit Schirach. p. 588. haec disputans: „Haec simplicissima fortasse est interpretatio, ut *viam mortis* intelligamus de morbo letifero; cum itaque iam una morbi species suffecisset ad mortem parandam, mutabatur illa, et aliud succedebat morbi genus, priori fere contrarium. [Prius enim membra aestu (siti) torrida, postea fluido liquore soluta esse narrantur.] - - - Aperte intendit ad mortis miram varietatem, qua re fiebat, ut haud simplici modo mors accerseretur." Ceterum de *viis mortis* cf. v. c. Ovid. Met. XI, 792. Tibull. I, 3, 50. Val. Fl. I, 32. Lucr. II, 916. Liv. XXXI, 18, 7. Grat. Cyn. 409., ubi *leti viae*, Tibull. I, 9, 4. Grat. Cyn. 357. et Oros. V, 21., ubi *mortis via*, Quinct. Decl. XVII, 15., ubi *fatorum viae* commemorantur, Burm. ad Val. Fl. I, 501. et Broukhus. ad Prop. III, 5, 44. Servius hunc locum loco modo laud. (cuius etiam Oros. memor est scribens: *nec ipsius mortis erat via simplex aut una conditio*) ex Sallustii verbis *ne simplici quidem morte moriebantur* (fr. 40. Gerl.) fluxisse putat. — 482—485. „Primum aestu febris ingenti ac siti totum corpus torrebatur, mox contabescebat colliquatione ac resolutione omnium humorum." *Heyn.* — *Sitis* pro aestu, calore, unde sitis oritur, ut iam Servius exposuit. Cf. Lucr. VI, 1263. *Multa siti prostrata viam per proque voluta Corpora.* *„sitis ignea* h. e. sicca, arida, ut Stat. Theb. IV, 699. *haurit sitis ignea campos*, ubi alii ex interpret. *arida.* — *acta omnibus venis*, per omnes venas penetrans, se insinuans. *Intima pars hominum flagravit ad ossa*, Lucret. VI, 1166. — *adduxerat artus*, cute contracta, quod fit ea exarescente, ut in febri: *adducta cutis* ex Ovidio nota Met. III, 397." *Heyn.* Adde eiusd. Epist. XI, 27. *macies adduxerat artus*, et Lucan. IV, 288. *Ossaque nondum adduxere cutem.* — 484. *Rursus.* Vid. supra v. 138. — *liquor fluidus*, humores corrupti, tabum. Cf. Lucr. VI, 1202 sqq. — 485. *trahebat omnia ossa in se minutatim* (quod Adverbium amat Lucretius: vid. II, 1131. V, 1383. VI, 1190.) *morbo conlapsa*, quasi contagione quadam effecit, ut ipsa ossa quasi invita et reluctantia (cf. supra v. 424.) in tabidum liquorem resolverentur. Heyn. eiusmodi liquidationes et resolutiones ossium etiam in aliis morbis observari docet. Peerlk. tamen p. 265. coni. *cadebant* coll. Ovid. Met. VII, 826. *Subito collapsa dolore - - cecidit* et pluribus locis, ubi *in se residere, in se ruere* et similia leguntur, quibus p. 383. addit Val. Max. VI, 2. *ira in se ipsa collapsa est.* Ceterum huius loci memor fuit auctor Epigr. ex centonibus Verg. consuti in Anth. Lat. Burm. III, 81, 7. *Ossa*

Saepe in honore deum medio stans hostia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantis cecidit moribunda ministros.
Aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos,
Inde neque inpositis ardent altaria fibris
Nec responsa potest consultus reddere vates,
Ac vix suppositi tinguuntur sanguine cultri
Summaque ieiuna sanie infuscatur harena.
Hinc laetis vituli volgo moriuntur in herbis
Et dulcis animas plena ad praesepia reddunt:

---

minutatim fundo volvuntur in imo. Praeterea cf. Calpurn. V, 77. *putrida contrahet ossa.* — 486. Cum loco, qui hic sequitur, cf. Ovid. Met. VII, 593 sqq. Heyn. hostiam maiorem intelligit, taurum, cuius exta inspiciebantur; Voss. autem rectius ovem. — *in honore deum medio,* in medio sacrificio, quod diis parabatur, quo sensu *honorem* saepe dici constat. Hic pro omni re sacra positum, ut Aen. I, 632. et III, 406.; saepius pro iis, quae diis offeruntur: cf. Aen. I, 49. III, 118. Ovid. Met. VIII, 740. id Fast. IV, 409. Sil. VII, 184. et alibi. Cf. Bach. ad Ovid. Met. l. l. et Rupert. ad Liv. VIII, 32, 12. — *stans ad aram.* Cf. Geo. II, 395. Ovis autem sacrificio destinata propterea hic commemoratur, quia non nisi saluberrimo corpore praeditae hostiae eligebantur, ut eo magis mirum sit, eiusmodi quoque ovem subitam mortem occubuisse. — 487. *circumdatur*, scil. capiti. — *Infula* est pannus laneus capiti hostiae impositus et ab utraque eius parte dependens, qui *vittis* alligari et constringi solebat. Vid. Lucret. I, 88. 89. — *cunctantes* indicat modo, ministros apparationem sacrificii nondum finiisse. — 488. Wagn. Qu. Virg. XXIX, 2. b. docet, voc. *moribundus* apud Vergilium tria significare, et *morientem*, i. e. *ἀποθνήσκοντα*, Geo. III, 488. Aen. V, 374. X, 341. 590., et *moriturum*, Aen. IV, 323., et *mortalem*, Aen. VI, 732. Vid. etiam infra ad v. 501. — *ministros. Ministri* sacrorum satis noti. Cf. Lucr. I, 91. Ovid. Fast. III, 47. VI, 283—441. Stat. Silv. III, 1, 86. Cic. Cluent. 15. etc. — 489. *ante*, h. e. antequam moriens caderet, pestis vi enecta, vel etiam antequam peste correpta videretur, ut Wagn. et Ladew. explicant. — *inde* Serv. explicat *ex qua causa.* Sed cum *unde* et *inde* saepe pro *a quo*, *ab illo* ponantur (vid. Serv. ipse ad Aen. I, 6. et VI, 766.), sensus potius hic est: fibris (i. e. extis) ex hac hostia sumptis et impositis, non ardent altaria. Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 5. et Aen. I, 21. — *inpositis fibris.* Cf. Aen. I, 49. et Geo. I, 484. — *altaria* autem pro hostia iis imposita. — 491. „Intellige *exta muta*, cum aliqua pars aut deesset aut corrupta esset." *Heyn.* Hic exta peste corrupta intelligenda esse patet, quorum in haruspicina nullus erat usus. Cerda iam comparat Ovid. Met. VII, 600. — 492. „*suppositi cultri*, e sacro ritu subter iugulum adacti. Cf. Aen. VI, 248. et Serv." *Heyn.* Accuratius Wagn. in sacro piaculari diis inferis oblato, de quo hic cogitandum videatur, caput hostiae ad terram depressum et cultrum ab inferiore parte iugulo adactum esse docet. Cf. etiam Ovid. Met. VII, 599. aperte hunc locum respiciens: *victima - - - Exiguo tinxit subiectos sanguine cultros.* Ceterum Ribbeck. scripsit *tinguntur* et Haupt. *tinguontur.* — 493. *ieiuna sanie*, tenui humore eoque corrupto. Cf. supra II, 212. *ieiuna glarea* ibique adnott. cum Lucr. II, 844. *corpora succo ieiuna.* — 494. „*laetis* ad copiam refer; nam infecta erant pabula, vid. v. 481., et respondent v. sq. *plena praesepia;* cf. not. ad v. 320. — 495. *Dulces animas, μελίφρονα θυμόν.* Vid. Aen. III, 140. Expressit haec Stat. Theb. IV, 725 sqq." *Heyn. Dulces* videtur additum, quia vitulis ius longioris vitae habentibus mors imprimis acerba esse debet. *Reddendi* voc. Wakef. ad Lucr. VI, 1196., ubi *vitam reddere* legimus, satis recte ita explicat: „*Reddunt*, redonant, remittunt in illum aethera, unde, primum spiritum haurientes, vitam suam arcessiverint." Sic Stat. Theb. VIII, 324. et Vellei. II, 123. *reddere animam caelo*, id. Vellei. II, 14. *reddere ultimum spiritum*, Lucr. VI, 1197. *reddere vitam*, Ovid. Trist. III, 3, 35. *reddere lucem.* (Obiter tantum com-

Hinc canibus blandis rabies venit et quatit aegros
Tussis anhela sues ac faucibus angit obesis.
Labitur infelix studiorum atque inmemor herbae
Victor equus fontisque avertitur et pede terram
Crebra ferit; demissae aures, incertus ibidem

---

memore, in libello de gen. nom. p. 94. Haupt., ubi Vergilio adscribuntur verba *plena ad praesepia ponunt*, ex Ungeri de Valgio Rufo p. 209. not. 15. sententia Vergilii nomini Valgii substituendum esse. De dictione autem *vitam ponere* vid. adnott. ad Geo. IV, 238.) — **496.** Etiam peste illa Attica canes primos correptos esse, auctor est Thucyd. II, 50., quem sequitur Lucr. VI, 1220. — *canibus blandis.* Unus Parrhas. mutato verborum ordine *blandis canibus.* Sed quamquam in *blandis* soni sedes esse intelligatur, tamen, cum sequantur verba *aegros sues*, ex rhetorum praeceptis hic ab accurato quidem scriptore Adiectivum postponendum fuisse docet Nobbius in Syntagm. locc. parall. p. 101 sqq. Accedit vero etiam alia causa vulgari ordini favens, de qua diximus ad Geo. I, 366. Ceterum cf. Lucr. IV, 999. *catulorum blanda propago*, Nemes. Cyneg. 215. *hoc canibus blandis inviscerat artus* et v. 230. *blandas canibus componere mentes.* — *quatit aegros* etc. Cf. Wernsd. Poët. L. min. VI, 197, 8. *Cum quatit incurvos tussis anhela senes* et ibid. 312, 245., ubi *tussis anhela* redit. — **497.** De *angina* morbo loquitur, Gr. *ἀγχή* aut *βράγχῳ*, qui etiam suum morbus peculiaris. Cf. Aristot. H. Anim. VIII, 21. atque vide etiam Thucyd. II, 49. et Lucr. VI, 1187. — *fauces obesas*, obesae suis. Servius explicat *tumentes.* Ribbeck. *obesis* cum Med., Rom. et duobus Bern. Vid. adnott. ad Geo. III, 80. — **498.** Etiam equi, qui in ludis Circensibus victoriam reportarunt, morbo corripiuntur. Similes locos vide apud Cic. Cat. mai. c. 5. (ex Ennio), Ovid. Met. VII, 542. Tibull. I, 4, 31. et alibi. — *Labitur* nescio quo iure Ladew. explicet per vacillat, titubat („*es schwankt, wird hinfällig*"); loci enim, ad quos provocat, Aen. VI, 310. et 602. et Propert. IV, 4, 64., hanc significationem neutiquam probant. Videtur vir doct. Peerlkampii scrupulo (vid. ad v. 499.) ad hanc explicationem temere commotus esse. — *infelix studiorum*, cui nihil prosunt studia sua s. victoriae reportatae, quibus olim delectatus est; ut sententia similis sit iis, quae v. 525. de bove legimus: *Quid labor aut benefacta iuvant?* Constructio eadem est, quae Geo. I, 277. (ubi vid. adnott.) *felix operum.* Sic etiam Silius XII, 432. *Petilia infelix studii*, fortasse locum nostrum respiciens. Heyn. aliique (inter quos etiam Ameis. Spic. p. 36.) coniungunt: *studiorum atque herbae inmemor;* et sane negari nequit, caesuram primariam huic rationi quodammodo opitulari atque etiam duriorem verborum collocationem similibus locis posse defendi. Ut hic *inmemor herbae* et Ecl. VIII, 2. *inmemor herbarum*, sic ap. Sever. Sanct. in Wernsd. Poët. L. min. III, 223, 65. *graminis inmemor.* — **499.** *Victor* ad indignitatem rei augendam additur, cum nihil ei prosit vicisse certamine cursus. Ceterum haec vox eadem appositione voc. *equi* Adiectivi loco adiicitur Aen. VII, 656. Prop. III, 7 (9), 42. alibi. Sic etiam Aen. X, 891. *equi bellatores.* Videtur autem Singularis *victor* collective capiendus esse. Vid. infra ad v. 507. et 520. Ceterum Ribbeck. scripsit *equos* et Haupt. *ecus.* Vid. ad Geo. III, 114. — *fontes avertitur*, potum aversatur, ut ap. Stat. Theb. VI, 192. (vacca) *oppositas inpasta avertitur herbas.* Apud Sever. Sanctum l. l. legitur *fontes renuens.* Voss. comparat Graecum *ἀποστρέφεσθαι τὸ ὕδωρ* et *νοσφίζεσθαι.* — Peerlk., quem miror non intelligere, quomodo equus lapsus terram ferire possit, p. 383. coniicit *aut pede.* — **500.** *Crebra*, crebro, ut saepe. „Vid. Forbiger. ad Lucr. II, 359., ubi tamen *crebra* pro Nominat. primae Declin. haberi velim." *Wagn.* Cui viri doctiss. opinioni, per se non minus probabili, nihil aliud possum opponere, quam hunc ipsum Vergilii locum me movisse, ut etiam ibi *crebra* pro Adverbio positum acciperem. Ceterum cf. adnott. ad Ecl. III, 8. et supra ad v. 149. — *demissae aures.* Conington comparat *aures flaccidas* ap. Colum. VI, 30. — „*incertus*, qui per vices non certas accedit et recedit, inconstans [secundum Wagn. „nunc multus, nunc nullus", secundum Ladew. modo calidus, modo frigidus,

Sudor et ille quidem morituris frigidus, aret
Pellis et ad tactum tractanti dura resistit.
Haec ante exitium primis dant signa diebus;
Sin in processu coepit crudescere morbus,
Tum vero ardentes oculi atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis, imaque longo
Ilia singultu tendunt, it naribus ater

---

quae explicatio sequentibus verbis maxime iuvatur: cf. etiam Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 48.], *ibidem*, circa aures, capitis sudor. Cf. Lucret. VI, 1185. *Sudorisque madens per collum splendidus humor.* — **501.** *ille quidem morituris frigidus* ex notissimo quidem Hippocratis aphorismo IV, 37 *οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες, ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γιγνόμενοι, θάνατον σημαίνουσι* [cui Conington cum Cerda addit Nicandri Ther. 255.]" *Heyn.* — Wagn. Qu. Virg. XXIX. p. 512 sq. docet, Partic. *moriturus*, quod nusquam apud praestantissimos prosae orationis auctores legatur, a poëtis autem et ab ipso Vergilio satis frequentetur, ita differre a *moriens*, ut non sit simpliciter i. q. morti proximus, sed vel cui fatis destinatum sit mori, vel qui decreverit et paratus sit mori: coll. Geo. IV, 458. Aen. II, 511. IV, 519. X, 811. ib. 831. et praeterea Geo. III, 262. Aen. IV, 308. 415. 604. IX, 400. 554. XI, 741. XII, 55. 602. Sic igitur h. l. bene *morituris*, i. e. iis, quorum de salute desperandum, qui certo morientur (cf. quae sequuntur usque ad v. 510.), non *morientibus*, i. e. iam exspirantibus. Vid. etiam supra ad v. 488. adnott. — **502.** Cutis durescit et *ad tactum*, cum tangeretur, *tractanti*, tangenti, *dura resistit*, non cedit, quia tenta et sicca est, non mollis. Wakef. ad Lucr. VI, 1193. sine idonea causa coni. *attactu*. Codd. omnes aut *ad tactum*, aut *attactum*, aut *attractum* praebent. Ceterum cf. Lucr. l. l. v. 1193. *frigida pellis Duraque inhorrebat tactum.* — **503.** *dant*, scil. equi peste correpti. Nihil enim obstat, quominus v. 499. *equum* cum Ameisio Spic. p. 36. collective positum censeamus. — **504.** „Iungenda: *Sin in processu coepit crudescere morbus - - Profuit*, ut vss. 505. *Tum vero* cett. ad. v. 508. sint tamquam interpositi." *Heyn.* Ita etiam Wakef. locum intellexit, hos versus parenthesi includens; quod recte reprehendit Iahn., cum in iis signa morbi enumerentur et sensus sit: „Illa signa primis diebus apparent; sin autem morbus crudescit, haec sequuntur." — *crudescere*, crudiorem ac saeviorem, h. igitur l. *validiorem fieri*, quemadmodum Serv. explicat; ut contra *mitescere, molliri* dicuntur, quorum nimia vis imminuitur. — **505.** *ardentes oculi.* Cf. Lucr. l. l. v. 1145. *Et duplices oculos suffusa luce rubentes.* Ceterum in vivida rerum descriptione haud raro Participia vel Adiectiva pro Verbis finitis poni constat. Vid. adnott. ad Geo. II, 133. De triplici elisione cf. adnott. ad Geo. II, 441. Ceterum hunc versum cum hemistichio sequentis iterat poëta Anth. Lat. Burm. III, 81, 105 sq. — *attractus ab alto spiritus*, qui Horatio Epod. XI, 10. vocatur *petitus imo spiritus.* Cf. Lucr. l. l. v. 1184. *Creber spiritus aut ingens raroque coortus.* — **506.** Wakef. post *interdum* incidit, quod probat Iahn. — *gemitu gravis.* Lucr. V, 1157. *Intolerabilibusque malis erat anxius angor Assidue comes, et gemitu commixta querela.* — *gravis* pro gravatus, *beschwert* (*belästigt*), ut supra v. 95. *morbo gravis*, Liv. XXI, 48. *vulnere gravis*, Cic. Agr. II, 26. *gravis oneribus* Plin. Ep. XII, 27. *gravis vinculis* etc. Conington, qui multus est ad h. l. de Adiectivo *gravis* apud Verg. varia significatione cum Ablativo constructo, *gemitu gravis* explicat per *„groaningly heavy* s. gravis gemibundusque." — **507.** *„tendunt* se, ut iam saepe [vid. Ecl. IV, 45. Geo. I, 333. etc.]; aut *tendunt*, sc. pecudes, ut modo v. 503. *dant.* Redit sic ad totum genus armentorum." *Heyn.* Sed etiam ad solos equos antea commemoratos commode haec referri possunt; *ilia* autem Accusativum, non Nominativum esse, haud dubie omnes mecum censebunt. — *ima ilia singultu tenduut.* Idem exprimunt Horat. Epist. I, 1, 9. per *ilia ducere*, Lucan. autem Plin. XXVI, 6, 15. per *ilia trahere.* Cf. IV, 757. et etiam Stat. Theb. VI. 472. *longi suspendunt ilia flatus*, Cerda ad h. l. Turneb. Adv. XVII, 9. Barth. ad Stat. Theb. VI, 473. Cort. ad Lucan.

Sanguis et obsessas fauces premit aspera lingua.
Profuit inserto latices infundere cornu
Lenaeos; ea visa salus morientibus una;
Mox erat hoc ipsum exitio, furiisque refecti
Ardebant, ipsique suos iam morte sub aegra —
Di meliora piis erroremque hostibus illum! —
Discissos nudis laniabant dentibus artus.

IV, 757. et Obbar. ad Horatii l. l. Vol. I. p. 34. Lucr. l. l. sic pergit *Singultusque frequens noctem per saepe diemque. — it naribus ater Sanguis.* Cf. Lucr. VI, 1202. *Correptus sanguis expleteis naribus ibat* cum eiusd. libri v. 1146. *Sudabant - - fauces intrinsecus atrae sanguine.* — 508. „*lingua aspera*, inflammatione, *premit*, quia simul intumuerat (ut Ovid. Met. VII, 556. *Aspera lingua tumet*), *fauces obsessas*, seu simpliciter constrictas, interclusas ipso tumore, seu ulceribus, quae frequentia in hoc morbo, et a Lucretio etiam memorantur: v. 1146. *ulceribus vocis via septa coibat; φρυκταίνας* Graeci appellant." *Heyn.* Adde eundem Lucr. v. 1149. (lingua) *Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu* et cf. Anth. Lat. Burm. V, 162, 7. *Faucibus obsessis vitalis semita cessit.* — 509. „Imitatione expressa a Nemes. Cyneg. 228. 229. Vini usum omnes fere veteres hac in calamitate commendant, ut antisepticum; etsi saepius nocere quam prodesse debuit." *Heyn.* Cf. Colum. VI, 30. et Geop. XVI, 3. 4., a Voss. laud. Conington memorat, Arist. H. A. VIII, 21. loqui de vino aegrotorum suum naribus infundendo, [vel potius de naribus eorum vino elavandis.] — *latices Lenaeos.* Vid. adnott. ad Geo. II, 4. et Aen. IV, 207. — *cornu*, i. e. infundibulo corneo. Cf. adnott. ad Ecl. X, 59. — 511. *Mox erat hoc ipsum exitio.* Cum h. l. iam Macrob. Sat. VI, 2. (p. 165. Bip.) comparat similem Lucretii locum VI, 1226 sq. *Nam quod ali dederat vitalis aëris auras Volvere in ore licere et caeli templa tueri, Hoc aliis erat exitio letumque parabat.* — 512. *Ardebant furiis*, furore corripiebantur ii, quos vinum infusum refecerat. — Verba *iam morte sub aegra* hinc repetiit auctor Epigr. in Anth. Lat. Burm. I, 172, 47.—513. *Di, meliora piis.* Formula *Dii meliora* satis nota; quae sine verbo temporis, ut hic, legitur v. c. Cic. Phil. VIII, 3, 9. Val. Max. IV, 3. ext. 2., cum verbo autem v. c. Ter. Phorm. V, 8, 16. (*duint*) Tibull. III, 4, 1. (*ferant*) Ovid. Met. VII, 37. (*velint*) Lucil. fragm. Sat. XXVII. (*maluerint*). — *errorem*, furorem illum, quo correpti artus suos tamquam alienos lacerabant equi. *Error* haud raro de furore; quare etiam *errorem furoremque* coniungit Ovid. Am. I, 2, 35. Ceterum lectionem *errorem* non solum omnes fere Codd. tuentur, sed etiam Donat. ad Ter. Adelph. III, 3, 78.; in Cod. Rom. autem et aliis (Heinsio teste) legitur *ardorem*. Sed utrumque vocabulum a librariis saepe confunditur (cf. Heins. ad Ovid. Am, I, 10, 9. et Claudian. Epist. I, 7.), et *ardor* minus bene quadrat in equos semet ipsos pro aliis lacerantes. Cf. etiam Ecl. VIII, 41. Peerlk. p. 266. et Ladew. minus probabiliter cogitant de errore agricolarum, qui optimo consilio equis aegrotantibus vinum dent, quo magis iis noceant, quam prosint; quare optet poëta, ut Dii tales errores a piis hominibus abesse iubeant. Sed cum abominatio ipsa, tum locus, quo inseritur, hanc sententiam satis trivialem videtur refellere. — *errorem* (date) *hostibus*, impiis, scelestis, opp. *piis*. (Cf. Aen. III, 266.) Exemplum Nicandri Ther. 186. *Ἐχθρῶν που τέρα κεῖνα χαρήασιν ἐμπελάσσαι* aemulari Vergilium Heyn. docet. Cf. etiam Hor. Od. III, 17, 21. *Hostium uxores puerique caecos Sentiant motus orientis Austri* etc. Ovid. A. A. III, 247. *Hostibus eveniat tam foedi causa pudoris.* Prop. IV, 7 (III, 8), 20. *Hostibus eveniat lenta puella meis!* et similes loci. — 514. *Discissos nudis* etc. Litteris sibilis parum numerose cumulatis ipsius rei foeditas et atrocitas exprimi videtur. Cf. Bach. ad Ovid. Met. I, 327. — „*nudis - - dentibus.* Medic. a m. pr. *udis - - dentibus*, ut supra v. 388. *udum palatum* et alia. Heins. coni. *crudis d.* vel *avidis*; praestaret saltem *duris*. At *nudi* sunt nudati a labiis ore reducto, more ringentium, canum imprimis ac furiosorum. Recte Philarg. ut foeditatem exprimeret, adiecit *nudis*. Cf. Lucr. V, 1063. *Irritata canum - -*

Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
Concidit et mixtum spumis vomit ore cruorem
Extremosque ciet gemitus. It tristis arator
Maerentem abiungens fraterna morte iuvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbrae altorum nemorum, non mollia possunt
Prata movere animum, non qui per saxa volutus
Purior electro campum petit amnis; at ima

Mollia ricta fremunt duros nudantia dentes." *Heyn.* Conington conferri iubet Pers. III, 101. *dentes crepuere retecti.* De ipsa re vid. Veget. III, 5., quem Voss. testem citat. — **515.** „Malit fortasse aliquis: *Ecce etiam*; sed *autem* transitum facit ad novum, aeque miserum, spectaculum." *Wagn.* Cf. Aen. II, 318. 526. etc. — *fumans*, scil. sudore. Vid. Geo. II, 542. — *sub vomere*, sub arandi labore. Iteravit haec verba imitator Vergilii in Anth. Lat. Burm. I, 178, 251., ubi in Codd. falso legitur *sudans s. v. t.*, neque minus eorum memor fuit Ovid. Met. VII, 538 sq. — **517—519.** „Lacrimosam imaginem sensit et expressit Statius Theb. IX, 82—85. Alius locus e Tryphiodoro dignus, qui comparetur v. 14—16." *Heyn.* Cf. etiam Lucr. II, 352 sqq. *Nam saepe - - vitulus - - Turicremas propter mactatus concidit aras, Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen*; quem Maroni ante oculos fuisse, iam Macrob. Sat. VI, 5. (p. 180.) docuit, comparans etiam Aen. IV, 453. Simillimus est etiam alius Lucretii locus III, 488. *vi morbi saepe coactus Ante oculos aliquis nostros ut fulminis ictu Concidit et spumas agit, ingemit et tremit artus* etc. — *ciet gemitus.* Vid. adnott. ad Aen. III, 344. — **518.** *abiungere*, *ἀποζευγνύναι*, hac prima et propria significatione legitur etiam apud Prop. III, 10 (II, 18), 10. *Quam prius abiunctos sedulus lavit equos* (ubi tamen alii Codd., quos sequitur Keil., *adiunctos* praebent); translate autem usurpatum pro seiungere v. c. Cic. Att. II, 1. *Quod se ab hoc - - dicendi genere abiunxerit.* Cf. etiam Interpp. (imprimis Oudend. et Herzog.) ad Caes. B. G. VII, 56. Etiam huius loci non immemor fuit Severus Sanctus in Wernsd. Poët. L. min. II, 222, 47. *Tristem continuo disiungo coniugem.* — *fraterna morte* pendet a maerentem. Conington minus probabiliter construit cum *abiungens* et pro Abl. abs. *fratre mortuo* positum censet, ut Aen. IV, 502. *morte Sychaei.* — **519.** *relinquit.* Voss. contra optimorum Codd. auctoritatem contextui obtrusit paucorum librorum (inter quos sane Pal.) Donati ad Ter. Andr. III, 5, 1. et Servii ad Ecl. II, 70. lectionem *reliquit*, quod iure reprobat Iahn. ad Geo. IV, 434. Ceterum de fractis huius versus numeris ipsi rei aptissimis cf. adnott. ad Aen. XII, 910. — **520.** Extremam libri partem inde ab hoc versu Ribbeck. Proleg. p. 48. iectis his illis duplici modo melius ordinari potuisse censet, aut sic: 519. 534—536. 531—533. 537—547., aut sic: 519. 520—530. 548—550. 551—553. 556—566. Vid. etiam infra ad v. 534. — Quae hic sequuntur non ad unum illum bovem, de quo antea sermo erat, sed ad universum genus taurinum spectare, docet iam verbum *pascuntur* v. 528. Quare neque Heynio adsentior haec adnotanti: „Est tamen poëta dignius, non in toto boum genere morari, sed ad singula exempla procedere. Ita saltem ad unum taurum ex toto genere revocata puta dicta. In verbis expressit Lucretium II, 361. 363." neque Wunderlichio, cui vss. 520—525. ad alterum modo taurum *adiunctum* referendi videntur. Cf. etiam supra ad v. 507. adnott. — **522.** „*Electrum*, metallum (cf. Aen. VIII, 402.), non succinum, intelligendum puto, quia illud splendore nobilius, et commune fere poëtis est, ab argento aquarum perlucidum candorem notare. Adstipulatur Servii auctoritas. Cf. Callim. in Cer. 29. et ib. Spanhem." Heyn. Callimachi verba haec sunt: *τὸ δ' ὡς ἀλέκτριον ὕδωρ Ἐξ ἀναδὰν ἀνέδυ*, ubi etiam Voss. non minus quam nostro loco de metallo huius nominis sermonem esse censet. Erat autem ex auro et argento ita mixtum, ut quatuor partibus aureis, una argentea constaret. Cf. Pausan. V, 12, 6. Plin. XXXIII, 4, 23. (*Electri natura est ad lucernarum lumina clarius argento splendere.*) Isidor. Orig. XVI, 24. et quae Kraus. disseruit in Pauly *Realencycl.* III. p. 68 sq. —

Solvuntur latera atque oculos stupor urguet inertis,
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor aut benefacta iuvant? quid vomere terras
Invertisse gravis? atqui non Massica Bacchi
Munera, non illis epulae nocuere repostae:
Frondibus et victu pascuntur simplicis herbae,
Pocula sunt fontes liquidi atque exercita cursu

---

at hic eadem ratione usurpatum, qua supra Geo. II, 246., ubi vid. nott. — 523. *Solvuntur latera* Heyn. explicat per „flaccescunt, corrugantur," rectius vero Wagn. per „dependent flaccida." Haupt. et Ribbeck. cum Pal. scribunt *Solvontur*. Cf. Ribbeck. Proleg. p. 438. — *ima*, usque ad imam partem, quantum omnino dependere possunt. — Verba *oculos stupor urguet inertes* hinc iteravit idem ille Verg. imitator in Anth. Lat. Burm. I, 178, 315. Ceterum cf. Aen. X, 745. *oculos - - ferreus urguet Somnus.* — 524. *Ad terram fluit - - cervix.* Sic Aen. XI, 828. Camilla moriens *Ad terram non sponte fluit.* Cf. etiam Curt. VIII, 14. *Rex fluentibus membris omissisque armis vix sui compos.* — 525. „Alii distinguunt *bene facta* ut sint facta praeclara. Atqui enarrantur mox beneficia in homines." *Heyn.* Verba *Quid labor aut benefacta invant?* hinc repetita vides in Anth. Lat. Burm. l. l. v. 276. Ceterum cf. Geo. II, 515. *meritos iuvencos.* — 526. *terras graves*, spissum, pingue solum, unde difficilis aratio; *glaebae cunctantes*, ut Geo. II, 236., quaeque non minus *gravi vomere*, *gravi labore* indigent." *Heyn.* Wakef. ad Lucr. I, 212., ne *terras* sequatur post terram, coni. *glebas;* sed vid. adnott. ad Geo. II, 125. — *atqui* etc., et tamen morbum non heluatione contraxerunt. — *Massica* vina. Vid. Geo. II, 143. ibique adnott. — 527. „*epulae repostae*, in tam varia interpretatione malim accipere pro simplici *positae*, *appositae*, ut Geo. IV, 378. *et plena reponunt pocula.* Si tamen vis in composito quaerenda, equidem inde petam, quod singuli ferculorum missus novis mensis apponi solebant, ut sit iterum iterumque apponere. Sic Aen. VII, 134. *reponite vina mensis.*" Haec *Heyn.*, cui adsentitur Conington. At licet verum sit, *reponere dapes et pocula* pro iterum apponere legi Aen. VIII, 175., hic tamen ex oppositis illis verbis, *Frondibus et victu p. simpl. herbae*, non tam de largis et iteratis, quam de lautioribus et exquisitioribus cibis sermonem esse patet. Quare rectius, puto, Burm., Voss., Wunderl. et Wakef. ad Lucr. III, 347. per *epulas repostas* significari censent studiose conquisitas et ad coenae luxum, ad exquisitiores usus in cella penaria servatas; quae simplicissima ideoque verissima videtur locum intelligendi ratio. Quod enim Heyn. adnotat: „At epulae in cella carnaria ita servatae vereor, ne nauseam moturae sint gulosis" et Conington repetit, coll. loco Quinct. Inst. II, 4. *necesse est his - - fastidium moveant, velut frigidi et repositi cibi*, id non multum valet; inter varios enim cibos discrimen faciendum est neque quisquam cogitabit de cruda carne diu asservata. Cf. etiam supra v. 403. *hiemique reponunt*, IV, 157. *in medium quaesita reponunt*, et Hor. Epod. IX, 1. *repostum Caecubum.* Wagn., qui singularem de h. l. scripsit Quaestionem (XLI.), coll. locis Geo. IV, 378. Aen. VII, 133. VIII, 175 sqq. demonstrare studet, *reponendi* verbum, ut *instaurandi* (Aen. IV, 60. V, 94. VIII, 263. VII, 109—147.), Vergilio imprimis ad rem sacram epulasque sacrificales referri: cum vero has epulas imprimis lautas fuisse constet, adeo ut in proverbium abierint Pontificum coenae (Hor. Od. II, 14, 48.), dapes Capitolinae (Mart. XII, 48, 12.), Cereales (Plaut. Menaechm. I, 1, 25.) etc., *epulis repostis* hic indicari lautitias, quales essent epularum sacrificalium (cui explicationi recte adversatur Conington); in min. tamen edit. Wagn. mutata sententia et coll. loco Aen. III, 364. (ubi *repostae terrae* sint longe remotae) *repostas epulas* easdem esse censet, quas Silius XIII, 354. hunc locum imitatus (?) *mensas alia tellure petitas* dixerit; quod et ipsum paullo artificiosius censendum. Ceterum contracta Participii forma *repostus* redit Aen. I, 26. III, 364. VI, 59. 655. XI, 149. Vid. etiam Lucr. I, 1058. III, 884. Hor. Epod. IX, 1. etc. — 529. *Pocula* (i. e. potio) *sunt fontes.*

Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
Concidit et mixtum spumis vomit ore cruorem
Extremosque ciet gemitus. It tristis arator
Maerentem abiungens fraterna morte iuvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbrae altorum nemorum, non mollia possunt
Prata movere animum, non qui per saxa volutus
Purior electro campum petit amnis; at ima

Mollia ricta fremunt duros nudantia dentes." *Heyn.* Conington conferri iubet Pers. III, 101. *dentes crepuere retecti.* De ipsa re vid. Veget. III, 5., quem Voss. testem citat. — **515.** „Malit fortasse aliquis: *Ecce etiam*; sed *autem* transitum facit ad novum, aeque miserum, spectaculum." *Wagn.* Cf. Aen. II, 318. 526. etc. — *fumans*, scil. sudore. Vid. Geo. II, 542. — *sub vomere*, sub arandi labore. Iteravit haec verba imitator Vergilii Anth. Lat. Burm. I, 178, 251., ubi in Codd. falso legitur *sudans s. v.* neque minus eorum memor fuit Ovid. Met. VII, 538 sq. — **517—519.** „ crimosam imaginem sensit et expressit Statius Theb. IX, 82—85. A locus e Tryphiodoro dignus, qui comparetur v. 14—16." *Heyn.* Cf. e Lucr. II, 352 sqq. *Nam saepe - - vitulus - - Turicremas propter mac concidit aras, Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen*; quem roni ante oculos fuisse, iam Macrob. Sat. VI, 5. (p. 180.) docuit, comp etiam Aen. IV, 453. Simillimus est etiam alius Lucretii locus III, *morbi saepe coactus Ante oculos aliquis nostros ut fulminis ictu C et spumas agit, ingemit et tremit artus* etc. — *ciet gemitus.* Vid. ad Aen. III, 344. — **518.** *abiungere*, ἀποζευγνύναι, hac prima pria significatione legitur etiam apud Prop. III, 10 (II, 18), 10. *Qu abiunctos sedulas lavit equos* (ubi tamen alii Codd., quos sequi *adiunctos* praebent); translate autem usurpatum pro seiungere v. c II, 1. *Quod se ab hoc - - dicendi genere abiunxerit.* Cf. etiam In primis Oudend. et Herzog.) ad Caes. B. G. VII, 56. Etiam huius l memor fuit Severus Sanctus in Wernsd. Poët. L. min. II, 222, 4 *continuo disiungo coniugem.* — *fraterna morte* pendet a mae nington minus probabiliter construit cum *abiungens* et pro Abl *mortuo* positum censet, ut Aen. IV, 502. *morte Sychaei.* — **519** Voss. contra optimorum Codd. auctoritatem contextui obtrusit pa rum (inter quos sane Pal.) Donati ad Ter. Andr. III, 5, 1. et Se 70. lectionem *reliquit*, quod iure reprobat Iahn. ad Geo. IV, de fractis huius versus numeris ipsi rei aptissimis cf. adnott 910. — **520.** Extremam libri partem inde ab hoc versu F p. 48. eiectis his illis duplici modo melius ordinari potuisse 519. 534—536. 531—533. 537—547., aut sic: 519. 520—53 —553. 556—566. Vid. etiam infra ad v. 534. — Quae hic s unum illum bovem, de quo antea sermo erat, sed ad taurinum spectare, docet iam verbum *pascuntur* v. 528. Q adsentior haec adnotanti: „Est tamen poëta dignius, nor nere morari, sed ad singula exempla procedere. Ita sa rum ex toto genere revocata puta dicta. In verbis exp 361. 363." neque Wunderlichio, cui vss. 520—525. ad rum *adiunctum* referendi videntur. Cf. etiam supra **522.** „*Electrum*, metallum (cf. Aen. VIII, 402.), gendum puto, quia illud splendore nobilius, et con ab argento aquarum p[illegible]lucidum candorem notar auctoritas. Cf. Callim. [illegible] et ib. Spanhem." haec sunt: τὸ δ' ὡς [illegible] non minus quam nost[illegible] Erat autem ex aur[illegible] una argentea const[illegible] *natura est ad lu*[illegible] XVI, 24. et [illegible]

Flumina, nec somnos abrumpit cura salubris.
Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quaesitas ad sacra boves Iunonis et uris
Inparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo aegre rastris terram rimantur et ipsis
Unguibus infodiunt fruges montisque per altos
Contenta cervice trahunt stridentia plaustra.

Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 28. et supra ad v. 379. — 529. 530. *exercita cursu Flumina*, assiduo cursu agitata. Wagn. enim recte adnotat, his verbis significari aquam currentem, limpidam, non stagnantem: quam explicationem requirat, quod praecesserit, *liquidi fontes*. Cf. Hor. Od. IV, 14, 19. *Indomitas prope qualis undas Exercet Auster*. Sic etiam Lucr. II, 96. de atomis: *adsiduo varioque exercita motu*. Vid. etiam Ameis. in Jahnii Nov. Annal. LXII. p. 48., qui comparat Hor. Ep. I, 2, 43. (amnis) *Labitur et labetur in omne volubilis aevum*. Wakef. ad Lucr. V, 263. confert Minuc. Felic. 17., quem ex Vergilii imitatione putat scripsisse: *Vide fontes: manant venis perennibus; fluvios intuere: eunt semper exerciti* (pro vulg. *exercitis*) *lapsibus*. [Prius cum Burm. aliisque temere explicui: longo cursu vexata, fatigata, ut *fessae erroribus undae* ap. Ovid. Met. I, 582.] — *somnos abrumpit cura*. Sic etiam Ovid. Am. II, 10, 19. *At mihi saevus amor somnos abrumpat inertes* et ex Ponto III, 6, 55. *Nec tamen iste metus somnos tibi rumpere possit*. Cf. etiam Hor. Ep. I, 10, 18. *Est ubi divellat somnos minus invida cura?* ibique Obbar. Fasc. V. p. 64. et Orell. — 531. „Tum factum esse aiunt id, quod nullo alio tempore in istis terris accidit, ut penuria candidarum vaccarum esset ad rem sacram." *Heyn. Quaesitas*, desideratas esse, defuisse. — 532. 533. „Male post Servium Intpp. Iunonem Argivam et eius sacerdotem, filiorum, Cleobis et Bitonis, pietate notam, huc advocant. — *sacra Iunonis* pro quibusvis sacris ponit; sed in his nivearum boum usus imprimis insignis erat ad pompam deae ducendam. [Currus enim Iunonis a duobus albis bubus vehebatur.] Itaque pro *bubus* [tunc deficientibus] *bufalos* (nam hi sunt h. l. *uri*: vid. sup. ad Geo. II, 374.) currui iunctos dicit. — *inpares* simpl., quod alter maior, alter minor, diverso etiam, si placet, colore, erat." *Heyn.* Quo magis etiam augetur rei incommoditas. Ameis. Spicil. p. 37. paullo subtilius *inparibus* metaphorice capiendum putat, „ut uri cogitentur, qui huic negotio impares sint, i. e. quibus contra fas et ritum sollemnem ad illud negotium utaris." Consentit mecum Conington. — „*donaria* h. l. pro donariorum loco, templo, ut *pulvinaria* pro templis, iam Servius exposuit." *Heyn.* Voss. apte comparat Apulei. Met. IX. p. 221. *cantharo et ipso simulacro, quod gerebam, apud fani donarium redditis et consecratis.* — *alta*, h. e. alte exstructa, ad significandam copiam et magnificentiam donariorum. — 534. Peerlk., qui p. 267 sqq. totum, qui sequitur locum inde a. v. 534. usque ad finem libri pro additamento Grammatici alicuius habet, in omnibus fere eius versibus aliquid tamquam Vergilio indignum vituperat. Quamquam autem negari non potest, hanc ultimam libri partem minus placere et plura inesse, quae aliter dicta velis, multa tamen, in quibus haesit Peerlk., iure defendi possunt et iam defensa sunt a Ladewigio in Progr. *Beurth.* etc. p. 19 sqq. Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 47., qui docet, etiam Senecam Oed. 149. 152 sqq. 160 sqq. (coll. cum Verg. v. 539. 544 sq. 551 sq.), Ausonium in Cent. nupt. v. 20. (coll. cum Verg. v. 539.) et Macrobium Sat. VI, 2. eadem hic legisse, quae nos. — *rimantur*. Cf. adnot. ad Geo. I, 384. Hic i. q. fodiunt, singulas glebas minuto rastro vertentes et comminuentes. Cf. Ladew. l. l., qui (minus apte) conferri iubet Tac. Hist. II, 29. *Tabernacula ducis ipsamque humum pilis et lanceis rimabantur*, Ribbeck. Proleg. p. 47. et Doederlein. Synon. V. p. 121 sq. — Ipsi homines terram fodiunt, et *fruges*, h. e. semina, *unguibus*, digitis, *infodiunt*, terra occulunt. *Unguibus* paullo audaciorem hyperbolam esse Ladew. Peerlkampio concedit, qua tamen etiam Hor. Sat. I, 8, 27. utatur: *scalpere terram Unguibus - - coeperunt.* — *contenta cervice*, quae intenditur. Cf. Cic. Tusc. II, 23, 54. *onera contentis corporibus facilius feruntur*. Ita *contendere vires, oculos, mentem*

Non lupus insidias explorat ovilia circum
Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
Cura domat; timidi dammae cervique fugaces
Nunc interque canes et circum tecta vagantur.
Iam maris inmensi prolem et genus omne natantum
Litore in extremo ceu naufraga corpora fluctus
Proluit; insolitae fugiunt in flumina phocae.
Interit et curvis frustra defensa latebris

---

etc. apud Lucretium (I, 335. IV, 809. 965. 990. etc.) aliosque haud raro. — 537. Etiam feras lues tentat. Cf. Lucr. VI, 219 sqq. et Ovid. Met. VII, 545 sqq. — *insidias explorat ovilia circum*, locum, occasionem insidiarum circa ovilia. Cf. Aen. IX, 59 sq. *Insidians*, quod legitur in Rom. et Gud., Nobbio in Syntagm. locc. parall. p. 105. iure glossema videtur, quod ex Aen. l. l. fluxisse suspiceris. — *nocturnus*, noctu; Adiectivo loco Adverbii temporis posito et ad Substantivum relato, ut saepe. Cf. Aen. IV, 303. ibique adnott. — *obambulat gregibus*, ut *obambulare muris* Liv. XXXVI, 34. et *obequitare castris, portis*, Liv. II, 45. XXI, 54. etc. Altera constructio cum quarto Casu poëtis modo frequentatur. Vid. Doederl. Syn. III. p. 50. De lupo autem gregibus obambulante cf. Aen. IX, 59 sqq. Videtur hunc locum respexisse Hor. Epod. XVI, 51. *Nec vespertinus circumgemit ursus ovile.* — *acrior* (mordacior) *cura* (dolor morbi) *illum domat*, nam ipse non minus, quam reliquum ferarum genus, morbo pestilenti correptus est. *Curam morbi* pro cura et anxietate morbo iniecta invenimus etiam ap. Iustinum XXIII, 2, 6. a Ladew. Progr. laud. p. 20. allatum. — 539. *timidi dammae. Dammae* ex vulgari opinione sunt *Dammhirsche, daini, dains*, secundum Vossium et Forcell. autem *Gemsen, camosci, chamois.* Sed Weber. ad Iuven. p. 536. (cum quo consentit Orell. ad Hor. Od. I, 2, 12.) docere studet esse *ἀνθόλωπας*, *Antilopen, Gazellen.* De genere vocis et de geminanda litera *m* cf. adnott. ad Ecl. VIII, 28. — 541. „Aristotelem Hist. An. VIII, 19, 20. [quocum consentit Plin. IX, 49, 73.] negare, pisces ullo pestilenti morbo tentari, iam Cerda notavit; et videri potest castissimus poëta potius ingenio indulsisse, quam rerum veritati, certe in illis, quae de serpentum v. 544. 545. strage memorat, quae qua fide, qua auctoritate posuerit, ignoro. Infectis tamen aquis pisces contagiosis morbis vexari, res est inter historiae naturalis auctores nunc satis explorata.“ *Heyn.* — *Iam* in progrediente rerum narratione transitioni servit, ut Wagn. docet Qu. Virg. XXIV, 9. his exemplis collatis: Geo. II, 57. Aen. XI, 100. 213. XII, 704. etc. — *et genus omne natantum*, i. e. piscium, quos his verbis distingui a cetera *maris inmensi prole* non natante in promptu est; quemadmodum in fragm. carm. halieut. in Wernsd. Poët. L. min. I, 179, 26. *Dum populos pelagi canimus gentemque natantem.* Praeterea cf. Auson. Mos. 141. *caerula turba natantum* et 250. *vaga turba natantum*, itemque Lucr. II, 342. *natantes squamigerum pecudes.* Coningtion confert Soph. fr. 856. (Nauck.) *ἰχθύων πλωτῷ γένει.* Eadem ratione Geo. IV, 16. Aen. VI, 239. 728. et ap. Lucr. II, 1083. *volantes* pro apibus et avibus, Geo. I, 272. *balantes* pro ovibus, et apud Ovid. Met. VIII, 411. et 344. *latrantes* pro canibus usurpatum videmus. Vid. etiam adnott. ad Geo. I, 393. et supra ad v. 147. — 542. *Ceu naufraga corpora*, scil. hominum. Cf. Aen. I, 70. et adnott. ad Aen. I, 193. — *Litore in extremo fluctus Proluit.* Cf. Ecl. I, 60. *Et freta destituent nudos in litore pisces.* — 543. Wagnero displicet *proluit*, qui potius *proiicit* aut simile quid exspectat; sed cf. Geo. I, 481. et Aen. XII, 686. — „*insolitae fugiunt*, id facere non solitae. Cic. Verr. III, 37. *Cur prudentissimas feminas in tantum virorum conventum insolitas invitasque prodire cogis.*“ Ita *Wund.*, rectius quam Heyn., qui *insolitae* explicat insolito more. (Cf. idem Wunderl. in Praef. p. XVI. sq.) Sensus igitur est: phocae, mari adsuetae, fugiunt in flumina sibi adhuc ignota. — *phocae*, vituli marini, (Phocae vitulinae *Linn.*, nobis *Robben* vocatae). Cf. infra Geo. IV, 395. 432. Ovid. Met. I, 300. II, 267. Plin. IX, 7, 6. et 13, 15. — 544. *curvis la-*

Vipera et attoniti squamis adstantibus hydri.
Ipsis est aër avibus non aequus et illae
Praecipites alta vitam sub nube relinquunt.
Praeterea iam nec mutari pabula refert
Quaesitaeque nocent artes; cessere magistri,
Phillyrides Chiron Amythaoniusque Melampus.
Saevit et in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone Morbos agit ante Metumque,

---

tebris, ut Geo. II, 216., ubi vid. adnott. — 545. *attoniti*, torpentes, rigentes. — *squamis adstantibus*, stantibus, erectis, horrentibus. Peerlk. dubitans de hac vocis significatione, si versus esset Vergilii, praeferret Schraderi coni. *exstantibus*, omnino autem historiae naturalis peritos negare memorat, serpentibus in subito terrore squamas exstare; atque etiam Ladew. l. l. p. 21. proponit coni. *stagnis in stantibus* vel *stagnis a stantibus* (ut Praep. *a* usurpata sit, quemadmodum Ecl. I, 8. et III, 2.), cum *stagnum* neutiquam iam per se aquam stantem significet (coll. Doederl. Synon. V. p. 30.) Sed Vergilius certe de arrectis serpentum squamis non dubitat. Vid. Aen. XI, 754. De ipsa re Voss. confert Senec. Oed. 152. *Perdidit pestem latebrosa serpens, Aret et sicco moritur veneno.* — 546. De avibus quoque pestifero morbo correptis cf. Lucr. VI, 1213. et Ovid. Met. VII, 536. *non aequus*, non innoxius Cf. supra Geo. II, 225. Conington adnotat, *non aequus* esse i. q. ap. Lucr. VI, 741. *contrarius* (*Averna - - avibus contraria cunctis.*) — (Ribbeck. cum Gud. a m. pr. *aequos*, Haupt. *aecus*, ut postea ille cum Palat. *relinquont*, hic *relincunt*, cum Med. exhibeat *relinqunt*. Cf. Ribbeck. Proleg. p. 392. et 443.) — 547. Cf. Aen. V, 518. *figit sub nube columbam, Decidit exanimis vitamque reliquit in astris Aetheriis.* — 548. *Praeterea*, quod contagio latius serpit, iam vel pabula mutata nihil amplius iuvant etc. — Eo, quo nos cum plurimis editoribus verba sequentia posuimus, ordine exhibentur a Med., Pal., Gud. aliisque libris: Ribbeck. autem cum Macrob. Sat. VI, 2, 13. edidit *nec mutari iam*. Rom., unus Bern. et Beda de metris p. 2363. praebent *nec iam mutari*. Particula *nec* eadem ratione videtur capienda, qua Ecl. III, 102., ubi vid. adnott. — 549. *Quaesitae nocent artes*, parata remedia. Iteravit haec verba imitator Vergilii in Anth. Lat. Burm. I, 178, 429. — „*cessere magistri* [pastores (cf. Ecl. II, 33. et supra v. 118., quorum etiam erat mederi aegroto pecori: cf. Aen. XII, 717. *pavidi cessere magistri*] cedunt morbo, (*mussabat tacito medicina timore*, Lucret. VI, 1177.) vincuntur, artem ei suam imparem esse vident medici, et quidem *praestantissimi*, quos nominibus clarissimis exornat *Chironis*, e Philyra Nympha et Saturno, et *Melampodis*, ex Amythaone, Aesonis fratre, nati, quorum hic quidem auguriis et *καθαρμοῖς* maxime illustris apud poëtas, alter vero herbis." *Heyn.* De *Chirone*, Centauro arte medendi claro, qui etiam Ovidio A. A. I, 60. metri causa *Phillyrides* pro Philyride, ap. Ovid. autem Met. II, 676. (coll. VII, 352.) et Fast. V, 391. *Philyreius* vocatur, cf. Homer. Il. XI, 830. Apollod. I, 2, 4. Apollon. I, 555. II, 1255 sqq. Hygin. f. 274. alii, de *Melampode* Apollod. I, 9, 11 sqq. II, 6, 1 sqq. Pherecyd. fragm. p. 131 sq. ed. Sturz. Diodor. IV, 68. Stat. Theb. III, 45. aliique. — 551—553. „Versus longe praestantissimi et pictura omni vividiores. *Et pallida Tisiphone* e *Stygiis tenebris in lucem* emittitur, aut, quod gravius est, *emissa saevit*, et *ante se agit Morbos ac Metum*, et more eorum, qui hominibus sive augusta sive terribili forma apparebant, fit maior maiorque, *surgitque* adeo et *effert caput avidum*, quia ipsa mortis avida, *in dies altius*." *Heyn.* Male Schirach. p. 448. coniungit *saevit in lucem*, hunc locum comparans cum Geo. II, 332., qui prorsus alius est generis. *Morbos* autem *Metumque* in Orco habitare, discimus ex Aen. VI, 275 sq. — *Tisiphone*, Alectus et Megaerae soror, hic instar Furiarum omnium commemoratur. (Cf. Aen. VI, 570. X, 761. Culex 217. Ovid. Met. IV, 480. Prop. IV, 4 (III, 5), 40. Sen. Herc. fur. 984. Voss. apte comparat Senec. Oed. 160 sqq. Gratii Cyneg. 373 sqq. et Aen. XI, 274 sqq. — *ante*. Affert haec verba, cum Plin. Pan.

Inque dies avidum surgens caput altius effert.
Balatu pecorum et crebris mugitibus amnes
Arentesque sonant ripae collesque supini.
Iamque catervatim dat stragem atque aggerat ipsis
In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo,
Donec humo tegere ac foveis abscondere discunt.
Nam neque erat coriis usus nec viscera quisquam
Aut undis abolere potest aut vincere flamma;

75, 3. et Liv. XXI, 14, 4. collata, Hand. in Tursell. I. p. 378., ubi docet, hoc Adverbium interdum ita positum esse ante nominum Accusativum, ut ambiguitas quaedam, vel certe obscuritas existeret. Cf. etiam quae ad Ecl. I, 69. de eodem usu Adverbii *post* docuimus. Ceterum cf. similis Tibulli locus I, 2, 69. *Ille licet Cilicum victas agat ante catervas* (i. e. *vor sich her*, ut h. l.) et Santen. in Bibl. crit. III. p. 68. — **553.** Cf. similem locum de Fama Aen. IV, 176 sq. — **554.** sqq. „Interea undique circa ipsam armenta et greges aegrotant, mox toti greges pereunt v. 554—557.; at quanto feralius ipsa *dat*, edit, *strages*, etc.! Priora imitatus est Gratius Cyneg. 373. *Quod sive a Stygia Letum Proserpina nocte Extulit, et Furiis commissam ulciscitur iram*, h. e. et emittit Furias, quae ulciscantur iras suas." *Heyn.* Ribbeck. Proleg. p. 48. v. 554. et 555. eiiciendos censet, cum balatus et mugitus commemoratio post languentium morientiumque pecorum descriptionem taedium movere debeat nec placeant amnes ovium et boum clamoribus sonantes. Ceterum cf. adnot. ad v. 520. — *Balatu pecorum*, propter frequentissimos hoc potissimum tempore eiulatus, ut recte animadvertit Wakef. ad Lucretii illa (VI, 1130.) *etiam pigris balantibus aegros*. Vid. etiam adnott. ad Geo. I, 272. — **555.** *Arentesque - - ripae*, quae prope exaruerunt. Cod. Rom. *horrentesque*, quam lect. utpote difficiliorem Nobbius in Synt. recepit. — **556—566.** „Unicus modus restabat pestilenti morbo medendi, ut tacta cadavera ex conspectu hominum auferrentur, *ut humo tegerentur*. Nihil enim ex toto animante usui alicui inservire poterat. *Coriorum* nullus erat usus, si quis ea deripere et corpora iis nudare in animum induxerat; *viscera* autem, h. e. corpora cuto nudata, carnes, in tanta copia nec aqua nec igni consumi poterant; restabat adeo, ut terra defoderentur. Sed v. 561. nec *lanae* ullus usus erat, corrupta *pelle* per ulcera et saniem, quae est *illuvies*, nec tutum erat eas lanas (*telas* a consequente appellat), pestilenti putredine infectas, *attingere*, h. e. tractare. Si tamen eas tractare (563), et vestem inde texere homines perstiterant, ubi quis vestem inde confectam, *amictus invisos*, quos abhorreres, induceret, *papulis*, pustulis, exanthematibus, carbunculis, rodenti sanie tumentibus, et foetido *sudore*, ac brevi tempore post *sacro igni* corpus infestabatur." Ita *Heyn.*, non ex omni parte vere, ut statim videbimus. — **556.** *Iamque catervatim dat* (sc. Tisiphone) *stragem*. Cf. Lucr. VI, 1142. *Inde catervatim morbo mortique dabantur*. — **557.** *dilapsa*, diffluentia. Cf. supra v. 484 sq. **558.** *Donec - - - discunt*, ut Ecl. VI, 85. *donec iussit* et Aen. VI, 745. *donec exemit*. Wagn. iure reprehendit Bothium *discant* coniicientem, (quod tamen exhibet Cod. Bern. b. in rasura) quasi hoc sit Tisiphones consilium; minus recte vero addit, *Donec* h. l. et Aen. VI, 745. idem esse, quod *cum tandem*; notatus propterea ab Handio Tursell. II. p. 294 sq., qui quaerens, quis umquam latine dixerit *cum tandem? donec* etiam hic nihil significare docet, nisi tempus, quod antecesserit, esse absolutum et terminatum. Cf. etiam Aen. V, 347. — Cum v. **559.** et **60.** conferri potest Lucretii locus VI, 1268 sq. *pellis super ossibus una Visceribus tetris prope iam sordique sepulta*, ad quem vid. Wakef. Errare autem Heyn. et Voss. in hoc loco explicando, neque hic sermonem esse de visceribus aut igne crematis aut in flumina proiectis, sed, quod iam Serv. vidit, de abluendis et coquendis in usum hominum, totius loci connexus luce clarius demonstrat. *Viscera* enim non solum exta, sed omnem carnem sub cute latentem significare, ad Aen. I, 211. docuimus — *undis abolere*, quod Burm. minus recte per coquere, mitigare explicat, est potius purgare taedroque odore liberare; „caro enim, ut Serv. adnotat, corrupta morbo quendam

Ne tondere quidem morbo inluvieque peresa
Vellera nec telas possunt attingere putris;
Verum etiam invisos si quis temptarat amictus,
Ardentes papulae atque inmundus olentia sudor
Membra sequebatur nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus sacer ignis edebat.

---

habet mucorem, qui non potest ablui. Item igni superposita aut putrescit aut durescit, nam non coquitur." *vincere* autem *flamma* pro coquere dicitur etiam Sereno Sam. de Med. 319. *cochleas undis calefactas et prope victas.* Similiter Tac. Hist. IV, 53. *Metallorum primitiae nullis fornacibus victae* et Ovid. Fast. II, 220. *nix Zephyro victa fluit.* Eadem ratione etiam dicitur *domare.* Cf. Ovid. Met. VIII, 649. *sectamque* (partem tergoris) *domant ferventibus undis* et Seren. Samon. 301. (ovum) *melle teres domitum ferventibus undis.* — 561. *Ne - - quidem* lectio est Med., Rom., Gud. aliorumque bonorum Codd.; vulgo *Nec - - quidem.* Cf. adnott. ad Geo. I, 126. et Hand. in Tursell. IV. p. 61. — 561. *inluvie, λοναία.* Coningt. conferri iubet supra v. 443., ubi *inlotus sudor* causa scabiei afferatur. — *peresa.* Ribbeck. cum Pal. *peressa.* Cf. eius Proleg. p. 445. — 562. „Fragm. Moret. *telas adiungere putres,* non indocte. Ita *telae* dictae sunt proprie; quod video etiam placuisse Vossio [comparanti Ovid. Met. VI, 55. *Tela iugo vincta est*]; casus tamen an iudicium lectionem produxerit, non dixero; auctoritas utique Codd. deest." *Heyn.* Iahn. Vossium temere refutat, ipsa vellera sine periculo attingi non potuisse ratus; sententia enim, quam Wagn. recte exposuit, haec est: Nemo vellera sine periculo poterat tondere, nec si tamen totonderat et telam inde fecerat, ullo ea erat usu, [quia putris erat ideoque statim rumpebatur] quid? quod, si qui tamen induerant eiusmodi vestem etc. Ita enim haud raro sententia aliqua conditionalis ex antecedentibus est intelligenda. Cf. supra v. 206. Aen. I, 334. VII, 436 sqq. X, 423. XII, 727. 730. 805. 80. (quos locos Wagn. collegit.) VI, 743 sqq. VII, 436 sqq. VIII, 522 sq. X, 423. XI, 406. XII, 727. 730. 808. 879. Ceterum de contagione ex eiusmodi tela orta Geissler. l. l. conferri iubet Additam. ad Indices Gotting. liter. Part. XLIV. p. 361 sq. — 563. *temptarat amictus,* periculum fecerat, utrum amictus sine noxa gestari possent, ut alibi *iter, fugam, equum, portam tentare* et similia. Ladew. l. l. p. 22. conferri iubet Lucr. V, 1367. Val. Fl. I, 197. 835. Sil. Ital. II, 518. Sall. Iug. 18, 7. Ribbeck. recepit Med. a m. pr. lectionem *temptaret,* quae quomodo defendi possit, nescio. — *invisos,* haud dubie ob tetrum habitum et adspectum. — 564. *papulae,* pustulae, tubercula cutis, de quibus cf. Celsus V, 28, 18. — „*sudor membra sequebatur,* se diffundebat per membra. Aen. IX, 812. *tum toto corpore sudor liquitur.*" *Heyn.* Wagn. satis apte comparat *fumos sequaces* Geo. IV, 230. Ameis. autem Spic. p. 37. paullo artificiosius: „ardentes papulae atque sudor prorumpebant sensim sensimque ex membris." — 565. *nec longo tempore* (i. e. per longum tempus) *moranti;* non per longum tempus eiusmodi veste tecto moras trahere licebat, dum sacro igni tentari coepit. — „*sacer ignis,* de quo cf. Colum. VII, 5. Lucret. VI, 1165., est erysipelatis *φλεγμονώδους* genus: vid. Celsum V, 28, 4.; quamquam is ab erysipelate diversum esse statuit. Aliis phlegmone est." *Heyn.* De sacro igne, morbo cancro carbunculove simili, praeterea cf. Lucr. VI, 660. 1166. Plin. XXVI, 11, 74. et Voss. ad h. l. Ceterum duos ultimos versus imitator Vergilii in Anth. Lat. Burm. I, 178, 424. sic in unum contraxit: *Membra sequebantur, artus sacer ignis edebat.*

P. VERGILI MARONIS

GEORGICON

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

De re apiaria et mellificio in hoc libro acturus, primo loco auctor exponit argumentum Maecenatisque propitiam voluntatem sibi exorat (1—7.). Inde de alvearii situ et alvearibus praecipit (8—50.); post de examinum exeuntium cura, seu vere ineunte vagantur (51—66.), seu ad pugnam inter duos reges exeunt (67—97.). Tum alteruter rex est necandus (98—102.); aut si temere vagantur apes, regibus alae sunt resecandae et herbae apibus gratae circa alveare serendae (103—115.). Cum attingat locum de horto colendo, hoc argumentum aliis tractandum relinquere se significat (116—148.). Tum agitur de ingenio, natura et moribus apum, quae quasi in republica vivant tam sollerter instituta, ut illae parte divinae mentis s. ratione praeditae esse videantur (149—227.). Sequitur locus de exemtione favorum et de ira apum in mellatione vehementissime exardescente (228—238.). Deinde exponitur, quae curanda sint, si alveus tam inops appareat, ut quidquid fuerit mellis ad apes per hiemem nutriendas intactum sit relinquendum, nimirum vermes suffiendo exigendos et inanes cellas, in quibus illi delitescere soleant, recidendas esse (239—250.). De morbis apum et morborum cura (251—280.) De examinis exstincti refectione et de progeneratione apum e putrescente corpore bovino (281—314.). Quod cum inventum Aristaei esse perhibeatur, descendit poëta ad narrationem fabulae, qua illi a Cyrene matre et Proteo edocto sacro piaculari instituto ex mactatorum boum corporibus putrescentibus apum examen restitutum esse feratur*) (315—558.). Quae sequitur brevis epilogus (559—566.).

*) Cf. adnott. ad v. 317.

Protinus aërii mellis caelestia dona
Exsequar. Hanc etiam, Maecenas, aspice partem.
Admiranda tibi levium spectacula rerum
Magnanimosque duces totiusque ordine gentis
Mores et studia et populos et proelia dicam.
In tenui labor; at tenuis non gloria, si quem
Numina laeva sinunt auditque vocatus Apollo.

---

1. De mellificio se dicturum esse poëta pollicetur. — *Protinus*, progrediens in canendis rebus rusticis; ut ap. Hor. Ep. I, 18, 67. *protinus ut moneam*, i. q. ut monendo procedam, ut monere pergam; ap. Cels. II, 33. *de quibus protinus dicturus sum* et alibi. Vid. Hand. Turs. IV. p. 621. Ribbeck. scripsit *Protenus* cum Pal. et Gud. a m. pr. Vid. adnott. ad Ecl. I, 13. — „*aërium mel* dicitur, quia ex rore (qui utique ex aëre defluit, inquit Servius) colligi ab apibus credebatur. [Vid. adnott. ad Ecl. IV, 30.] Seneca Epist. 84. *Quibusdam placet, non faciendi mellis scientiam apibus esse, sed colligendi.* Cf. Plin. XI, 12, 12. Aristot. Hist. An. V, 22. Colum. IX, 14, 20. Erroris quidem causa facile intelligitur; eadem tamen de causa, *caelestia dona*, deorum munus, appellat mel. Cf. Plin. l. l. Totus autem hic de apibus locus multis illustrari potest post Varronem III, 16., unde pleraque sumpta, ex Columellae libro IX., qui Vergilium secutus est. Adde Aristot. Hist. An. V, 20—22. et IX, 40. Plin. XI, 1—20. Geopon. XV., Pallad. I, 37—39." Haec fere *Heyn.* Respexit hunc locum auctor tetrastichorum in Anth. Lat. Burm. I, 189, 17. *Protinus aërii mellis redolentia regna* et v. 20. *humentesque favos, caelestia dona*, ut haud dubie etiam Colum. X, 4., qui *caelestia mella* commemorat. — 2. *Exsequar*, exponam, enarrem. Cf. Liv. III, 5. extr. XXVII, 27. extr. Tac. Ann. III, 65. Suet. Galb. 3. Plin. XX, 9, 33. etc. Alibi etiam *verbis* adiicitur, ut a Cic. ad Div. XI, 27. — 3. Verba *levium spectacula rerum* iterantur in Anth. Lat. Burm. III, 81, 10. et 58., versus autem, qui sequitur, ibidem v. 59. sic variatur: *Mores et studia et populum et proelia victus* (*Expediam*). — 4. *ordine*, i. e. certa quadam ratione, rite. Aliquot Codd. (quibus tamen Medic. iniuria adiungitur) *ex ordine*, i. e. deinceps, aliud post aliud. Wagn. Praepositionem memoriae lapsu a librariis illatam censet ex Geo. III, 341. et IV, 507. coll. adnott. ad Geo. I, 46. II, 47. 294. 513. III, 237. et Aen. V, 773. — 5. „*Ad populos* offendebat Schrader. et coni. *motus*, quod sane locum habere posset; sed populos dixit poëta, quia sub diversis regibus habentur apes." *Heyn.* Conington conferri iubet Colum. IX, 13, [12.], ubi *duo populi* apum pro duobus examinibus dicantur. — *proelia*. Vid. infra v. 67 sqq. — 6. Cf. Geo. III, 289 sq. Wunderl. comparat similem locum Tac. Ann. IV, 32. *Nobis in arto et inglorius labor.* — 7. *si quem Numina laeva sinunt. Sinere* (ut Graec. *ἐᾶν*) cum simplici Accus. Obiecti constructum invenimus etiam infra v. 47. Aen. IV, 540. VI, 96. IX, 620. X, 598. XII, 316. „*Numen*, *numina*, ut omnino pro voluntate deorum dicitur, ita in primis pro oraculis, vaticiniis, ominibus, auspiciis: Aen. II, 123. *quae sint ea numina divum*, quale illud sit responsum; VIII, 521. de auspicis monitu, et sic saepe; ergo etiam pro augurio." *Heyn.* Hic tamen non agitur de augurio. Romanis, qui auguria captantes ad meridiem se vertebant, in re augurali *laeva* s. sinistra, quae ab oriente venirent, erant fausta, secunda (cf. Plin. II, 54, 55. *Laeva prospera existimantur, quoniam laeva parte mundi ortus est.* Aen. II, 693. IX, 631. Liv. I, 18. Ovid. Fast. IV, 833. Phaedr. III, 18. etc.), *dextera* adversa. Quare si nihilominus haud raro *dextera* pro faustis, prosperis, propitiis usurpata invenimus, tum Romani Graecorum rationem sequuntur, quibus dextra auguria felicia habebantur, sinistra infelicia, idque non facile, nisi de rebus vel hominibus Graecis loquentes, eos sibi indulsisse invenimus. Cf. Dio Cass. II, 4. Aen. VIII, 302. ibique adnott. Gierig. ad Ovid. l. l. Thiel. ad Aen. II, 693. alii.

Principio sedes apibus statioque petenda,
Quo neque sit ventis aditus — nam pabula venti
Ferre domum prohibent — neque oves haedique petulci
Floribus insultent aut errans bucula campo
Decutiat rorem et surgentis atterat herbas.
Absint et picti squalentia terga lacerti

Haec quidem de auguriis. Sed *numina laeva* (cf. Silius XIV, 494. XV, 512., Martial. VI, 85, 3. Arnob. adv. gent. III, 26, s. *sinistra:* Lucan. IV, 194. Stat. Theb. I, 244.), Iahnio quoque auctore, numquam sunt alia, quam irata et adversa, quae hic recte dicuntur *sinere*, quod possunt prohibere, quodque ne prohibeant timemus; cum *dextra* (Stat. Silv. I, 2, 32. 4, 66. Theb. VI, 49. Achill. II, 64. Pers. V, 114. Ovid. Fast. I, 67. 69. etc.) sive propitia numina potius rei *faveant*. Quare secundum Iahn. sententia haec est: „Non tenuis gloria est ei, cui dii [infesti] non adversantur, neque Apollo vocatus aures dare recusat." Neque aliter ipse Gellius V, 12., Burm. et recentissimi editores (inter quos imprimis Ladew. et Coningt., qui non male nos commonefacit loci Geo. II, 484 sq., sunt conferendi) h. l. intellexerunt. Alii minus recte de invidia deorum cogitant, quod Ameis. Spic. p. 37. recte vituperat, comparans Theocr. VII, 100 sqq. Peerlk. tamen p. 275. epitheton omnino molestum et otiosum iudicans pro eo audacter coniicit *velle*. — *„auditque vocatus*. *Vocatus audio* est formula sollemnis de deo, qui post preces factas favet. Cf. Horat. Od. II, 18, 40. III, 22, 3. Mutata illa est Aen. III, 395. *aderitque vocatus Apollo*." *Wund.* Verba *auditque vocatus Apollo* hinc repetuntur in Anth. Lat. Burm. I, 172, 23. — 8. „De alvearii situ praecipit quae cavenda sint v. 8. — 17., quae optanda v. 18—32. Eadem praecipit Varro III, 16, 12 sq., quem poëta omnino secutus est, et reliqui, quos supra laudavimus, imprimis Columell. IX, 4—7. Idem locum hunc excitat c. 4. pr." *Heyn.* Voss. praeterea conferri iubet Pallad. I, 37. et Geopon. XV, 2. A vento tutum reddi alveare iubet, ne ab eo prohibeantur apes a volatu redeuntes. — *petenda*. Unus alterve Cod. *petendae*, quod Heins. recepit, perperam; cum non diversa sint inter se *sedes* et *statio*, ut recte censet Wagn. Bryce tamen docere studet, *sedem* latiore sensu dictum de tota regione, in qua apiarium instituatur, differre a *statione*, i. e. ipso alveario, et sequentia verba *quo neque sit ventis aditus, neque oves - - insultent* etc. per chiasmum esse explicanda. Ven. et Leid. *petenda est;* sed in eiusmodi praeceptis Vergilius Gerundivo Verbum subst. non solet addere. Cf. Wagn. Qu. Virg. XV, 7., qui confert Geo. I, 178. II, 363. 365. 371. 399. Aen. II, 118. etc. — 9. *Quo neque sit ventis aditus - - neque - - insultent*, i. e. et ubi non insultent, quod nihil aliud significare potest, nisi: quo oves haedique floribus insultantes pervenire non possint; nam per se patet, neminem tam stultum fore, ut alvos constituat, ubi vulgo oves haedique pascantur ideoque floribus insultent, quod verissime docet Ameis. Spic. p. 32., recte hunc locum dissimillimum esse iudicans iis, de quibus Wagn. ad Geo. III, 283. disputet. Conington adnotat, Plinium XI, 18, 19. aliam afferre causam, cur oves ab alvearibus arcendae sint. Verba eius haec sunt: *Inimicae et oves, difficile se a lanis earum explicantibus.* — 10. *haedi petulci* Macrobio teste VI, 5., ex Lucretio II, 368. petiti, ubi *agni petulci*. — 11. *Floribus insultent*, et ita apes in melle per prata colligendo turbent. — *bucula*. Ribbeck. cum Pal. *bocula*. Cf. eius Proleg. p. 437. — 12. *surgentes herbas*, crescentes, ut Ecl. V, 39. VI, 39. Geo. I, 161. et alibi. Ceterum hos quatuor versus 9—12. affert Colum IX, 4, 1. — 13. „Varia animantia, apibus insidiantia, ab alveari, quod *pinguia stabula* appellat, arceri iubet: vid. Colum. IX, 7, 5. 6., [quo auctore lacertus *velut custos vestibulo prodeuntibus inhians apibus affert exitium*] Inf. v. 242. stellio quoque memoratur." *Heyn.* *Absint*. Ribbeck. cum Gud. *Apsint*. Cf. eius Proleg. p. 390. — *picti lacerti*, ut Geo. III, 243. et Aen. IV, 525. *pictae volucres*. Cf. adnott. ad Ecl. I, 19. et Geo. l. l. Idem lacertus (s. stellio, vid. inf. v. 243.) Ovidio Met. V, 461. vocatur *variis stellatus corpora guttis*. — *squalentia terga*, qui multas habent in tergo maculas

Pinguibus a stabulis meropesque aliaeque volucres
Et manibus Procne pectus signata cruentis; 15
Omnia nam late vastant ipsasque volantis
Ore ferunt dulcem nidis inmitibus escam. 17
Neu propius tectis taxum sine, neve rubentis 47

---

tamquam squamas. Vid. adnott. ad Aen. X, 314., de constructione autem ad Ecl. I, 55. — 14. „*ab stabulis* pro vulg. *a stabulis* e Medic. revocavi, suasorem secutus Wakef. ad Lucr. IV, 245. Cf. adnott. ad Geo. I, 171.; *stabula* autem apum Colum. quoque commemorat IX, 6, 4." *Heyn.* Nos nunc reliquorum librorum omnium lectionem *a stabulis* cum Ribbeck., Ladew. (in recentiss. edit.), Coningt. et Wagn. in min. edit. (qui etiam conf. in Philol. Suppl. I. p. 375.) restituimus. Haupt. *ab* servat. — „*merops* nota avis, apibus inimica; *apiastram* vulgo vocant, aut ab apum comestione nomen imponunt *Immerwolf, Bienenfrass, Bienenspecht.*" *Heyn.* De *merope* (qui etiam *apiastra*, Linneo Merops Apiaster vocatur) cf. Plin. X, 33, 51. — *aliaeque volucres. Aliae* Schradero et Heynio nimis tenue vocabulum videtur pro reliquorum dignitate; quare ille plures coniecturas profert (*malaeque vol., avidaeque v., blattaeque v., vespaeque v.*); sed Semicolo, quod vulgo post *volucres* apparet, in Comma mutato, bene defendit Wagn. Codd. lectionem, quae ex Graecismo satis noto praeparet transitum ad Procnen, hoc modo: cum aliae volucres, tum maxime Procne, Graece ἄλλα τε πτηνά καὶ Πρόκνη, coll. Sturz. Lex. Xen. Vol. I. p. 141. et Qu. Virg. XXXIII, 6. Vid. adnott. ad Geo. I, 498. — 15. *Procne.* Cf. quae ad Ecl. VI, 78. adscripsimus. De vera nominis scriptura. quod in aliquot Codd. per *g* exaratum invenitur, cf. Heins. ad Ovid. Met. VI, 428. — „*pectus signata.* Ovid. Met. VI, 669. *neque adhuc de pectore caedis Excessere notae, signataque sanguine pluma est.* Maculas in hirundinis collo rubellas ab sanguine repetunt poëtae, quo, cum [Itylum] filium manibus suis iuiulabat, respersa est. Pro *maculis* itaque doctius *manus* memorat poëta." *Heyn.* Markl. tamen *manibus* substitui vult *maculis*, et Peerlk. p. 277. adeo coni. *maculis Ityli.* Ceterum poëta quidam in Anthol. Burm. I, 178, 304. huius loci memor scripsit *Philomela - - Pectus signata cruentum.* — 16. Ipsas apiculas aves illae rapiunt, ut pullis suis comedendas apponant. — *vastant, ipsasque volantes O. ferunt*, i. e. vastant ferentes. Vid. ad Ecl. VI, 20. VIII, 97. Geo. II, 85. et alibi adnotata. *Vastare* autem est caede implere, ut ap. Phaedr. III, 2, 13 sq. *Pecus trucidat, ipsos pastores necat, Et cuncta vastans saevit irato impetu.* Cf. etiam Aen. I, 471. ibique adnott. — *volantes*, substantive, ut Geo. III, 147. *volitans.* Cf. etiam Aen. VI, 239. 728. et Lucr. II, 1082. cum adnott. ad Geo. I, 272. — 17. *nidis* pro pullis. Cf. Aen. XII, 475. Conington comparat Colum. VII, 9 [13.]. *in cubili suam quisque matrem nidus exspectat.* — *inmitibus*, „crudelibus pullis, qui apum morte nutriuntur": Serv. Peerlk. p. 384. videtur coniicere *implumibus*, ut infra v. 513. Post hunc versum iam Heynius vidit rectius ponendos esse v. 47—50. „siquidem in philosopho dogmatico versaremur"; (quae melius omisisset, nam etiam poëta iustum sententiarum ordinem servare debet) eoque cum Ribbeckio (qui hos versus fortasse secundis demum curis additos et reliquorum ordini nondum insertos suspicatur: cf. eius Proleg. p. 34 sq.) et Ladew. eos vere transposuimus, dum Wagn. Schraderum secutus iis post v. 32. locum suum assignat. Bryce, Haupt et Conington a vulgari versuum ordine non discedunt. — 47. „Subiicit nonnulla, quae in adornando alveari cavenda sunt. — De *taxo* vid. Ecl. IX, 30. et Geo. II, 257. ibique adnott. — *sine*, adesse patere (*dulde*). Cf. Ecl. IX, 43. Aen. V, 163. 717. IX, 90. 291. 409. etc. Ladew. comparat Plin. H. N. VI, 14, 43. *Serpentium multitudo nisi hieme transitum non sinit* et Tac. Ann. V, 35. *Se quisque stimulant, ne pugnam per sagittas sinerent.* — „De *cancri odore*, cum est igni adustus (uri autem solet in variorum morborum cura), vid. Gesneri notam ad Colum. IX, 5, 6." *Heyn.* Apes nimirum hoc odore necantur. (Cf. Plin. H. N. XI, 18, 19.) — *rubentes* quia, dum coquuntur, rubrum colorem sumunt. Cf. quae de hoc usu prolepfico Adiectivorum et Particip. ad Geo.

Ure foco cancros, altae neu crede paludi, 48
Aut ubi odor caeni gravis aut ubi concava pulsu 49
Saxa sonant vocisque offensa resultat imago. 50
At liquidi fontes et stagna virentia musco 18
Adsint et tenuis fugiens per gramina rivus,
Palmaque vestibulum aut ingens oleaster inumbret: 20
Ut, cum prima novi ducent examina reges
Vere suo, ludetque favis emissa iuventus,

I, 320. II, 353. alibi adnotavimus. — *altae ne crede paludi*, ne fide paludi, quasi apibus vicina non possit vaporibus suis nocere. De duplici autem *neu - - neve* pro *ne - neve* posito vid. ad Geo. II, 298. Hic tamen facilius ferri potest, cum iam praecesserit Imperativus *ungue*. Cf. Hand. Turs. IV. p. 175. — 48. *neu crede eas paludi, aut* eiusmodi loco, *ubi*. De omisso Verbo substantivo post particulam *ubi* vid. adnott. ad Geo. II, 180. — 49. *odor gravis*, molestus, quia vehemens et teter est. Vid. adnott. ad Geo. III, 415. (et Ecl. X, 75.). Etiam Appulei. de mundo p. 368. Elm. loquitur de *graveolentibus coenis* et ap. Augustin. de Civ. Dei I, 8. legimus *Pari motu agitatum exhalat horribiliter coenum*. Scripsimus autem *caeni*, Cod. Med., Rom. aliosque cum recentissimis editoribus secuti. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 419 sq. et Ribbeck. Proleg. p. 393. — 50. „*offensa imago*, h. e. *solidis adlisa locis*, ut Lucret. IV, 574. Sequitur poëta Varronem III, 16, 12. cf. Colum. IV, 5. extr. Rei causam Plinius adiungit XI, 19, 21. *Inimica est et echo resultanti sono, qui pavidas alterno pulset ictu.*" *Heyn.* — „*pulsu sonant* proprie dicitur, cum vox, sonus quivis perfertur aëre ad saxa, unde *repercussu* redditur." *Wund.* — *vocis imago* ex Lucretii l. l., ubi de Echo: *Pars solidis adlisa locis reiecta sonorem Reddit et interdum frustratur imagine verbi*, et Varr. R. R. III, 16, 12., qui alvearia collocari iubet *potissimum ubi non resonent imagines*. (cum quo loco conferri potest Cic. Tusc. III, 2, 3.) Cf. etiam Hor. Od. I, 12, 3. et 20, 6. Val. Fl. III, 596. Silius XIV, 365. Auson. Epist. XXV, 9. etc. Ceterum vide imitationem huius loci in Anth. Lat. Burm. V, 69, 13. *Per cava saxa sonat pecudum mugitibus echo Voxque repulsa iugis per cava saxa sonat.* — 18. Quae hic Vergilius, eadem suadent Arist. H. A. IX, 40. Varro R. R. III, 16. Colum. IX, 5. et Geopon. XV, 2. a Coningtone laud. — „*stagna virentia musco*, stagna dulcis aquae, sive ripa musco obducta, sive saxis musco coopertis exstantibus. Cf. Geo. III, 144. Ecl. VII, 45. Lucr. V, 949. Hor. Ep. I, 10, 7. — *tenuis rivus;* nam profundus ac rapidus abriperet apes aquantes. Cf. Varr. III, 16, 27. aquam — ita *ut ne altitudine adscendat duo aut tres digitos* etc. — *tenuis fugiens rivus*, duplex epitheton. Vid. ad Geo. I, 407." *Heyn.* Male tamen Heyn. verba *fugiens per gramina* Commatis inclusit, cum *tenuis* Adverbii loco Participio adiectum sit; *tenuis* enim *fugiens* i. q. cum tenui aqua fugiens. Cf. Iahn. ad Geo. I, 320. p. 394. ed. II. et adnot. nostra ad Geo. I, 163. et Aen. VIII, 559. Burm. comparat Sen. Herc. Oet. 140. *Quem fugit Ismenos, tenui flumine languidus.* Ceterum Ribbeck. et Haupt. cum Med. a m. pr. scripserunt *rivos.* — 20. *vestibulum*, locum ante alvearia; vestibulum enim, quod temere interdum cum atrio confunditur, proprie est locus apertus ante aedes, inter aedes ipsas et viam relictus. Cf. imprimis Gellius XVI, 5. — *oleaster*. Vid. adnott. ad Geo. II, 182. — *inumbret* Heins. ex optimis Codd. (Med., Rom., Gud. a m. pr. aliisque, quibuscum conspirant Mss. Cortii ad Lucan. IV, 456.) revocavit; quare non video, cur Iahn. vulgarem lectionem *obumbret*, quam sane Colum. IX, 5, 4. agnoscit, retinuerit. — 21. *cum prima ducent examina*, cum primum evolaverint. Cf. adnott. ad Geo. III, 130. Ribbeck. scripsit *exagmina*. Vid. adnott. ad Ecl. IX, 30. — 22. *vere suo* Serv. recte interpretatur: sibi grato et aptissimo; ut navis suo fertur vento; ut suos, (vel non suos) vota habent deos, i. e. propitios. Vid. Gronov. Obs. IV, 17. Intpp. ad Tibull. III, 3, 28. et nobis adnott. infra ad v. 190. ad Aen. II, 396. et XII, 187. Heyn. adiungit aliam explicationem minus probandam: „quo ipsae natae sunt et

Vicina invitet decedere ripa calori
Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos,
In medium, seu stabit iners seu profluet humor,
Transversas salices et grandia conice saxa,
Pontibus ut crebris possint consistere et alas
Pandere ad aestivum solem, si forte morantis
Sparserit aut praeceps Neptuno inmerserit Eurus.
Haec circum casiae virides et olentia late

---

adolevere primumque velatum tentant.“ Voss. denique putat, comparari ver apum, quod incipiat ab aequinoctio verno et pertineat usque ad solstitium aestivum, cum hominum vere, quod a V. Id. Febr. incipiat, eamque interpretationem amplectuntur Ameis. Spicil. p. 37. (comparans infra v. 190. et Claud. LII, 2, 14. *metituruque suo rusticus orbe diem*) et Dietsch. Theol. Verg. p. 9. Peerlk. autem p. 385. transpositis verbis legi vult *cum prima sui - - - reges Vere novo*, eamque coniecturam Ladew. paullo cupidius in contextum recepit, coll. Geo. I, 43.; et Hanovius Sched. crit. p. 4. haerens in verbis *Vere suo*, cum Cod. Pal. praebeat lectionem *muo*, proponit coniecturam satis languidam *More suo*, quam recte reiicit Ribbeck. Proleg. p. 54 sq. Ceterum sunt, qui praeferant hanc distinctionem: *examina reges, Vere suo ludetque* etc. Sed quamquam alios poëtas copulam *que* interdum alteri demum tertiove atque adeo quarto et quinto enunciationis vocabulo adiungere constat (cf. v. c. Ovid. Trist. IV, 1, 74. ibid. V, 10, 40. Prop. III, 21, 16. etc. Burm. ad Ovid. Met. XIV, 30. Heind. ad Hor. Sat. I, 6, 43. Broukh. ad Tibull. III, 6, 48. Huschk. ad eiusdem I, 10, 51., Bach. ad eiusd. I, 1, 40. Ruddim. I. p. 323. not. 9. ibique Stallbaum., alii), Vergilium tamen, hoc non nisi praegressa Praepositione (vid. Ecl. V, 57. Geo. III, 524. Aen. II, 227.) et in vocc. *iamque* et *namque* (Ecl. III, 33. Aen. V, 733. VI, 72. 81. VII, 637. X, 614. 813.) sibi indulsisse contendit Wagn. ad Geo. I, 142., ubi vid. adnot. nostra; locis autem, ubi praeter hos in vulg. editt. *que* postpositum inveniatur, omnibus meliore vel interpunctione (ut h. l., Aen. III, 380. VI, 396. VIII, 354. IX, 766.), vel explicatione (ut Aen. X, 813., ubi vid. adnott.) nitorem suum posse restitui. — Ut hic *iuventus* de apibus, sic ap. Grat. Cyneg. 330. de canibus. — 23. *invitet decedere.* Cf. quae de hac constructione ad Aen. V, 485. adnotavimus; *decedere* autem *calori*, ut sup. Ecl. VIII, 88. et Geo. III, 467. *decedere nocti.* — 24. *obvia* (i. e. propensa voluntate excipiens, *entgegenkommend*) *arbos teneat* (examina) *hospitiis*, h. e. frondosum tectum, domicilium iis praebeat. Cf. infra v. 61. *frondea tecta* et Hor. Od. II, 3, 10., ubi commemoratur *hospitalis* arborum *umbra*, i. e. quae viatores ad se invitat. Vid. etiam Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 49. De forma *arbos* vid. adnott. ad Ecl. III, 56. — 25. *In medium*, scil. humorem, quod ex sequentibus supplendum. Sic poëtae haud raro Substantivum ad sententiam principalem pertinens secundariae immiscent sententiae. Cf. Aen. V, 28 sqq. VI, 568 sqq. — *seu stabit iners humor*, in stagno v. 18.; *iners*, non motus. Cf. Ovid. Met. IV, 434. *Styx nebulas exhalat iners*, ubi vid. Bach., comparans Sen. Herc. fur. 869. *iners Cocytus* et Ovid. ex P. IV, 10, 61., ubi *pigra palus* commemoratur. Adde Ovid. Her. XVIII, 122. *clivus inertis aquae* et Senec. Qu. Nat. V, 15. *conceptus vastos aquarum inertium.* Ribbeck. *umor*, ut ubique. — *seu profluet*, in rivis v. 19. — 26. *conice.* Cf. adnott. ad Ecl. VI, 19. — 27. Paullo aliter Varro R. R. III, 16, 27. *In aqua iaceant testae aut lapilli, ita ut exstent paulum, ubi* (apes) *assidere et bibere possint.* — 28. *alas Pandere ad aestivum solem.* Cf. Geo. I, 398. *tepidum ad solem pennas in litore pandunt.* Ribbeck. et Haupt. *aestivom.* Vid. ad Ecl. II, 22. — 29. *sparserit*, imbre. *Spargere* pro irrigare, irrorare. Vid. adnott. ad Ecl. V, 7. — *aut Eurus praeceps*, cum impetu irruens, *inmerserit Neptuno*, aquae. Cf. adnott. ad Ecl. IV, 32. — 30. „*Circum haec*, quae modo enarravit, circa fontes et stagna, amoena prata esse debent. Colum. IX, 5, 6. *circa totum apiarium.* De *casia*, herba coronaria, alibi *thymelaea*, cuius fructus in offi-

Serpylla et graviter spirantis copia thymbrae
Floreat inriguumque bibant violaria fontem,
Ipsa autem, seu corticibus tibi suta cavatis
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Angustos habeant aditus: nam frigore mella
Cogit hiemps, eademque calor liquefacta remittit.
Utraque vis apibus pariter metuenda; neque illae
Nequiquam in tectis certatim tenuia cera
Spiramenta linunt fucoque et floribus oras

---

cinis *granum Cnidium*, vid. ad Ecl. II, 49. (et Geo. II, 213.), de *serpyllo* ad Ecl. II, 11. [ubi etiam vidimus, Ribbeck. et Hauptium ubique scribere *serpullum*]. — *thymbra* eadem, quae satureia, *Pfefferkraut*, aut eiusdem saltem generis." *Heyn.* De *thymbra* (Satureia hortensi *Linn.*) cf. Dioscor. III, 25. Theophr. h. pl. VII, 1. Plin. XIX, 8, 50. Colum. IX, 4, 6. et X, 233. et Voss. ad h. l. — *graviter spirans* hic non est foede (ut Geo. III, 415. et 451.), sed bene et multum spirans, ut iam Serv. adnotavit. Conington conferri iubet Plin. XXI, 10, [34.] et XXV, 9, [70.], ubi de [abrotoni et peucedani] *odore iucunde* et *suaviter gravi* sermo sit. De coniunctione autem verborum *casiae - - serpylla - - et copia thymbrae floreat* vid. adnott. ad Ecl. I, 57. — 32. Etiam violae proveniant. Imitatione expressit h. l. Claudianus de rapt. Pros. III, 233. *prima sub luce, cum rore serenus Albet ager, sparsosque bibunt violaria succos.* — *violaria*, loca violis consita, h. l. pro violis ipsis possunt accipi. Per *violas* autem Voss. hic eundem florem, quem Ecl. II, 47., intelligendum censet. Ceterum praeter has herbas a Vergilio commemoratas alias etiam circa alvearia seri iubent Aristot. h. an. IX, 40. Varr. III, 16. Colum. IX, 4. 5. Pallad. I, 37. Plin. XXI, 12, 41., qui Vossio laudantur. — *inriguum* h. l. qui irrigat active, ut etiam apud Calpurn. Ecl. II, 49. *Inriguo perfunditur area fonte.* Ovid. Am. II, 16, 2. *inriguis ora salubris aquis.* Tibull. II, 1, 44. *Tunc bibit inriguas fertilis hortus aquas* (ubi vid. Broukh.). Calpurn. II, 35. *inriguis nutrire canalibus hortos.* Alibi *inriguus* passive dicitur de iis, quae humore aliquo irrigantur. Simplex *riguus* iam supra activa signif. usurpatum vidimus Geo. II, 485. — 33. „De fabrica alvearis. Vid. Colum. IX, 6. [*Si regio ferax est suberis, haud dubitanter utilissimos alveos faciemus ex corticibus, quia nec hieme rigent, nec candent aestate*] unde §. 1. colligas, *cortices suberis* potissimum h. l. intelligi." *Heyn.* Cf. Voss. ad h. l., qui praeter Colum. conferri iubet Plin. XXI, 14, 47. Pallad. I, 37. Geopon. XV, 2, 7. Adde Varronem R. R. III, 16, 15. — *Ipsa - - alvearia.* Vid. adnott. ad Geo. III, 387. „Antea de loci ratione, quo ponenda essent alvearia, praeceperat poëta; iam ad ipsa transit." Ita *Wagn.* Qu. Virg. XVIII, 2. a. Vid. adnott. ad Ecl. I, 38. — *corticibus - - vimine.* Nam stramineis alvearibus Romani non videntur usi. — *corticibus cavatis.* Cf. Geo. II, 387. et 453. — 34. Ribbeck. cum Med. a m. pr., Pal., Rom., uno Bern. et Charisio p. 82. scripsit *alvaria* (cf. eius Proleg. p. 388. et Wagn. Qu. Virg. XVI, 4. p. 559. cum iis, quae ad Geo. II, 453. adnotavimus) et cum uno Gud. *vimene* (cf. eius Proleg. p. 417.) — 35. *Angustos habeant aditus.* Vid. Colum. IX, 8, 5. *Foramina, quibus exitus aut introitus datur angustissima esse debent, ut quam minimam frigoris admittant*, coll. cum Arist. H. A. IX, 40. a Coningt. laud. — 36. *liquefacta remittit*, pro liquefacit; *remittere* pro resolvere. Ameis. Spic. p. 37. paullo artificiosius explicat: „ita resolvit coacta mella, ut rursus s. denuo liquida fiant", ut hic habeamus „elegantem periphrasin verbi *reliquefacit* Latinis ignoti." — 37. *Utraque vis.* Prosae orationis scriptor dixisset *Utriusque vis*, et frigoris et caloris. Cf. adnott. ad Aen. II, 171. *apibus metuenda.* Cf. adnott. ad Geo. II, 419. — „*neque - - Nequiquam*, h. e. ac propter hoc ipsum, *nequiquam* h. l. sine causa, frustra; at Geo. I, 95. 96. 192. 403. sine fructu." *Heyn.* Cf. adnott. ad Geo. I, 96. et Doederl. Synon. III. p. 100 sq. — *tenuia* (tenvia). Vid. ad Geo. I, 397. — 39. *Spiramenta linunt*, scil. hieme. *Spiramenta* autem Heynio, qui conferri iubet Colum.

Explent collectumque haec ipsa ad munera gluten
Et visco et Phrygiae servant pice lentius Idae.
Saepe etiam effossis, si vera est fama, latebris
Sub terra fovere larem penitusque repertae
Pumicibusque cavis exesaeque arboris antro.
Tu tamen et levi rimosa cubilia limo
Ungue fovens circum et raras superinice frondes.

IX, 7, 5., recte eadem sunt, quae v. 35. *angusti aditus*. Rimas alvearium tenues intelligunt Voss. et Conington, cui tamen explicationi adversari videtur v. 45. Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 90. — *fuco et floribus. Fucus* est melligo (*Bienenharz*) ex arborum lacrimis parata, qua inducitur et quasi infucatur alveus. Cf. Plin. XI, 6, 5. *Flores* autem pro succo florum s. cera sunt positi, quam apes ex floribus colligunt. Vid. infra v. 250. Voss. non aliter intelligi vult Tibull. II, 1, 49. *Rure levis verno flores apis ingerit alveo*, ubi tamen vid. Dissen. — *oras*, foramina, quibus introitus et exitus apibus datur (*die Fluglöcher.*). Vid. infra ad v. 188. Ceterum Heyn. docet, poëtae ante oculos fuisse Aristot. H. An. IX, 40. p. 944. ed. Par. D. et p. 945. A. — **40.** *haec ipsa ad munera*, ad linenda spiramenta et explendas oras. — *gluten*, s. glutinum, est *propolis* (*das Vorwachs, Bienenharz*), materia cerae similis, qua apes aditus alvearis obstruunt. Cf. Plinius XI, 7, 6. Varro III, 16, 23. et Voss. ad h. l. — **41.** *visco*. Vid. adnott. ad Geo. I, 139. — *servant*, reponunt, ut paratum habeant. — *Phrygiae Idae*. Vid. Aen. III, 6. De Idaea *pice* vid. Geo. III, 450. — **42.** „*effossis latebris*, in cavis terrae, non quasi ipsae effodiant, ut Servius videtur accipere. In ea se recipiunt vitandi frigoris causa." *Heyn.* Voss. laudat Arist. h. an. V, 22. — **43.** *fovere larem*, habitant. Cf. infra v. 155. et adnott. ad Geo. III, 420., ubi *fovit humum serpens*. Reiicienda est igitur aliquot Codd. (inter quos etiam Medic.) lectio *fodere*, quae ante Heinsium vulgaris erat. Cf. Heins. ad Geo. l. l. — **43. 44.** „Et reperiri solent intus in pumicum, s. saxorum, arborumque cavitatibus. Itaque repertum mel in rupium et arborum cavis." *Heyn.* Vid. Aen. XII, 587. *cum latebroso in pumice pastor Vestigavit apes*, coll. cum Hom. Il. II, 88 sq., quem Voss. laudat. — *exesae arboris*, ut Geo. I, 495. *exesa pila*, II, 214. *exesa creta*, IV, 419. *exesus mons*, Aen. VIII, 418. *exesa antra*, ap. Cels. VII, 12. et Plin. XXV, 13, 107. XXX, 3, 8. *exesi dentes* etc. Ribbeck. scripsit *exessae*. Vid. eius Proleg. p. 445. et supra ad I, 214. — *arboris antrum*, paullo insolentius pro caverna dici, iam Macrob. Sat. VI, 7. observavit. Sed insolentius etiam Iuven. IV, 21. lecticam vocat *clausum antrum* et Sidon. Epist. I, 2. et IX, 13. de *narium* et *palati antris* loquitur. Quare omnino repudianda nonnullorum Codd. deteriorum lectio *arboris alvo*. Heins. apte confert Sil. II, 219. *Ad dulces ceras et odori corticis antra Mellis apes gravidae properant*. Ceterum cf. Ovid. Fast. III, 747. *Audit in exesa stridorem examinis ulmo*, ibique Burm. — **45. 46.** Apum diligentiam apiarii opera adiuvandam esse docet. Idem, quod hic Vergilius, praecipiunt Varro R. R. III, 16, 16. Colum. IX, 14, 14. Plin. XXI, 14, 47. alii. — *tamen;* quamvis apes se ipsae tutari studeant a vi frigoris et caloris, tamen tu quoque adiuva curam. (Cf. etiam Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 50.) — *et levi - - limo*. Heins. ex pluribus libris, inter quos tamen Medic. falso affert (in quo et Foggin. et Freytag. *et levi* invenerunt: cf. etiam Ribbeckii Var. lect.), et Schol. Horat. Crucq. ad Od. I, 17. recepit *e leni*, quem ceteri fere omnes secuti sunt. Serv. (Dresd.) utramque lectionem agnoscit, et praeterea tertiam adiungit, *e levi*, quam ipse probat et male sic explicat: „quod illae nimio labore perficiunt, tu e levi unge rimosa cubilia circumfovens limo." Sed iam Burm. verissime docuit, hoc si voluisset Vergilius, ut *e levi*, quemadmodum alibi *e facili*, *e tuto* et similia dicuntur, seiunctum a *limo* absolute capiamus, primam syllabam voc. *levis* necessario corripiendam fuisse. Quae mihi consideranti et suspicanti, Vergilium, si cum medicis dicere voluisset *e limo unguere* (quemadmodum v. c. Celsus V, 28, 15. scribit: *Prius ungi ex cerussa pustulae debent*, ut alibi *ex aceto coquere, ex oleo terere* et similia), euphoniae numerique causa

Quod superest, ubi pulsam hiemem Sol aureus egit
Sub terras caelumque aestiva luce reclusit,
Illae continuo saltus silvasque peragrant
Purpureosque metunt flores et flumina libant
Summa leves. Hinc nescio qua dulcedine laetae
Progeniem nidosque fovent, hinc arte recentis
Excudunt ceras et mella tenacia fingunt.

---

potius scripturum fuisse *ex levi - - limo*, antiqua ipsius Cod. Medic. lectio *et levi*, iam a Vossio et Iahnio revocata, videbatur retinenda. Altera, per se quidem non deterior et ab Heyn. et Wagn. recepta, quorumnam Codd. auctoritate nitatur, non satis constat. (Ribbeck. duos Bern. affert.) Recentiores editores omnes, etiam Wagn. ipse in min. edit., nos secuti sunt. De ipsa re praeter Colum. l. infra l. cf. Varr. III, 16, 16. Plin. XXI, 14, 47. et Geopon. XV, 2. — *„Levis limus*, lutum aqua subactum et tactu lubricum et visu nitidum. — *rimosa cubilia*, in pedestri sermone: rimas cubilis, h. e. alvearis, *ungue circum, fovens*, hoc poëtico ornatu adiectum; nam ad calorem continendum alibi id fieri solet, ut rimas obturemus. Cetera illustrat Colum. IX, 14, 14. *Quidquid deinde rimarum est aut foraminum luto et fimo bubulo mistis illinemus extrinsecus, nec nisi aditus, quibus commeent, relinque. Et, quamvis porticu protecta vasa, nihilominus congestu culmorum et frondium supertegemus, quantum res patietur, a frigore et tempestatibus muniemus.“ Heyn. Cubilia* sic redit infra v. 243. idemque v. 189. sunt *thalami*. Cf. adnott. ad Geo. I, 411. — *superinice* cum recentioribus edit. coniunctim scripsi, cum poëtae in altera hexametri parte longiora ament vocabula. Ceterum vid. ad Ecl. VI, 19. — Pro *raras* exspectaveris potius *densas*, cum frondes superiniiciantur, ut alveare intus maiorem calorem retineat. Quare Hildebrand. in Iahnii Annal. l. l. p. 171. et ad Apul. Met. T. I. p. 256. non male coni. *stratas*, etiam apud Nep. Milt. 5, 2. aliquot Codd. *rarae* pro *stratae* exhibere commemorans. — 51. Vere ineunte exire (*schwärmen*) incipiunt apes. — *Quod superest*. Vid. adnott. ad Geo. II, 346. — *ubi pulsam hiemem* etc. Heyn. confert Colum. IX, 14, 1. et 18. *egit pulsam*, pepulit, *hiemem sol sub terras*. Interiorem enim terram aestate frigidam, hieme vero calidam putabant veteres. Cf. Lucr. VI, 841 sqq. — *caelum reclusit*, obductum antea nubibus ac nimbis. Sic etiam *retegere* Aen. IV, 119. *ubi - - Titan radiisque retexerit orbem* et Ovid. Met. VIII, 1. *Iam nitidum retegente diem noctisque fugante Tempora Lucifero*. Ladew. confert Liv. XXII, 6. *Cum incalescente sole dispulsa nebula aperuisset diem*. Ceterum cf. etiam Geo. III, 296. *frondosa recluditur aestas*. — 53. *saltus silvasque peragrant*. Cf. Aen. IV, 72. *silvas saltusque peragrat*. — 54. *purpureos flores*, simpl. pulchros, ut saepe. Cf. adnott. ad Ecl. IX, 40. et Geo. II, 319. *Flores* autem sunt particulae florum decerptae, ut apud Tibull. II, 1, 49. *Rure levis verno flores apis ingerit alveo* (ubi vid. Dissen.) Ovid. Met. XIII, 928. *Non apis inde tulit collectos sedula flores* et Colum. IX, 14. infra laud. — *„metunt* elegantius quam carpunt, [quod de apibus usurpatum legitur Hor. Od. IV, 2, 29. et Senec. Ep. 84.] Apud Lucr. III, 11. est *limare: Floriferis ut apes in saltibus omnia limant.“ Heyn.* Ubi tamen Lachmann. cum Avantio pariter *libant* edidit. Voss. latiorem *metendi* voc. significationem probaturus, praeter Geo. II, 410. conferri iubet Plin. XVIII, 22, 51. *toto anno metitur aliquid*. Peerlk. autem, qui *metunt* „vehementius putat, quam pro apibus“, p. 385. audacter conilcit *thymi flores*. — 55. Epitheto *leves* indicatur, cur suspensae in superficie aquae se librare possint. — *Hinc* (vid. infra ad v. 58.) *fovent*, curant, alunt, *progeniem nidosque* (ut v. 17. pro pullis), novos fetus suos. Vid. etiam Geo. I, 444. Heyn. conferri iubet Colum. IX, 14, 18. *Nam ab aequinoctio verno sine cunctatione iam passim vagantur et idoneos ad fetum decerpunt flores, atque intra tecta comportant. — nescio qua dulcedine laetae*. Eundem versum iam legimus Geo. I, 412., ubi vid. adnott. — 57. *tenacia mella*, propter ceram. Cf. infra v. 161. — *Fingunt*. Etiam ap. Cic. Off. I, 44, 157. apes *fingunt favos;* ut ap. Plin.

Hinc ubi iam emissum caveis ad sidera caeli
Nare per aestatem liquidam suspexeris agmen
Obscuramque trahi vento mirabere nubem,
Contemplator: aquas dulcis et frondea semper
Tecta petunt. Huc tu iussos adsperge sapores,
Trita melisphylla et cerinthae ignobile gramen,
Tinnitusque cie et Matris quate cymbala circum:

XI, 6, 5. *ceram fingunt.* — 58—62. „Itaque etiam nova examina, cum primum se aëri credunt, fontes et arbores petere videbis. *Hinc* [ter repetitum], ab hoc tempore, ad ordinem operis faciendi [ad operum faciendorum consecutionem: Ameis p. 38.] spectat." *Heyn.* Cf. Hand. Tursell. III. p. 91.: „Omnes poëtae *hinc* dixerunt, ubi id erat designandum, a quo aliud quid fieri inceperat." Geo. III, 494. IV, 55. Aen. II, 148. etc. Quare male vulgo post *hinc* Commate interpungitur, ac si hoc Adverbium cum *contemplator* v. 61. coninngendum esset. Recte Wagn. Comma sustulit. Unus Ribbeck. v. 58. e Cod. Pal. edidit *Hic*, quod iam Heynio (e Cod. Reg. Martini) praeferendum videbatur. — *Caveae* de alveo, a theatri sedibus petita imagine; quod tamen negat Conington, qui potius ad avium caveas (*Käfige*) et aves inde in libertatem vindicatas respici arbitratur. — 59. *Nare*, volare. Ut hic *nare* pro *volando*, ita *natare* apud Lucan. V, 554. *enare* Aen. VI, 14. ap. Lucr. III, 590. et Silium XII, 94., ubi vid. Drakenb., *tranare* apud eundem III, 681. Huc pertinent etiam *remigia* et *remi alarum, pennarum*, ab ipso Vergilio Aen. I, 301. VI, 19., a Lucretio VI, 743. (ubi vid. Wakef.), Ovid. Met. V, 558. Silio XII, 98. Apulei Met. VI. p. 179. Elm. et de deo Socr. p. 46. et alibi commemorati. Cf. praeter Drakenb. et Wakef. ll. ll., Graecorum quoque scriptorum locos simillimos afferentes, Serv. ad Aen. I, 224. Heins. ad Ovid. A. A. II, 47. Victorius Varr. Lectt. XXV, 23. Burmann. ad Quinct. Inst. VIII, 6. p. 735. Gossr. ad Aen. VI, 16. aliique. — *per aestatem liquidam*, per aërem aestate liquidum et serenum; ut *liquidus aër, aether.* — *suspexeris* pro: suspiciens videris, ut I, 261. *procudit* pro: procudendo acuit, II, 153. *rapit* pro: rapide facit, IV, 159. *exercentur agris* pro: opus suum exercentes vagantur per agros, 171. *fulmina properant* pro: properantes faciunt, 420. *unda sese scindit* pro: se scindens discurrit et similia. Vid. Ameis. in Lahnii Annal. LXII. p. 34. — 60. *trahi vento nubem.* Cf. infra v. 557. *Immensasque trahi nubes.* — *nubes* autem perpetuum de apum examine. Cf. Val. Fl. I, 396. (ab Heynio laud.) *Fuscat nube diem, dum plenas nectare cellas Pandit et in dulcem reges emittit Hymetton*, ibique Weitz. — 61. *Contemplator.* Vid. sup. ad I, 187. — 62. *Huc*, in frondea tecta, ne ulterius procedat agmen, utque in novum alveare condi possit, *adsperge sapores iussos*, succos, quos adspergere moneo, iubeo. Pro *iussos*, quod sane quodammodo offendit, sed defendi potest *aequore iusso* Aen. X, 444. et *monstratis aris* infra v. 549., Ribbeck. recepit Reiskii coni. *tunsos* (in *tussos* mutatam), Ladew. autem suam *iussus*. Peerlk. denique audacter coni. *Tu iucundos.* — *adsperge.* Cum Cod. Ambros. Arusiani p. 234. Lind. praebeat *asparge*, Ribbeck. edidit *asperge*. Vergilii tamem Codd. non addicunt, quamquam optimi eorum formae *aspicere* patrocinantur. Cf. adnott. ad Ecl. II, 66. — *Sapores* pro succis herbarum expressione collectis legitur etiam ap. Tibull. IV, 4, 9. (ubi vid. Dissen.) et alibi. Cf. Salmas. Exercitt. Plin. p. 1285. Hic necessario cogitandum est de succis bene olentibus, qui ad saporem alliciant, quod etiam Ameis. Spicil. p. 38. docet coll. v. 65. 109. et 264. — 63. *melisphyllum* s. melissophyllum, apiastrum, vulgo melissa. Vid. Dioscor. III, 118. Nicand. Ther. 554. Varr. R. R. III, 16, 10. Colum IX, 8, 13. Plin. XX, 11, 45. et XXI, 20, 86. — *trita melisphylla*, ut odor eorum latius sparsus apes ad stationem vocet. — „*Cerinthe*, nobis hortensis, in Italia silvestris ac valde frequens; hinc *ignobile gramen*, h. e. herba. Vid. Plin. XXI, 12. Cf. Colum. IX, 9, 13., ubi etiam hic versus laudatur, et c. 12." *Heyn.* Distinguunt autem rei herbariae periti Cerinthen maiorem (*σανδαράχην*), de qua hic sermo est, et minorem (*τηλέφιον*). Cf. etiam Dioscor. II, 217. ibique Sprengel. et Plin. XXI, 12, 41. coll. cum XI, 7, 7. et XXVII, 13, 110. — 64. *Matris cymbala*, in

Ipsae considerent medicatis sedibus, ipsae
Intima more suo sese in cunabula condent.
Sin autem ad pugnam exierint — nam saepe duobus
Regibus incessit magno discordia motu;

---

magnae matris Deorum, Cybeles, sacris adhiberi solita. Ceterum tinnitu aëris apes cogi et in alvearia condi, res vulgari usu cognita. Causam alii a metu (ut Varro III, 16, 30. Colum. IX, 8, 10. 12, 1., quod sequitur Lucan. IX, 284 sqq.), alii a voluptate, quam ex sonitu capiant, petunt (ut Aristot. H. An. IX, 40. Plin. XI, 20, 22. Geop. XV, 3.), quod ipse Vergilius sequi videtur infra v. 151." *Heyn.* Mater κατ' ἐξοχήν pro Magna s. Deorum Matre legitur etiam Aen. IX, 108. et alibi. Cymbalum (κύμβαλον) instrumentum erat aereum, in semicirculi speciem formatum, quod, latum cavumque instar pelvis, ubi collidendo cum altero cymbalo percutiebatur, clarum sonum edebat; unde semper fere cymbala plurali numero commemorantur, quae bina pulsari solerent (*gemina aera*, Stat. Theb. VIII, 221.) Utebantur iis praecipue in sacris Cybeles et in Bacchanalibus, quare haud raro cum *tympanis* coniunguntur. Cf. Lucr. II, 618. Ovid. Fast. IV, 213. Liv. XXXIX, 8. et 19. Plin. Epist. II, 14. extr. etc. Ceterum videtur hunc locum respexisse Claud. VI. Cons. Hon. 259. *qualis Cybeleia quassans Hyblaeus procul aera senex revocare fugaces Tinnitu conatur apes.* — 65. *medicatis sedibus* h. e. in loco succis adsperso et oblito. *Medicari semina* iam legimus Geo. I, 193. — 66. *Intima.* Ribbeck. edidit *Intuma*, Cod. Rom. secutus. (Vid. eius Proleg. p. 450. et cf. Wagn. Orth. Verg. p. 474.) — *cunabula*, quia de fetu apum agitur. — 67. Si nova examina ex alveari prodeunt, tinnitu aeris revocanda sunt; si vero ad pugnam exierint, adspersione pulveris. „Poëta negligentiore oratione usus est, et, dum in digressionem abripitur, praestantissimum omnium confessione locum, apodosin non nisi v. 86. 87. subiunxit, ita ut reliqua omnia in medio interiecta sint." *Heyn.* Wagn. Qu. Virg. XXXV, 9. p. 696. de eiusmodi locis agens, ubi per Copulam interdum post plura interposita continuetur oratio (vid. adnott. ad Geo. II, 434.), et contra eos disputans, qui abruptam orationem versu 77. continuari putant, (ut nuper etiam Haupt. et Ribbeck.), parenthesin versu 68. finiendam excipi censet Copula *que* v. 69. (quam rationem etiam Binderum in vernacula translatione et Bryceum sequi animadverti: vide infra); in minore tamen edit., mutata sententia et parenthesi plane sublata, haec adnotat: „Abreptus ingenii fervore poëta ita pergit, ut satis habens significasse, qua de re dicturus esset, plane oblitus videatur coeptae per protasin sententiae." Iahn., coll. Vossio ad h. l. et Schirach. p. 459., protasin contineri censet v. 67. et 77—80., apodosin vero incipere a v. 86. Scilicet abrupta sententia retexitur v. 77., tum vero rursus interrupta finitur demum v. 86. sq. Videtur autem poëta consulto uti hac oratione ἀναχολούθῳ, quae turbidos apum affectus imitetur Peerlk. tamen p. 278., ut haec parenthesis nimis longa vitetur, legi vult *Sin autem; ad pugnam exierunt: nam saepe* etc., quae sic explicat: „Si agmen se non in cunabula condet, tum exierunt ad pugnam, tum sic habeto, illas apes exiisse ad pugnandum et belli ardore incensos odores non curare." Bryce autem non solum illa de causa, sed etiam coniunctionem diversarum sententiarum *incessit discordia* et *licet praesciscere* absonam censens et haerens in Part. *nam — namque* in eadem sententia iterata, redit ad priorem Wagneri rationem et *que* per *tum* („*then*") explicat. Sed quamquam non nego, Copulam *que* interdum hac fere significatione usurpari (cf. locos a Wagnero Qu. Virg. XXXV. p. 692. collectos, Aen. II, 692. V, 857. VIII, 520. XII, 81. — VI, 547. X, 877. etc.), neglexit tamen vir doct., poëtam hic exponentem, quae apiario facienda sint, ipsius tantum argumenti lenocinio abripi ad interiectam accuratiorem certaminis descriptionem ideoque non hanc, sed potius versum 67. cum v. 86. et 87. principalem continere loci sententiam. Conington mecum consentit. — *nam saepe* etc. Causam pugnae subiiciens poëta v. 69. digreditur ad descriptionem animorum et paratus apum. — *Regibus incessit discordia* pro vulgari: *reges incessit.* De *incedendi* autem et *incessendi* verbo cum tertio Casu constructo vid. Kritz.

Continuoque animos volgi et trepidantia bello
Corda licet longe praesciscere: namque morantis
Martius ille aeris rauci canor increpat et vox
Auditur fractos sonitus imitata tubarum;
Tum trepidae inter se coëunt pinnisque coruscant
Spiculaque exacuunt rostris aptantque lacertos
Et circa regem atque ipsa ad praetoria densae
Miscentur magnisque vocant clamoribus hostem.
Ergo ubi ver nactae sudum camposque patentis,
Erumpunt portis: concurritur, aethere in alto

---

ad Sall. Cat. 31, 3. (*mulieres, quibus - - timor insolitus incesserat*), qui comparat Liv. IV, 57. extr. Caes. B. C. III, 74, 1. Curt. VII, 11, 4. et Tac. Ann. III, 12. in. Adde Curt. III, 1, 16. Colum. II, 10, 1. aliosque locos. — *Reges*, nobis *reginas*, matres apum esse, nunc omnes sciunt. — 69. „*Corda bello trepidantia*, h. e. animos trepidantium, festinantium, dum se ad bellum accingunt, ut mox *trepidae coëunt*, h. e. festinantes alacritate pugnandi, non timore. [*Bello* igitur tertium Casum esse patet, cf. Aen. VII, 482. *bello animos accendit agrestis*. Recte Voss.: „*die Herzen der Bienen beben dem Kriege entgegen.*"] Alibi Geo. III, 105. *exultantique haurit Corda pavor pulsans*. Transtulit autem poëta ea, quae omnium apum migrationes antecedere solent, ad id, quod interdum sub idem tempus accidere solet, cum bellum civile apes movent; et habuit ante oculos Aristotelem H. A. IX, 49. p. 946. E. et Varronem R. R. III, 16, 30.; poëtam autem Columella IX, 9." *Heyn.* Adde Plin. XI, 17, 18. — *trepidantia corda* leguntur etiam ap. Silium VIII, 118. Praeterea cf. Ennii fragm. ap. Cic. de Orat. III, 42, 168. *homo - - corde suo trepidat.* — 71. *aeris canor*, tubae sonus. Sic Ovid. Her. XVI, 180. de *lyrae canore* sermo est. De ipsa re cf. Varr. R. R. III, 16, 30. *Consonant vehementer, proinde ut milites faciunt, cum castra movent.* — „*et vox auditur* etc., dum bombum faciunt. — *fracti sonitus*, h. e. non continui, modo fortiore, modo remissiore spiritu. — 73. *pinnis coruscant*, ex frequenti motu, micant." *Heyn. Coruscare* significat celeriter se movendo et vibrando splendorem fundere modo hic, modo illic micantem. Cf. Aen. VIII, 661. XII, 431. 919. Iuven. III, 255. XII, 6. Silius I, 434. Ovid. Met. IV, 493. Stat. Theb. X, 432. Grat. Cyneg. 78., Doederl. Synon. II. p. 81. et adnot. mea ad Lucr. II, 320. — 74. „*Spicula rostrorum*, aculeos acuunt, seu cum Martino simplicius: rostris aculeos videntur acuere, quod muscas quoque facere videas. — *aptant lacertos*, ut solent pugiles, qui ante certamen explorant vires, iactant brachia; ut Aen. V, 376. 377." *Heyn.* Adde Aen. X, 588. (II, 672. XI, 8.) „Apes posterioribus pedibus se erigunt, anterioribus, quasi manibus, sublatis aggrediuntur hostem" *Wagn.* — 75. *ipsa ad praetoria. Ipse* saepe usurpatur in accuratiore locorum temporumque definitione, ubi nos utimur Particulis *gerade, gleich, unmittelbar*. Cf. Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 469. qui comparat Geo. IV, 75. Aen. II, 469. 550. III, 5. V, 323. VIII, 561. VI, 190. et X, 515. — *praetorium*, ex usu castrensi. Cf. supra ad v. 1. adnott. — *miscentur*, conveniunt. — 77. *Ergo* ad verba v. 67. *Sin autem ad pugnam exierint* referendum. Adnectitur post digressionem ipse concursus proelii. — „*ver sudum*, coelum sudum verni temporis; idem sunt *campi patentes*, aër purus et liquidus, non nubibus clausus [in quo tamquam in campo patenti apes confligunt]." *Heyn.* Ameisio Spic. p. 38. potius sunt „loca aperta, cancellis non circumscripta („*freie Gefilde.*") Cf. Lucr. VI, 449. *caelum patens* et adnott. ad Geo. II, 41. Similiter *campi patentes* circi Aen. V, 552. — *nactae* (vel, ut Ribbeck. cum Cod. Pal. scribit, *nanctae*, quod tamen vix conciliari potest cum iis, quae Proleg. p. 434. scripsit, quamquam etiam alibi hanc formam Codd. quidam exhibent: cf. Wagn. Orth. Verg. p. 459.) scil. *sunt*, ut in verbis *erumpunt, concurrunt* asyndeton statuendum sit. De hac Verbi substantivi omissione vid. Geo. III, 235. 271. Wagn. Qu. Virg. XV. 2. et adnot. nostra ad Geo. II, 180. Heyn. et Iahn.,

Fit sonitus, magnum mixtae glomerantur in orbem
Praecipitesque cadunt; non densior aëre grando
Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.
Ipsi per medias acies insignibus alis
Ingentis animos angusto in pectore versant,
Usque adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos
Aut hos versa fuga victor dare terga subegit.
Hi motus animorum atque haec certamina tanta

---

nactae pro Participio habentes, verba *erumpunt portis* ad protasin trahunt, et apodosin a voc. *concurritur* incipiunt. Sed altera ratio, quam iure praeferunt Wund. et Wagn., longe fortior. — 81. *glandis* a *tantum* pendere in promptu est. (Cf. etiam Prisc. p. 726. P. s. VI, 96. Keil.) Mirum videri debet, Probum Inst. II, 1, 12. et 42. sive p. 1444. et 1464. P., quocum cf. Cassiod. de orth. T. II. p. 567. ed. Ven. a Ribbeckio laud.) *glandis* habere pro Nominativo, cuius formae alibi nec vola nec vestigium reperitur. Ceterum respexit hunc locum Colum. X, 364. *discussa pluit arbore nimbus Vel teretis mali vel tectae cortice glandis.*—82. *ipsi*, reges, *insignibus alis* (instructi), brevioribus scilicet, quam ceterae apes (cf. Plin. XI, 16, 16.), fortasse etiam pulchrioris coloris (cf. Colum. IX, 10.). Voss. hoc epitheton aliter intelligens vertit: *mit leuchtenden Flügeln.* Ad verba *per medias acies* aut Participium aliquod verbi eundi supplendum (cf. adnott. ad Aen. II, 471.), aut simplicius cum Ribbeckio verba sic construenda: *ipsi* (reges) *insignibus per medias acies alis.* Wagn. post hunc versum excidisse aliquid ratus, lacunae signa interposuit, cum nec Pronomen *ipsi* habeat, quo referatur, et tota oratio concinnitate careat (cf. eius Quaest. Virg. XVIII, 2.; cui tamen coniecturae calculum meum adiicere nequeo, cum *ipsi* ad neminem alium referri possit, nisi ad *reges*, qui etiam v. 68 sq. a reliquo vulgo distinguuntur, sicuti etiam Aen. V, 132 sq. (quem locum non inepte comparat Conington) *ipsi ductores* aureo et purpureo ornatu a cetera iuventute differunt (cf. etiam adnott. ad Ecl. VIII, 96. et X, 63. Burmann. ad Val. Fl. III, 151. et Ovid. Trist. V, 1, 45.), concinnitas autem non solum in his versibus, sed in omni loco, paullo negligentius conscripto vel certe connexo, desideretur; ut sine ulla externa causa Codicum vestigiis vel Grammaticorum narrationibus nitente eiusmodi lacunam statuere mihi quidem paullo audacius videatur. Peerlk. tamen p. 280., cum ad *Ipsi* post *regem* v. 75. Singul. numero commemoratum non facile *reges* suppleri possit, hoc ipsum voc. *reges* pro *acies* vult substitui. — 83. Putant Vergilio obversatum esse illum Homeri versum Il. V, 801. *Τυδεύς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής*, quem auctor Priap. LXXX, 5. ita redidit: *Utilior Tydeus, qui, si quid credis Homero, Ingenio pugnax, corpore parvus erat*, et Stat. Theb. I, 417. *Maior in exiguo regnabat corpore virtus.* — 84. *obnixi non cedere, usque adeo dum*, pro vulgari: ita obnituntur, ut non cedant, donec etc. Conington cum Forcell. comparat Plaut. Merc. III, 4, 71. et prol. 75., ubi *adeo donicum* et *adeo usque ut* eadem ratione coniungantur. De elisionibus se excipientibus vid. adnott. ad Geo. II, 441. — 85. *aut hos aut hos*, ut Aen. X, 9. Cf. etiam Geo. I, 445. *aut ubi - - aut ubi.* — *hos - hos* pro hos — illos. Vid. adnott. ad Ecl. IV, 56. et infra ad v. 86. *Hos* autem mascul. genere dixit, quia apes cogitat tamquam milites duorum exercituum sese impugnantium. Cf. v. 107 sq. Quare supervacanea est Peerlk. coniectura *aut has Aut has - - fuga dare terga*, ut Aen. XII, 463. Cf. etiam Aen. V, 586. ibique adnott. — *subegit* pro vulg. *coëgit* ex plurimis Codd. restituit Heins. coll. Geo. III, 217. Aen. V, 794. VI, 567. VII, 214. VIII, 112. X, 65. etc. (Cf. Burm. ad Ovid. Met. VI, 496. et ad Claud. in Ruf. II, 314.) Eiusdem tamen Heinsii coniecturam *fugae dare terga* recte Burm. reiicit, provocans ad Aen. XII, 463. *fuga Rutuli dant terga per agros.* — 86. Enarrato ipso proelio, addit poëta, quae ad illud impediendum sint facienda. Ceterum cf. adnott. ad v. 67. — *Hi motus an. atque haec certamina.* Conspicuam esse Particulae *atque* maiorem quandam vim atque gravitatem, imprimis in iungendis iisdem vocabulis,

Pulveris exigui iactu compressa quiescunt.
Verum ubi ductores acie revocaveris ambo,
Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
Dede neci; melior vacua sine regnet in aula.
Alter erit maculis auro squalentibus ardens;
Nam duo sunt genera: hic melior, insignis et ore
Et rutilis clarus squamis; ille horridus alter
Desidia latamque trahens inglorius alvum.

---

docet Wagn. Qu. Virg. XXXV, 24. multis locis collatis. Sic *hic atque hic* legitur Ecl. IV, 56. VIII, 95. Geo. IV, 216. Aen, V, 596., *hinc atque hinc* Aen. I, 162. 500. IV, 447. VIII, 387. IX, 380. 440. 550., *huc atque huc* Aen. IX, 57. etc. — 87. *pulveris exigui iactu.* Vid. Plin. XI, 17, 18.: *quae dimicatio iniectu pulveris aut fumo tota discutitur; reconciliatur vero lacte vel aqua mulsa* et cf. Varro R. R. III, 16, 35. — *compressa quiescunt*, comprimuntur. Hanc autem lectionem pro vulg. *quiescent* Heyn. restituit ex Med., uno Arund. et Pierii Codd., cum quibus consentiunt quatuor codd. Potter. et duo Bern. Ribbeckii. Heinsium de suis libris prorsus tacere, valde dolendum. Lectio a nobis, ut a ceteris recentioribus editt. praeter Ribbeckium, recepta Cortio quoque ad Lucan. I, 103. probatur; Ribbeck. tamen e Cod. Pal., Bern. III., Gud. a m. pr. et Bern. I. a m. sec. *quiescent* restituit. (Cf. eius Proleg. p. 27.) Per se utrumque, et Praesens, rem simpliciter narrans, et Futurum, magis, quid fieri debeat, praecipiens, locum habere potest; sed propter Codd. auctoritatem Praesens praetulimus. — 88. „Dissidium civile inter examina enecto altero rege sedandum cum sit; nunc de specie ac colore regum et ceterarum apum agitur." *Heyn.* — *revocaveris acie.* Sic Liv. XXV, 36, 1. *Revocat proelio suos Scipio* et Tacit. Agr. c. 18. *revocare aliquem possessione insulae.* Omnino autem cf. adnott. ad Geo. I, 275. (et II, 520.) Pro *ambo* Pal., Bern. III. et Philarg. *ambos.* (Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 175.) — 89. „*ne prodigus obsit*, ne, cum victus regimini praeesse non possit, alveari nihil commodi afferens, mel tantum consumat, quod ipse non parat." *Heyn.* Peerlk. tamen, cum haec mira sit causa occidendi regis, loco Adi. *prodigus* poni suadet Adv. *protenus*, hac adiecta explicatione: „ne statim iterum moveat discordiam, cuius nunc quoque auctor fuisse videtur." — 90. *Dede neci.* Vid. ad Geo. III, 480. — *melior* vulgo explicatur per: fortior, victor. Rectius fortasse Voss., cum ad certamen vere non venerit, vocc. *deterior* et *melior* ad solam formam refert. — 91. „Sequentes versus recitat et illustrat Colum. IX, 10. Sunt autem fere ad verbum ex Aristotele confecti H. A. X, 40. p. 945. D. E. ed. Paris. — *maculae squalentes*, tinctae, obductae, *auro*, h. e. maculae aureae. Cf. Aen. X, 314. XII, 87. Unde mutuatus est Silius II, 547. 585. Putidum est Grammaticorum (vid. Gell. II, 6. Macrob. VI, 7. Nonium VI, 26.) commentum, *squalere* a *squamis* deducentium. Sed *squalere*, quod vulgo de corpore illuvie et sordibus obducto dicitur, - - apud poëtas usurpatur de quacunque re, cui aliquid illinitur, etiam de colore adscititio. Omnino *squalent*, quae non sunt levia ac nitida; ut illae *horrere* dicuntur, quae aspera sunt, etiam sine sordium notione." Haec fere *Heyn.* Wagn. *squalentibus* pro fulgentibus positum censet, ut Aen. X, 314. — 92. De his duobus generibus apum Ladew. conferri iubet Sieboldi Parthenogenesin p. 89. et Wold. Ribbeck. Aristot. Hist. anim. V, 18, 2. τῶν δὲ ἡγεμόνων ἐστὶ γένη δύο· ὁ μὲν βελτίων πυῤῥός, ὁ δ' ἕτερος μέλας καὶ ποικιλώτερος. Praeterea cf. Varro R. R. III, 16, 18., qui refert, aut *tria* esse *genera ducum in apibus, nigrum, rubrum, varium, aut ut Menecrates scribat, duo, nigrum et varium.* — *meliōr.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 38. et V, 51. — *insignis ore*, forma; quae v. 95. *facies.* Plin. XI, 16, 12. *Omnibus* (regibus apum) *forma semper egregia et duplo, quam ceteris, maior.* — 93. *alter ille horridus*, hirtus, hispidus (*struppig*), ideoque ingrato adspectu, (mox *turpes horrent* eodem sensu v. 96., ubi vid. adnott. Cf. Colum. IX, 10, 1., qui reges *infuscos atque hirsutos* distinguit a *levibus et sine pilo.*) — 94. *desidia*, inculta et negligentia, et propterea *latam trahens alvum*, obesus, πλατυγάστωρ.

Ut binae regum facies, ita corpora plebis.
Namque aliae turpes horrent, ceu pulvere ab alto
Cum venit et sicco terram spuit ore viator
Aridus; elucent aliae et fulgore coruscant
Ardentes auro et paribus lita corpora guttis.
Haec potior suboles, hinc caeli tempore certo
Dulcia mella premes, nec tantum dulcia, quantum
Et liquida et durum Bacchi domitura saporem.
At cum incerta volant caeloque examina ludunt,

Trahitur alvus, quae propter pinguedinem vix potest promoveri et humo sustolli. Similiter Aen. V, 468. *genua aegra trahens*. Haupt. et Ribbeck. cum Gud. a m. pr. *alvom*. — *inglorius*. Vid. adnott. ad Geo. II, 486. — 95. *corpora plebis* pro vulg. *corpora gentis* e melioribus et Vergilii et Columellae Codd. (qui rei rust. scriptor IX, 10, 2. affert huius loci v. 91—93.) Heins. restituit. De ipso voc. *plebis* ad apes translato longus est Heins. ad h. l. Burm. conferri iubet adnot. suam ad Val. Fl. I, 71. et Bentl. ad Hor. Od. III, 6, 20. — 96. „*turpes horrent* pro sunt, sed cum notione asperitatis. Cf. ad v. 19. — *ceu viator* horret, *cum venit ab alto pulvere*, ex via pulverulenta a vento in aërem levato, acto." *Heyn.* Conington comparat Aen. XII, 407. *pulvere caelum Stare vident*. Ceterum cf. Varro R. R. III, 16, 20. *Minus valentium apum signa, si sunt pilosae et horridae aut pulverulentae*. De Particulis *ceu cum* in comparatione poëtica et descriptione rei alicuius similiter apparentis usurpatis cf. Hand. Tursell. II. p. 46 sq., qui e Vergilio praeter h. l. comparat Geo. I, 302. Aen. VII, 673. IX, 30. 792. X, 97. Lucretius prorsus eadem ratione dicit *ceu si* (IV, 619. VI, 160.) — „*spuit terram*, in terram, ait Servius; pro compos. inspuit; praestat, spuit terram, exspuit pulverem." *Heyn.* Ita sane locus intelligendus; quod patet ex Columellae l. l., ubi haec leguntur: *Atque hic maxime probatur, qui est melior; nam deterior, sordido sputo similis, tam foedus, quam pulvere ab alto cum venit et sicco terram spuit ore viator*. Ceterum ante Heins. vulgo legebatur *et terram sicco* contra meliorum Codd. Vergilii omniumque Columellae auctoritatem. — „*Aridus*, sitiens; ut αὐαλέος ap. Callim. in Cer. 6. ὃτ' ἀφ' αὐαλέων στομάτων πτύωμες ἅπαστοι. — 99. *Ardentes corpora*, corporibus [vid. adnott. ad Ecl. III, 106.] *lita*, illita, inducta, *auro et paribus guttis*, aureis maculis." *Heyn.* Ut Geo. II, 192. *pateris et auro*, ubi vid. adnott. Cf. Ovid. Met. IV, 578. *sentit Nigra — caeruleis variari corpora guttis*. Voss. *paribus* explicat sibi similibus, comparans Aen. XII, 344. *paribus armis*, Moret. 121. *ocreis paribus*, Ovid. Met. X, 115. *pariles baccae*. Heyn. adnotat, hunc locum expressum esse a Colum. X, 3, 2., qui affirmet, Vergilium Aristotelis in his auctoritatem (H. A. IX, 40. adde V, 22.) esse secutum. Cf. Varr. III, 16, 19. — 100. Ex his praestantissimi fetus apum educuntur; ex his optimum mel paratur. — *caeli* (vid. ad Geo. III, 327.) *tempore certo*, vere et autumno. Cf. v. 231. — *premes*, premendo eliquabis. Cf. v. 140. ibique adnott. — 101. „*mella liquida* [i. e. limpida] communi naturae mellis epitheto et vero etiam proprio quodam dicuntur. Tum autem et in vitio haberi possunt, utpote fluentia, ut v. 36. (opponuntur *tenacia* v. 57.), et in laude, ut h. l., ut sint pura, et opponantur iis, quae faece ac sordibus crassa sunt. Cf. infra v. 163. 164." *Heyn.* Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 404. — 102. *durum Bacchi* (vini: vid. adnott. ad Ecl. V, 69.) *domitura saporem*. Veteres vina quinta parte mellis condiisse atque hinc etiam *mulsum* (vid. adnott. ad Geo. I, 344.) confecisse, satis notum est vel ex Hor. Sat. II, 5, 24. — *durum saporem*, austerum. Cf. adnott. ad Geo. I, 341. — 103. „Examina autem temere vagantia comprimenda sunt, regibus ne evolent prohibitis, et florum copia in propinquo apes invitante." *Heyn.* Ribbeck. cum uno Franc. *quom*, et cum Med. a m. pr. et Gud. *exagmina*. Vid. ad Ecl. IX, 30. — *incerta volant*, scil. quo considant; certum domicilium non petentia. — *caelo* (i. e. caelum versus) *ludunt* (cf. v. 103.) eodem modo explicandum, quo Geo. II, 306. *caelo*

Contemnuntque favos et frigida tecta relinquunt,
Instabilis animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor: tu regibus alas
Eripe; non illis quisquam cunctantibus altum
Ire iter aut castris audebit vellere signa.
Invitent croceis halantes floribus horti
Et custos furum atque avium cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.
Ipse thymum pinosque ferens de montibus altis
Tecta serat late circum, cui talia curae;
Ipse labore manum duro terat, ipse feracis

---

sonitum dedit, ubi vid. adnott. — 104. *Contemnunt favos*, detrectant mellificium. — „*frigida tecta* [per prolepsin] ex hoc ipso, quod alvearium ab apibus destitutum est [relinquitur]: nam cum assidue incolunt, tum *fovent*, ut v. 43. *fovere larem*. Sic *frigidus torus* pro viduo. Nam *opus*, quod *fervet*, huc trahi nequit." *Heyn.* — Ribbeck. cum sched. Vat. *relinquont*, Haupt. cum Med. *relincunt* (Pal. *relinqunt*.) — 105. *Instabilis animos*. Conington comparat κουφονόους ὄρνιθες Sophoclis Ant. 343. et Aristoph. Aves 169. ἄνθρωπος ὄρνις ἀσιάθμητος, πετόμενος, Ἀτέκμαρτος, οὐδὲν οὐδέποτ' ἐν ταὐτῷ μένων. — *ludo*, volatu vago. — *prohibebis*. De Futuro pro Imperativo posito vid. adnott. ad Aen. II, 547. — 106. Rem eandem tradit Colum. IX, 10, 3. et IX, 9, 8., dum Plin. XI, 17, 17. et Geopon. XV, 4. alas tantum mutilari iubent. — *Tu*. Vid. adnott. ad Geo. II, 241. — 107. *quisquam*, quasi de militibus loqueretur. — *iter* de volatu; *audebit altum ire iter* etc., aut ad ludum, aut ad bellum exibit. — *vellere signa*. Cf. similis locus Geo. III, 236., ubi *movere signa* legimus. Ceterum vide etiam Geo. I, 456 et 57. locum huic similiter formatum. — 109. Etiam horti, in quibus inveniuntur flores halantes, apti sunt ad apes retinendas. — *croceis floribus*, i. e. floribus et colore et odore non minus suavibus, quam crocus est, de quo vid. adnott. ad Geo. I, 56. — *halare* aliqua re legitur etiam Aen. I, 417., ubi vid. adnott. — 110. „Omnia haec vulgo nota. Sed quid ad apes Priapi signum? Scilicet illud in hortis positum arcere falce sua etiam fures ab alvearibus et terrere aves videri poterat. Cf. Horat. Sat. I, 8, 4 sqq." *Heyn.* — *tutela Priapi* pro *Priapus*, qui custodit hortos a furibus. *Priapus* (de quo vid. adnott. ad Ecl. VII, 33.) *Hellespontiacus* vocatur, quia Lampsaci ad Hellespontum imprimis colebatur. Cf. Catull. XVIII. *Qua domus tua Lampsaci est, - - Priape, Nam te praecipue in suis urbibus colit ora Hellespontia ceteris ostreosior oris.* „Causa compositionis singularis *custos furum* inde repetenda, quod *custodire aliquem* hoc quoque sensu dicitur: observare aliquem, a quo metuendum est. Cic. Cat. I, 2. *multorum oculi et aures - - speculabuntur atque custodient.*" *Wund.* — *falce saligna*, i. e. omnino lignea, ut in Priap. V, 1. *Quod sim ligneus, ut vides, Priapus, Et falx lignea* etc. — 112. „De *thymo* apibus gratissimo res nota. Vid. adnott. ad Ecl. V, 77., Voss. ad h. l. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 3, 29. Vol. I. p. 212. — *pinos*. „*Semper virens pinus* memoratur etiam Colum. IX, 4, 2. et 5, 6.; erat autem illa veteribus inter hortenses arbores, ut vel ex Ecl. VII, 65. et inf. v. 141. patet." *Heyn.* Cum vero Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 61., qui simul cogitat de pinorum inoculatione (? „*Veredelung*"), iure haereat in hortensi arbore, quae de altis montibus feratur, Ladew. conferri iubet Plin. H. N. XVI, 16. et 17., qui de variis pini generibus agens de pino silvestri dicat: *gignitur et in planis*, unde sequatur, cetera genera *in montibus altis* (ut hic legitur) crescere nec nisi sata etiam in planis inveniri. De pinis autem in altis montibus inveniendis cf. Geo. II, 443. Aen. V, 449. X, 230. XI, 134 sqq. — 113. *Tecta*, apiarium. — Ribbeck. cum sched. Vat. *quoi*. — 114. *labore terat*. Cf. Tibull. I, 4, 48. *opere adterere manus*. Videmus autem et hic Maronem Lucretii vestigia prementem, qui V, 1358 sq. ita canit: *Atque*

Figat humo plantas et amicos inriget imbris. 115
Atque equidem, extremo ni iam sub fine laborum
Vela traham et terris festinem advertere proram,
Forsitan et, pinguis hortos quae cura colendi
Ornaret, canerem, biferique rosaria Paesti,

---

ispi pariter durum sufferre laborem, Atque opere in duro durarent membra manusque. — Pro *feracis - - plantas* Peerlk. p. 385. melius putat *feraci - - humo.* Sed recte Ladew. *Beurtheilung* etc. p. 23. docet, plantas hoc epitheto carere non posse, ut apiario indicentur arbores fructiferae iuxta alveos serendae, unde apes mel colligere possint. Etiam Geo. II, 79. *feraces plantae* (vividi surculi) commemorantur. Ceterum Schol. Bern. (in Ribbeck. Proleg. p. 197.) commemorant lectionem *tenaces*, quam unde habeant nescimus. — 115. *Figat* eodem sensu dictum, quo infra v. 131. et Geo. II, 346. *premere*, ubi vid. adnott. — *humo*, pro in humo vel humi, ut apud Ovid. Her. XXI, 240. *Lumina fixa tenens plena pudoris humo*, ubi tamen Heins. *humi* scribendum censet. Cf. Ruddim. II. p. 273. et quae supra ad Geo. III, 96. de Ablat. *domo* adnotavimus. — *amici imbres* aquas fontanas vel fluviales indicant, nam *imber* poëtis omnino pro aqua, humore usurpatur. Cf. Lucr. I, 716. (ibique a me adnott.) 784. VI, 149. 1176. Ovid. Her. XVIII, 104. id. Am. II, 15, 23. etc. et adnott. ad Aen. I, 123. — *amici*, quatenus plantae iis delectantur, grati et salubres. Cf. Aen. II, 285. *per amica silentia Lunae* (ubi vid. adnott.) Ovid. Trist. I, 5, 17. *Navis vento feretur amico* (coll. cum Met. XIII, 440. *dum ventus amicior esset*), Horatii locus infra ad v. 129. laud. et plures similes, quos collegit Heins. ad Ovid. A. A. I, 585. — *inrigat imbres*, scil. ad plantas (ut ap. Cat. R. R. c. 36. legimus *amurcam irrigare ad arbores*) pro vulgari: *inrigat plantas imbribus.* Cf. Aen. I, 691. *quietem inrigare per membra.* Quod ad ipsam rem attinet, Keightl. ap. Coningt. comparat Colum. X, 147. *Primitiis plantae modicos tum praebeat imbres Sedulus inrorans olitor.* — 116 — 148. „Argumentum curae horti colendi aliis se relinquere tractandum dicit; quam partem deinceps Columella libro X. explendam suscepit. Versus sunt longe ornatissimi, imprimis herbarum hortensium epithetis et aliis attributis. Cf. Plin. XIV, 1. *Quamquam videmus Vergilium ea de causa* (propter rerum humilitatem) *hortorum dotes fugisse* etc." *Heyn.* — 117. Cum imagine hic adhibita cf. Geo. II, 41. ibique adnott. Quod attinet ad constructionem *si - - traham, festinem - - canerem* etc., cf. Tibull. I, 8, 22. *Et faceret, si non aera repulsa sonent*, Catull. VI, 1 sqq. *delicias tuas Catullo, Ni sint illepidae atque inelegantes Velles dicere, nec tacere posses* et adnott. ad Aen. I, 374. — *vela trahere*, pro contrahere, colligere, quod faciunt nautae portum intraturi, qui solis remis utuntur. Similiter apud Lucretium VI, 966. *ignis - - coria et carnem trahit et conducit in unum* et apud Ovid. Am. II, 33. *Cum bene vir traxit vultum rugasque coëgit:* — *terris f. adv. proram.* Cf. Geo. II, 44. *primi lege litoris oram* ibique adnott. — 118—124. Forsitan etiam de cura hortorum agerem. — De Part. *forsitan* in sententia conditionali usurpata cf. Hand. Turs. II. p. 714. — *pinguis hortos*, solo pingui, fertili. Sic Geo. I, 14. *pinguia dumeta.* Lucr. V, 1247. *agri pingues.* Tib. III, 3, 12. *pinguia arva.* Hor. Ep. I, 3, 5. *pingues Asiae campi* (ubi vid. Obbar. Vol. I. p. 204.) etc. — *cura colendi.* Cod. Gud. a m. pr. *colenti*, quod Voss. recepit atque etiam Ribbeck. fortasse melius censet. — 119. „*Paestum*, s. Posidonia, Lucaniae urbs, ad sinum Paestanum, non longe a Silaro, rosis clara urbs apud poëtas; nuper ruinis repertis celebrata." *Heyn.* Vid. librum meum geogr. III. p. 763 sq.; de rosariis Paesti cf. Ovid. Met. XV, 708. eund. ex P. II, 4, 28. Propert. V (IV), 5, 61. Cic. ad Att. XI, 17. Colum. X, 37. etc. Mirum tamen est, Plinium XXI, 4, 10. inter praestantissima rosarum genera *Paestanas* non commemorare, quod iam Wunderlichio notabile visum est, qui praeterea haec adnotat: „Tradidit de Mileto Aethlius secundum Athen. XIV. c. 19. p. 379. Schw.: *Σῦκον καὶ ῥόδα δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐγένετο.* Eadem natura rosae Paestanae, hinc urbs *bifera.*" Heynius censet, Vergilium in mente

Quoque modo potis gauderent intiba rivis
Et virides apio ripae tortusque per herbam
Cresceret in ventrem cucumis; nec sera comantem
Narcissum aut flexi tacuissem vimen acanthi
Pallentisque hederas et amantis litora myrtos.
Namque sub Oebaliae memini me turribus arcis,

---

habuisse Homeri illa verba de Alcinoi hortis Od. VII, 11—121. — **120.** De *intibo* vid. adnott. ad Geo. I, 120. — Pro *rivis* unus Cod. Longob. et Prisc. bis IX, 7, 39. p. 864. P. et XI, 4, 17. p. 920. *fibris*, quod defendit quidem Heins., sed ex alio loco I, 120. huc translatum videtur. *Fibris* non conveniret Particip. *potis;* quod sentiens auctor illius Cod. Long. e *potis* fecit *positis*. Sed etiam in Prisciano Krehl. ex melioribus libris *rivis* restituit. — „*Apium*, σέλινον, varia habet genera, ut petroselinum. Sed hic *palustre* intelligendum videtur, nobis *Sellery* dictum, quod locis riguis gaudet." *Heyn.* Cf. Dioscor. III, 74. Theophr. h. pl. I, 4. et VII, 4. Plin. XX, 11, 44. et quae iam ad Ecl. VI, 68. adnotavimus. — *ripae gaud. apio.* Cf. Ecl. IX, 48. Geo. II, 181. etc. Similiter Geo. II, 412. *litora myrtetis laetissima.* — **121. 122.** Cf. Propert. V (IV), 2, 43. *Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre.* — *crescere in ventrem*, ut apud Ovid. Met. V, 547. *crescere in caput*, ibid. II, 497. *crescere in ungues* etc. — *Cucumis* Ladewigio etiam eum fructum significare videtur, qui proprie dicitur melo. Ceterum respexit hunc locum Colum. X, 379. *per graminis umbras Intortus cucumis.* — **122. 123.** „De *Narcisso* vid. supra ad Ecl. II, 48. Videtur scilicet veterum narcissus esse *narcissus* noster *albus circulo purpureo* vel *croceo minor*. Sed *sera comantem*, sero florentem — nam *comae* florum folia sunt, hinc ipsi flores, ut v. 137. — appellat, quod sub clementiore caelo etiam extremo anni tempore, Novembri ac Decembri, floret. Cf. Theophr. H. Pl. VI, 6. νάρκισσος ἢ λείριον - - ὄψιον δὲ σφόδρα. *Μετὰ γὰρ ἀρκτοῦρον ἡ ἄνθησις καὶ περὶ ἰσημερίαν.* Indicat Meierotto in Dubiis p. 10., verbo *comantem* copiam scaporum et florum significari [et recte quidem. Cf. Aen. XII, 413.] Add. Hymn. in Cerer. 12. ibique Mitscherl. p. 112." *Heyn.* — *comans* eodem sensu legitur v. c. Val. Fl. I, 429. *comantes silvae*, et Stat. Theb. V, 502. *comans humus.* Cf. etiam Aen. XII, 413. — *sera* autem, quod Codd. optimae notae pro vulg. *sero* exhibent et dudum in contextum receptum est, ita dictum, ut Geo. III, 149. *acerba* et ibid. v. 500. *crebra*, ubi vid. adnott. — „*Acanthus* h. l. herbae nomen, noster *acanthus sativus*, seu *mollis* Vergilii, *Bärenklau:* vid. ad Ecl. III, 45., ubi *mollis*, ut inf. v. 137. Theocrito ὑγρὸς ἄκανθος, idem quod hic *flexus*, quia adultior caulis reflectit se et vergit ad humum; propter hoc ipsum poëtica ratione *vimen* ei tribuitur, quod proprie non habet, sed caulem [cf. etiam Wernsd. Poët. L. min. III, 310, 85. *olentis vimen acanthi*]: *tortos acanthos* dixit Colum. X, 241." *Heyn.* Adde Plin. Epist. V, 6, 16. *acanthus in plano mollis et, paene dixerim, liquidus*, coll. cum §. 36., ubi acanthus *hinc inde lubricus et flexuosus* vocatur, et vid. Beck. et Kiessling. ad Theocr. I, 55. — *pallentes hederas.* Vide quae de hoc hederae epitheto disputavimus ad Ecl. III, 39. — *amantis litora myrtos.* Cf. Geo. III, 315. *amantis ardua dumos* et de ipsa re Geo. II, 112. *Litora myrtetis laetissima.* — **125.** „De *Tarento* loquitur; *Oebalia* dicta *arx*, h. e. Lacedaemonia, ab Oebalo, vetere Lacedaemonis rege, Tyndarei patre. Parthenii Spartani, Phalanto duce, *diu et per varios casus iactati, tandem in Italiam deferuntur, et, occupata arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, sedes ibi constituunt*, Iustin. III, 4." *Heyn.* De Tarento a Phalantho Lacone condito cf. etiam Strab. VI. p. 279. Cas. Dion. Hal. Exc. XVII, 1. 2. Iustin. III, 4. Flor. I, 18, 2. Hor. Od. II, 6, 12. III, 5, 56. Ovid. Met. XV, 50. et quae hac de re disputavi in Pauly *Realencycl.* VI. p. 1601., praeterea autem de ipsa urbe, quam etiamnunc *Taranto* appellari constat, etiam liber meus geogr. III. p. 754 sq. Hinc *Oebalius* pro *Tarentinus* legitur etiam Sil. XII, 451. Claud. XVII, 158.; pro Laconicus, Spartanus autem apud poëtas saepissime. Cf. Ovid. Met. XIII, 396. id. R. Am. 458. Val. Fl. IV,

Qua niger humectat flaventia culta Galaesus,
Corycium vidisse senem, cui pauca relicti
Iugera ruris erant, nec fertilis illa iuvencis

1, 422. Stat. Achill. 1, 20. Theb. VII, 21. Silv. III, 2, 9. etc. Eadem ratione etiam Sabini, qui a Lacedaemoniis originem ducere putabantur, interdum *Oebalii* vocantur. Cf. Ovid. Fast. 1, 260. *Oebalius Titus* (Tatius) et ibid. III, 230. *Oebalides matres*, Sabinae a Romulo raptae. - - *Oebaliae* autem nomine pro ipso Tarento etiam Claudian. I, 260. utitur: *Liris et Oebaliae qui temperat arva Galaesus.* Heyn. cum Brunckio plurimorum librorum scripturae *Oebaliae turribus altis* praefert Arusiani Messi p. 245. Lind. (cf. Ribbeck. Proleg. p. 208.) lectionem *Oebaliae turribus arcis* (probante Schirachio p. 515.), eamque, cum etiam in Rom. et Bern. II. (in ras.), ap. Probum, Philarg., et Corippum de laud. Iustin. III, 94. inveniatur, ut significantiorem cum Bryceo, Ribbeck., Ladew. et Wagn. in min. edit. nunc recepimus. Voss., Iahn., Weichert. in Comm. de Titio Septimio poëta (Poëtt. Latt. Rell. p. 379.) Süpfl., Haupt. et Conington vulgarem lectionem *altis* retinuerunt. — **126.** *niger Galaesus.* Cf. de hoc fluvio Tarentum praeterlabente, quem alii minus recte per simplex e scribunt, cum etiamnunc *Galaso* vocetur, praeter Claud. l. modo l. Hor. Od. II, 6, 10 sq. Liv. XXV, 11. et Martial. XII, 64. -- *niger* autem, quamquam omnino ad aquae colorem potest referri, hic fortasse l. q. profundus; alti enim fluvii nigri apparent. Sic Hor. Od. III, 27, 23. *Aequoris nigri fremitus.* Ceterum cf. adnott. ad Geo. I, 428. coll. cum iis, quae Ecl. VI, 54. et Geo. I, 460. adscripsimus. Errare autem videntur, qui Propertii versu illo inducti III, 32 (II, 25 aut 34), 67. *Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi,* hic quoque *nigrum* pro *umbroso* capiunt. — *humectat.* Cf. Silius VIII, 438. Claud. R. Pros. II, 121. et adnott. ad Aen. I, 465. Ribbeck. et Haupt. *umectat.* Vid. ad Ecl. III, 82. — *flaventia culta. Culta* absolute pro agris cultis redit infra v. 372. *pinguia culta.* Ita etiam Plin. XXIV, 10, 49. *Smilax amat culta.* Constat autem agrum Tarentinum imprimis fertilitate excelluisse. — **127.** „*Corycium* hunc *senem* induxisse videtur Varronis exemplo, qui fratres Veianios laudat III, 16, 10. Locum expressit Sidon. Apoll. Carm. XXIV, 58. 59. [*hortos - - Quales Corycium senem beantes Fuscabat picei latex Galaesi.*] *Corycus*, Ciliciae oppidum (nunc *Curco*), antro et croco satis notum [cf. liber meus geogr. II. p. 290 sq.]; ex quo agro oriundus senex hic in agrum Tarentinum adducitur a poëta, quo casu pervenerat, vel traductus a Pompeio, qui victis piratis Cilicibus partim ibidem, partim in Graecia, partim in Calabria, agros dedit. [Cf. Voss. ad h. l.] - - At illa Servii ratio vix ferri potest, ut *Corycius senex* appellative dictus sit, qui more apud *Corycios* usitato agrum coleret. *Hortus* quidem *Corycius* recte ita diceretur, a praestantiore cultus genere, non autem *senex*." *Heyn.* Cilices autem tamquam artis topiariae peritissimi celebrabantur. Voss. praeter Martial. VIII, 14, 1., ubi *Cilicum pomaria* commemorantur, ex antiquo carmine in Burm. Anth. vet. Poët. ant. p. 186. haec verba affert: *Iam qua diductos potat levis unda frutices, Corycium nobis surgit olus.* — **127. 128.** „*cui pauca relicti Iugera ruris erant*: relictum rus cum absolute dicatur, vix aliter accipi potest, quam sive de subsecivo, h. e. in metatione, cum agri assignarentur, extra limites non recepto (v. Goes. Ind. in Agrar. Script.), sive de contento omnino, propter ieiunitatem soli neglecto et deserto agro, ut Servius facit, quo etiam reliqua vocant: *nec fertilis illa iuvencis, Nec pecori opportuna seges nec commoda Baccho*, et nos in dumis. Nam ager relictus, ut hereditate, ut Cerda. Burm. aliique locum explicant, cum nihil, quod eo ducat, adiectum sit, ut v. c. contrarium in illo Martialis X, 47. *Res non parta labore, sed relicta*, valde dure dictum esset." *Heyn.* Equidem duas priores explicationes coniungendas puto, ut intelligantur agri, qui propter iniquitatem soli nemini erant assignati nec in metatione agrorum intra limites recepti. Cf. Front. de limit. p. 42. Goes. et Sic. Flacc. 1, 1 sed Utrum tandem hanc silvam in relictis [illegible], an in [illegible] [illegible]? Agrorum autem divisionem, cuius Vergilius non facile oblivisci potuit, hic

Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus albaque circum
Lilia verbenasque premens vescumque papaver
Regum aequabat opes animis seraque revertens

---

ab eo respici, dubitare vix possumus. (Probarunt hanc meam sententiam Wagn. in min. edit. et Conington.) Ceterum quod attinet ad *pauca iugera* cf. Interpp. ad Tibull. I, 1, 2. — 128. 129. *nec fertilis illa iuvencis*, h. e. iuvencorum labore, aratione. Non proferebat ager, quae ut proveniant, efficit iuvencorum labor. — *pecori*. Ribbeck. recepit Salmasii (Exerc. Plin. p. 366.) coniecturam *Cereri*, aptissime sane respondentem sequenti *Baccho* (cf. Geo. II, 229.), quam tamen libris omnibus in vulg. lectione consentientibus ceteri recentiores editores iure repudiarunt. — „*seges* omnino pro agro, solo [aliquid proferente]. Nec arationi, nec pascuis, nec vineis solum bonum fuisse dicit." *Heyn.* *Seges* enim, quae saepe significat terram consitam (vid. Ecl. IX, 48.), latiore sensu complectitur omnia loca, ubi sponte crescunt herbae, ideoque etiam pascua. Cf. Broukh. et Dissen. ad Tibull. IV, 1, 172. Klotz. ad Cic. Tusc. II, 5, 13. et Obbar. ad Hor. Epist. I, 7, 87. Vol. I. p. 395. — „*commoda Baccho*, apta vitibus; ut *amicus* apud Hor. Od. II, 6, 18. *amicus Aulon fertili Baccho*." *Wund.* Conington confert terram *facilem pecori* supra Geo. II, 223. De Partic. *nec* ter et quater repetita (qui usus alterius Copulae negativae, *neque*, apud Verg. nusquam invenitur) cf. Wagn. Qu. Virg. XXXII, 8., praeter nostrum locum haec afferens exempla: Ecl. X, 29 sq. Aen. IV, 307. V, 783. XI, 164. — 130. *Hic* Pronomen est, non Adverbium. — „*rarum olus*, proprium sationis et plantationis, quoniam olera parvis inter se intervallis, *raris ordinibus*, seruntur." *Heyn.* Aliter *Wagn.*: „quia natura soli non patiebatur densum seri." Burm. mira ratione *rarum* in parenthesi positum accipi malit, ut augeat senis industriam, qui in ipsis dumis et incultis locis hortum tam fertilem instituerit: quemadmodum *miserum* Aen. VI, 21., *infandum* supra I, 479. et Aen. I, 253. etc. Respicitur hic locus in Anth. Lat. Burm. III, 61, 6. *Corycium mihi surgit olus*. Ceterum Ribbeck. et Haupt. cum Med., Gud. a m. sec. et Bern. III. scribunt *holus*. (Cf. Ribbeck. Proleg. p. 421. et Wagn. Orth. Verg. p. 442.) — *in dumis*. Heynii et Burm. interpretationem (in solo dumoso ac dumis indulgenti) relinquens nunc cum Vossio, qui comparat Ecl. III, 37., ubi *saepibus nostris* pro in horto nostro positum, Handio Turs. III. p. 250., Ameisio Spic. p. 38. et Ladew. explico: intra dumetum, loco dumis saepto. — *circum* Adverbium esse patet, *rings umher*. — 131. *verbena*, *Eisenkraut*, h. l. apum causa sata. Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 65. — *premens*. Vid. modo ad v. 115. — *vescum papaver* Heyn. (qui provocat ad Geo. III, 175.), Wagn. et Conington explicant per vesca, i. e. tenuia grana habens. Sed ad illum ipsum locum prorsus aliam huius Adiectivi explicationem prolatam videbis, quam si sequimur, epitheton *vescum* potius gracilem et nutantem, vacillantem papaveris caulem spectat; eamque rationem probavit Ladew. — 132. Similes sententias vid. apud Hor. Epist. I, 10, 32 sq. Cic. Tusc. V, 32, 92. Plin. H. N. VII, 45, 46. Val. Max. VII, 1, 2. alibi. — *Regum aequabat opes animis*, videbatur sibi regem aequare opibus. Cf. Liv. I, 53. *superiores reges aequare*, Suet. Caes. 55. *gloriam alicuius aequare*, Quinct. XII, 10, 9. *maiestas operis deum aequavit* etc. Pluralem autem *animis* nunc cum omnibus recentioribus editoribus praeter Haupt. (etiam Wagnero ipso, qui prius Singularem acriter defenderat) ex optimis libris (Med., Pal., Gud., duobus Bern.) et Servio ad h. l., (qui tamen alio loco, ad Aen. I, 141. *animo* scribit) restituimus. Quod enim Wagn. in mai. edit. contendit, de mente et sententia unius hominis numquam *animi* Plurali, sed semper *animus* Singulari numero dici, ut Aen. I, 582. I, 660. III, 34. IV, 15. V, 748. VI, 158. et saepius, Pluralem autem *animi* potius audaciam, ferociam, furorem significare, id quidem verum est, sed etiam ad superbiam et arrogantiam extendi debebat, (cf. e. g. Cic. pr. leg. Man. 22. extr. pro domo 55, 141. Liv. I, 34. etc.) et hic de animo prospero successu elato et superbo hominis sermo est, cui parva possessio regum opes aequare videbatur. Singularem autem et

Nocte domum dapibus mensas onerabat inemptis.
Primus vere rosam atque autumno carpere poma,
Et cum tristis hiemps etiamnum frigore saxa
Rumperet et glacie cursus frenaret aquarum,
Ille comam mollis iam tondebat hyacinthi,
Aestatem increpitans seram Zephyrosque morantis.
Ergo apibus fetis idem atque examine multo
Primus abundare et spumantia cogere pressis

Pluralem in Codd. saepe permutari, res et notissima. Cf. Wagn. Qu. Virg. IX, 2, c. et adnott. ad Aen. XI, 774. Non tamen adsentiri possum Ameisio Spic. p. 38., qui coniungit verba *regum animis*, ut *animis* pro votis positum sit et haec oriatur sententia: opes suas aequat rebus vel a regibus expetendis; quam quaesitam explicationem iam ordo verborum videtur dissuadere. — 133. *dapibus inemptis.* Cf. Hor. Epod. II, 48. *Dapes inemptas apparet.* — 134. *carpere*, carpebat, ut etiam v. 140. Infinitivus enim absolutus servit rebus, quae fieri solent, exprimendis. Vid. adnott. ad Geo. I, 200. Aliter tamen Conington, qui Infinitivum a voc. *primus* pendere arbitratur, ut ap. Silium I, 160. *Primus inire manu, postremus ponere Martem.* — 135. *frigore saxa Rumperet:* vid. Geo. III, 363. *Saxa* hic (ut Geo. II, 522.) nihil aliud significare, quam terrenum saxorum quasi corium gelu concretum, iam Voss. docuit, comparans Afranii fragm. apud Nonium III, 104. *Quis tu es, qui ventoso in loco Soleatus intempesta nocte, sub dio, Aperto capite, silices quom findit gelus?* — *etiamnum* et ob Medic., Pal. a m. pr. ac Gud. auctoritatem et ob discrimen inter *etiamnum* et *etiam nunc* ad Ecl. II, 41. constitutum, cum Wagn. (et omnibus recentioribus) edidi pro vulg. *etiam nunc*, quod temere defendit Wakef. ad Lucr. V, 17. — 136. *glacie c. frenaret a.* Sic apud Hor. Epist. I, 3, 3. *Hebrus nivali compede vinctus* (ubi vid. Obbar.) et in Sympos. Aenigm. X, 2. *Unda fui, -- Nunc rigidi caeli duris connexa catenis* (ad quem locum cf. Wernsd. Vol. VI. p. 488.). Non erat, cur Wakef. ad Lucr. VI, 530. coniiceret *et glacies cursus frenaret aquarum*, provocans ad Macrob. Sat. VI, 6. fin., qui, si aliter legisset, priorem quoque versum adscripturus fuisset. — 137. Hyacinthos carpebat media hieme. — *comam*, folia cum ipso flore. Cf. adnott. ad v. 122. — De ultima verbi *tondebat* syllaba arseos vi producta vid. adnott. ad Ecl. IV, 51. VI, 44. 53. etc. *Tondere* autem pro carpere, decerpere, legitur etiam ap. Propert. IV, 12 (III, 13), 29. *Nunc violas tondere manu.* Similiter (ore) *tondere* invenimus Geo. I, 15. et Aen. III, 538., ubi vid. adnott. — *hyacinthus* (de quo vid. adnott. ad Ecl. II, 18. et III, 106.) non eadem ratione *mollis* dicitur, qua Ecl. III, 45. *mollis* (flexilis) *acanthus*, sed, ut Ecl. VI, 53. docet, prima epitheti significatione servata, per tener (*weich*) explicandus. Ceterum ex illo loco fluxit vulgaris h. l. lectio *comam mollis iam tum tondebat acanthi*, quam vana de metro sollicitudo videtur provocasse. Veram lectionem, a Medic., Gud. aliisque libris compluribus suppeditatam, restituit Heyn., adstipulantibus Schirach. p. 316. et recentioribus editt. omnibus. Acanthus enim cum inter plantas semper frondentes sit (cf. Geo. II, 119.), profecto non mirum fuisset, si senex ille iam hiberno tempore frondem decerpsisset. — 138. „Argutus versus. Ipse [flores in hypocaustis hortensibus (*Treibhäusern*) educens?] antevertebat praecocibus floribus aestatem et zephyros, et idcirco increpare eorum tarditatem ac moram videri poterat." *Heyn.* — *increpitans* non tam obiurgans, incusans, ut vulgo interpretantur, quam irridens, cavillans; scil. „tamquam victor hiemis insultans serae aestati, ante quam ipse iam colligeret herbas, quasi non indigeret aestate," ut Burm. rectissime interpretatur. Cf. Caes. B. G. II, 15. Liv. I, 7, 2. Silius VIII, 265. etc. — 139. Mellificio antevertebat alios. — *apibus fetis* (*Mutterbienen*), per consequens dictum pro apibus partum enixis, ut sit i. q. proventu novarum apum. Cf. adnott. ad Ecl. I, 49. Wagnero posta hic eos secutus videtur, qui apes a regina apum gigni affirment, quod tamen nescio quomodo cum v. 198 sq. conciliari possit. — 140. *favis pressis*, expressis. Mel ex favis in saligneum qualum con-

Mella favis; illi tiliae atque uberrima pinus,
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam seras in versum distulit ulmos
Eduramque pirum et spinos iam pruna ferentis 145
Iamque ministrantem platanum potantibus umbras.

---

gestis exprimebatur in subiectum alveum et deinde in vasa fictilia transferebatur. Cf. supra v. 101. Hor. Epod. II, 15. *Aut pressa puris mella condit amphoris* et Colum. IX, 15, 13. — **141.** *illi*, Corycio seni. Cod. Pal. et Schol. Bern. (Ribbeck. Proleg. p. 197.) *illic.* — *pinus.* Vid. ad v. 112. — *tiliae.* Heins. et Heyn., suadente etiam Reiskio, ex Medic. ediderunt *tilia.* Sed recte Wagn. retinuit ceterorum omnium librorum lectionem, alteram elisioni originem debere suspicatus. — **142. 143.** „Fidem praestabant arbores, nec frustrabantur spem ex flosculis et gemmis conceptam. Poma futura latent in floribus, hinc *arbos induit se pomis in flore novo;* at *in florem ipsum induit se arbos* supra Geo. I, 187. 188.“ *Heyn.* Cf. Plin. Paneg. 30. *Aegyptus - - tantis segetibus induebatur*, ibique Arntz. p. 135. Colum. IV, 24, 12. *Vites se induunt uvis*, ibid. 27, 5. *num maiore fructu vitis se induerit?* Anth. Lat. Burm. V, 69, 5. *foliis sese induit arbor.* Ovid. Met. VII, 280. et Barth. ad Claud. VIII, 1. p. 534. — Pro *tenebat* Schol. Cruqu. Hor. Od. III, 1. *ferebat*, fragm. Moret. *legebat* praebet, cui lectioni Heins. patrocinatur. Sed recte *Burm.:* „At arbor non legit, sed cultor horti, poma; quare *tenebat* praefero: non abiiciebat flores sed illi in fruges transibant, ubi defloruerat arbor. *Ferebat* posset defendi, sed *tenebat* ad maturitatem usque aluisse efficacius significat“ — **144—146.** „Ille etiam ulmos in ordinibus, *κατὰ στίχους*, h. e. ille ulmorum ordines posuerat; at elegantius *distulit*, disposuit, *in versus* [certis ordinibus: cf. Aen. V, 119. ibique adnott.]; cf. Geo. II, 277. Accipi autem possunt haec de *transplantatione arborum iam adultarum*, quam ille Corycius senex felici eventu tentabat. Hinc *serae* ulmi, non tam sero adolescentes, sed iam adultae.“ *Heyn.* Sed rectius cum Ameisio Spicil. p. 38. locum ita explicueris, ut ulmi sero (serius, quam vulgo fiebat et aliis faciendum esse videbatur) a sene ex seminario transplantatae propterea ipsae serae dicantur, (quam rationem secutus etiam Bryce explicat: *„even though late, i. e. although the operation was later of being done than was right)“;* verba autem *in versum distulit ulmos*, cum poëta non narret, quid egerit senex, sed quid habuerit in horto suo, Wagn. idem valere putat, quod *habebat in versum dilatas ulmos.* Sed nonne etiam v. 133 sqq. narrantur, quae senex egerit? quare non opus est, ut de propria Perfecti *distulit* significatione recedamus. Cf. etiam Conington ad h. l. *Differre* verbum proprium hac de re (cf. Varr. R. R. I, 43. Colum. XI, 3, 30. 31. 32. 38. 42. etc.), idem significans, quod supra Geo. II, 54. 267. *digerere*, et Moret. 69. *disponere.* — **145.** *edura pirus*, nimium dura, valida. *Edurus* pro valde durus legitur etiam Ovid. A. A. III, 476. *Nec tamen eduro, quod petit, ore nega*, ubi tamen alii Adverb. *edure* substituunt. Ita etiam *egelidus* dici (vid. ad Aen. VIII, 610.), omninoque Particulam *e* aliis vocibus praefixam augendi et intendendi vim habere (ut in *ecastor, equidem, edicere, edocere, ementiri* etc.) satis notum. Cf. Drakenb. ad Liv. V, 54, 3. Kritz. et Dietsch. ad Sall. Cat. 48, 4. 49, 4. Hand. Tursell. II. p. 341 sq. alii. Ceterum vid. adnott. ad Geo. II, 65. Cum Cod. Pal. exhibeat *Etduram*, Ribbeck. edidit *Ecduram.* (Cf. eius Proleg. p. 418,) — „*spinus*, oxyacantha, *Hagedorn, Schlehdorn*, cui iam prunus insita erat.“ *Heyn. Spinus* tamen ab oxyacantha (de qua vid. Dioscor. I, 122. ibique Sprengel.) videtur differre; et illa quidem arbor eadem est cum pruno silvestri s. *κοκκυμηλέᾳ ἀγρίᾳ*, de qua agit Dioscor. I, 174., quamque Pallad. de ins. 81. *spiniferam prunam* appellat. Cf. etiam Plin. XV, 13, 12. et Billerb. Flor. class. p. 128. — De *platano* umbrosa vid. adnott. ad Geo. II, 70. — Peerlk. p. 281. pro *potantibus* coni. *spatiantibus* totumque locum melius se habiturum censet, si versus sic se exciperent: 146. 142. 143. et in hoc pro *tenebat* scriberetur *legebat.* Illam autem coniecturam reiiciens Ladew. *Beurth.*

Verum haec ipse equidem spatiis exclusus iniquis
Praetereo atque aliis post me memoranda relinquo.
Nunc age, naturas apibus quas Iuppiter ipse
Addidit, expediam, pro qua mercede canoros 150

---

v. 23. verissime censet, tam magnas arbores translationi non esse aptas, *potantibus* autem, quod neutiquam de luxuriosa comissatione intelligi debeat, ineptum haberi non posse, atque etiam transpositioni versuum recte adversatur ad Vossium provocans, qui v. 134—138. de praecoce maturitate, v. 139—143. de foecunditate, v. 144—146. de sera translatione agi doceat. — 147. Vid. ad v. 116. et Colum. lib. X. praef., ubi haec legimus: *Hortorum quoque te cultus, Silvane, docebo, Atque ea quae quondam spatiis exclusus iniquis, Cum caneret laetas segetes et munera Bacchi, Et te, magna Pales, nec non caelestia mella, Vergilius nobis post se memoranda reliquit.* — *spatiis iniquis*, nimis angustis, intra quae cursum meum tenere cogor, (*knapp zugemessene Zeit.*) Cf. supra v. 116 sq. (Sic etiam Tittler Progr. p. 18.) *Spatio iniquo* legimus etiam Aen. V, 203.; de verbo *excludendi* autem Conington confert Cic. Verr. II, 1, 56. *angustiis temporis excluduntur* et Caes. B. G. VII, 11. *diei tempore exclusus.* — 148. „*post me memoranda* Nauger. cum Steph., quod deseruere alii: itaque revocavit Heins. e parte librorum (Goth., sec. Reg. et Cantabr.) et confirmari id potest e Colum. X. praef. 3. [*Postulatio tua pervicit, ut potius numeris explerem Georgici carminis omissas partes; quas tamen et ipse Vergilius significaverat posteris se memoranda relinquere*] et X, 5. [vid. supra], quo maior pars alludit cum Med., [Rom., Gud.] et uno Arund. *post memoranda*, ita ut similis syllaba exciderit; quam supplevere alii - - *post haec memoranda*, aut, ut vulgo legebatur - - *post commemoranda.*" *Heyn.* Quam vulgatam lectionem recepit Voss., altera ob malum sonum reiecta; sed abstinuit Vergilius hoc verbo composito, prosae orationi magis quam poëticae conveniente; et quod attinet ad *κακοφωνίαν*, quam Voss. hic sibi visus est deprehendere, cf. adnott. ad Aen. II, 27. III, 203. IV, 421. et alibi. Iure igitur recentiores editores omnes Heinsium et Heynium secuti sunt. Ceterum hortorum cultum obiter modo tetigisse Vergilium (ideoque hic multa aliis memoranda reliquisse), testatur etiam Plinius in prooem. l. XIV. — 149. De ingenio, natura et moribus apum, quae Aristoteli H. A. IX, 40. *πολιτείαν καὶ βίον τῶν μελισσῶν* dici, observat Heyn. — *Nunc age.* Animi attentionem ut excitent, *age* praemittunt etiam tum, cum aliquid demonstraturos se esse significant; ut docet Hand. Tursell. I. p. 206., qui praeter h. l. affert Aen. VI, 756. Cic. Rosc. Am. 37, 108. Lactant. Inst. IV, 24, 1. Saepius sane cum Imperativo coniungi solet, ut ap. Lucr. I, 266. 920. alibi. — *quas naturas*, mores, indolem, ingenium. Quod ad Pluralem attinet distributive usurpatum, Conington confert Cic. ad Qu. fr. II, 16. *quos situs, quas naturas rerum et locorum* et de N. D. II, 57, [144.] *quod his naturis relatus amplificatus sonus.* — *Iuppiter ipse.* Vid. adnott. ad Ecl. VIII. 96. — 150. *addidit*, indidit, ut supra I, 129. *virus serpentibus addidit.* Ribbeck. cum Gud. a m. pr. scripsit *Addedit.* (Vid. eius Proleg. p. 416.) Quod attinet ad Indicativum *addidit*, Wagn. confert Aen. VI, 614 sq. *Ne quaere doceri, quae forma viros fortunave mersit*, i. e. ne quaere doceri formam, quae mersit. Cic. Fin. IV, 24, 67. *At, quo nituntur homines acuti argumento ad probandum, opere pretium est considerare*, i. e. operae pretium est considerare argumentum, quo nituntur (ubi vid. Goerenz.), et in Cat. mai. 4, 12. *nihil est admirabilius, quam quomodo ille mortem filii tulit*, i. e. quam modus, quo etc. Omnino de hoc usu Indicativi cf. Ochsner. ad Ecl. Cicer. p. 28. Hess. ad Tac. Germ. 45, 7. alii. — „*pro qua mercede*, ambiguum est, quo sensu dictum sit. Omissis aliis, apponam simplicissimum; Iovem illae *pavere* puerum, allectae *cymbalis Curetum, sub antro* montis *Dictes* in Creta. Fabula nota vel ex Callim. in Iov. 50., ubi vid. Spanh. [Cf. etiam Colum. IX, 2, 3., qui eius narrationem his verbis finit: *Ista enim, quamvis non dedeceant poëtam, summatim tamen et uno tantummodo versiculo leviter attigit Vergilius, cum sic ait: Dictaeo c. r. p. sub antro.*"] Pro ea re, tamquam

Curetum sonitus crepitantiaque aera secutae
Dictaeo caeli regem pavere sub antro
Solae communis natos, consortia tecta
Urbis habent magnisque agitant sub legibus aevum
Et patriam solae et certos novere Penatis,
Venturaeque hiemis memores aestate laborem
Experiuntur et in medium quaesita reponunt.
Namque aliae victu invigilant et foedere pacto
Exercentur agris; pars intra saepta domorum
Narcissi lacrimam et lentum de cortice gluten

---

mercedis loco, miram hanc et humanae naturae similem naturam acceperunt. Rem poëta narrat inverse: Iupiter iis has naturas indidit, mercedem *eius, quod* eum paverant; hoc effert: pro ea re, tamquam mercede, paverant, et relative, *pro qua mercede.*" *Heyn.* Sententia enim per attractionem inversam expressa haec est: nunc expediam naturas, quas Iupiter apibus addidit (tamquam) mercedem pro eo, quod ipsum paverunt, nutriverunt. Cf. adnott. ad Geo. III, 387. et Aen. XII, 641. Alia est Brycei sententia, qui verba *pro qua mercede* pendere vult ab iterando verbo *expediam* (coll. loco Aen. XI, 250.) et *qua* pro *quali*, i. e. quam generosa („*for what a noble hire*"), positum censet, similique ratione Peerlk. p. 282. coni. *et pro qua mercede*, ut *expediam naturas et mercedem* per Hendiadyn sit dictum. — **151.** *Curetum sonitus.* De Curetibus, antiquis illis Cybeles sacerdotibus et Iovis infantis custodibus in Creta insula viventibus, qui cymbalorum et armorum collisorum strepitu efficiebant, ne vox infantis a Crono, vitae eius insidiante, audiri posset, locus imprimis memorabilis est apud Strab. X. p. 465., cum quo praeter Callim. in Iov. 52. cf. Diod. V, 65. Hygin. f. 139. Lucr. II, 633 sqq. aliique. — *crepitantia aera* et cymbala pulsa (cf. supra ad v. 64.) et gladios clypeosque collisos respicere videntur. — *Dictaeo sub antro.* De Dicte, Cretae monte, vid. ad Geo. II, 536, de Cretensi autem Iovis cultu Höck *Kreta* I, p. 155—255. et Schwenck. *Mythol.* p. 14 sqq. — **153.** „Locus qui sequitur est ex praestantissimis propter dignitatem rerum tenuitati additam ex translatis ab humano genere." *Heyn.* — *natos* pro vulg. *gnatos* Wagn. edidit, quem (ut omnes recentiores editores) secutus sum. Cf. adnott. ad Ecl. V, 22. — *tecta consortia* Wund. recte interpretatur, „quae communi possessione tenentur, ut hereditas fratrum germanorum." — **154.** *sub legibus;* quare v. 158. *foedere pacto.* Quod attinet ad epitheton, Conington confert Soph. Anth. 797. *τῶν μεγάλων θεσμῶν* et Hor. Epod. V, 87. *magnum fas nefasque.* — *agitare aevum*, ut Aen. X, 235. Cf. etiam Geo. II, 527. *agitare dies.* Haupt. et Ribbeck. cum Gud. a m. pr. et Bern. II. *aevom.* — **155.** *certos Penates:* cf. Aen. VIII, 39. *Hic tibi certa domus, certi* (*ne absiste*) *Penates*, Aen. VI, 673. *Nulli certa domus* et Hor. Epist. I, 7, 58. *Lac certus.* — *novere*, habuere. Cf. Aen. VI, 641. *solemque suum, sua sidera norunt.* — **156.** *hiemis memores.* Cf. Aen. IV, 403. — **157.** *experiuntur laborem*, sustinent, patiuntur. Cf. Ovid. Met. I, 414. *Inde genus durum sumus experiensque laborum.* — *in medium quaesita.* Cf. Geo. I, 127. *in medium quaerebant* ibique adnott. Verba in *medium quaesita reponunt* iterantur in Anth. Lat. Burm. III, 81, 41. — **158.** „Partitae inter se opus ac munera *foedere pacto*, certo ordine [negotia, officia certis legibus partita: vid. v. 154.], aliae *victu invigilant*, victui quaerendo, cibo congerendo operam dant, [ut Aen. IX, 602. *Venatu invigilant:* de forma Dativi *victu* vid. adnott. ad Ecl. V, 29.] et *exercentur agris*, discursu et vagatione per agros vexantur, fatigantur; ut saepe *exerceri laboribus magnis* dicimur, quos tractamus; [nisi praestat explicare: exercentes opus suum per agros vagantur: cf. supra ad v. 59.] Habebat hic ante oculos poëta Aristot. H. A. IX, 40. p. 946. extr. Lineae autem iam sunt ductae in Hes. Theog. 596 sq." *Heyn.* — *aliae - - pars.* Vid. anott. ad Ecl. V, 65. — **159.** *intra saepta domorum.* Cf. Aen. XI, 882. *intra tuta domorum.* — **160.** *Narcissi lacrimam*, guttam, humorem melleum, quem imus florum calyx

Prima favis ponunt fundamina, deinde tenacis
Suspendunt ceras; aliae spem gentis adultos
Educunt fetus; aliae purissima mella
Stipant et liquido distendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti
Inque vicem speculantur aquas et nubila caeli,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent.

---

exsudat. Eodem modo *lacrima* de floribus et arboribus usurpatur Colum. X, 103. Plin. XI, 6, 5. id. XXI, 5, 11. id. prooem. l. XXIII. etc.; neque aliter Graeci suo δακρύῳ utuntur. Cf. Aristot. h. an. IX, 40. et Geop. XV, 3. a Vossio laud. Plin. II. II. et Theophr. caus. pl. I, 4. (quos Keightl. ap. Coningt. affert) hac lacrima propagari adeo lilia asseverant. — *gluten*, resinam corticis arborum fruticumve. Vid. sup. ad v. 40. — 161. *favis*, cellulis mel recepturis. — *fundamina*, propolin, s. *favorum stabilimentum*, Plin. XI, 7, 6. Voc. *fundamen* etiam apud Ovid. Met. XIV, 808. et Fast. IV, 835. legitur. — 162. *Suspendunt ceras.* Apes a summo alveo incipientes et paullatim ad inferiora descendentes illis fundamentis cellas adglutinant. Cf. Plin. XI, 10, 10. *Struunt orsae a concameratione alvei textumque velut a summa tela deducunt.* — „*spem gentis*: solent Latini sobolem quamvis appellare *spem*. Plin. Paneg. 26. *spem Romani nominis*, h. e. sobolem Rom. Virg. Ecl. I, 15. *gemellos, spem gregis.*" *Wund.* Cf. etiam adnott. ad Ecl. I, 15. et Geo. III, 73. — 163. *adultos Educunt fetus*, nova examina. Ceterum cf. Aen. I, 431 sqq., ubi omnis hic locus (v. 162—169.) ad literam iteratur. Cf. adnott. ad Geo. II, 129. — 164. „*distendunt nectare cellas*, ornatius quam replent, explent; nam maiorem abundantiam repraesentare animo videtur, quod cellularum latera tumere facit. Supra III, 124. *denso distendere pingui.* Sic *distendet spicis horrea plena Ceres* Tibull. II, 5, 84., ubi vide Obss. Hoc idem alibi est *rumpi*, ut Geo. I, 49." *Heyn.* Praeter parallelum illum locum Aen. I, 433. cf. etiam Ecl. IV, 21. et VII, 7. et Burm. ad Anthol. Lat. I, 147, 28. *Apes complentes nectare cellas* commemorantur in Anth. Lat. Burm. II, 260, 3. — De *nectare* pro melle posito diximus ad Ecl. V, 71. — 165. *sorti* prius mihi videbatur antiquior forma sexti Casus esse, ut alibi *ruri, vesperi, luci, parti* etc. (Cf. adnot. mea ad Lucr. I, 977. Drakenb. ad Sil. VII, 368. Ruddim. I. p. 85. Schneider. Gr. Lat. II. p. 218 sqq.) Cum tamen verum sit, Ablativum, quem dicunt, instrumenti alibi apud Vergilium ubique *sorte* formari (cf. Aen. I, 139. 508. II, 201. V, 132. 190. VI, 761. XI, 110.), nunc non prorsus alienus sum a Ruddim. II. p. 124., Vossii et Iahnii opinione, *sorti* hic Dativum esse, explicandum eodem modo, quo Aen. IX, 271. *excipiam illum sorti*, i. e. ut sors (*γέρας*) mea sit. (Wagn. in edit. min., Ladew. et Conington *sorti* pro Ablativo habent et comparant Silium VII, 367. *quis tunc cecidit custodia sorti*, Liv. XXIX, 20. *sorti evenisset* et Plaut. Cas. II, 7, 6. *sorti victus.*) — 166. Speculantur, an futuri sint imbres, ne reliquae exeant. Cf. v. 191. Vid. etiam Aristot. H. A. IX, 40. προγινώσκουσι δὲ καὶ χειμῶνα καὶ ὕδωρ αἱ μέλιτται et Voss. ad h. l. — *aquas*, pluviam. Cf. Hor. Od. III, 10, 19. et Epist. II, 1, 135. *aquae caelestes*, atque sine hoc epitheto etiam Od. III, 17, 12. *cornix augur aquae* et III, 1, 30. *arbore aquas culpante.* — 167. *onera*, quae indicantur v. 181 sqq. Wakef. ex coniect. *excipiunt* edidit, ut etiam Aen. I, 434. (ubi in uno cod. Bigot. *excipiunt* apparet) et X, 138. (ubi Schol. Crucq. ad Hor. Od. IV, 10. *excipit* exhibet) hoc verbum recepit, et Auct. de gen. nom. p. 90. H. *suscipiunt* praebet; sed ceterorum omnium librorum lectionem propterea non esse sollicitandam, quisque videt, quamvis contra Aen. III, 210. optimorum Codd. auctoritas lectionem *excipiunt* tueatur. — *agmine facto*, quod Aen. VIII, 595. proprie dicitur de militibus, Aen. I, 82. ad ventos translatum videmus. — 168. *fucos* (*Dronen*), apes ceteris maiores, quae mel non faciunt, sed ovis insidentes ad procreationem sobolis multum conferunt, pullis tamen exclusis ex alveari proturbantur. Cf. Co-

Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella;
Ac veluti lentis Cyclopes fulmina massis
Cum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt redduntque, alii stridentia tinguunt
Aera lacu; gemit inpositis incudibus Aetna;
Illi inter sese magna vi bracchia tollunt

---

lum. IX, 15, 1. hunc ipsum Verg. locum quasi commentatus, Varro R. R. III, 16, 19. et (quem Coningt. laudat) Aelian. I, 10. — *ignavum pecus.* Cf. infra v. 259. et Aen. I, 435., ubi hic totus versus iteratur. Haupt. et Ribbeck. *ignavom* cum Gud. a m. pr. Conington comparat *mutum et turpe pecus* ap. Hor. Sat. I, 3, 100. et *servum pecus* ap. eund. Ep. I, 19, 19. Quod autem attinet ad collocationem verborum cf. infra v. 246. *dirum tiniae genus* et Ecl. III, 3. *Infelix o semper, ovis, pecus* ibique adnott. — **169.** Iteratur hic versus Aen. I, 436. et prius hemistichium in Anth. Lat. Burm. I, 171, 8. *Fervet opus* autem legitur etiam in Lucilii Aetna 167. (Wernsd. P. L. min. IV. p. 121.) Cf. etiam Aen. IV, 407. *opere omnis semita fervet.* Cuningh. et Schrader. coni. *fervit* (cf. adnott. ad Geo. I, 456.), idque Voss. ex Philargyrio praepropere recepit, quamquam non reticendum, hanc lectionem etiam exhibere Sched. Vat. a m. pr. (cf. Ribbeck. Proleg. p. 193. et 282.) — *thymo.* Vid. ad Ecl. V, 77., ubi adde Hor. Od. IV, 2, 27 sqq. — *fragrantia mella.* Ribbeck. cum Med., sched. Vat., Gud. et Bern. II. scripsit *fraglantia.* (Cf. eius Proleg. p. 420.) — **170—179.** „Ut in officina Cyclopum per partes opus fit a pluribus, sic in alveari plurium studiis. — *lentis massis*, ferri, quod procudi ac duci potest, *properant*, properanter conficiunt, *σπεύδουσιν, ἐπείγουσιν* fulmen. Cf. Callim. in Dian. 49." *Heyn.* Cum *lentis massis* cf. *lentum argentum* Aen. VII, 634. Vid. etiam adnott. ad Ecl. III, 38. *Properare* apud poëtas et posteriores prosae orationis scriptores, Tacitum maxime, haud raro cum Accus. Obiecti construitur. Cf. v. c. Aen. IX, 401. XII, 425. Hor. Od. III, 24, 62. Prop. IV, 21 (III, 20), 21. Tac. Hist. I, 77. III, 40. Ann. II, 22. 31. IV, 69. etc. (Vid. Boetticheri Lex. Tac. p. 389.) Sic etiam *deproperare* apud Hor. Od. II, 7, 24. Ex aureae aetatis scriptoribus pedestribus neminem ita scribere memini, nisi Sallustium Iug. 37, 4. *vineas agere, aggerem iacere, aliaque, quae incepto usui forent, properare*, ubi vid. Kritz. Eadem ratione Aen. IV, 575. Ennii fr. inc. 16. p. 147. Vahlen. Hor. Ep. I, 2, 61. Sil. VIII, 52. Stat. Silv. II, 1, 128. Sall. Iug. 77, 1. Tac. Ann. IV, 28. XIV, 33. et alibi *festinare* usurpatum videmus. — V. **171—175.** paucis mutatis iterantur Aen. VIII, 449—453. — **172.** Verba *accipere* et *reddere* haud raro sic sibi opponuntur. Vid. Aen. VIII, 450. Manil. III, 436. Anth. Lat. Burm. III, 81, 33. etc. — Ribbeck. *tinguntˌ* Haupt. *tinguont.* — **173.** *Lacum* Heyn. coll. Lucret. VI, 147. 148. *Ut calidis candens ferrum e fornacibus olim Stridit, ubi in gelidum propere* (aut ex alia lect. *propter*, dum prope adstat aqua) *demersimus imbrem* et Ovid. Met. IX, 170. *gelido ceu quondam lamina candens Tincta lacu stridit*, pro fontibus, aqua omnino positum censet, quod ipsi magis poëticum videtur, quam ut *lacus* ipsa vasa sint; de quibus tamen hic cogitandum esse, recte vidit Voss. Significatur enim et hic et apud Ovid. l. l. vas aquae plenum, in quam ferrum candens, ut duretur, immergitur (*der Kühltrog.*) Ceterum de ipsa re cf. Hom. Od. IX, 391. et Aen. XII, 91. Ameis. Spic. p. 39. paullo subtilius censet, hanc vocem unice aptam esse imagini ingentium Cyclopum. — *gemit.* Vid. ad Geo. III, 133. Similiter Ovid. Met. II, 296. *Atlas en ipse laborat vixque suis humeris cadentem sustinet orbem* coll. cum Stat. Theb. VIII, 315. et Hor. Od. I, 9, 3. — *inpositis incudibus*, non Aetnae, ait Voss., sed *ἐν ἀχμοθέτῳ*. Hom. Il. XVIII, 476. *θῆκεν ἐν ἀχμοθέτῳ μέγαν ἄχμονα.* — **174.** Conington putat hunc locum fluxisse ex Callim. H. in Dian. 59 sqq. — *magna vi.* Rottend. sec. *multa*, ut infra v. 450., supra III, 229. et Aen. I, 271. Nihil tamen mutandum, cum manifestum sit, unius Cod. illius lectionem huc translatum esse ex Aen. VIII, 452,, ubi v. 172—175. ad verbum fere repetuntur. Ex eodem fonte fluxit altera lectionis varietas v. 173., ubi plures Codd. *antrum* praebent pro *Aetna.* Ceterum ipsis versus numeris magnum

In numerum versantque tenaci forcipe ferrum:
Non aliter, si parva licet conponere magnis,
Cecropias innatus apes amor urguet habendi
Munere quamque suo. Grandaevis oppida curae,
Et munire favos et daedala fingere tecta.
At fessae multa referunt se nocte minores,
Crura thymo plenae; pascuntur et arbuta passim
Et glaucas salices casiamque crocumque rubentem

Cyclopum laborem indicari, non est ut moneam. — V. 174 sqq. „Praeivit Callim. in Dian. v. 59—61. — 175. *In numerum, κατὰ ῥυθμόν*, ut Ecl. VI, 27. Ceterum hunc eundem locum refinxit poëta Aen. VIII, 449—453." *Heyn.* — 176. *Non aliter* etc. Comparatio versatur in operae industria, quod si tenemus, nihil hic est, quod mirum vel ineptum videri possit, imprimis cum poëta addat: *si parva licet conponere magnis*. Totus autem hic de apibus locus, ut apte docet Heyn., nos iam adsuefecit imaginibus a rebus ac fatis, moribus ingeniisque hominum petitis. Ceterum cf. adnott. ad Ecl. I, 23. (*sic parvis componere magna solebam.*) — 177. *Cecropias - - apes.* Apum Atticarum mel Hymettium propter thymum ibi frequentissimum non minus celebratum, quam Hyblaearum, de quibus ad Ecl. 1, 54. diximus. Cf. Theophr. h. pl. VI, 2. 7. Athen. I, 50. p. 106. Paus. I, 32. Hor. Od. II, 6, 14. Sat. II, 2, 15. Plin. XXI, 10, 31. alii. Atticam vero et Athenas a Cecrope, antiquo illo rege, poëtis Cecropiam dici, res in vulgus nota. Cf. infra v. 270. et Aen. VI, 21. — *amor habendi*, studium possidendi, dum mel parant. Vid. ad Aen. VIII, 327. Peerlk., cum *amor habendi* numquam sic laudi, sed semper vitio ducatur, (quod non prorsus verum est) p. 283. coni. *amor agendi*. Sed cum studium mel habendi etiam causa sit eius conficiendi, quidni etiam illud commemorari potuit? Etiam Ladew. *Beurtheil.* p. 24. amorem habendi recte explicat per „studium agendi, ut victum sibi comparent," et conferri iubet Ovid. Fast. I, 193 sqq. *Vix ego Saturno quemquam regnante videbam, Cuius non animo dulcia lucra forent. Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi.* — *munere*, pro partibus cuique assignatis. Vid. v. 158 sqq. De ipsa re Voss. conferri iubet Aristot. h. an. IX, 40. et Aelian. nat. an. I, 10. 11. — 179. *munire favos* pulchrius quam fingere, facere. Alii intelligunt *opera* ad munienda alvearia. Cf. supra v. 37 sqq. — *daedala tecta*, magna arte exstructa, pari scil. magnitudine in figuram sexangulam formata. Omnes enim res artificiose factas Graecis et Romanis *daedalias* s. *daedalas* dici (a *δαιδάλλειν*, unde etiam celeberrimus ille artifex Cretensis nomen accepit), satis notum. Cf. adnott. ad Aen. VI, 14. Rariorem Adiectivi formam *daedalus* Maro ex Lucretio videtur sumpsisse, ubi V, 1450. *signa*, III, 505. *carmina*, IV, 531. *lingua*, I, 7. *tellus daedala* commemorantur. — 180. *multa nocte*, ut ap. Cic. ad Qu. fr. II, 9. Liv. XXXV, 4. Tibull. I, 9, 42. al. Sic etiam *multo die* ap. Caes. B. G. I, 22. (coll. Liv. III, 60.) et *multa luce* ap. Tac. Hist. V, 22. (Cf. etiam adnott. ad Ecl. VII, 60.) De ipsa re Conington cum Cerda conferri iubet Stat. Achill. I, 555. *quales iam nocte propinqua E pastu referuntur apes.* — *minores*, quas Plin. XI, 10, 10. *gerulas* appellat. — 181. Hanov. Sched. crit. p. 13 sq., cum hic omnia confusa et bis dicta appareant et vox *omnibus* v. 184. adversetur iis, quae v. 178. et 179. dicta sint, v. 184—187. tollendos et v. 181—183. interpositionis signo a ceteris secernendos esse censet. Sed vide quae opponit Ribbeck. Proleg. p. 37. — *Crura thymo plenae.* Cf. adnott. ad Ecl. I, 54. — *plenae* pro repletae, ut saepissime. Keightl. ap. Coningt. confert Hor. Epist. I, 20, 8. II, 1, 100. — *pascuntur*, depascunt, vid. Geo. III, 314. II, 375. De *arbutis* vid. Geo. III, 300. I, 148. 182. — 182. *glaucas salices.* Vid. Geo. II, 12. et cf. etiam Ecl. I, 54. — *casiam.* Vid. ad Geo. II, 213. — *crocum*, quem in Italia silvestrem esse, sed odore carere Plinius refert XXI, 6, 17., Colum. IX, 4, 4. circa alvearia seri iubet, qui coloret odoretque mella. Cf. Voss. ad h. l. et adnott. ad Geo. I, 56. — *rubens*, „ut Ovid. Fast. I, 342. *rubrum* et ibid. V, 318. *puniceum.* So-

Et pinguem tiliam et ferrugineos hyacinthos. 183
Saepe etiam duris errando in cotibus alas 203
Attrivere ultroque animam sub fasce dedere: 204
Tantus amor florum et generandi gloria mellis. 205
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus. 184
Mane ruunt portis; nusquam mora; rursus easdem 185
Vesper ubi e pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant;
Fit sonitus mussantque oras et limina circum.

---

phocli Oed. C. 685. dicitur χουσανγής. Memor est huius loci Vergilii imitator in Anth. Lat. Burm. I, 178, 330. *Pro molli viola casiaque crocoque rubenti.* — 183. „*pinguem tiliam*, a melle florum et foliorum, quod exsudant, glutini apum idoneum. — *ferrugineos* [vid. ad Geo. I, 467.] *hyacinthos*, alibi *purpureos; vaccinia nigra*, Ecl. II, 18., ubi vid. not. et Voss. ad v. 137." *Heyn.* — V. 203—205. vulgo alieno loco insertos esse, cum v. 202. et 206. arcte cohaereant, iam Schrader., Heyn. aliique viderunt; et Heyn. quidem (cum Schradero, cui etiam Iahn. in edit. II. mutata sententia et Tittler Progr. p. 6. adsentiuntur) post v. 196. aptiorem iis locum esse censet, quamquam etiam ex vulgari versuum ordine locus utcunque explicari possit. Wagnerus autem, cui hi versus (non minus quam Geo. I, 47—49. 135. II, 171 sq. III, 32. 219. IV, 276. 291—293.) absoluto iam hoc libro aut etiam toto Georgicorum opere a Vergilio, ut fit, in marginem codicis coniecti et inde in contexta illati videntur, (de qua re conferri iubet Serv. ad Aen. III, 204., Ruaeum et Burm. ad Geo. II, 171 sq. Heyn. ad Geo. III, 32. IV, 291. sua ad Geo. III, 219. IV, 291. et Weichert. ad Val. Fl. p. 105 sq.), in Philol. Suppl. I. p. 375. et in min. edit. hunc aptiorem locum iis assignat, quo eos cum Ladew. transtulimus, comprobante etiam Ribbeckio Proleg. p. 34 sqq., qui eos prius post v. 218. collocandos esse censuit (cf. Lect. Verg. p. 7.), sed in edit. sua asteriscis praefixis vulgari loco servavit. Versibus autem sic transpositis reticere possumus, qua ratione Voss., Bryce et Conington vulgarem versuum ordinem et connexum defendere frustra laborent. — 204. *ultro* hic idem fere esse videtur quod *insuper, adeo* ut Aen. (II, 145.?) V, 55. et IX, 127. (Cf. Wagn. Qu. Virg. XXVII, 1.); quamquam etiam Ameisii explicatio Spicil. p. 39. „priusquam fascem gravescentem deponerent, potius moriuntur sua sponte vel voluntaria morte," quam Conington sequitur, habet quo commendetur. — *dare animam*, i. q. alibi (ut ap. Cic. pro Sest. 38, 83.) *edere animam*. Sic etiam *dare vitam* Aen. IX, 704. Cf. Burm. ad Ovid. Her. IX, 62. Gronov. ad Gellium III, 15. et Garat. ad Cic. pr. Planc. 37, 90. — 205. *Tantus amor florum.* Cf. Geo. II, 301. et III, 112. — *generandi gloria mellis*, spes et studium gloriae ex mellis generatione acquirendae. *Gloria* enim hic pro gloriae cupiditate posita, ut Aen. V, 394. *non laudis amor nec gloria cessit*, ap. Cic. pr. Archia 11, 26. *trahimur omnes laudis studio et optimus quisque maxime gloria ducitur*, ad Div. VII, 13. *miror, ni, quae tua gloria est*, etc. Tac. Ann. I, 43. *cum militibus, quos iam pudor et gloria intrat.* — 184. Aliquot Codd. melioris notae distinguunt post *quies*, ut *operum labor* connectatur, quemadmodum Geo. II, 155. et Aen. I, 455., quorum tamen locorum alia est ratio. Hic, ubi *quies* adiectum est, praestat haud dubie *quies operum* coniungere, ut ap. Cic. Cat. IV, 4, 7. *mortem laborum ac miseriarum quietem esse* legimus. — *unus.* „Rottend. pr. *labor omnibus idem*, ut Geo. III, 244., sed et v. 212. *mens omnibus una est.*" *Heyn.* — 185. *ruunt portis* Iacobs. recte explicat: portas agmine relinquunt, comparans Liv. XXVII, 41, 8. *equites peditesque certatim portis ruere.* — 186. *e pastu decedere.* Cf. supra I, 381. — 187. *corpora curant.* Cf. Aen. III, 511. *Corpora curamus.* Liv. III, 2. *corpus cibo somnoque curare.* id. XXXVI, 18. in. *priusquam corpora curarent.* Hor. Sat. II, 2, 80. *curata membra* etc. — 188. Cf. Plin. H. N. XI, 10. *Cum advesperascit, in alveo strepunt minus ac minus, donec una circumvolat eodem quo excitavit*

Post, ubi iam thalamis se conposuere, siletur
In noctem fessosque sopor suus occupat artus.
Nec vero a stabulis pluvia inpendente recedunt
Longius aut credunt caelo adventantibus Euris;
Sed circum tutae sub moenibus urbis aquantur
Excursusque brevis temptant et saepe lapillos,
Ut cymbae instabiles fluctu iactante saburram,
Tollunt, his sese per inania nubila librant.

---

bombo, ceu quietem capere imperans: et hoc castrorum more. Tunc repente omnes conticescunt. — *mussant*, murmurant, fremunt. Alius locus, ubi hoc verbum de animalibus susurrantibus (vid. v. 260.) dicatur, mihi non cognitus; de hominibus muttientibus et haesitantibus in loquendo satis frequentatum: cf. Aen. XI, 345. (ibique adnott.) 454. XII, 657. 718. etc. atque etiam Ennii Ann. XVIII. fr. 6. p. 64. Vahlen. *non possunt mussare boni*, Philarg. ad h. l. et Festus p. 144. M. Respondet τῷ μύζειν Graecorum, nostro *mucken, mucksen*. — **189.** *thalami*, cubilia, (cf. v. 45. et 243.) pro alveis. Iacobs. (quem Wagn. laudat) confert Antiphil. Epigr. 29. μελισσῶν αὐτοπαγεῖς θαλάμαι et Niciae Ep. 7. κηροπαγὴς θάλαμος. — *se conposuere. Componere* se et eorum est, qui coenaturi ad mensam accumbunt (ut Aen. I, 698.), et eorum, qui dormituri in lectulum se abiiciunt (ut h. l.). Cf. etiam Aen. I, 374. — **190.** „*sopor suus*, ex usu huius nominis poëtico, illis debitus, quippe labore diurno paratus, aut solitus et usitatus." *Heyn. Suus* enim poëtis dicitur de rebus natura alicui assignatis, vel quarum aliquis sive natura sive consuetudine ius et potestatem habet. Cf. Aen. V, 832. *ferunt sua flamina classem*. Ovid. Her. XII, 133. *iusto desunt sua verba dolori*. ibid. XIV, 67. *lacrimae sua verba sequuntur*. Sen. Hipp. 531. *sua quisque norat maria*. id. Med. 331. *sua quisque Litora tangens*, et similia; imprimis autem huc pertinet Ovid. Met. VI, 489. ubi contraria sane relatione *placido dantur sua corpora somno*. Cf. etiam adnott. ad Ecl. I, 37. Geo. II, 458. IV, 22. et Aen. II, 396. Broukh. ad Tibull. III, 3, 28. Ruhnk. ad Ter. Eun. III, 5, 12. Markl. ad Stat. Silv. III, 5, 88. Mitscherl. ad Hor. Od. III, 7, 10. Dissen. ad Tibull. I, 9, 77. Ruperti ad Liv. I, 56, 10. Bach. ad Ovid. Met. IX, 373. Unger de Valg. Rufo p. 124. Ruddim. II. p. 58. alii. Paullo aliter tamen Servius: „*suus*, sibi aptus, quia altum dormiunt pro natura mellis, Aen. VI, 420." — **191.** „Convenienter versui 149. 150. sequuntur alia singularia ingeniis apum insita: praesensio tempestatis ingruentis; tum v. 197. sobolis mira reparatio. Arat. Diosem. 296. inter signa imbris ingruentis: οὐδ' ἂν ἐπὶ ξουθαὶ μεγάλου χειμῶνος ἰόντος Πρόσσω ποιῆσαιντο νομὸν κηροῖο μέλισσαι, Ἀλλ' αὐτοῦ μέλιτός τε καὶ ἔργου εἰλίσσονται." *Heyn.* — *a stabulis*. Vide supra v. 14. — **192.** *credunt caelo*, fidem habent caelo sereno. Burm. comparat Quinct. Decl. XIII, 17. *nec dubio se credere caelo* (qui tamen non prorsus respondet nostro) et Val. Fl. I, 332. *Nec de te credam nostris ingrata serenis*, ubi a se adnott. iubet conferri. Alii minus recte *credunt* pro se credunt positum accipiunt, ut Aen. VI, 15. et ap. Quinct. Decl. XIII, 17. *se credere caelo*. — De *Euro* vid. ad Geo. II, 339. et supra v. 29. — **193.** *circum--sub moenibus*, *ringsum an den Mauern*. Cf. Hand. Tursell. II. p. 53. — **194—196.** „Observatum hoc multis, apes adverso vento volantes lapillis, tamquam saburra, se onerare, ne a vento abripiantur, in his Aristot. H. A. IX, 40. Aelian. V. H. I, 11. Plin. XI, 10." *Heyn.* — *cymbae instabiles*, levitate oneris fluctuantes. — **196.** *Tollunt* cum singulari vi novum incipit versum, difficultatem rei apte exprimens. Cf. ad Ecl. V, 21. VII, 50. Geo. I, 477. et alibi adnott. — „*inania nubila*, *regenlose Windwolken*, quae Geo. III, 198. *arida nubila* vocantur. Verterem *wolkige Leere* (ut apud Hor. A. P. 230. *nubes et inania captes*), nisi *nubila* alibi semper Vergilio nomen substantivum esset." Ita fere *Voss.* Wagnero tamen *inanis* etiam h. l. simplex est epitheton omnium rerum, quae sine corpore esse videantur, ut aëris, nubium, venti, umbrarum s. Manium etc. Ceterum cf. quae infra

Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quod neque concubitu indulgent nec corpora segnes
In Venerem solvunt aut fetus nixibus edunt;
Verum ipsae e foliis natos et suavibus herbis
Ore legunt, ipsae regem parvosque Quirites

---

ad v. 205. adnotavimus. — **197.** „Inter plures veterum de *apum generatione* opiniones erat etiam haec, non gigni nec nasci eas, sed ex floribus legi. Vid. Aristot. H. A. V, 10. 21. 22. [de gen. an. III, 10.] Plin. XI, 16, 16. Nunc reginam, olim pro *rege* habitam, communem stirpis auctorem ac parentem, ovis pariundis solam vacare, communis opinio est; unde mox excludi apes, cum novas matres, tum mares seu fucos, tum mellificantes apes, in quibus nondum ulla sexus nota reperta est. — **197—199.** *Illum mirabere*, h. e. alia, eaque non minus mira, apum natura est, quod concubitui non indulgent, nec concipiunt, nec pariunt. Colum. IX, 2, 4. *utrum examina - - concubitu subolem procreent, an heredem generis sui floribus eligant, quod affirmat noster Maro.*“ *Heyn.* — De Part. *adeo* vid. adnott. ad Ecl. IV, 11. et IX, 59. — **198.** *Quod neque* e Cod. Rom. et Arusiano p. 234. L. restitui cum Wagn., qui Qu. Virg. XXXII, 1. docet, multo saepius *neque* in *nec*, quam *nec* in *neque* mutatum esse a librariis, cuius rei causam et e festinatione istorum hominum, cui brevior forma magis conveniret, et e scribendi compendio NEQ. rectissime deducit. Ita *neque* cum *nec* permutatum Ecl. VI, 2. Geo. I, 95. 426. 433. II, 287. 465. III, 216. 239. 352. Aen. VI, 52. 733. 870. IX, 129. 180. 428. aliisque locis a Wagn. congestis. Hic autem permutatio eo facilior, cum sequatur vox a litera *c* incipiens. Recte secuti sunt omnes recentiores editores, quamquam cum Gud., duobus Bern., Aspro 112, 21. K. et Gellio IV, 16. etiam Med. *nec* praebet. Cum autem verba *concubitu indulgere* et *corpora in Venerem solvere* ad unam eandemque notionem referantur, proprie non debebant per *neque - - nec* coniungi; sed poëtis in talibus rebus maior est licentia, quam pedestris orationis scriptoribus; non semper distinguunt res diversas, sed Wagnero teste interdum, ut hic et Aen. III, 585., etiam ponuntur, „ubi idem sensus bis, sed leviter variatus, exprimitur.“ Similes certe sunt loci Geo. II, 103. Aen. III, 214. VIII, 316. IX, 748. etc. — De Dativo *concubitu* vid. ad Ecl. V, 29. — *nec corpora segnes In Venerem solvunt*, i. e. nec opere venereo vires amittunt, languescunt, quia coëundi appetitum non sentiunt. Ita etiam Graeci λύεσθαι εἰς ἀφροδίσια. *In Venerem* finem indicat, quo tendentes vires solvunt. Similiter supra Geo. III, 97. *Frigidus in Venerem senior* (equus). Ceterum cf. supra Geo. III, 523. *iam solvuntur latera.* Quinct. Inst. IX, 4. *vires solvere.* idem I, 2. *Infantiam statim deliciis solvimus* etc. et vid. Aen. XII, 955. De proleptico autem Adiectivorum usu vid. adnott. ad Geo. I, 320. et II, 353. — **199.** *nixibus edunt.* Med., Rom., Pal., Gud. a m. pr. aliique Codd. *nexibus*, quod aliis fortasse videbitur praeferendum, cum *necti*, *nexus* proprie dicatur de re Venerea, velut Ovid. A. A. II, 484. *Haeret adulterio cum cane nexa canis* (cf. Oudend. ad Apul. Met. 1. p. 35.); rectissime tamen Wagn. docet, *necti*, necessario ad utrumque sexum referendum esse, hic autem orationem ita esse constitutam, ut poëta primum v. 198. (*neque concubitu indulgent*) consuetudinem maris cum femina in universum indicet, deinde vero huius rei notionem in duas partes scindat, ut illa: *nec corpora in Venerem solvunt* ad mares, haec: *nec fetus nixibus edunt* ad feminas pertineant; quamquam video, hanc rationem non placere Hildebrando in Jahnii Annall. l. l. p. 172., qui potius *nexibus* praefert, hoc sensu: non edunt fetus *per concubitum* conceptos; ut Part. *aut* non disiunctivam, sed copulativam vim habeat, de qua re vid. adnott. ad Aen. II, 127. Ceterum eandem lectionis varietatem etiam Aen. I, 448. Ovid. Met. IX, 294. (ubi vid. Burm.) et alibi deprehendimus. — **200.** *ipsae*, solae, sine connubio, nullo utentes marito. Cf. Aen. V, 201. XI, 217 sq. et Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 468. — *et suavibus herbis.* Ribbeck. et Ladew. Codd. Med. et Pal. secuti ediderunt *e suav. herbis.* — **201.** *ore.* Vid. supra ad Geo. III, 273. — **203—205.** „Apes e flo-

Sufficiunt aulasque et cerea regna refingunt.
Ergo ipsas quamvis angusti terminus aevi
Excipiat — neque enim plus septima ducitur aestas —
At genus inmortale manet multosque per annos
Stat fortuna domus et avi numerantur avorum.
Praeterea regem non sic Aegyptos et ingens
Lydia nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes

ribus et herbis fetus legere dixerat v. 200. Quae sequuntur, non diversam, sed eandem sententiam, novis imaginibus exornatam, praebent: *ipsae sufficiunt* [cf. Geo. III, 65.] *regem et populum*, [*parvos Quirites*, pulcherrime!] sc. ex floribus, sive e *foliis* et *herbis;* nam hae modo praecesserant; et, ubi illi habitare possint, *aulas et cerea regna* [quae etiam in Anth. Lat. Burm. II, 189, 18. Codd. quidam *alveorum cereis tectis* ex hoc loco substituunt] *refingunt*, h. e. fingunt, parant, ex florum succo ac polline." *Heyn.* Rectius autem Wagn. *refingere* de sufficienda prole et *cerea regna* non de favis, sed de apibus cerea regna, i. e. alvearia, nova semper sobole frequentantibus intelligit. Ladew. et Ribbeck. ex Med., Gud. et Bern. III., item Servio et Philarg. receperunt lectionem *refigunt*, quamquam hoc verbum prima denuo figendi significatione alibi non legitur. Ceteri recentiores editores vulgarem lectionem recte servarunt, quae et versui 197., ubi de re mira se dicturum poëta profitetur, et vv. 206 sqq. aptius respondet. Cf. etiam Wagn. Lect. Verg. in Philol. Suppl. I. p. 375. — V. **203—205.** vide iam supra post v. 183. positos et enarratos. — **206.** „*Ergo*, cum tam facili ac prompta natalium ratione ex floribus se reficiant; — *genus inmortale manet*, quod copia poëtica trinis modis enuntiat. — **207.** *Excipiat*, ut fortuna, sors, calamitas nos excipere dicitur; h. e. ut iis sit. Ut *λαβεῖν, λαχεῖν*, ita *excipere nos* dicuntur ea, quae obtingunt, eveniunt, imprimis certo ordine, tempore, sequela. Cf. Geo. II, 345. Aen. III, 317. 318. Ita de philosophis: excepit scholam Crantor; et Aen. I, 276. *Romulus excipiet gentem*, regem eum habebunt Albani. — *septima aestas.* Vid. Aristot. H. A. V, 22. Plin. XI, 20. Colum. IX, 3, 3." *Heyn.* Imprimis cf. Silius III, 383. *Septimaque his stabulis longissima ducitur aestas.* — *plus* pro: plus quam; de qua ellipsi Particulae *quam* diximus ad Ecl. III, 105. — *aestas* pro anno. Vid. adnott. ad Geo. III, 190. — **208.** De Part. *at* apodosin incipiente post enuntiationes concessivas (*etsi, etiamsi, quamquam, quamvis* etc.) ideoque pro *attamen* posita vid. infra v. 241. (ibique adnott.) Aen. IV, 615. Gronov. Observ. IV, 26. idemque ad Liv. XXIV, 37. Abrah. Gronov. ad Pomp. Mel. p. 885. Oudend. ad Caes. B. G. VI, 40, 2. et Hand. Tursell. I. p. 227. Wakef. temere recepit Bentleii coniecturam ad Lucan. III, 182. propositam: *At genus inmortale tamen.* — **209.** „*Fortuna domus* ornatius quam domus, et hoc pro apum genere. Comparari potest *Fortuna domus Augustae* imprimis in numis [et *Fortuna populi, reipublicae, urbis Rom.*: cf. Aen. I, 454. XI, 345. Cic. Manil. 15, 45. et Cat. I, 6, 15. Liv. III, 7. VI, 30. etc.]; respectu ad statum et conditionem gentis fatali necessitate perpetuam ac perennem futuram; cf. Oudend. ad Suet. Aug. 65. et Markland. ad Stat. Sil. V, 2, 76.; quamquam notio illa posterioribus temporibus deberi videtur." *Heyn.* — **210.** De veneratione et reverentia apum reginae praestita Voss. conferri iubet Aelian. V, 11. et Plin. XI, 17. Quare poëta eos comparat cum iis populis, qui regiam potestatem prae ceteris sancte colebant. De coniunctione singulorum membrorum per *non - - et - - nec - - aut* cf. adnott. ad Geo. II, 87., de Graeca forma autem *Aegyptos*, quam Heins. e Med. revocavit (quamque etiam iuvat falsa lectio Cod. Pal. *Aegyptios*) ad Ecl. VI, 13. — **211.** *Lydia ingens.* Hoc epitheton non tam provinciae ambitum, quam celebritatem Croesi victoriis et opibus partam spectare in promptu est. Ceterum Ribbeck. cum uno Cod. Rom. scripsit *Ludia*. Cf. eius Proleg. p. (450. et) 453., sed vide Wagn. Orth. Verg. p. 482. — „*Medus Hydaspes* negotium facit Intpp. Est enim Indiae fluvius, cui epitheton *Medus* parum convenire videtur. Itaque post Servium in Media quaesivere flumen huius nominis, de quo tamen Geographi silent. Mihi poëta videtur designare imperium veterum Persarum, cuius fines ad

Observant. Rege incolumi mens omnibus una est;
Amisso rupere fidem constructaque mella
Diripuere ipsae et crates solvere favorum.
Ille operum custos, illum admirantur et omnes
Circumstant fremitu denso stipantque frequentes
Et saepe attollunt humeris et corpora bello
Obiectant pulchramque petunt per volnera mortem.
His quidam signis atque haec exempla secuti
Esse apibus partem divinae mentis et haustus
Aetherios dixere; deum namque ire per omnia

Indiae illam partem, in qua Hydaspes est [vel certe oritur in Paropamiso monte], pertinebant. De hac Indiae parte, Persis subiecta, egit accurate *Heeren* de *commerciis antiq. popul.* P. II. p. 300 sqq. Itaque pro Persico seu Persa *Medum* amnem poëtico more appellavit, ut Horat. Od. I, 2, 51. et alibi." Haec *Heyn.*, rectissime. (Cf. etiam infra ad v. 290. adnott.) Wagn., de puro puto poëtae errore cogitans, hunc locum Qu. Virg. XL, 3. inter eos refert, quos scribens Vergilius dormitasse videatur; quod ut statuamus non opus esse, modo vidimus. (In edit. tamen min. Wagn. nobis adsensus haec adnotavit: „Hydaspes, fluvius Indiae, Medus propterea dictus, quod in Paropamiso, Medorum monte, oritur.") De ipso autem fluvio (qui nunc proprie *Bedusta*, vulgo autem *Behut* et *Djelun* dicitur) vid. liber meus geogr. II. p. 488. Ceterum alii *Hydaspesve* scripserunt, quod Burm. recte reiecit. Vid. Weichert de versu hyperm. p. 18. De fluviorum autem nominibus pro accolarum vel regionum circum iacentium positis vid. adnott. ad Geo. I, 509. et Aen. VII, 714. — 212. 213. „Respicit locum Seneca de Clement. I, 4. — 214. *crates favorum* pro textis; [cf. Plinii locus supra ad v. 162. laud. et *μελισσῶν τρητὸν πόνον* ap. Pind. Pyth. VI, 54.] vid. Geo. I, 166; faciunt igitur, quod saepe exercitus fecisse legimus, duce amisso solvunt fidem, deficiunt." *Heyn.* — 215. *Ille operum custos* etc. Cf. Xen. Oec. 7, 33. Aelian. V, II. et Plin. XI, 17, 17. iam a Cerda laud. — 216. Vid. Varr. III, 16, 8. Aristot. H. A. IX, 40. — 217. *saepe attollunt humeris.* Cf. Aristot. l. l. *Λέγεται δὲ καὶ φέρεσθαι αὐτὸν ὑπὸ τοῦ ἑσμοῦ, ὅταν πέτεσθαι μὴ δύναται.* — *bello obiectant*, armis hostilibus, hostibus ingruentibus. Cf. v. c. Stat. Theb. IX, 490. *quid faciat bellis obsessus et undis*, h. e. armis et hostibus. Sil. VII, 472. *Sed victae fera bella Deae vexere per aequor*, i. e. armatos milites, etc. — Verba *pulchramque petunt per volnera mortem* redeunt Aen. XI, 647. — Post hunc versum Ribbeckio v. 203—205. aptius collocari videntur. Cf. adnott. ad v. 203. — 219—227. „Ex Pythagoreorum disciplina, quam deinde Platonici ac Stoici, quamquam diversis quique modis commentantes, amplexi sunt, haec sunt petita de anima mundi, h. e. principio agente, per omnem naturam fusa, omnium animantium animas subministrante, et easdem, dissoluto corpore, in se, ut sibi *συγγενεῖς*, recipiente. Cum autem illa mens subtilissimi ac purissimi aetheris aut ignis naturam habere crederetur, spiritus ex ea emanantes *aetherios haustus* dixit. Idem placitum exposuit Aen. VI, 724. 751.; et tenendum illud propter multos alios poëtarum locos. Scilicet magna pars poëticorum philosophematum ex Empedocleis est petita, quorum magna auctoritas quondam esse debuit." *Heyn.* Cf. etiam Schirach. p. 432 sq. — 219. His apum factis quidam adducti sunt, ut opinarentur etc. *His signis*, h. e. cum haec signa sint. De constructione Ablativorum absolutorum, in qua, ut h. l., vel Pronomen vel Adiectivum Participii locum obtinet, ita ut non opus sit de ellipsi verbi substantivi cogitare, cf. praeter libros grammaticos imprimis Kritz. ad Sall. Cat. 11, 4. et Iug. 4, 7. quosque ibi laudatos videbis, quibus adde Ruhnk. ad Rutil. II, 13. p. 122. eundem ad Vellei. II, 106, 3. Böttticher. Lex. Tac. p. 340 sq. alios. — 220. Aristot. de gen. anim. III, 10. (a Cerda laud.) de vespis et crabronibus: *οὐ γὰρ ἔχουσιν οὐδὲν θεῖον, ὥσπερ τὸ γένος τῶν μελιττῶν.* — *partem divinae mentis*, ut ap. Hor. Sat. II, 2, 79. *divinae particulam aurae.* — 221. Pro vulg.

Terrasque tractusque maris caelumque profundum;
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas;
Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
Omnia, nec morti esse locum, sed viva volare
Sideris in numerum atque alto succedere caelo.
Si quando sedem augustam servataque mella

---

per omnis Peerlkamp. ad Aen. VII, 237. coni. *per omnia*, coll. Ambrosio ad Cic. Off. I, 13., quod probat Lachm. ad Lucr. I, 1106. et nos cum recentissimis editoribus praeter Wagn. et Coningt. recepimus. Idem versus exitus *ire per omnia* legitur Aen. VI, 33., ubi vid. adnott. — 222. Cerda comparat Arat. Phaen. 2. *μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ, πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα καὶ λιμένες.* — *Terrasque*. Vid. adnott. ad Ecl. IV, 51. — *caelum profundum*, altum, ut contra *altum mare* pro profundo. Versus idem Ecl. IV, 51. legitur. — 223. *Hinc*, ex mente divina et haustibus aetheriis. — More suo Vergilius *pecudes* et *armenta* seiungit. Cf. Geo. I, 3, 4. ibique adnott. Imitatus autem est Lucr. I, 163. *Armenta atque aliae pecudes, genus omne ferarum.* Cf. etiam Aen. VI, 728. — 224. *tenues vitas* Ameis. Spic. p. 39. recte explicat per teneras vitas (*das zarte Leben*), quoniam omnibus, quae nascantur, ab initio vita sit exigua. Paullo aliter Wagn.: „quippe tenue quiddam et aetherium est anima," ut iam Heyn: „animas quippe aethereae naturae." Ceterum cf. Epit. Iliad. 525. *tenuemque daret de corpore vitam.*— „*arcessere*, accipere. Mox *omnia*, spiritum omnium, quae vitam sibi ex aethere arcessivissent. — 226. 227. Nihil perire (ut Macrob. So. Sc. II, 12.), sed evolare in aetherem." *Heyn.* — *nec morti esse locum.* Cf. Aen. IV, 319. *Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.* Tibull. I, 4, 71. *Blanditiis vult esse locum Venus ipsa* etc. — 227. „*Sideris in numerum*, inter sidera; v. c. Vellei. II, 73. *fugitivos in numerum exercitus sui recipiens.* Cum enim corpore soluta anima propter aetheriam naturam altum petit, redit ea in caelum et astris admiscetur, unde successit mox illa opinio, qua iustorum ac piorum animas in sidera reponi arbitrati sunt." *Heyn.* Cf. etiam adnott. ad Geo. II, 342. et Voss. ad h. l. Wagnero (in edit. min.) poëta imitatus videtur Lucr. I, 437. *corporis augebit numerum*, ubi *corpus* non minus, quam hic, *sidus* collectivum sit. Comparat Vir doct. praeterea Ovid. Trist. II, 567. *inter tot scripti millia nostri*, Eurip. Beller. fragm. XXV. *λόγχης ἀριθμῷ πλείονος κρατούμεναι* et Aesch. Pers. 386. *τάξις δὲ τάξιν παρεκάλει νεὼς μακρᾶς.* Conington autem censet, Pythagoricae doctrinae de planetis animatis ratione habita (cf. Plat. Tim. p. 38. E.) *in numerum sideris* etiam explicari posse: in locum sideris („*each flies up into the place of a star*"), ut ap. Cic. Div. in Caec. 19. legamus *cum is tibi parentis numero fuisset;* simplicius tamen esse, si cum Philarg. interpretari nobis liceat: „*in numerum*, i. e. in modum" („*the departed life flew to heaven like a star or meteor.*") — 228–237. „De castratione favorum praecipere incipit, et quidem cum praesidia contra apum iram et furorem, fumum et aquae adspersionem, tum tempus mellationis vere et auctumno tradit." *Heyn.* — 228. Sequitur locus de mellatione. — Lectionem *augustam* pro vulg. *angustam* Tittlero Progr. p. 11. suasore ex Med., Pal., Gud., duobus Bern. et Servio cum Hauptio, Ribbeckio et Ladew. in recent. edit. nunc restitui; Wagn. autem, cui (ut iam Bothio et nuper etiam Coningtoni) hoc epitheton pro rei tenuitate nimis splendidum et ab hoc loco, ubi de spoliandis alvearibus sermo sit, alienum videtur, etiam in recentiss. edit. *angustam* retinuit, quamquam Heyn. iam docuerat, Medicei lectionem esse aptissimam „cum iam dudum regiam et palatia aliaque a regum maiestate petita apibus tribui viderimus; statim autem v. 229. 30. alia adiiciantur, quae ad earum sanctitatem pertineant, ut caste ac pure, ore proluto, adeundas esse dicat." Adde, quae poëta supra v. 219—227. exposuit. — *mella servata Thesauris*, i. e. cellis, *relines*, resignabis. Relini dicuntur proprie amphorae, dolia et alia oblita pice et obducta. Cf.

Thesauris relines, prius haustu sparsus aquarum
Ora fove fumosque manu praetende sequacis. 230
Illis ira modum supra est, laesaeque venenum 236

Ter. Heaut. III, 1, 51. Plaut. Stich. V, 4, 38. etc. Ribbeck. sigmatismi causa unius Cod. Pal. lectionem *Thensauri* recepit. *Thensauris* etiam Rom. et Gud. a m. pr. scribunt. (Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 458. et Ribbeck. Proleg. p. 434.) — **229. 230.** *fovere ora haustu aquarum*, pro: aqua hausta os eluere. Cf. Geo. II, 135. et Aen. XII, 420. Poëtica copia addit *sparsus* sc. *ora*, habens os sparsum, prolutum aqua, ne sit male olens, nam foetorem apes ferre nequeunt, qui ipsi quoque melli est noxius. Iuvant hanc explicationem Columellae verba IX, 14, 3. *Verum maxime custodiendum est curatori, cum alvos tractare debebit, ut - - - non nisi lotus ad eas accedat, abstineatque redolentibus esculentis, - - - itemque foetentibus acrimoniis allii vel ceparum ceterarumque rerum similium* (ubi vid. Schneid.), et Pallad. IV, 15, 4. *Haec omnia ceteraque efficitur castus et sobrius et alienus ab alliis* [vulgo male *balneis*] *et cibis acribus et odoris immundi atque omnibus salsamentis.* Negari tamen nequit, hoc Participium *sparsus* ita explicatum habere quae magnopere offendant; cum, qui aquae haustum ore excipit, is sane minus apte eo *sparsus* dicatur; quod iam Reiskius sentiens coni. *parcus* (pro *parce* positum); et Wagn. quoque veretur, ne *sparsus* non sit a poëtae manu profectum. Aliter tamen hunc locum vexatissimum explicat Servius, qui aqua spargendas apes esse docet, ne irritatae noceant; ut igitur mira ratione *sparsus* pro spargens positum sit, et fovere aquam ore pro: inspergere aquam apibus. Brunck. (quem secuti sunt Ameis. Spic. p. 39. et Ladew.) recepit aliorum librorum (inter quos Med. a m. pr., Pal., Rom., Gud., quibuscum conspirat Philarg.) lectionem *ore fave* (i. e. sacrum silentium teneas: cf. adnott. ad Aen. V, 71.), e re sacra petitum esse censens, ut apiarius purus et cum silentio accedat. Sed recte Heyn. (cui Voss. adsentitur) docet, religionis notionem ab h. l. esse alienam; cum profecto mira illa esset religio, ut sacrilegium commissurus lingua et ore favere et tum fumum inferre iubeatur. Si autem, omissa omni rei sacrae notione (cum sane *ore favere* de omni, non de sacro solum, silentio dicatur, velut apud Ennium Ann. XVI. fr. 20, p. 62. Vahlen. (p. 114. Hessel.) *Insidiantes heic vigilant, partim quiescunt Protecti gladiis sub scutis, ore faventes*), simpliciter explicare velimus: tacens et fumum praeferens accede, tum quid verbis *haustu sparsus aquarum* faciendum sit, multo minus apparet: nam nihil nisi corpus lavatum hic requiri, mihi quidem non possum persuadere. Accedit quod librarii haud dubie multo procliviores erant ad *ora fove* in notissimum illud *ore fave* mutandum, quam contra. Schirach., qui fusius de h. l. disputat p. 443 sq., servata lectione *ora fove* nihilominus non solum de ore eluendo, sed de toto corpore, facie certe et manibus lavatione purgandis Vergilium loqui suspicatur. Alii etiam his verbis supervacaneis coniecturis succurrere studuerunt. Et Hildebr. quidem l. l. p. 172. hanc profert: *haustus pastus aquarum Ore fove*, cum *pastus* (i. e. qui coenavit) etiam de hominibus usurpari doceat v. c. Liv. XXIV, 24, 1.; quamquam fortasse etiam *pransus* legi possit. Peerlk. autem p. 284. hanc violentam suadet mutationem: *prius hausto sparsus aquaï Rore, facem fumosque* etc., ut sensus sit: „Prius ablue corpus aqua et praefer facem fumantem.“ Utrumque autem necessarium putat, ne apes malum odorem sentiant et ut fumus eas cogat ex alvearibus decedere. *Facem* autem etiam ramum non ardentem sed tantum fumantem significare, p. 386. probare studet coll. Burm. ad Phaedr. IV, 17. Ribbeck. denique aut *Ore fove et fumos sinu* (quod unus Palat. pro *manu* exhibet) aut *Ore fove fumosque e sinu praetende* legendum esse putat. (Wagn., Bryce, Haupt. et Conington nobiscum *Ora fove* ediderunt.) — **230.** Sequitur alterum praeceptum: *fumos manu praetende;* quo qui alvearia adire velit et mel excidere, fumum prae se ferre iubetur ad abigendas apes. Cf. Colum. IX, 15, 5. Pallad. VII, 7, 2. et Plin. XI, 16, 15. a Voss. laudati. — *sequaces.* Vid. adnott. ad Geo. II, 374. et III, 565. — V. **236—238.** iam Schradero,

Morsibus inspirant et spicula caeca relinquunt 237
Adfixae venis animasque in volnere ponunt. 238
Bis gravidos cogunt fetus, duo tempora messis: 231
Taygete simul os terris ostendit honestum

Duebnero et Wagnero in alienam sedem traiecti et post v. 230. collocandi videbantur; eoque eos Tittlero Progr. p. 11. suasore cum Ribbeckio et Ladewigio (qui prius censuerat, poëtam iis redire ad sententiam primariam v. 231—235. per parenthesin insertis interruptam) nunc re vera transtulimus; quamquam ne sic quidem omnia sana esse videntur. (Cf. Ribbeck. Lect. Verg. p. 7 sq. et Proleg. p. 36 sqq.) Wagn., Bryce, Haupt. et Conington vulgarem versuum ordinem servarunt. — *venenum inspirant*, ut Aen. I, 688. *inspirare ignem*, Colum. III, 10, 9. *inspirare animam* et tropice Aen. VI, 11. *inspirare mentem* (ut alibi *amorem*, *iram* etc.) — Ceterum Haupt. et Ribbeck. etiam hic *relincunt* et *relinquont*. Vid. supra III, 547. — *morsus* pro aculeorum ictibus. — 237. *spicula caeca*, h. e. occulta, quae, utpote brevia, facile possunt latere. Cf. adnott. ad Geo. I, 89. et al. — 238. *Adfixae venis* (cuti, corpori) eius, qui eas infestat. Obversatus videtur Maroni Lucretii locus V, 1321. *Morsibus adfixae validis*, utrique autem poëtae Hom. Il. XXIV, 212. *τοῦ ἐγὼ μέσον ἦπαρ ἔχουμι ἐσθέμεναι, πρὸς φῦσα*. Inde etiam patet, reiiciendas esse reliquas lectiones *adfixa venis*, cui Brunck temere patrocinatur, Heyn. certe non adversatur, et *adfixa in venis*, a Grammaticis de metro sollicitis inde factam. Optimi Codd., Med., Rom. aliique vulgatam tuentur. — *in vulnere*, scil. inferendo, dum vulnus inferunt; aut potius in vulnere, quod fecerunt, in eo loco corporis humani, cui aculeum infixerunt, haerentes; nam aculeis amissis mori apes putantur. (Cf. Plin. XI, 18, 19.) Et altera quidem explicandi ratio, quam Peerlk. p. 285. sequitur, praeferenda videtur, cum etiam Seneca de Clem. I, 19. scribat: *Pugnacissimae sunt apes et aculeos in vulnere relinquunt*. Addit Peerlk. p. 386. locum Val. Max. III, 2. *Inque plenae ultionis morsibus* (i. e. in vulneribus mordendo illatis) *exspiravit* et Plin. H. N. VII, 53 [54.], ubi alii equites Romani *in Venere*, alii *in Pantomimo obiisse* dicuntur. Cerda autem comparat Silium XII, 386. *Alternique animas saevo in mucrone relinquunt*. Multi Codd., inter quos Rom., Nonius v. *anima*, Macrob. Sat. VI, 6. extr. et Schol. Iuven. IV, 91. *in vulnera*, quod probat Oudendorp. ad Lucan. II, 151., ut *in* finem et causam denotet. Praestare tamen videtur vulgaris lectio, quam Medic. et alii exhibent, quamquam imitator Verg. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 232., si lectio sana est, utique scripsit *animasque in vulnera ponunt*. (Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 133. et 332.) — *animas ponunt*, ut ap. Silium X, 303. Sic etiam *vitam ponere* ap. Cic. ad Div. IX, 24. extr. Corn. Nep. Paus 4. Propert. III, 22, 37. (II, 20, 57.), in Anth. Lat. Burm. IV, 171, 6. alibi. Cf. etiam adnott. ad Geo. III, 495. — 231—235. Bis in anno mella eximuntur: vere exacto (Colum. IX, 15, 1.) et circa aequinoctium (IX, 14, 11.). Prius cum Heynio et Wagnero (quibus etiam Coningt. adsentitur) ad *cogunt* intellexi voc. *mellarii*, ut apes (*fetus*: cf. v. 163.) extra alvei vestibulum compelli dicantur (coll. Colum. IX, 15, 6.); nunc potius cum Tittlero Progr. p. 11. (quem etiam Ladew. in recentiss. edit. sequitur) *apes*, (quemadmodum etiam Philargyrius (p. 343. Lion.) haec adnotans: „*fetus*: *flores* emendatum fuit [sic in Palat.] Et bene gravidos flores, quod ex his omnia generant"), ut *gravidos fetus cogere* idem sit, quod v. 163. *purissima mella stipare*, quemodmodum iam Voss. interpretatur: „*Zweimal drängen die sammelnden Bienen vollen Ertrag* (*fetus*, ut Geo. II, 442.) *des Honigs*." Recte enim iam Heyn. „Dicitur *fetus* de quocunque proventu, pecudum, agri, arborum; hoc loco *proventus* apum est mel; epitheton *gravidus*, plenus, traductum et ipsum ab aliis fetus seu proventus generibus et copia." Vide quae de voc. *fetus* usu ad Geo. I, 55. et de epitheto *gravidus* ad Geo. I, 111. 319. et alibi adnotavimus. — „*duo tempora messis*, mellationis. De his videndi Aristot. H. An. IX, 40. Colum. IX, 14, 5. 11. Plin. IX, 16. et 15. At trinam mellis vindemiam Varro memorat III, 16, 34." *Heyn.* — 232. 233. Describitur tempus

Plias et Oceani spretos pede repulit amnis;
Aut eadem sidus fugiens ubi Piscis aquosi
Tristior hibernas caelo descendit in undas. 235

---

ortus Pleiadum et quidem matutini s. heliaci Cf. Mollweide in libello infra laud. p. 386. Vid. autem Colum. XI, 2, 36. *Decimo Kal. Maias Vergiliae cum sole oriuntur - - Nonis Maiis Vergiliae exoriuntur mane - - VI. Idus Vergiliae totae apparent* et Plin. XVIII, 26, 66. — *simul* (i. e. simulac: vid. adnott. ad Ecl. IV, 26. et Aen. XI, 908.) *Plias*, (hoc enim ex Medic., Gud. aliisque Codd. Heins. restituit pro vulg. *Pleias*, quae forma semper trisyllaba est: cf. Schneider. Gr. Lat. I, 1. p. 283. et quae ad Geo. I, 138. adnotavimus. Ribbeck. quidem ex Cod. Pal. recepit formam *Pleas* (cf. eius Proleg. p. 427.); sed vid. Wagn. in Var. lect. ad h. l. et Schneid. Gramm. I, 1. p. 283. — *Taygete* (Ribbeck. cum Pal. et Rom. scripsit *Taugete*. Cf. supra v. 211.) quacum ceterae una intelligendae sunt, *ostendit os honestum*, pulchrum (vid. ad Geo. II, 392. et Aen. X, 133.), *terris*, h. e. in conspectum venit, orta est. Cf. Aen. VIII, 591. et alibi. — *et repulit pede*, quod faciunt, qui se elevant et in altum enituntur (vid. Ov. Met. IV, 710. coll. cum Met. II, 786.). — *spretos p. r. Oceani amnes*, (i. e. fluctus.) Similiter Hor. Od. III, 2, 21. *Virtus - - udam spernit humum fugiente penna.* Burm. comparat Ovid. Met. IV, 710. *Cum subito iuvenis pedibus tellure repulsa Arduus in nubes abiit.* De *amni* autem *Oceani*, qui ex Homeri opinione terram amnis modo circumfluit (vid. Il. XIV, 200. 567. XXIII, 205. Od. XI, 639. XIX, 428. cett. et librum meum *Handb. d. alt. Geo.* I. p. 4.), cf. Tibull. II, 5, 59 sq. *qua fluitantibus undis Solis anhelantes abluit amnis equos*, id. III, 4, 18 sq. *Iam nox aetherium nigris emensa quadrigis Mundum caeruleo laverat amne rotas* etc. — 234. 235. „Et sub occasum matutinum s. cosmicum, qui in VI. Id. Nov. refertur; vid. Colum. ibid. §. 84. 77. 78. Plin. XVIII, 25, 59. et 60. cf. supr. ad Geo. I, 221. vid. Pfaff. *de Ortu et Occasu siderum* p. 59. sqq. *Aut ubi eadem Pleias descendit caelo*, occidit, *tristior*, quia tristi, ingrato anni tempore, *in undas hibernas*, tempestatibus vexatas, quippe mense Novembri. In mare autem se condere videri possunt sidera occidentia." *Heyn.* — *fugiens sidus Piscis aquosi.* De hoc loco, quem Heyn. in singulari Excursu Vol. I. edit. mai. p. 637. tractavit, Wunderl. conferri iubet *Mollweidium* in diss. inscripta: *De Pisce, quem occidens Pleias fugit*, inserta libello: *Commentationes Mathematico-Philologicae tres.* 1813., qui explanata significatione verbi *fugere*, quod de sidere usurpetur occidente, ubi aliud super horizontem adscendat, *Piscem notium* sive *australem* intelligendum esse statuit. Eius enim ortum vespertinum super horizonte Italico praecedere occasum matutinum Pleiadis, ut Pleias matutine occidens Piscem notium vespertino ortu orientem fugere dici queat. Verum contra hanc opinionem Idelerum (in libello *Monatl. Corresp. herausg. v. Zach Decembr.* 1813. p. 544 sqq.) acute et vere disputasse Wunderl. memorat, qui doceat tempore Vergilii ortum Piscis vespertinum visibilem in diem III. ante Cal. Sept. et occasum matutinum visibilem Pleiadum in diem XVIII. ante Cal. Dec. incidisse; ideoque cum alterius occasus ab ortu alterius duobus mensibus et dimidio distet, notionem verbi *fugere* alienam esse; neque veteres Piscis notii in *παραπήγμασιν* rationem habere potuisse. Ipse denique Ideler adsentitur viro docto *Costard*, qui in libro *History of Astronomy* p. 90. coniecit *Aut eadem sidus fugiens Orionis aquosi*, ut *simul* ex prioribus repetatur. Orionem enim *aquosum* dici Aen. IV, 52. (cf. I, 535.) utpote tempestatum auctorem, et Hesiodum, quem Vergilius crebro secutus sit, *Ἔργ.* 619. 620. Pleiades Orionem fugientes facere; *Orionis* autem nomen cum ita usurpatum sit Latinis, ut modo prima, modo ultima corriperetur, et a Graecis (Eurip. Ion. 1153. Cycl. 212.) etiam media correpta sit, fieri potuisse, ut ambas priores corriperet Vergilius. Nec tamen correctio illa adsensum tulit Buttmanni ab Idelero consulti, qui p. 551. in sententiam Vossii concessit, cui etiam *Wund.* his verbis adsentitur: „Pleias, cum occidit, dicitur *fugiens sidus P. aq.*, h. e. fugiens tempus hiemale, seu tempestates hibernas. *Sidus* est certum anni tempus. Hinc Tac. Ann. I, 70. *sidus aequinoctii.* Metonymice significat temperiem caeli. Sic accipe

Quo magis exhaustae fuerint, hoc acrius omnes 248
Incumbent generis lapsi sarcire ruinas 249
Conplebuntque foros et floribus horrea texent. 250
Sin duram metues hiemem parcesque futuro 239

verba Plinii Pan. c. 15. *patrium sidus ferre.* Et *grave sidus* de tempestate mala apud Ovidium est Metam. V, 281. Non alienum vero tempestates hibernas referri ad Piscem seu, verius, *Pisces* [non enim de singulo pisce australi agi, sed Singularem pro Purali positum esse, ut apud Ovid. Met. X, 165. *Quotiesque repellit Ver hiemem Piscique Aries succedit aquosus* et Trist. IV, 7, 2. *Bisque suum tacto Pisce peregit iter,* vere docet Voss.], qui mensibus hibernis totam per noctem conspici possunt, eaque de causa illos *aquosos,* auctores imbris et tempestatis, appellari. [Voss. in hanc rem confert Hor. Sat. I, 1, 36. Auson. Epist. XXIV, 102. Martial. X, 51.] Et recte Plias, tempestate hiberna ingruente cum occidat, illam *fugere* dici potest. Ceterum Aprili mense Pliadas *os honestum ostendere* asseveranti ne credas. Nam illas a die VI. ante Cal. Maii usque ad diem pridie Id. Iun. latere, hodie constat; et Hesiodus iam illas quadraginta noctes diesque non apparere noverat. *Ἔργ.* 385. 6." Mihi quoque Vossii sententia omnium maxime probabilis videtur, quamquam liti dirimendae non nisi astronomos idoneos censeo. Mollweidii autem disputatio, ut Idelero et Viro docto in Diar. lit. Ienens. 1814. ch. 124. p. 43 sq. displicuit, ita nec mihi potest satisfacere. — *descendit in undas.* Sic in Anth. Lat. Burm. I, 14, 2. Iupiter in taurum mutatus *descendit in undas.* — V. 236–238. vide iam supra post v. 230. positos et explicatos. — Vss. 248–250., quos cum Ribbeckio (qui in Lect. Verg. p. 7 sq. censuerat, poëtam morte impeditum fuisse, quominus eos secundis curis adiectos cum ceteris apte coniungeret, quod refutare studuit Tittler. Progr. p. 6., atque etiam in Proleg. p. 36 sq. conferendus est) et Ladewigio huc transposuimus, postquam iam Peerlk. p. 286. in hoc loco idoneam rerum connexionem desiderans v. 249. tamquam spurio eiecto v. 248. et 250. post v. 238. collocandos esse suspicatus erat, inest praeceptum: noli nimium mellis in alveari relinquere, ne apes ignavae pigraeque fiant. De modo et excidendi et relinquendi mellis Voss. conferri iubet Plin. XI, 14. Varr. III, 16, 33. Colum. IX, 14, 5. 11. et 15, 8. Geopon. XV, 5. — 248. *„Quo magis exhaustae* apes sunt melle subducto (nec tamen eo usque, ut fame iis pereundum sit, nec alieno tempore), *eo acrius omnes* operam dant, ut iacturam tantam reparent; *ruinas generis lapsi,* [cuius loco Schrader. coni. *operis lapsi*] ut paullo ante *res fractas,* a republica et imperio aliquo sumptum. Notum autem inter meliturgos, ex mellis abundantia, inertia et luxuria solvi apes. Observatum iam Aristoteli H. A. IX, 40. Hinc nec fucos omnes interimendos esse contendebant veteres; vid. eundem et Colum. IX, 15, 3." *Heyn.* Tittler tamen Progr. p. 7. *exhaurire* non de mellatione s. favorum exemptione, sed de alvei purgatione et vacuarum cellarum exsectione intelligit, quae explicatio servato vulgari versuum ordine sane antecedentibus melius conveniret, ipsis tamen verbis parum iuvatur. — Pro *sarcire ruinas* Codd. quidam praebent *fulcire ruinas* vel *ruinam,* ut apud Claud. de IV. Cons. Hon. 460. legimus *Graias fulcire ruinas* et ap. Lucan. VIII, 528. *Tu, Ptolemaee, potes Magni fulcire ruinam.* — 250. *foros,* aut de theatrorum spectaculis, aut de navium tabulatis huc translatos, Wagn. recte docet non proprie intelligendos esse de vacuis spatiis, per quae apes commeent, sed de lacunis, quas apiarius faciat excisa aliqua parte favi. — *„et floribus horrea texent,* florum succo ac polline conficient favos; proprie cellulas, in quibus tamquam horreis mel reconditur." *Heyn.* Cf. supra v. 39. *fucoque et floribus oras Explent.* — 239–247. „Sin apiarius hiemis immitioris metu curaque apum et miseratione non omnes favos exscindat, et aliquam mellis partem apibus relinquat, at saltem propter variorum insectorum insidias suffiendus est alveus, inanes cellae exscalpendae et recidendae, ne quod in iis animalculum occultum lateat. [Simul etiam suffitio prodest valetudini apum.] Observata haec omnia iam erant Aristoteli H. An. IX, 40. p. 946. A.; sed in causis reddendis laborabat maximi philosophi acumen." *Heyn.* Vid. etiam Varro R. R. III, 16., in cuius loco plura corrupta esse patet. Cf. Conington ad h. l. — 239. *„parces futuro,* conditioni ac necessitati apium futurae. Prisci-

Contusosque animos et res miserabere fractas:
At suffire thymo cerasque recidere inanis
Quis dubitet? nam saepe favos ignotus adedit
Stellio, et lucifugis congesta cubilia blattis;

---

anus [p. 1132. P.] haec ipsa ad apodosin referebat, ut essent *parce* et *miserator*. Recepi nunc *metuens* pro *metues*, ut oratio melius vincta esset." *Heyn.* Sed *metues* est optimorum et plurimorum Codd. lectio, et Participium (quod non nisi in Rom., Gud. a m. pr. paucisque aliis libris legitur) ferri non potest, cum sic positum necessario ad utrumque verbum per *que - - que* coniunctum, *parce* et *miserabere*, referendum esset, ad sententiam vero *contusos animos miserabere* non quadret. Particip. autem Praes. (ut Wagn. docet) etiam alibi in Codd. apparet pro secunda Persona Praes. et Futuri; ut in Medic. Geo. IV, 101. 399. Aen. X, 900., sed ubique *n* transfixa. Quae potissimum contra Iahn. proferenda, qui in priore edit., defendens Participium, Copulas *que - - que* sibi respondere sensumque hunc esse dicit: „Sin, dum (quoniam) duram hiemem metuis, et parces futuro et miserabere etc." In altera tamen edit. tacite *metues* restituit locumque, quemadmodum nos, distinxit, ut apodosis a verbis *At suffire* incipiat. Et sane *parces* et *miserabere* non disiungenda, sed coniungenda sunt: *parces miserans;* ut Verbum finitum *miserabere* pro Participio sit positum. Vid. Qu. Virg. XXXIV, 3. Haec autem ratio causam non per Participium, sed per Copulam et Verbum finitum adiiciendi etsi non suavis censenda, apud poëtam tamen nos offendere non potest. — **240.** Cf. Colum. IX, 14, 11. — *Contusos animos.* Conington conferri iubet Varr. l. supra l. *ne deficiant animum* et Geopon. XV, 5. *οὕτω γὰρ οὔτε ἀθυμήσουσι καὶ τροφὰ ἕξουσι.* Ceterum Ribbeck. cum Cod. Gud. a m. pr. scripsit *contussos.* (Cf. eius Proleg. p. 445. et adnott. ad Ecl. III, 29.) — **241.** *„Ut omnes vitiosi favi tollantur*, curandum est. Colum. IX, 13, 8. cf. §. 11. 12. c. 14, 2., Varro III, 16, 34. extr." *Heyn.* — *At* in apodosi, ut apud Graecos *ἀλλά, εἶτα*, pro attamen. Cf. supra ad v. 208. Quod enim ibi de enuntiationibus concessivis dictum, idem valet de conditionalibus illis cognatis, in quibus *si* pro *etsi* positum habemus. Handius l. ibi laud. comparat Aen. I, 542. *si genus humanum et mortalia temnitis arma, At sperate deos* etc. Plaut. Bacch. II, 3, 131. *si illi sunt virgae ruri, at mihi tergum domi est.* Liv. X, 26, 3. *sin collega quid aliud malit, at sibi L. Volumnium darent adiutorem.* Curt. III, 8, 2. *si id consilium damnaret, at ille divideret saltem copias innumerabiles*, aliosque locos. Iahn. autem conferri iubet Aen. IV, 615. et Catull. XXX, 11. Male Codd. Medic., Rom. aliique plures *aut* exhibent. — *„At suffire fimo*, scil. bubulo, coni. Schrader., ex communi praecepto auctorum de R. R. et Plin. XXI, 14, 47. Recte. Verum etiam thymo cneoro suffumigatur: v. c. Geopon. XV, 2, 37." *Heyn.* Cf. etiam Aelian. de nat. anim. I, 58. a Voss. laud. Nihil igitur mutandum. — *thymo.* Ribbeck. scripsit *thumo*, cum Med. a m. pr. exhibeat *thumos.* Infra tamen v. 270., ut supra v. 112. et alibi, *thymus* edidit. Vid. ad Ecl. II, 11. et supra ad v. 211. et 232. adnott. — Cum v. **242** sqq. cf. similis locus Geo. I, 181 sqq. — *ignotus adedit Stellio, ἔλαθε τρώγων*, non observatus, occulte adrepens. De Stellione, lacertae genere (*die Sterneidechse*), cf. Plin. XI, 26, 31. XXIX, 4, 22. 28. XXX, 9, 23. 10, 27. et supra ad v. 13. adnott. Festus (p. 248. Lind.) de causa nominis haec scribit: *Stellionem genus aiunt lacertae, quod Verrius dictum ait, quia virus stillet cibo potius quam, quod alii, a stellarum similitudine, quia varium est.* Haec altera tamen etymologia, quam etiam Ovidius sequitur Met. V, 461. (*aptumque colori Nomen habet, variis stellatus corpora guttis*) probabilior videtur. Heyn., omissa Copula, quae sane in vulgatis editt. ante Heins. invitis Codd. desideratur, *Stelljo* per synizesin vult pronuntiari: sed recte Wagn. nihil movendum esse censet, cum, si omiseris Copulam (quod Bothius fecit), sive tribus, sive duabus syllabis pronunties *stellio*, contra Vergilii morem facturus sis. (Cf. eius Qu. Virg. XIII, 2, d. p. 540.) Pronunties igitur *Stelljo et.* De synizesi autem vid. adnott. ad Geo. I, 397. et Aen. I, 2. Ceterum Ribbeck., (provocans ad Lachmann. in Lucr. p. 33.), Haupt et Wagn. in min. edit. ex

Inmunisque sedens aliena ad pabula fucus
Aut asper crabro inparibus se inmiscuit armis
Aut dirum tineae genus, aut invisa Minervae
Laxos in foribus suspendit aranea casses.
Si vero, quoniam casus apibus quoque nostros
Vita tulit, tristi languebunt corpora morbo; —
Quod iam non dubiis poteris cognoscere signis:

Med. et Rom. ediderunt *Stelio.* (Cf. Ribbeck. Proleg. p. 429. et adnott. ad Ecl. II, 11. et III, 84.) — Pro vulg. *lucifugis blattis* Ladew. recepit Peerlk. coniecturam p. 285. propositam *lucifugae blattae*, ut ex *adedit* assumatur *adederunt* et *cubilia* sint ipsarum apum, ut supra v. 45., (ubi vid. adnott.), *favi* autem et *cubilia* significent mel et ceram. Sed ut nihil dicam de variante Verbi Numero *adedit — adederunt — adedit*, nonne sic *cubilia* post *favos* prorsus abundant? Codd. lectionem, quam Ribbeck. et ceteri recentiores servarunt, ita solent explicare, ut *cubilia a blattis congesta* pro ipsis blattis posita accipiant, quae cubilibus suis in favos vacuos cogestis adedant favos, quod quam mire dictum esset, nemo non videt. Quare nunc cum Ribbeckio Proleg. p. 54. loco mutata distinctione succurrere studui, ut ad *congesta cubilia* intelligatur sunt, (quod iam Vossio placuit), sequentia vero ita construantur: fucus aut crabro aut tinia se immiscuit; quamquam non nego, vel sic restare, quae possint offendere. — De *blattis* autem *lucifugis*, i. e. per noctem vagantibus, *Heyn.* haec adnotat: „Est vermium genus ceram depascentium (*Schabe, Bienenmotte, Bienenwurm*); ex erucis in chrysallides, denique in blattas lucifugas transformari solent. Cf. Colum. IX, 14, 1. 2. 8. 9. *Phalaenam tineam mellonellam L.* vocari nunc a viris doctis video [?]" Cf. etiam Plin. XI, 28, 34. et XXIX, 6, 39. Dioscor. II, 38. Columellae IX, 7, 5. pariter *lucifugae*, Palladio I, 37, 4. *apibus inimicae* vocantur. — 244. „*fucus* (vid. ad v. 168.) *inmunis*, [*ἀεργός*] quod ipse nihil operae ad mellificium confert. Cf. Hesiod. *Ἔργ.* 303. 304. Theog. 594 sqq." *Heyn.* Simili ratione utitur hoc Adiectivo Hor. Od. IV, 12, 22. *non ego te meis Immunem meditor tingere poculis* (quem Conington comparat.) — 245. De *crabrone*, satis noto animali e vesparum genere (nobis *Hornisse* vocato), unde proverbium illud ductum *irritare crabrones* (Plaut. Amph. II, 2, 75.), nostrum *in ein Wespennest stechen, stören*, cf. Plin. XI, 21, 24. et Colum. IX, 14, 10. — *inparibus armis* pro apibus, quarum arma non sunt paria; crabronis enim aculeus multo fortior est et valentior. *Armis* autem non Ablativum esse ad crabronem referendum, sed Dativum, vere adnotat Conington coll. locis Aen. X, 796. et XI, 815. — *asper.* Vid. ad Geo. III, 149. — 246. *dirum tineae genus.* Voss. de Phalaena Tinea Mellonella *Linn.* sermonem esse docet, coll. Colum. IX, 14. et Plin. XXI, 14, 47. Ceterum vide supra v. 168. prorsus eadem ratione compositum. Cod. Bern. III. et Nonius p. 285, 5. minus bene *durum.* (Cf. Ribbeck. Proleg. p. 212.) — *invisa Minervae - - aranea.* Nota vel ex Ovidii Met. VI. init. fabula de Arachne, Idmonis Colophonii filia, quae, cum de lanificio ausa fuisset cum Minerva certare, et victa suspendio se necare vellet, a dea in araneam mutata est. De *aranea* apibus inimica cf. Plin. XI, 19, 21. — V. 248—250. iam supra post v. 235. positos vide. — 251—289. „De morbis apum et morborum cura. Comparari possunt Varro III, 16, 20. Colum. IX, 13., ubi §. 7. totum h. l. expressit." *Heyn.* Adde Plin. XI, 18, 20. Ceterum aut *ἀναχόλουθος* est oratio, aut vv. 253—263. per parenthesin interpositi, ut v. 264. incipiat apodosis, quare etiam Ribbeck. et Haupt. post v. 263. Colo distinguunt. Aliter tamen statuit Bryce, qui solum v. 253. continuato sermoni medium interpositum censens apodosin iam a v. 254. *Continuo* etc. incipit, ut dysenteria unus apum gravior morbus declaretur, cuius signa in sequentibus afferantur. Ideoque etiam hic, ut supra v. 67., interpositam morbi descriptionem pro principali habet sententia, non remediorum expositionem v. 264. sequentem. — 252. *Vita tulit*, h. e. conditio, natura apum, ut etiam *βίος* a Graecis usurpatur. — *morbo.* Voss. alter *tabo.* Eadem variatio invenitur Geo. III, 557. Vid. Heins. ad Ovid. Met. XV, 627. —

Continuo est aegris alius color; horrida voltum
Deformat macies; tum corpora luce carentum
Exportant tectis et tristia funera ducunt;
Aut illae pedibus connexae ad limina pendent,
Aut intus clausis cunctantur in aedibus, omnes
Ignavaeque fame et contracto frigore pigrae.
Tum sonus auditur gravior tractimque susurrant,
Frigidus ut quondam silvis inmurmurat Auster,
Ut mare sollicitum stridit refluentibus undis,

---

254. *Continuo.* Vid. adnott. ad Geo. I, 356. — *horrida macies.* Cf. Varro R. R. III, 16, 20. *minus valentium signa, si sunt pilosae et horridae, - - tum etiam - - macescunt.* — 255. *corpora luce carentum.* Cf. Lucr. IV, 39. *simulacra luce carentum*, Aen. II, 85. *cassum lumine*, Homeri λείπειν φάος Ἠελίοιο (v. c. Il. XVIII, 11.) et adnott. ad Aen. IV, 31. — 256. *funera ducunt.* Cf. Iuven. I, 146. *Ducitur - - funus amici.* Satis notum est *pompam ducere* (Ovid. Her. XII, 151. Liv. XXX, 38. etc.) — 257. *Heyn.* quaerit: „An *connixae?* quoniam negant in morbis id solere fieri, ut plures in uvae modum, βοτρυδόν, conglobatae aliae ex aliis pendeant; sed tum singulas passim haerere." Sed recte respondet *Wagn.*: „Itaque cape haec de suis cuiusque apis pedibus inflexis et inter se nexis, ut in morientibus insectis videre licet. Aliud est Aen. VII, 66. *pedibus per mutua nexis.*" Nescio enim, quo iure Conington coll. Silio II, 221. contendat, vulgarem explicationem de corymbo quasi vel uva apum („*bees hanging in a cluster*") sustentari loco Aristot. H. An. IX, 40., cum hic philosophus diserte scribat ὅταν δὲ κρέμωνται ἐξ ἀλλήλων ἐν τῷ σμήνει, σημεῖον γίνεται τοῦτο, ὅτι ἀπολείψει τὸ σμῆνος, aegrotantes autem apes non cogitent de migratione. — 259. „*Ignavae fame*, inedia. Sed proprie potest tamen accipi; est enim *fames laberna* inter morbi causas, unde inter remedia infra v. 280. cibi copia ponitur. — *contracto frigore pigrae:* proprie sunt ipsae *frigore contractae.* Sed transfertur hoc, poëtico more, ad ipsum frigus." *Heyn.* Quare non opus est Schirachii coniectura in Clav. P. I. p. 73. proposita: *contractae frigore pigro;* qui ceterum apte comparat Phaedr. IV, 23. *mori contractum cum te cogunt frigora.* Alii *frigus contrahere*, ut ap. Hor. Epist. I, 11, 13. *frigus colligere* et alibi *morbum, pestilentium contrahere* dictum putant. (Vid. Conington ad h. l.) — 260. „*tractim*, tractu, dum trahitur susurrus, sive ad tempus referas, ut sit continuo, iugiter [ut Charis. p. 196. P. et Serv. exponunt, quibus Wagn. adsentiri videtur], sive ad locum, ab uno angulo ad ad alterum, per omnes alveorum et examinum ordines susurro continuato, nil interest. Hoc fortasse doctius, ut Lucret. III, 529. mors *tractim* per membra ire dicitur." *Heyn.* Prior tamen explicatio de tempore est simplicior et verior, modo ne per *iugiter* interpreteris, sed potius per: tracto, producto sonitu (*in gezogenem Tone*); non male enim Schirach. p. 620.: „Mihi videtur expressisse poëta sonum languentem gementium proprium et luctuosum, non clarum aut abruptum et fortem." Cf. etiam quae Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXXII. p. 50. de hoc sono lugubri experientia edoctus refert. — 261. Tribus comparationibus utitur Verg., ut locum poëtice exornet, quemadmodum iam Hom. Il. XIV, 394. et alibi. Cf. etiam Tibull. III, 4, 31 sqq. — *frigidus Auster.* Cf. Prop. III, 22, 15. (II, 20, 36.) *saevus licet urgeat Eurus, Velaque in incertum frigidus Auster agat*, et adnott. ad Geo. I, 462. et III, 279. — *quondam*, i. e. interdum. Vid. adnott. ad Aen. II, 367. — *silvis inmurmurat.* „Longob. Pierii *silvas immurmurat.* Sic supra II, 451. *innatare undam*, III, 142. *fluvios innare rapaces*, II, 463. *inhiare postes;* atque ita Giphan. Ind. Lucret. p. 435. in. *subiungere*, quem vide. Cf. adnott. ad Ovid. Met. VIII, 142." *Burm.* Unius tamen libri non optimi auctoritate hic nihil mutandum esse patet. — 262. *mare sollicitum*, sollicitatum, commotum. Hac prima et propria significatione legitur Adiect. *sollicitus* etiam apud Lucr. I, 344. VI, 1034. Ovid. Fast. V, 720. et alibi. Cf. quae de verbi *sollicitandi* usu ad Geo. II, 418. ad-

Aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.
Hic iam galbaneos suadebo incendere odores
Mellaque harundineis inferre canalibus, ultro
Hortantem et fessas ad pabula nota vocantem.
Proderit et tunsum gallae admiscere saporem
Arentisque rosas aut igni pinguia multo
Defruta vel Psithia passos de vite racemos
Cecropiumque thymum et grave olentia centaurea.

---

notavimus. — *stridit* pro vulg. *stridet* Heins. e Medic. et Gud. a m. pr. restituit. Sic infra v. 555. *stridĕre*, itemque Aen. II, 418. et VIII, 420. *stridunt* et IV, 689. *stridit* ex melioribus libris revocatum videmus. Etiam Lucr. VI, 149. Hor. Sat. II, 8, 78. Ovid. Fast. VI, 140. id. Trist. I, 11, 9 Stat. Theb. VII, 770. Plin. Epist. IX, 26. aliique forma antiquiore *stridĕre* utuntur. Cf. Burm. ad Ovid. Met. IX, 171. Cort. ad Lucan. V, 690. et quae de formis *fervĕre* et *fervēre* ad Geo. I, 456. diximus. — *refluentibus undis*, fluctibus litora allisis et inde reiectis, cum ex alto aestus se incitat. Peerlk., cum mare non *stridat*, nisi in vehementissima procella, sed solito more refluens tantum murmuret, p. 287 hunc totum versum, qui sane abest a Parrhas., spurium censet; quare etiam Ladew. versum certe uncis inclusit. Sed vid. Ribbeck. Proleg. p. 53., qui eum defendit coll. Hom. Il. XIV, 393 sq. — 263. „*fornaces* sunt fabrorum ap. poëtas. Ternae comparationes ex Homero expressae Il. XIV, 394—399. Aliam Homerici loci imitationem in Quinto Smyrnaeo videas V, 364—380. et 386—389., ubi facile agnosces luxuriem, si cum Vergilio compares." *Heyn.* Wagn. fornacem calcariam cogitandam putat. Ceterum Haupt. v. 260—263. παρεντάσεως signis inclusit. — 264. *Hic* pro tum, de tempore. Vid. adnott. ad Aen. I, 728. — *galbaneos odores* pro galbano odoro, ut Geo. I, 56. *croceos odores*. Vid. adnott. ad Ecl. IX, 46. et Aen. VIII, 526. De *galbano* vid. adnott. ad Geo. III, 415., de ipsa re autem hic commemorata Colum. IX, 15, 5. et Pallad. VII, 7, 2. — *suadebo*. Vid. adnott. ad Geo. III, 329. — 265. *canalis, Rinne und Trog*, ut *canalicula* Varr. III, 5, 14. et *canaliculus* Colum. VIII, 10, 5. Cf. Geo. III, 330. et Voss. ad h. l. — 266. *ultro Hortantem*. Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 52. coll. cum iis, quae supra ad v. 204. adscripsimus. — *fessas*, aegras, ut apud Hor. Carm. saec. 63. Ovid. Her. XXI, 14. Tac. Hist. III, 2. et alibi. Cf. Burm. ad Ovid. Am. II, 13, 2. — *ad pabula nota*. Cf. Geo. I, 363. III, 130. Phaedr. fab. append. 3, 5. *Notus* enim a poëtis saepissime dicitur de rebus, quibus adsueti sumus, quas amamus, in quibus cum maxime versamur, et quae quocunque alio modo nos attingunt, ut docet Schirach. p. 507. — 267. *tunsum gallae saporem*, pro: saporem tunsae gallae, ut modo *galbaneos odores*. Cf. adnott. ad Ecl. IX, 46. — „*admiscere*, scil. illis mellibus, quae infundis. Colum. l. l. *Id cum accidit, arundineis infusi canalibus offeruntur cibi, maxime decocti mellis, et cum galla vel arida rosa detriti.* Galla, excrescens ille in glandiferarum nonnullarum arborum foliis tumor, insectis gravidus, adstringentem habet naturam (unde h. l. *sapor gallae* pro galla) itaque profluvium sistit alvi, quo laborant vere ex certo pabuli verni genere apes. Cf. Colum. IX, 13, 2. Varro III, 16, 22. — *Defrutum*, vinum dulce ac coctum, de quo multa apud Scriptores R. R. cf. not. ad Geo. I, 295." *Heyn.* De usu defruti ad morbos ab apibus arcendos cf. Colum. IX, 14, 15. — *Psithia*, vitis utilissima passis uvis et vino *passo* inde conficiendo. Vid. Geo. II, 93. — 270. *Cecropiumque thymum*: vid. sup. v. 112. et 177. — *centaureum, Tausendgüldenkraut*, a Centauro Chirone nomen traxit, qui eo pedem Herculis sagitta vulneratum sanasse dicitur; quare etiam *Pelethronium* appellatur a Pelethronio monte (Geo. III, 115.), ubi Chiron habitabat. Vid. Plin. XXV, 4, 14. 6, 30, 31. Vocatur etiam *centaurium* et *centaurēa*, eiusque duo genera, maius et minus, distinguebantur. Hic de centaureo maiore sermo est, quod Romani *fel terrae* vocabant. Cf. Dioscor. III, 8. 9. (s. 6. 7. Sprengel.) Theophr. h. pl. IX, 4. et 19. Plin. XXVI, 5, 15. et alibi. — *grave olentia*. Cf.

Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolae, facilis quaerentibus herba;
Namque uno ingentem tollit de caespite silvam,
Aureus ipse, sed in foliis, quae plurima circum
Funduntur, violae sublucet purpura nigrae; 275
[Saepe deum nexis ornatae torquibus arae;]
Asper in ore sapor: tonsis in vallibus illum

Lucr. IV, 122 sqq. *quaecumque suo de corpore odorem Exspirant acrem, panaces - - - et tristia centaurea.* — 271. *amellum.* Ut plerique, sic etiam Sprengel. ad Dioscor IV, 118. (vulgo 120.) *asterem Atticum* (de quo etiam Plin. XXVII, 5, 19. conferendus) nobis *Sternkraut, Sternblume*, eandem plantam habet cum *amello* Vergiliano, quem Servius a Mella s. Mela, Galliae Cisalpinae flumine (vid. infra v. 278.), in cuius ripis plurimus inveniatur, nomen accepisse tradit. Commemorat eum eadem de causa, qua Vergilius, Colum. IX, 13, 8. — *facilis quaerentibus*, scil. ad inveniendum, ut Geo. II, 223. *terra facilis pecori*, scil. ad depascendum, i. e., quae facilem victum praebet. — 273. „*uno de caespite*, h. e. uno eodemque soli loco; at Philargyrius doctius de radice accipit, ut *caespes* sit radix caespitosa, fibris inter se implexa. Sane si uno de loco, etiam una de radice plures caules emittit herba." *Heyn.* Ita etiam Voss., coll. Plin. XXI, 7, 20., ubi de saliunca legimus: *radici numerosae cohaeret, densa veluti manu pressa breviterque caespes sui generis.* Peerlk. tamen p. 288. pro *caespite* coni. *stipite.* — 274. 275. *Aureus ipse* etc.; flore flavo, foliis autem violaceo colore. Per *florem* autem interiorem floris orbem, per *folia* exteriores eiusdem floris particulas intelligendas esse docet Voss., comparans Ovid. Met. III, 509 sq. (de Narcisso) *croceum pro corpore florem Inveniunt, foliis medium cingentibus albis*, Pallad. VII, 10. *chamaemeli* (camomillae) *herbae florentis auream medietatem, proiectis albis foliis, quibus flos ambitur*, eiusd. III, 21. *rosae medios flosculos aurei coloris*, aliosque, etiam Graecorum (ut Theophr. I, 21.), locos, ubi *flos* et ἄνθος eadem signif. angustiore usurpetur. De Pron. *ipse* cf. adnott. ad Geo. I, 296. et III, 387. et de purpurae violaceo colore ad Ecl. II, 47. — 276. Solent aras sertis ex hoc amello nexis (*Festons*) ornari. In hoc versu iure haeret Weichert. de verss. iniur. susp. p. 63. primum quod meliturgi nihil prorsus referat scire, etiam deorum aras amello saepe coronari, tum quod abrupta temporum mutatione Praesentibus necopinum inseratur Praeteritum *ornatae sunt*, denique quod *torques* vix usurpari possit de florum coronis, quae non torqueantur, sed nectantur; eique Jahn. et Ribbeck. adsentiuntur. Wagn. autem, ad hunc quoque versum pertinere arbitratur, quae ad v. 203. adnotaverit, et in voc. *torques* nihil inesse censet, quod offendere possit, cum non intelligenda sit corona, i. e. flores in orbem nexi, sed serta tortuoso flexu aras cingentia; atque Conington, et ipse versum defendens, etiam Geo. III, 168. vocem *torques* paullo liberius et indiligentius („*with some want of strictness*") usurpatam inveniri memorat. Quod ut concedam, negari tamen nequit, hunc versum (ad quem defendendum non sufficit, quod Ladew. et Peerlk. existimant, adiici eum a poëta, ne quis in quaerendo flore erret) admodum languidum et inopportunum hic interponi; qui cum additamenti ex Grammaticorum fabrica profecti luculenter prae se ferat speciem, neque iusta causa appareat, cur a Vergilio ipso postea in margine adscriptus fuerit, mihi quoque spurius et reiiciendus videtur. Quare eum cum Ribbeckio uncis certe inclusi. (Cf. eius Proleg. p. 43.) Peerlk. p. 288. hac coniectura ei studet succurrere: *Saepe Deûm nexis ornat de torquibus aras* et Tittler Progr. p. 7. eum post v. 278. vult transpositum. — 277. „*Tonsis in vallibus*, quas pecudes tondent (vid. Geo. I, 15. et al.); nam memorantur *pastores*, qui inter pascendum colligunt herbam." *Heyn.* Participium Perf. Pass. interdum Participii Praesentis loco de rebus dici, quae nunc fiant, non antea factae sint, iam ad Geo. I, 206. vidimus. Nescio tamen, an Wagn. rectius cogitet de fenisicio iam peracto, cum amellus autumno floreat et fenisicii tempore caules florem progignentes nondum in

Pastores et curva legunt prope flumina Mellae.
Huius odorato radices incoque Baccho
Pabulaque in foribus plenis adpone canistris.
Sed si quem proles subito defecerit omnis,
Nec, genus unde novae stirpis revocetur, habebit,
Tempus et Arcadii memoranda inventa magistri
Pandere, quoque modo caesis iam saepe iuvencis

---

lucem prodierint. — 278. *Mella*, fluvius agro Mantuano vicinus, et in Ollium se infundens, quem etiam commemorat Catull. LXVII, 33. *Brixia - - Flavus quam molli percurrit flumine Mella*, quique etiamnum eodem nomine dicitur. (Vid. librum meum geogr. III. p. 506.) Cod. Rom. *per flumina*, i. e. per ripas fluvii, quam longe fluit, quod vulgari lectioni praefert Burm. coll. infra v. 457. *dum te fugeret per flumina praeceps* et mox *servantem ripas*. — 279. *odorato Baccho* odorum generosum vinum significatur. Vid. *odoratum vinum* ap. Grat. Cyneg. 415. Heyn. conferri iubet Theocr. XIV, 16. et Colum. IX, 13, 8. *Optime tamen facit amelli radix, cuius est frutex luteus, purpureus flos: ea cum vetere Aminaeo vino decocta exprimitur, et ita liquatus eius succus datur*. Ceterum cf. adnott. ad Ecl. IV, 32. et V, 69. — 281. „Ingreditur nobilissimum locum de reparanda stirpe apum, cum morbo examina tota interierint. Sequitur autem opinionem veteribus communem (vid. Varr. II, 5, 5. III, 16, 4. et multos apud Intpp. ibi et ad h. l. laudatos), posse ex bove caeso nova apum examina excludi; quod Aegyptiorum inventum et artificium esse vulgo iactabatur. Magonem et Democritum potissimum haec tradidisse, e Colum IX, 14, 6. et 2, 1. discas. Fuisse videtur illa Orientis olim communis opinio, ut omnino insecta, ita apes ex putribus cadaveribus generari; cui illa observatio fortasse locum fecerat, quod apes in iis terris, ubi passim per silvas et sine cultu vagabantur, mel interdum in cadaveribus exsiccatis facere videbant. Cuius rei observatione adducti, fuere qui affimarent, se, cum apum examina nova habere vellent, verno anni tempore cadaver bovis commodo loco exposuisse, quo apes tamquam ad alveum convolarent, et regina ova deponeret. In angustam illam domum v. 295—298. apes fragrantia appositae casiae thymique v. 303. 304. alliciebantur. Quod autem contundendo enecabant bovem, id vereor ne inani opinioni tribuendum sit: nisi quod fortasse sic putrefactio accelerabatur. Ceterum a Vergilio inventum hoc ab Aegypto in Thessaliam traductum est. Vid. inf. v. 317." Haec fere *Heyn.* Cf. etiam Voss., qui testes citat Antigon. Caryst. 23. et 96. Nicandr. Ther. 741. Varr. III, 16, 4., hos Archelai locos afferentem: *βοὸς φθιμένης πεποτημένα τέκνα* et *Ἵππων μὲν σφῆκες γενεά, μόσχων δὲ μέλισσαι*, et Plin. XI, 20, 23. — 282. *genus novae stirpis*, genus novum, a nova stirpe oriundum. — *revocetur*. Cf. Aen. I, 235. *revocato a sanguine Teucri*. Peerlk. p. 289. vv. 281. et 82. spurios censet; sed vide Ladew. *Beurtheil.* p. 24., qui inter alia docet, coniunctionem Futuri I. et II. in sententiis coordinatis, quae vocantur, minime posse offendere, cum hic inopia consilii tempore defectum sequente adhuc duret, et hos locos eiusdem generis conferri iubet: Cic. ad Fam. X, 14, 2. XIII, 65, 2. in Cat. IV, 6, 11. Ter. Hec. 599. Propert. II, 5, 21 sq. Etiam Ribbeck. Proleg. p. 52. hos versus defendit. — 283. Proprie sequi debebat sententia: Tempus est inventis Arcadii magistri utendi; pro ea autem commemorantur, quibus opus est, ut cogitatio illa, quae tacetur, ad effectum adduci possit. — *et* non pro *etiam* positum esse, sed sequenti *que* in *quoque* respondere videtur. — „*Arcadii magistri*, pastoris, Aristaei. Vid. inf. v. 317. Sequitur igitur in hoc Maro eos, qui Arcadiae heroem eum ediderunt, inter quos Iustin. XIII, 7, 10. Alii in Thessalia fuisse Aristaeum tradiderunt; idem in insula Cea et Cyrenis cultus. Cf. ad Geo. I, 14. Etiam Maro infra v. 317 sqq. Cyrenen in Thessalia collocavit, Penei patris antra inhabitantem, ipsum autem Aristaeum Tempe incoluisse significat." *Heyn.* — *Magister* autem non nustorem videtur indicare (ut Ecl. II, 33. et III, 101. *ovium* et *pecoris magister* commemoratur), sed praeceptorem (ut Ecl. V, 48. Aen. V, 391. al.), cum de eius *inventis* sermo sit. — 284. *Pandere*, ad

Insincerus apes tulerit cruor. Altius omnem
Expediam prima repetens ab origine famam.
Nam qua Pellaei gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum
Et circum pictis vehitur sua rura phaselis;
Quaque pharetratae vicinia Persidis urguet

Lucretii exemplum, qui I, 50. *rerum primordia pandam* dixit, et V, 55. *omnem rerum naturam pandere dictis.* Ita apud posteriores poëtas haud raro. Vid. etiam Aen. VI, 267. Lucan. VI, 590. Stat. Silv. I, 5, 29. etc. Ceterum de constructione *tempus* (est) *pandere* cf. quae ad Geo. I, 305. adnotavimus. — Verba *iam saepe* non pertinere ad *caesis iuvencis*, sed ad verbum *tulerit*, facile apparet. Simili ratione voc. *deinde* alieno loco ponitur Aen. I, 195. (ubi vid. adnott.) III, 609. V, 14. 400. VII, 135. — *quoque modo* (vid. ad Aen. V, 23.) etc.: et quomodo iam saepe, caesis iuvencis, *cruor insincerus*, corruptus ex putredine, *tulerit*, protulerit, generaverit (cf. Aen. I, 605.), *apes*. Adiectivum *insincerus*, apud alium aureae aetatis scriptorem non invenitur et a Vergilio ipso fictum videtur. Ex hoc ipso loco videtur transiisse in Prudent. Hamart. 4. (*insincera acies* oculorum) et Gellii V, 3. extr. (ubi Protagoras *insincerus quidem philosophus, sed acerrimus sophistarum* appellatur.) — 285. *Altius omnem* etc. Accuratius dicendum erat: Quare *altius expediam*, nam priora continent causam, cur haec exponenda sint. Cf. etiam, quae Ladew. l. l. de compositione huius periodi poëticae exponit, comparans locos Aen. I, 527—34. et IX, 267—71. similiter constructos. — 286. *omnem famam*, omnem rei memoriam, narrationem, *repetens*. Cf. Aen. VII, 371. Ovid. Met. VII, 520. *Ordine nunc repetam* (ubi alii minus bene *referam*.) Cic. Leg. I, 6. in. *Alte et a capite repetere*. ibid. §. 20. *Visne, ipsius iuris ortum a fonte repetamus* etc. — 287—293. Per totam Aegyptum, quam poëta finibus suis designat, (occidentalibus v. 287., orientalibus v. 290. et australibus v. 291.), Aristaei invento utuntur. — „*gens fortunata*, a terrae felicitate seu fertilitate ex Nili incrementis. — *Canopus*, ὁ *Κάνωβος*, Aegypti urbs, non longe ab Alexandria, quae occidentalem Aegypti partem designat (est enim Canopicum primum ab occidentali latere Nili ostium); unde Aeschyl. in Prometh. v. 846. ἔστιν πόλις *Κάνωβος*, ἐσχάτη γθονός" *Heyn.* Cf. Herod. II, 15, 97 Strab. XVII. p. 800 sq. Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 13. Mela II, 17. alii. Reliquiae eius dimidiae horae spatium occidentem versus distant ab *Abukir*. Cf. liber meus geogr. II. p. 777 sqq. — „*Pellaeum*, h. e. Macedonicum, a Pella nobili Macedoniae urbe, unde *Alexander Pellaeus* nomen accepit. Ex quo autem tempore Macedones Aegyptum obtinuere, a regibus ipsa terra *Macedonica*, adeo et *Pellaea*, appellari potuit." *Heyn.* Sic a Lucano VIII, 607. Ptolemaeus *Pellaeus puer*, et ibid. v. 475. domus eius *Pellaea* vocatur; sic idem V, 60. de *Pellaeo diademate*, X, 511. de *Pellaeis muris* (i. e. Alexandria), Silius XI, 383. autem de *Pellaeis sceptris* loquitur etc. De ipsa *Pella*, Bottiaeae urbe, cuius reliquiae inveniuntur prope *Allah Kilissah*, cf. liber meus geogr. III. p. 1062. — 288. *stagnantem* Nilum dixit, quia quotannis Aegyptum inundat. Cf. Lucan. II, 417. (*Si non per plana iacentis Aegypti Libycas Nilus stagnaret arenas*) Claud. Idyll. IV, 38. et Plin. XIII, 11, 22. Eadem de causa Padus Lucano IV, 134. et Ganges Curtio VIII, 9. *stagnant*. — „*pictis phaselis*, pulchre; nam hoc proprium Aegyptiorum, quemadmodum ex Diod. I, 87. et Herod. II, 96. 97. satis constat, ut certo navicularum genere, cui *Baris* nomen erat, per Nilum discurrerent." *Heyn.* De his levibus naviculis in phaseli (vid. ad Geo. I, 227.) speciem formatis Voss. conferri iubet Strab. XVII. p. 788. Lucan. IV, 136. et Iuven. XV, 127. Adde Catull. IV, 1. Mart. X, 30. Cic. Att. I, 13. etc. — *circum - - rura*. Ita Praepositionem in carminibus haud raro aliis verbis interiectis a Casu suo disiungi, res satis nota. Wund. conferri iubet simillimum locum Hor. Sat. I, 6, 59. *non ego - - circum Me Saturciano vectari rura caballo - - narro*. — 290. „*Quaque vicinia Persi-*

Et diversa ruens septem discurrit in ora
Usque coloratis amnis devexus ab Indis,

---

dis urguet, h. e. ab ea parte, qua Aegypto Persis contermina est, sive ab orientali; quae vicina sunt ac contigua, poëtis dicuntur *urguere*. Praestat tamen, ut *vicinia* ductum sit a *vicinium;* ita ipse *amnis* urget vicinia, h. e. attingit fines Persidis." *Heyn.* Sed iure miratur Wagn., Heynium, Iul. Sabini auctoritate motum, dudum e Latinitate eiectum vocabulum *vicinium* revocare voluisse. — *urguet* sine Accus. Obiecti legimus etiam ap. Hor. Sat. II, 2, 64. Plaut. Poen. IV, 2, 35. Corn. Celsum II, 1. VII, 26. extr. alibi. Conington comparat Aesch. Agam. 1004. *γείτων ὁμόστοιχος ἐρείδει*. „*Persis* h. l. pro imperio Parthico, more sollemni Romanorum poëtarum; sic *Medus Hydaspes* v. 211.; hinc et *pharetrata*, quod de Parthis proprie dici solet; quis Parthorum pharetras ignorat?" *Heyn.* Cf. etiam Hor. Od. II, 16, 6. *Medi pharetra decori.* — *usque ab Indis coloratis*, inde ab Aethiopibus (vid. Geo. II, 116.), qui *colorati*, i. e. nigri, vocantur, ut Claud. Stilich. I, 264. *coloratus Memnon*, Nemes. Cyneg. 261. *coloratus Mazax*, Ovid. Am. I, 14, 6. *colorati Seres* etc. Cf. Gronov. Diatr. in Stat. c. 10. a Burm. laud. — „*devexus*, *καταφερής*, ex altis montibus, proclivi descensu in planitiem dum defertur, pronus, *fecundat Aegyptum viridem* laeto agrorum proventu [cf. Val. Fl. VI, 50. *viridis Myrace* et VIII, 293. *viridis Peuce*, a Ladew. laud., quibus addi possunt Hor. Od. II, 6, 15. *viride Venafrum*, Stat. Theb. IX, 769. *virides Amyclae* etc.], *nigra arena*, pro limo; est poëtis simpl. solum (ut Geo. I, 105. Lucan. II, 417. *si non per plana iacentes Aegypti Libycas Nilus stagnaret arenas.*" *Heyn.* Cf. Geo. II, 203. *Nigra - - terra, Et cui putre solum* (ut Geo. I, 44. *putris glaeba*). Sic etiam Prop. V (IV), 6, 83. pinguem Euphratis ripam *nigram harenam* vocat. *Nigrae* maris *harenae* commemorantur Aen. IX, 711. Ceterum de vocis orthographia vid. adnott. ad Ecl. VI, 8. „Igitur totus locus huc redit: Per totam Aegyptum, cum in occidentali latere circa Canopum, non longe ab Alexandria, tum in orientali versus fines Parthici imperii, et per totam inferiorem Aegyptum (nomine Deltae celebratum), *omnis regio*, tota gens, *iacit salutem certam*, ponit salutis spem ad fiduciam, *in hac arte*, reparandi apes ex boum visceribus. Locum vaxatissimum videor mihi sic satis commode interpretari posse. At si iam de ipsa sententia et poëtica ratione iudicium ferendum est, Vergilii acumen et verecundiam desiderare mihi videor. Nam et nimis protracta et impedita friget oratio, et paullo ieiunius Nili natura bis describitur; quamquam singula membra suo ornatu ac lumine fulgere facile sentio. Praestat vero cum cod. Romano [et Hafn. 2.] ordinem versuum ita mutare: *Et diversa - - Usque coloratis - - Et viridem* [quam Voss. et Iahn. secuti. sunt rationem, suadente etiam Weicherto de verss. iniur. susp. p. 109.]; aut cum Medic. [Gud.] aliisque compluribus [quos Conington sequitur] ita: *Et diversa - - Et viridem - - Usque.* Nam nunc quidem versus *Et viridem - - arena* inepte positus est." *Heyn.* Scil. inter v. 290. et 291., ubi cum servant Haupt. et Ribbeck., qui tamen suspicatur, „solum v. 290. a prima poëtae manu esse, qui secundis curis in vicem v. 289. varia temptaverit nec in schedis suis constituerit, utrum cum v. 293. versus 291. an 292. in locum illum succederet," quod paullo artificiosius videtur atque etiam Coningtoni improbatur. Wagn., cum parum apte insertus sit versus *Et diversa ruens* etc., neque probari possit nimis ampla et verbosa Nili descriptio posito ipsius Nili v. 288. nomine, versus 291—293., qui leguntur in omnibus Codd., videri quidem Vergilii esse censet, sed margini codicis fortasse ab ipso allitos, aut potius ex aliis eius carminibus, deperditis illis quidem, ab aliquo adscriptos et hinc in contextum invectos; quam opinionem triplex Codicum inter se discrepantia in collocandis his versibus mirifice adiuvet. Haeret porro Vir doctiss. in epithetis *viridis* et *nigra*, et in Perside Aegypto vicina; cum nec Parthi, qui saepe a poëtis Persae vocentur, in confiniis Aegypti habitare iure dici possint, et Arabes, de quibus Voss. cogitet, Persarum nomine nusquam comprehendantur. Quare ipse Persidis nomine regnum Parthicum hisque verbis Syriam a Vergilio significari censet; versus autem 291—293. (quibuscum Keightleius ap. Coningt. etiam v. 290. vult exclusum, quemadmodum etiam Peerlk. p. 289 sq. v. 290—293. et

Et viridem Aegyptum nigra fecundat harena:
Omnis in hac certam regio iacit arte salutem.
Exiguus primum atque ipsos contractus in usus
Eligitur locus; hunc angustique imbrice tecti
Parietibusque premunt artis et quattuor addunt,
Quattuor a ventis antiqua luce fenestras.
Tum vitulus bima servans iam cornua fronte
Quaeritur; huic geminae nares et spiritus oris
Multa reluctanti obstruitur, plagisque perempto

---

mutata sententia Ribbeck. Proleg. p. 38. certe V. 291—293, pro additamento Grammatici alicuius habent,) prorsus e contextu expulit; quod mihi quidem paullo audacius videtur factum: etsi transpositione eorum in Codd. obvia et nimia quadam minusque grata orationis ubertate suspicionem aliquam moveri non negaverim. In Perside autem Aegypto vicina omnium minime haerendum esse puto, cum regnum Persicum ab Indo olim usque ad Nilum pertinuisse constet et Romani Vergilii tempore omnes Asiae terras ultra Syriam orientem meridiemque versus sitas communi aut Persidis s. Mediae, aut Indiae nomine significare consueverint; quare etiam supra v. 211. in Mediae Hydaspe non erat haerendum. Non dubitanter igitur reiicienda est Hitzigii coniectura in Mus. Rhen. XV. p. 324 sq. proposita, qui deleto v. 291. pro *Persidis* legi vult *Putidis* (nomen populi cuiusdam Libyci in V. Test. commemorati). Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 38. Itaque retinui hos versus, mutato tamen ad Cod. Rom. exemplum vulgari eorum ordine, (quam rationem etiam Wagn. ipsum in edit. recentiss., ut in Philol. Suppl. I. p. 315., et Ladewigium secutos esse video). Tittler in Progr. p. 7 sq. versus potius sic ordinandos: 293. 92. 91. 90. 94. et v. 293. *Qua viridem*, v. 291. autem *Cum diversa* scribendum esse suspicatur, dum in Ribbeckii editione versus non mutati hoc ordine apparent: 289. 291—93. 90. 94 sqq. Vide etiam, quae Iahn. adiecit, ut hos versus, quos omnino abesse non posse et ad sententiam absolvendam necessario requiri censet, defenderet. Qui priorum editorum de hoc loco vexatissimo sententias cognoscere cupit, is Burmanni editionem evolvat. — 294. *iacit salutem*, i. e. ponit spem salutis. Bothius *iacit* male interpretatur per: loquitur, coll. Liv. VI, 14. *Thesauros Gallici auri occultari a patribus iecit*, qui locus cum nostro nihil habet commune. — 295. „Cf. cum seqq. excerptum ex Florentino in Geopon. XV, 2. Secutus fortasse noster erat Varronem, cuius hac de re locus, ad quem Florentinus provocat, intercidisse videtur. — *contractus*, coartatus, spatio angusto factus ad hunc ipsum usum, *locus*, *οἶκος*, *decem cubitorum in altitudinem et latitudinem*, inquit Florentinus." *Heyn.* — *in usus* cum Ribb., Wagn. (in min. edit.) et Ladew. pro vulg. *ad usus* ex Med. a m. pr. et Pal. recepimus, ceteris recentioribus editoribus in vulg. lectione acquiescentibus. *Ad usus* praeterea nusquam apud Verg. invenitur, *in usus* vero etiam Geo. III, 313., ubi vid. adnott., et Aen. IV, 647. Peerlk., cum *ad ipsos usus* pro: ad hos usus, hos ipsos ad usus, non Latinum sit, p. 293. coniicit *atque hos ipsos aptus ad usus*, quae coniectura velim ut Codd. vestigiis aliquo modo iuvetur. — 296. „*Hunc* locum et *angusti imbrice tecti*, h. e. angusto tecto (cuius fastigiis imponi solent cavae tegulae, *imbrices*) et *parietibus artis*, angustis, *premunt* pro exstruunt, sed multo elegantius, quasi coercent [coangustant]; et quatuor relinquunt spiracula ad quatuor caeli cardines spectantia." *Heyn.* — 298. *obliqua luce:* fenestrae ipsae sint obliquae, ut nec omnino excludant lucem et auram, nec nimium utriusque admittant. — 299. „*Τριακοντάμηνον βοῦν* Florentinus l. l. — 300. *spiritus oris*, h. e. os. — 301. *multa reluctanti*, *πολλ' ἀεκαζομένῳ*, ut apud Homer. Od. XIII, 277. Il. XIV, 458." *Heyn.* Vid. adnott. ad Geo. III, 226. 301. Lectionem *obstruitur* (quam cum altera *obsuitur* a Med. et Schol. Bern. [vid. Ribbeck. Proleg. p. 197.] exhibita permutavit Heins.) defendunt Voss., Wakef. et Iahn., eamque revocavit Wagn., comparans Geopon. XV, 2, 25.: *Εὐθὺς δὲ*

Tunsa per integram solvuntur viscera pellem.
Sic positum in clauso linquunt et ramea costis
Subiciunt fragmenta, thymum casiasque recentis.
Hoc geritur Zephyris primum inpellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in ossibus humor
Aestuat et visenda modis animalia miris,

ἀποπεφράχθω πᾶς τοῦ βοὸς πόρος ὀθόναις καθαραῖς καὶ λεπταῖς πίσσῃ κεχρισμέναις· οἷον ὄμματα, καὶ ῥῖνες, καὶ στόμα, καὶ ὅσα τῇ φύσει πεποίηται εἰς κένωσιν ἀναγκαίαν (ἀναγκαῖα?), Wakef. ad Lucr. VI, 725., apte comparans Aen. IV, 440. et docens, quomodo ex compendiaria scriptura *obst'uitur* altera facile prodire potuerit, *obstruendi* verbum rei violentiae magis convenire censet. — 302. *solvuntur*, tundendo macerantur, quo citius in putredinem abeant, *pelle* tamen *integra* manente, i. e. ita ut pellis non pertundatur et dissecetur. Florentin. l. l.: *ὁμοῦ ταῖς σαρξὶ τὰ ὀστέα συναλοῦντες· φυλακὴν δὲ ἔχέτωσαν, τὸ μὴ αἱμάξαι τι οἱ βοός* et rel. — Ceterum Haupt. et Ribbeck. etiam hic *solvontur*. Vid. supra ad Geo. IV, 199 adnott. *viscera*, caro. Vid. Aen. I, 211. — 303. *Sic positum*. Cf. Aen. II, 644. *sic positum adfati discedite corpus*. — *linquunt*. Haupt. *lincunt*, Ribbeck. *linqunt* cum Rom. et Gud. a m. sec. (a pr. m. *lingunt*.) Vid. supra ad v. 237. — „*in clauso*, luto etiam denso obducta ianua et fenestris, ut diserte Florentinus p. 407.; sed, ut adiicitur, XXI. die dies et purus aër admittitur, vento tamen excluso; tum rursus omnia oblita occluduntur. Quo facto, undecimo inde die, aperta domo, examina nova effervescere reperiuntur. Facile ex his apparet, quomodo mater apis in *οἶκον* penetrare potuerit." *Heyn.* Voss. confert Lucr. I, 355. *clausa domorum*, Colum. XII, praef. 3. *fructus clauso custodiendi*, eiusd. VII, 6, 5. *centum sub uno clauso habere* et Moret. 15., ad quem l. vid. adnott. Adde Sall. Iug. 12. *loca clausa*. — *ramea fragmenta* ramorum, h. e. ipsos ramos. — *casias*. Vid. sup. ad Geo. II, 213. *recentes*, modo carptas. — 305. „Haec faciunt ineunte vere. Plin. II, 47. *Ver aperit navigantibus maria, cuius in principio Favonii hibernum molliunt caelum. - - Is dies VI. est ante Februarias Idus*. Cf. XVI, 25, 39." *Heyn.* — 306. *Ante quam - - rubeant*, efflorescant, niteant. Cf. adnott. ad Geo. II, 319. Offendere potest Coniunctivus modus, cum de re satis certa sermo esse videatur, quae non cogitatione tantum versetur et conditione aliqua teneatur, Particulas autem *ante - - quam* et *prius - - quam* divisim positas semper fere Indicativus sequi soleat, cuius rei causa in eo est posita, quod sic Adverbio *ante* maior quaedam vis tribuitur, quae nisi certis temporibus distinctis locum habere non potest. Latinos tamen in eiusmodi quoque locis, ubi nos, sine conditione loquentes, Indicativum exspectamus, cum res a fatorum certe vel naturae voluntate et ratione pendentes cogitent, haud raro Coniunctivo uti constat. Ita etiam h. l. sensus videtur: antequam prata pro naturae ratione, ex naturae legibus, novis coloribus rubere possunt. De ipso autem utriusque structurae discrimine cf. Gernhard. in Comment. gramm. IV. p. 15. (Opusc. p. 101 sq.) Kritz. ad Sall. Cat. 4, 5. (*De cuius hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam*, i. e. cum fructu facere possum). Hand. Tursell. I. p. 397 sqq. alii. — 307. *Garrula hirundo* redit Anth. Lat. Burm. V, 74, 3. et 149, 19., ut *garrula chelidon* ibid. V, 69, 17. — 308. „*humor*, sanguis putredine vitiatus. Supra v. 285. *insincerus cruor* [vel potius succi e contusa massa carnis, sanguinis, cerebri et medullae scaturientes, ut Ladew. explicat]. — *teneris* autem *ossibus*, quia haec ipsa contusa colliquescunt. — 309. *Aestuat*, fermentescit. Rem disertius vide in Florentini loco p. 407. extr." *Heyn.* — *visenda* (spectanda) *modis animalia miris*, mirum adspectum praebentes (*von wunderlichem Aussehn.*) Voss. minus recte reddit: *auf seltsame Art belebte Wesen*. Notum est, ex ovibus a regina positis primum

Trunca pedum primo, mox et stridentia pinnis,
Miscentur tenuemque magis magis aëra carpunt,
Donec ut aestivis effusus nubibus imber
Erupere aut ut nervo pulsante sagittae,
Prima leves ineunt si quando proelia Parthi.
Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingressus hominum experientia cepit?
Pastor Aristaeus fugiens Peneïa Tempe,

---

excludi albos vermiculos pedibus alisque carentes, ex iisque demum fieri apes. Ceterum cf. adnott. ad Geo. I, 177. — 310. „*Trunca pedum* Graece pro *trunca pedibus*, et hoc pro truncis pedibus. Locum expressit, sed suo more, Ovid. Met. XV, 382 sqq." *Heyn.* Ita Silius X, 311. *truncus capitis.* Cf. Ruddim. II. p. 78. Voss. apte comparat Lucr. V, 835. *orba pedum.* Vid. infra ad v. 491. — Adverb. *primo* satis infrequens esse apud Vergilium, cum praeter h. l. non nisi Aen. V, 654. et IX, 576. legatur (nam Geo. III, 187. Aen. VII, 528. IV, 176. I, 613. esse Adiectivum), docet Wagn. Qu. Virg. XXVIII, 6. — *pinnis.* cum Hauptio, Ribb. et Ladew. scripsimus. Vid. adnott. ad Geo. I, 398. — 311. *aëra carpunt*, h. e. volant, vel potius (propter additum *magis magis*) volare temptant, ut Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 51 explicat. Quomodo Lachmann. ad Lucr. III, 405. p. 167. locum intelligat, quem comparat cum Aen. I, 387. *auras vitalis carpis*, non liquet. Cf. adnott. ad Geo. III, 142. et 325. (ubi *carpere prata, carpere rura* legimus). — *magis magis* pro magis et magis, (cf. adnott. ad Aen. II, 299.) ut ap. Catull. XXXVIII, 3. *et magis magis in dies et horas* et LXIV, 275. *Post vento crescente magis magis increbrescunt.* Sic etiam Graeci *μᾶλλον μᾶλλον.* Cf. Suid. II. p. 487. Weiske de Pleon. Gr. p. 154. et Hand. Turs. III. p. 565. Med. a m. pr., Rom. et complures alii Codd. *magis ac magis*, aut servata aut reiecta Copula *que* in voc. *tenuemque*, quam lectionem Heins. probat, Heyn. certe non improbat. Sed vide adnott. ad Geo. III. 396. — 312 sqq. Hic imaginibus densum significari agmen, in promptu est. — 313. *Erupere*, erumpunt, (vid. adnott. ad Geo. I, 49.) *ut sagittae* erumpunt, *nervo* arcum *pulsante*, propellente sagittam. — *aut ut.* Multi Codd. *velut*, Franc. et unus Mead. *vel ut*, quod Bothius recepit. — *Parthi* celeberrimi erant sagittarii. Cf. Ecl. X, 59. ibique adnott. — 315. *Quis deus.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 19. — *quis n. extudit artem.* Cf. Geo. I, 133. ibique adnott. et infra v. 328. Codd. quidam vitiose *excudit.* — 316. „*Unde nova hominum experientia cepit ingressus*, habuit exordia; unde processit; qua re homines adducti ad hanc artem ab experientia suppeditatam progressi sunt?" *Heyn.* Wakef. ad Lucr. I, 384. explicat: unde novum hoc experimentum coeptum est inter homines; accuratius vero Ameis. Spic. p. 41. „unde profectum est novum periculum, quod homines alii secuti sunt." Respondet nostro *Eingang* vel *Verbreitung finden.* Modo ne quosdam interpretes secutus coniungas *ingressus hominum*, cui rationi iam caesura versus obstat. Gud. et antiquiores quaedam editt. exhibent *coepit*, quare Conington comparat Ennii fr. Med. 207. (282. Vahl.) *navis inchoandae exordium Coepisset*, ubi Lips. legi malit *cepisset.* — 317. Totum hunc locum a secundis poëtae curis profectum et alii loco de Corn. Galli laudibus substitutum esse tradunt Donat. in vita Virg. 10. §. 39. et Serv. ad Ecl. XI.; sed parum probabiliter. Vid. Voss. ad h. l. „Quod Aristaeo (cf. v. 283.) inventum apum reficiendarum tribuit poëta, ignoratur, quo exemplo faciat, multoque magis, unde ei crimen tentatae Eurydices venerit. Fuit vetus Eumeli poëma *Βουγονία*; fortasse fabulae fuit fundus in illo. Fabulam ipsam vid. ap. Ovid. Fast. I, 361. et Met. XV, 361 sqq." *Heyn.* Ordo autem narrationis hic est: Aristaeus, qui lue grassante apum examina amiserat matrique calamitatem suam conquestus erat, ab ea iussus est Proteum in Pallene versantem (v. 391.) adire, ut eum de causa et medela mali consuleret. Ex eo audivit, luem immissam esse apibus ob temptatam ab eo Eurydicen. Aristaeus igitur re-

Amissis, ut fama, apibus morboque fameque
Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis
Multa querens atque hac adfatus voce parentem:
„Mater, Cyrene mater, quae gurgitis huius
Ima tenes, quid me praeclara stirpe deorum —
Si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus Apollo —

---

dux in Thessaliam Nymphis sacrum piaculare ad matris praecepta instituit et ex visceribus caesarum victimarum recentia apum examina prognata conspicit. De *Aristaeo* iam ad Geo. I, 14. dictum. — *Peneïa Tempe.* Ovid. Met. I, 569. *Tempe, per quae Peneus, ab imo Effusus Pindo, spumosis volvitur undis.* Cf. adnott. ad Geo. II, 469. et Mülleri Spicil. Animadvv. in Catull. p. 11., de ipsa autem amoenissima valle Ossam et Olympum dirimente, quae nunc *Lykostomo* appellatur, vid. librum meum geogr. III. p. 856. et de *Peneo* infra ad v. 355. — *„fugiens,* simpl. relinquens. Aristaeus e mente poëtae tunc in Thessalia degebat, necdum Ceam adierat. — 319. *Extremi amnis caput* nihil aliud esse potest, nisi ipse fons et initia fluminis. Cf. v. 368. Sane antrum, ex quo fons progreditur, perpetua apud poëtas Fluviorum regia et Nympharum sedes; at h. l. per hunc fontem aditus est ac descensus fit ad antra et vastos recessus in visceribus terrae, ita ut cogitanda sit magna aliqua caverna, e qua omnia flumina orta diversis viis ad terrae superficiem properent et suo quodque loco seu fonte erumpant, postquam sub terra e lacu magno, cuius generis multi in ista caverna sunt, progressa aliquantum viae emensa sunt.“ Ita fere *Heyn.*, et recte quidem, quamquam *caput* interdum etiam de ima alicuius rei parte dici, Geo. II, 355. vidimus, et Caes. B. G. IV, 10. disserte dicit: *Rhenus multis capitibus in Oceanum influit,* ubi vid. Herzog., comparans v. c. Liv. XXXIII, 41, 7. *ad capita, quae vocant, Sari fluminis.* Et qui contendunt, *caput* Singulari numero numquam de ostio fluminis dici, his opponi potest Lucan. III, 202. a Coningtone laud. Iahn. cum Delamallo ad Val. Fl. T. II. p. 495. et Weichert. Comment. de Turgido Alpino p. 6. et ipse ostium fluminis intelligit, cui opinioni recte adversatur Becker, Eleg. Rom. p. 39., ut iam prius contra Burmannum eandem sententiam proferentem recte disputavit Ouwens. Noct. Hag. p. 598 sqq. ab Heynio laud. — *Caput* pro fonte fluvii statim redit v. 368., *extremi* autem addi a poëta locum respiciente unde Aristaeus exeat (v. 317.), vere memorat Ladew. Pro *sacrum caput* Medic. *placidum caput,* quod hic non minus quam infra v. 352. (ubi pauci quidam libri *flavum caput* ita corrumpunt) ex Aen. I, 127. petitum esse, iam Wagn. docuit. Cf. autem Schol. Hor. Od. I, 1, 22. (a Coningt. laud.) *Omnis fons in origine sacer est* et adnott. ad Ecl. I, 51. — 320. *adfatus,* iuxta *querens,* pro inusitato *adfans* dictum videtur. Vid. adnott. ad Geo. I, 206. Alii fortasse *est* supplebunt. Cf. infra v. 444. et 530. et Wagneri Qu. Virg. XV, 6. — 331. „In eadem illa caverna, seu in parte eius aliqua magnum specus est, quod pro Penei regia et *Cyrenes,* quae eius filia seu neptis, *thalamo* est; pervenitur ad illud descensu ad illam magnam cavernam facto, nunc quidem per fontem Penei fl. Hunc autem versum et has querelas ex Homerica expostulatione Achillis cum Thetide Il. I, 349 sqq. expressas esse, notarunt Intpp.; sed mirifice exornavit Vergilius nude ab Homero primum tradita. Cf. etiam Il. XVIII, 70 sqq.“ *Heyn.* In distinguendo versu secutus sum Wagn. Vulgo *Mater Cyrene, mater* etc. De *Cyrene* cf. Pind. Pyth. IX, 1 sqq. Apollon. II, 51. f. 161. Spanh. ad Callim. Apoll. 91., de iterata autem voce *mater* adnott. ad Ecl. I, 74. Ceterum cf. cum h. l. Anth. Lat. Burm. V, 215, 1. *Nymphae, fonticulae Nymphae, quae gurgitis huius Aeternum roseo tunditis ima pede.* — 322. Quatuor Codd., inter quos Rom., *praeclara a stirpe;* sed recte Wagn. docet, coniungenda esse *praeclara stirpe genuisti,* neque ullam intercedere horum verborum cum Aen. I, 19. (quem Heyn. comparat) similitudinem. — 323. *Si modo* etc. Cf. similis locus Ovid. Met. I, 760. *At tu, si modo sum caelesti stirpe creatus, Ede notam tanti*

Invisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri
Pulsus amor? quid me caelum sperare iubebas?
En etiam hunc ipsum vitae mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers
Omnia temptanti extuderat, te matre relinquo.
Quin age et ipsa manu felicis erue silvas,
Fer stabulis inimicum ignem atque interfice messis,
Ure sata et duram in vitis molire bipennem,
Tanta meae si te ceperunt taedia laudis."
At mater sonitum thalamo sub fluminis alti

---

generis etc. „*Thymbra*, ager Troadis, fluvio Thymbrio irrigatus, qui in Scamandrum cum Simoente iunctum se immittit, fano Apollinis nobilis. Strabo XIII. p. 893. [Cf. liber meus geogr. II. p. 120. et quae scripsi in Pauly *Realencycl.* VI. p. 1919. et 1260. Est autem versus adumbratus ex Odyss. IX, 529." *Heyn.* Festus (p. 154. Lind.): *Thymbraeum Apollinem Virgilius a monte Thymbraeo appellavit, qui est in agro Troiano.* Hinc *Thymbrae rector* a Stat. Silv. IV, 7, 22. vocatur. Cf. etiam Aen. III, 85. — 324. *Invisum fatis*, adsentior nunc Dietschio Theol. Verg. p. 16. locum sic explicanti: „Quid me ab stirpe deorum, quae praeclarissima quaeque sperare iubebat, genuisti, si fatis invisus futurus, i. e. si fatis mihi adversantibus omniaque mala immittentibus vitam acturus eram?" Cf. etiam Aen. II, 647. — *aut quo tibi n. P. amor?* Heyn. confert Aen. II, 595. *quonam nostri tibi cura recessit?* Imitator Vergilii in Anth. Lat. Burm. I, 178, 386. hunc locum sic repetit: *aut qui tibi nostri Pulsus amor?* — 325. *Quid me c. sp. iubebas?* i. e. vitam inter deos, in quorum concilio me collocatum iri promisisti. Genitis autem ex Deo caelum promittere parentes solitos docet Burm. loco Senecae Herc. fur. 438. [440.] *Quo patre genitus caelitum speret domum.* Cf. etiam Aen. I, 250. et XII, 795. — 326. 327. „Exornavit poëta τὸ ἀτιμᾶν Homeri; hanc gloriam, quam mihi multo cum labore, longae experientiae molestia, ex agrorum cultu et *pecudum* (adeoque etiam ex apum) cura paraveram, hunc fructum amitto, eo privatus sum, et hoc quidem, cum te deam matrem habeam." *Heyn.* Lectionem *pecudum*, quam praebent Med. et Gud. a m. sec., tuetur etiam Nonius p. 158, 30. et 460, 5. Rom., Pal., Gud. a m. pr., Bern. 2. aliique Codd. Pier. et Burm. scribunt *pecorum.* Ceterum cf. supra v. 168. — 328. „*te matre:* cum [quamvis] te deam matrem habeam, quae prohibere hoc vel possis vel debeas." *Wagn.* — 329. *ipsa manu.* Vid. adnott. ad Geo. III, 395. — *felices silvas*, arbusta fructiferarum arborum. Vid. adnott. ad Ecl. V, 37. et Geo. II, 127. — 330. *Fer stabulis ignem.* Cf. Aen. IV, 594. *Ferte citi flammas.* — *interfice*, perde, *messes*; ex Lucr. III, 885. *Aut flammis interfiat malisve ferarum.* Ursinus comparat fragm. Cicer. Oecon. ap. Nonium VI, 9 (p. 1312. Nobb.) *Nullo modo facilius arbitror posse neque herbas arescere et interfici, neque terram ab sole percoqui.* Verbis *perimere et necare* in simili iunctura etiam alii usi sunt. Post *messes sata* cum *vitibus* iuncta, erunt arbores satae. — 331. *duram bipennem.* Sic nunc cum Ribbeckio, Wagn. (in min. edit.) et Ladew. e Cod. Med. edidimus. Ceterorum omnium librorum et Arusiani p. 247. Lind. lectio *validam bipennem* (quam Haupt. et Conington servarunt) ex Aen. XI, 651. videtur fluxisse. Rom. hic et Aen. II, 627. *bipinnem*, fortasse rectius. *Bipennem* autem Quinctiliani aetate in usu fuisse, patet ex Inst. Or. I, 4, 12., quod iam Wagn. docuit. Vid supra ad v. 310. — *molire*, vibra, ut excidentur vites. Eandem verbi *moliendi* constructionem vides apud Ovid. Met. V, 367. *Inque Dei pectus celeres molire sagittas.* De ipso verbo vid. adnott. ad Geo. I, 329. et Aen. X, 131. — 332. Verba *si te ceperunt taedia laudis* repetit idem ille Verg. imitator in Anth. Lat. Burm. I, 178, 196. — 333. „*sonitum*, confusum, nondum disertam vocem, qua filium agnoscere posset. Versus ductus ex Il. XVIII, 35. 36., ubi Thetis e fundo maris querelas Achillis resciscit. Quae sequuntur, e vita priscarum heroinarum adumbrata sunt."

Sensit. Eam circum Milesia vellera Nymphae
Carpebant hyali saturo fucata colore,
Drymoque Xanthoque Ligeaque Phyllodoceque,
Caesariem effusae nitidam per candida colla,
[Nesaee Spioque Thaliaque Cymodoceque,]

Heyn. — *sonitum sensit.* Ita etiam Lucr. IV, 564. *Ergo fit, sonitum ut possis sentire.* Infra v. 353. *gemitus* commemoratur. — *thalamo.* Vid. infra v. 374. — 334. *Eam circum.* Vid. supra ad v. 75. — *Milesia vellera.* Vid. Geo. III, 306. Wagn. in hoc epitheto, ut in aliis quibusdam, iudicium Vergilii desiderari censet. Sed cf. adnott. ad Ecl. V, 27. X, 59. etc. — *Vellera carpebant,* lanam ducebant, nebant. Cf. Geo. I, 390. *carpentes pensa puellae* et Catull. LXIV, 310. de Parcis *Aeternumque manus carpebant rite laborem.* — 335. *fucata,* lana tincta, *hyali colore,* h. e. hyalino, vitro simili, viridi, cf. Auson. Mos. 418. *hyaloque virentem Pande peplum.* „*saturo,* h. e. quo ipsa vellera saturata sunt; nam proprie *lana* est *satura,* quae satis colore imbuta est. "*Heyn.* Cf. Sen. Thyest. 955. *saturae vestes ostro Tyrio*; sed eadem ratione color ipse *satur* dicitur Plinio XXXVII, 10, 61. et Senecae N. Qu. I, 5. extr. Saepius Participium sic usurpatur; cf. *vestes murice saturatae* ap. Ovid. Met. XI, 166. Martial. VIII, 48, 5. Claud. in Rufin. I, 208. et ipse *color saturatior* ap. Plin. XXI, 8, 22. Cf. etiam adnott. ad Geo. II, 197. „*Hyalus,* ὕαλος, pro vitro nove dictum; fortasse, cum Graecum aliquem poëtam sequeretur Vergilius. Simili ausu a Lucret. IV, 1120. *thalassina vestis* dicta. Ubi *vitreum mare, vitreus pontus,* [*vitrea unda,* Aen. VII, 759.] dicitur, ad colorem caeruleum spectare epitheton videtur, si *vitreus fons,* ad pelluciditatem. *Vitream Circen* nova audacia dixit Hor. Od. I, 17, 20. pro marina. Praeiverat Corinna, quae *ὑάλινον παῖδα* pro marino usurpaverat. Vid. Toup. Append. ad Theocrit. p. 20. 21." *Heyn.* Vergilium sequuntur Auson. Mos. 418. *Caeruleos nunc, Rhene, sinus hyaloque virentem Pande peplum,* et Prudent. *περὶ στεφ.* XII, 53. *Tum camurus hyalo insigni varie cucurrit arcus.* Inde *hyalinus* apud Fulgent. I. praef. p. 26. Munker. et Mart. Cap. VI, 189. VIII, 273. Cf. etiam Plin. XXXVII, 8, 37. — 336. „In huiusmodi enumeratione multorum nominum ex mythicis rebus petitorum videntur sibi valde placuisse veteres poëtae, nullus tamen magis, quam Ovidius: fortasse, quia eruditionis laudem res habebat, et varietatis copiaeque gratiam nominum ex etymo significatus affundere potest. Nostris quidem sensibus periit illa suavitas. Ceterum hic locus et haec nomina ex Homero petita Il. XVIII, 37 sqq. Memorat autem Vergilius Nymphas omnis generis, cf. v. 383., nec modo Marinas vel Potamidas, verum Oreadas quoque et Napaeas (venatrices v. 342 — 344.). Sunt hae Iovis filiae; reliquae Nereides, duae Oceani filiae v. 341." *Heyn.* Cf. etiam Hesiod. Theog. 243 sqq. longum Nympharum indicem exhibens. — 336. *Drymoque.* Copula vel ob sequens *x,* vel omnino arseos vi producta. Cf. adnott. ad Geo. I, 371. Ribbeck. cum Med., ed. Ven. 1. et Macrob. V, 17, 17. scripsit *Drumoque.* Vid. supra ad v. 211. — 337. Cf. Theocr. V, 91. *λιπαρὰ δὲ παρ' αὐχένα σείετ' ἔθειρα* et quos locos praeterea collegit Gebauer de poët. I. p. 213 sq. *Caesariem effusae* etc. i. e. habentes caesariem effusam. Vide de hac constructione adnott. ad Ecl. I, 54., ubi addi potest locus nostro simillimus Aen. II, 273. *perque pedes traiectus lora tumentis,* quem Conington hic comparat. De *effusis* autem crinibus cf. Drakenb. ad Liv. III, 7, 8. — *Caesariem* quae omnino significat comam longam, spectabilem, magnificam (vid. Doederl. Synon. III. p. 16 sqq.), non solum de virili coma dici, ut Serv. ad Aen. I, 590. contendit, sed etiam de muliebri, praeter h. l. probant, quae Barth. ad Claud. Epith. Honor. 99. et ad Cons. Olybr. 85. adnotavit. Quid quod adeo *caesariem barbae* commemorat Ovid. Met. XV, 656.? Vid. eundem Barth. ad Stat. Theb. II, 98. et VI, 55. — Versus 338., qui etiam Aen. V, 826. legitur, cum ab optimis et plurimis Codd. (Med., Rom., Pal. aliisque) absit, aliena manu ex illo loco huc translatus videtur. Quare Brunck., Wagn., et Ribbeck. eum exsulare iusserunt; nos, ne

Cydippeque et flava Lycorias, altera virgo,
Altera tum primos Lucinae experta labores,
Clioque et Beroë soror, Oceanitides ambae,
Ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae,
Atque Ephyre atque Opis et Asia Deïopea
Et tandem positis velox Arethusa sagittis.
Inter quas curam Clymene narrabat inanem

---

numeri versuum turbarentur, (ut Ladew., Bryce. Haupt. et Conington) uncis inclusum retinuimus. — 339. *Cydippeque.* Copula abest quidem a plurimis Codd. (inter quos etiam Medic.), servanda tamen videtur, ne in hiatu eaedem vocales concurrant, quod elegantiae sensus Vergilio innatus studiose vitavit. Cf. Wagn. Qu. Virg. XI, 3. p. 421. — *flava Lycorias,* flavis capillis praedita (*die blonde*). Vid. infra v. 352. Sic Hor. Od. II, 4, 14. *flava Phyllis,* ibid. IV, 4, 4. *flavus Ganymedes* etc. — 340. *Lucinae labores.* Vid. adnott. ad Geo. III, 60. — 341. „Ingrati hi numeri; quare Vergilium ita haec pronuntiasse censeo: *Clioque et Beroë | soror;* hinc ante soror interpunxi." *Wagn.* (In min. autem edit. Wagn. Comma recte delevit.) — 342. *Ambae auro* (zona aurata) et *pictis,* i. e. variis, *pellibus incinctae,* alte cinctae, utpote Nymphae venatrices. Cf. adnott. ad Aen. I, 320. Nam etiam ex Oceaninis Dianam legere Nymphas venatrices docet Wagn. coll. Callim. H. in Dian. 42. — De iterata voce *ambae* vid. adnott. ad Ecl. VII, 4. — *incinctae pellibus* redit Aen. VII, 396. De *pictis pellibus* cf. adnott. ad Geo. III, 243. — 343. De geminata Copula *Atque* in enumerationibus (cf. infra v. 463.) vid. Wagn. Qu. Virg. XXXV, 23. et 28. Qui Copulae usus non idem est cum illo, de quo ad Ecl. V, 23. disputavimus. — „*Asia,* a tractu Lydiae. Vid. sup. Geo. I, 383. Versum metieris sic, ut ultima in *Ephyre* non elidatur, ut in Graeco: ἠδ' *Ἐφύρη,* ἠδ' *Ὦπις.*" *Heyn.* Nam etiam hic versus totus ad Graecam rationem conformatus est. Cf. Ecl. II, 24. VIII, 44. X, 12. et Wagn. Qu. Virg. XI, 2. e. De hiatu vid. adnott. ad Ecl. II, 53. Pro *Ephyre* Cod. Med. exhibet *Ephyra,* quod probare videtur Lachmann. ad Lucr. VI, 971. p. 405. Sed vid. Wagn. Lect. Verg. in Philol. Suppl. I. p 381. Litera *a* ex sequente voc. *atque* facile potuit oriri. — 344. „*Arethusa* [de qua vid. adnott. ad Ecl. X, 1.] *velox,* venatrix, Mireris has Oreadas in aquarum fundo inter Nymphas marinas memorari. Scilicet dicendum est, poëtas omnino in Nympharum generibus discernendis non ubique esse solere satis subtiles ac diligentes, et Nymphas fontium et amnium silvis et saltibus, contra vero ex montibus et saltibus deductas Oreadas et Napaeas venationi immisceri, adeoque sagittis et arcubus instrui. Ita Diana Nymphas venatrices ex Oceaninis legit apud Callim. in Dian. 42. Cf. Spanhem. ad v. 13. Infra v. 383. cum patre Oceano invocantur Nymphae silvarum et fontium promiscue. Offendunt tamen vel iuncta inter se et ad unum genus relata, quae tam diversi generis sunt." Ita fere *Heyn.,* cum quo consentit Voss., quem vide. At bene Serv. Dresd. a Wagn. allatus: „*Tandem positis:* quae ex venatrice in Nympham [scil. Naida] versa fuerat." Sententia igitur haec videtur esse: quae venationis pertaesa tandem voti compos facta est, ut arcum deponere posset." Ceterum Peerlk. p. 293. pro *velox* coni. *felix,* hac fere explicatione adscripta: „Arethusa, nympha venatrix, non poterat felix esse propter Alpheum: iam poterat, non amplius venatrix, sed positis sagittis, a Diana in fontem mutata" et provocans ad Hor. Carm. Saec. 33. Val. Fl. III, 541. Sen. Oed. 481. Claud. Praef. II. Ruf. et Eutr. II, 250. — 345. De eiusmodi narratiunculis temporis fallendi causa inter nendum vel texendum prolatis cf. adnott. ad Geo. I, 293. — „*curam inanem Vulcani,* studium in observando adultero et ultione sumenda, cum recte fabricaretur, quo Martem cum Venere opprimeret. Respexit locum Odyss. VIII, 266 sqq. Qui fabulam post Homerum narraverint, dabit Wernsdorf. Poët. min. T. IV. p. 53. *Heyn.* — *inanis* autem vocatur haec cura, utpote nihil profutura neque Venerem prohibitura, quominus denuo eadem ratione peccet, vel etiam, ut Wagn. nunc explicat, (qui prius minus recte

Volcani Martisque dolos et dulcia furta
Aque Chao densos divom numerabat amores.
Carmine quo captae dum fusis mollia pensa
Devolvunt, iterum maternas inpulit auris
Luctus Aristaei, vitreisque sedilibus omnes
Obstipuere; sed ante alias Arethusa sorores
Prospiciens summa flavum caput extulit unda,
Et procul: „O gemitu non frustra exterrita tanto,
Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura,
Tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam

„de studio inani in deprehendendo coniugis suae adultero" dixerat: cf. Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 51.), „cum ne tanto quidem dedecore deterreri posse videantur, qui amplexus eius petant." — **346.** „*Martis doli* haud dubie idem notant, quod *dulcia furta*, cum clam Vulcano fierent, ut ibid. v. 268. 269." *Heyn.* De his dolis Vulcano a Marte structis, quos sane Homerus Od. VIII, 266 sqq. ignorat, Ladew. potius Lucianum in Gallo c. 3. conferri iubet, qui narrat, Martem cum Venere concubiturum gallum custodem ante ianuam posuisse, qui canendo periculum imminens significaret. Peerlk. tamen p. 294. coniicit *Volcanique dolos et Martis dulcia furta*, coll. Ovid. A. A. II, 562. *Mulciberis capti Marsque Venusque dolis*, cui loco p. 387. addit hunc Prudentii contra Symm. I, 626. *qui restituendos Vulcani Martisque dolos Venerisque peroras.* — *furta* hic i. q. furtivi amores, ut Aen. X, 735. furtiva caedes etc.; nam *furta* haud raro dicuntur a poëtis, quae furtim doloseque fiunt, ut latere posse videantur auctoribus. — **347.** *Aque Chao*, ab ultimo tempore, quo mundus procreatus est, ut Ovid. in Ibin. 83. *Denique ab antiquo divi veteresque novique In nostrum cuncti tempus adeste Chao.* Multi tamen Codd. (inter quos Medic.) et Arus. Messius *Atque Chao*; sed *aque* et *atque* in Codd. saepe confundi, res est in vulgus nota. Cf. Burmann. ad Ovid. Her. VI, 156. XXI, 180. idemque ad Met. III, 631. Wakef. ad Lucr. III, 757. alii. — „*densos amores*, crebros, magno numero longaque narrationis serie Nymphae pertexendos." *Heyn. divom.* Vid. infra ad v. 358. — **348.** *mollia pensa.* Cf. Ecl. VIII, 64. — **349.** *Devolvunt.* Cf. Ciris v. 445. *Non licuit gravidos penso devolvere fusos?* — *inpellere aures* legimus etiam ap. Persium II, 21., ut *inpellere sensus* ap. Lucr. I, 303. — **350.** De vitreis Nympharum antris vid. quos Gesner. Thes. s. v. *vitreus* laudat. Cf. etiam Drakenb. ad Sil. VII, 413. et Bach. ad Ovid. Met. V, 48. — *vitreis* disyllabum esse dicunt Heyn. et Voss., ut Aen. I, 726. *aureis* et infra v. 355. *Penei*; sed rectius Wagn. primam corripi censet, ut apud Hor. Od. III, 13, 1. *O fons Bandusiae, splendidior vitro.* Addere poterat Vir. doct. Ovid. l. modo l. *Athis, quem flumine Gange Edita Limnate vitreis peperisse sub antris Creditur.* Mart. I, 42, 4 sq. *Qui pallenti sulfurata fractis Permutat vitreis*, et VII, 71, 7 sq. *Sic vincas Noviumque Publiumque Mandris, et vitreo latrone clausos.* Neque aliter statuendum videtur de Aen. VII, 759. *Te nemus Anguitiae, vitrea te Fucinus unda, Te liquidi flevere lacus.* Ovid. A. A. II, 207. *Fac, pereat, vitreo miles ab hoste tuus* similibusque locis. — **351.** *Obstipuere* cum recentissimis editoribus scripsimus, sched. Sangall., Pal., Rom., Gud. et duos Bern. secuti. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 461. et Ribbeck. Proleg. p. 451. — *sorores* non nimis severe dictum censet Heyn. Sed vide quae eius adnot. ad v. 236. opposuimus. Iure poterant Naiades Arethusae *sorores* vocari. — V. **352.** iteratur Aen. I, 127. uno modo verbo *flavum* in *placidum* mutato. — **353.** *Et procul*, omisso verbo *clamat*, ut Aen. II, 42., ubi vid. adnott. — **354.** *ipse tibi.* De Pron. *ipse* cf. adnott. ad Geo. III, 239., de Dativo *tibi* ad Ecl. VIII, 6. et 30. — *tua maxima cura.* Cf. Publilii Syrinx 9. (Wernsd. P. Lat. min. II. p. 388.) *Attis almus amans, tua maxima cura, Cybele.* Ceterum vid. adnott. ad Ecl. I, 57. X, 22. al. — **355.** „*Penei genitoris*, an Cyrenes? Sed perpetuum magnorum fluviorum epitheton *pater, genitor.*

Stat lacrimans et te crudelem nomine dicit.
Huic percussa nova mentem formidine mater
„Duc, age, duc ad nos; fas illi limina divom
Tangere", ait. Simul alta iubet discedere late

Vitiosam tamen lectionem metrum prodit, quod sagacissimus metri exactor, Io. Schrader., docuit Emendatt. praef. p. XXI. Est enim *Πηνειοῦ*, ex quo poëtarum usu trisyllabum Latine fit, ut ex *Αἰνείου* Aeneae. Nec nisi posteriores poëtae in his licentius versantur; vide v. c. Sammon. et ibi Ackermann. p. 23. - - - Unus esset modus *Penei* disyllabum defendendi, si dixeris: pro *Πηνειός* dictum quoque esse *Πηνεός*, ut tot alia in *ειος*, v. c. *ταύρειος* (Hesiod. Sc. Herc. 104.) et communi usu alia, ut *σιδήρειος* et *σιδήρεος*, *Αὐγείας* et *Αὐγέας*, *Αἰνείας* et *Αἰνέας*, unde Aeneadae Aen. I, 157. Ita saltem legerem in Theocr. XXV, 15. *Πηνειοῦ ἀμμίγα τίφος·* [rectissime, meo certe et Kiesslingii iudicio, qui conferri iubet Tzschuck. ad Strab. VIII. p. 32.; idque Meineckium aliosque recentiores editores vere in contextum recepisse video]. In poëta nostro haud temere suspiceris, *Penei* ex glossemate profectum esse in locum epitheti, quo voc. genitoris ornatum erat. Quale tamen illud fuerit, nemo facile assequetur. Bentl. ad Lucan. III, 191. *magni gen.* emendabat; Wakef. *Penei patris;* vox tamen tam plana haud facile excidisset." Haec *Heyn.*, cui non adsentior. Qui contendunt, synaloephen in iis modo syllabis locum habere, quarum prior brevis sit, ii conferant v. c. *Pompei* apud Hor. Od. II, 6, 5. et *Voltei* apud eund. Ep. I, 7, 29. ibique Obbar. et Lennep. ad Terent. Maur. p. 427. Sed praestat cum Wagn. statuere, Graecos, ut *Ἀλφειός* pro *Ἀλφειός*, ita etiam *Πηνειός* pro *Πηνειός* dixisse, et ad hanc se licentiam Vergilium h. l. composuisse. Et si Wagn. adiungit: „quamquam certum exemplum formae *Πηνειός* exstare non memini," equidem fateor, Theocriti exemplum illud mihi satis certum videri, neque aliud cogitari posse, quod in Vergilii Georg. maioris sit auctoritatis. *Genitores* autem s. *Patres* fluvii dicuntur, quia, dum terras irrigant, patrum instar de incolis bene merentur. Cf. adnott. ad Geo. II, 4. Bryce tamen, cum etiam montes *patres* dicantur (e. g. Aen. XII, 703.), aliam potius causam statuendam esse censet, nimirum antiquitatem et perpetuitatem („*age and long continuance*"), ut fluvii et montes patres appellentur, quia homines eos a prima pueritia numquam alios atque iam adultos conspexerint („*as one whom they never saw in his infancy, and of whom their fathers knew not the first beginning*"), quod non omni caret probabilitate. Peerlk. vero, et haerens in synaloephe, et fluvios *patres* quidem dici, non autem *genitores* contendens (quod falsum est: cf. Aen. VIII, 72., ut omittam, etiam Neptunum Aen. I, 155. et V, 817. *genitorem* vocari) p. 295. coni. *nostri genitoris*, ut Nymphae sorores Peneum communem agnoscant genitorem, quod nemo facile probabit. Si coniectura opus esset, praeferrem Bentleii *magni*, vel etiam Ribbeckii *sacram* (undam) ex v. 319. Etiam Schradero Emend. praef. p. XXI. et Ribbeck. Proleg. p. 364. spondeus *Penei* valde suspectus videtur. De ipso *Peneo*, qui nunc *Salamvria, Salambria* vocatur, vid. librum meum geogr. III. p. 874. — 356. *te crudelem nomine dicit*, i. e. te nomine tuo appellans vocat crudelem. Cf. Aen. XII, 652. *inplorans nomine Turnum*, ceterum autem Ecl. V, 23. — 357. *nova formidine* fere i. q. subita, repentina formidine. Cf. Aen. II, 228. *Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis Insinuat pavor. — percussa mentem.* Vid. ad Ecl. I, 54. III, 106. al. — 358. „Secundum Rhemnium Palaemonem scripserat Vergilius *duce*; vid. Wakef. ad Lucr. II, 484." *Heyn.* Sed Rhemnii praeceptum pertinet tantum ad *dice*. Vid. ad Aen. I, 753. De adhortandi formula per iteratum *duc* vel *duc age* cf. Burm. ad Ovid. Fast. IV, 527., qui confert Trist. III, 1, 25. Senec. Troad. 993. et Stat. Achill. 1, 144. — *fas illi*, etc., utpote Apollinis et Cyrenes, Nymphae, filio. — *divom*, Nympharum. Cf. adnott. ad Aen. XII, 139. Formam autem *divom* hic exhibent Med. et Pal., ut alibi alii libri. Cf. Ribbeck. Proleg. p. 438. — 359. „Versus ex Il. XXIV, 96. *ἀμφὶ δ' ἄρα σφι λιάζετο κῦμα θαλάσσης.* Qua se iuvenis per fontem in

Flumina, qua iuvenis gressus inferret. At illum
Curvata in montis faciem circumstetit unda
Accepitque sinu vasto misitque sub amnem.
Iamque domum mirans genetricis et humida regna
Speluncisque lacus clausos lucosque sonantis
Ibat et ingenti motu stupefactus aquarum
Omnia sub magna labentia flumina terra
Spectabat diversa locis, Phasimque Lycumque
Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus

---

aquas infert, moles aquarum sinum facit et cavum, per quod, tamquam per antrum, ad loca subterranea descendit, in quibus aquarum receptacula sunt et fontes, inque his Penei." *Heyn.* — 360. *gressus inferret*, ut *gressum ferre* Aen. XI, 99. Ovid. Her. XVI, 333. Sen. Herc. Oet. 579. alibi. — 361. Versus ex Hom. Od. XI, 243. translatus, quod iam Macrobius Sat. V, 3, 4. vidit. De comparatione, quam hic factam videmus, cf. Heins. ad Ovid. Met. XI, 538. — *curvata unda.* Vid. adnott. ad Aen. III, 564. Pro *montis* Macrob. l. l. male praebet *molis.* — 362. *Accipere* nos dicitur locus, quem ingredimur, *mittere*, dum per eum transimus. — *sinu*, caverna in sinus speciem facta. — 363. „Haec miratio novarum rerum in iuvenis animo, quamquam gravi cura oppresso, egregie memoratur. Compares Hom. Od. IV, 43 sqq." *Heyn.* — *genetricis.* Sic constanter optimi libri, Medic., Rom., alii, quamquam vocabulum ad formam Mascul. *genitor* referendum est. Alteram tamen formam *genitrix*, licet minore Codd. et veterum monumentorum auctoritate suffultam, non prorsus improbandam esse censet Schneider. Gr. Lat. I, 1. p. 16. Cf. Pierius ad Aen. I, 594. et Forcell. hoc v. — 364. sqq. „In his antiquiorem aliquem poëtam ante oculos habere potuit, qui de rerum originibus tradens Oceanum omnium dearum deorumque patrem, h. e. aquam commune omnium rerum principium, cecinerat, (cf. inf. v. 381. 382. et Il. XXI, 195 sq.) eiusque regiam, [in qua secundum h. l. etiam Fluvii et fontium Nymphae palatia sua habent] tamquam magnam in terrae visceribus abyssum et aquarum receptaculum, descripserat: de quo secundum antiquiores Plato disputabat in Phaed. T. I. Opp. p. 112. A. et contra eum Aristoteles Meteorolog. II, 2. 779. ed. du Val. B. C. Certe poëta hic non fontem Penei, quem Ovidius in simili loco Penei regiam facit, Met. I, 544., sed vastam aliquam cavernam sub terra narrat, e qua, tamquam e communi fonte, sed diversis partibus ac locis, omnia flumina orta diversis viis ad terrae superficiem et ad suam quodque originem properent, et ex terra prodeant. "*Heyn.* Cf. quae de hac veterum opinione disserui in libro meo geogr. I. p. 566. „Secundum haec facile erit intellectu, quid sint *speluncis lacus clausi*, s. inclusi, qui sunt in speluncis, h. e. magnae illae cavernae recipiendis aquis, quae ipsi fontes scaturientes faciunt." *Heyn.* Voss., qui multus est ad h. l., confert Lucan. X, 247. *Sunt qui spiramina terris Esse putent, magnosque cavae compagis hiatus.* Conferri etiam potest Ovid. Met. I, 243. *Ipse tridenti suo terram percussit; at illa Intremuit motuque sinus patefecit aquarum.* — „*lucos sonantes;* cum ex illis cavernis orta flumina procedant aliquantum viae subter terra, donec ad superas auras prodeant, huic viae litora nemoribus obsita, quae strepitu aquarum alluentium resonant, non incommode dare potuit." *Heyn.* Cf. etiam lucos v. 468. apud inferos commemoratos et Aen. III, 442. *Averna sonantia silvis.* — 366. *ingenti motu quarum.* Conington confert Propert. IV, 14 (prius III, 15), 31. *magnos cum ponunt aequora motus.* — 367. *flumina diversa locis*, quod in pedestri sermone: *diversis locis.* — „*Lycus* h. l. Ponti fluvius, quia cum *Phaside*, Colchidos fl. iunctus est, ut apud Strabon. XI. p. 801. B., [ποταμοὶ δὲ πλείους μέν εἰσιν ἐν τῇ χώρᾳ, γνωριμώτατοι δὲ Φᾶσις καὶ Λύκος] et uterque in Pontum Euxinum se immittit." *Heyn.* De *Phaside* (nunc *Rion* s. *Fachs* dicto) cf. liber meus modo comm. II. p. 97., de *Lyco* autem, qui in Irin influit et nunc *Kulei Hissar* vocatur, mea ibid. p. 99. — 368. *caput* h. l. fons. Vid. ad v. 319.

Saxosusque sonans Hypanis Mysusque Caicus, 370
Unde pater Tiberinus et unde Aniena fluenta 369
Et gemina auratus taurino cornua voltu
Eridanus, quo non alius per pinguia culta

— *Enipeus*, Thessaliae flumen, quod in Peneum effunditur, (Hom. Od. XI, 238. Herod. VII, 196. Strab. IX. p. 297. Plin. IV, 8, 15. Ovid. Met. I, 579. VI, 116. VII, 229. etc.) nunc *Fersaliti* appellatum. Cf. liber meus modo laud. III. p. 874. Plurimi Codd. *Enipheus*. Vid. Burmann. ad Ovid. ll. ll. — *se erumpit*. Ita Medic. cum aliis bonis libris, rectissime; alii Pronomen omittunt. Sed vide Geo. I, 466. et III, 428. coll. cum Lucr. V, 597., ubi *erumpere lumen* activo sensu dictum vides pro *effundere*, Cic. in Arat. 176. *erumpere ignes*, Tibull. I, 4, 86. *erumpere liquores* etc. Cf. Broukh. ad Tibull. l. l. et Burmann. ad Grat. Cyneg. 432. — Versus **369.** et **370.** transponi iussit Schrader., quem cum Ribbeckio (cf. eius Proleg. p. 47.) et Ladewigio secutus sum. Sic enim apte ab Asiae fluminibus ad Graeciae fluvium et ab hoc ad Italiae flumina transitur. Ceteri recentiores editores servant vulgarem versuum ordinem. — **370.** *Hypanis*, Sarmatiae Europaeae flumen notissimum, quod nunc *Bug*, *Bog* vocatur. (Herod. IV, 52. 81. Mela II. 1. Plin. IV, 12, 26. Ovid. ex P. IV, 10, 47. etc. et liber meus modo comm. III. p. 1116 sq.) — *saxosusque sonans*. Ita ex optimorum Codd. auctoritate cum Wagn. (quem etiam ceteri editores recentiores secuti sunt) edidi pro vulg. *saxosumque sonans* (quod etiam Bern. II. et III. exhibent et Serv. probat). Philargyrius enim: „Alias *Saxosusque sonans*, non ut duo intelligendum, saxosus et sonans, sed ob saxa sonans;" et Serv. Dresd. in eandem sententiam: „Nomen pro Adverbio." Cf. adnott. ad Geo. I, 163. 407. imprimisque ad Aen. VIII, 559. et Wagn. Qu. Virg. XVI, 4. Quamquam enim alibi Neutra Adiectivorum verbo *sonare* iungere solet Vergilius (cf. Geo. III, 239. 149. Aen. IX, 125. 732.), hoc tamen loco, Wagnero iudice, Adiectivo uti maluit, quo sibilantem aquae circum saxa strepentis sonum imitaretur, ut Aen. V, 866. *adeiduo longe sale saxa sonabant*. Ameis. Spic. p. 41. hoc discrimen statuit, ut *saxosus sonans* significet: per saxa sonans, *saxosum sonans* autem ob saxa (obstantia) sonans. Ceterum literas sibilas etiam Ecl. III, 80. Aen. III, 27. 136. et alibi vide cumulatas. — De *Caico* (nunc *Ak-su* s. *Bokhair*, *Bakir!* cf. librum meum geogr. II. p. 121.) vid. Strab. XIII. p. 424. Herod. VII, 72. Mela I, 18. Plin. V, 30, 33. Ovid. Met. II, 243. XV, 277. aliosque. — **369.** *Aniena fluenta*, ut Aen. XII, 35. *Tiberina fluenta*, IV, 143. *Xanthi fluenta*, VI, 327. *rauca fluenta Cocyti* etc. Cf. Doederl. Synon. II. p. 9. *Aoni* autem fluvius satis notus, qui nunc *Teverone* vocatur. Vid. librum meum geogr. III. p. 512. — **371.** Fluviorum deos cornibus taurinis instructos fingi a veteribus, res notissima. Alii, memores etiam Oceanum Euripidi Or. 1386. dici ταυρόκρανον, hoc epitheton ex fluvii impetu cum bovis saevitia comparato deducunt; alii, ad Hom. Il. XXI, 287. provocantes, ubi de Xantho: μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος, id referunt ad murmur aquarum boum mugitum imitans, alii denique, quod fortasse verissimum, ad ripas in cornuum similitudinem curvatas et ad plura bracchia s. ostia, in quae flumina haud raro distrahuntur. Vid. autem Eurip. Ion. 1261. Ὦ ταυρόμορφον ὄμμα Κηφισοῦ πατρός. Verg. Aen. VIII, 77. Hor. Od. IV, 14, 25. Silius III, 405. Val. Fl. I, 106. Claud. in Eutrop. II, 163. Stat. Theb. IX, 420. et cf. Aelian. Varr. Hist. II, 33. Orell. ad Hor. l. l. Hirt. *Mythol. Bilderbuch*. p. 156. alii. Heyn. putat Pado tribui *cornua aurata*, „sive propter fertilitatem agri adiacentis, sive simpliciter, quia deorum attributa sollemni epitheto sunt *aurea*." Rectius autem iam Cerda ad ramenta fluvii aurea referebat epitheton, adsentientibus Vossio, qui conferri iubet Plin. XXXIII, 4, 21. (*Aurum invenitur - - fluminum ramentis, ut in Pado Italiae*), Wagnero et Ladew. Bryce (quocum facere videtur Conington) cogitat de more cornua boum sacrificandorum et in triumphis agendorum auro inducendi, quae ratio quodammodo fulciri poterat loco Geo. I, 217., ubi clare fulgenti Tauri sideri *aurata cornua* adscribuntur, et Auson. Mos. 469 sqq. *Corniger - - - Mosella, Exseris*

In mare purpureum violentior effluit amnis.
Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
Perventum et nati fletus cognovit inanis
Cyrene, manibus liquidos dant ordine fontis
Germanae tonsisque ferunt mantelia villis;
Pars epulis onerant mensas et plena reponunt

---

auratum taurinae frontis honorem „Impetuosissimum autem amnem olim Padum fuisse, ex aliis locis manifestum est. Cf. Geo. II, 451. 452.; quamquam nunc eius natura diversa esse narratur.“ *Heyn.* De *Pado* pro *Eridano* Hesiodi et aliorum poëtarum habito vide quae scripsi in libro meo geogr. III. p. 503. et in Pauly *Realencycl.* V. p. 1045 sq. Cf. etiam supra I, 482. De rapido autem eius cursu cf. Strab. IV. p. 203. et Conington, qui provocat ad *Lord Dudley Letters of the Bishop of Llandaff* p. 61. — 373. *In mare purpureum, εἰς ἅλα πορφυρόεσσαν. Πορφύρεος* enim s. *πορφυρόεις* (Il. XVI, 391. Od. II, 428. XI, 242. etc. coll. cum Il. XIV, 16.), ut *οἶνοψ* (Il. XXIII, 316.), apud Homerum semper significat mare vel remis motum vel ventis turbatum, quod purpurascere, i. e. e longinquo conspectum purpureum (sive violaceum purpurae dibaphae) colorem induere constat (cf. Aristot. de color. c. 2. §. 4. 5. (a Coningtone laud.) et praeter Voss. ad h. l. Wernsdorf. ad Himer. p. 192. et 211., Nitzsch. ad Hom. Od. II, 428. Drakenb. ad Sil. XVII, 258. alii); neque aliter intelligendum videtur apud Romanos. Cf. Catull. LXIV, 269 sqq. Cic. Acad. prior. II, 33, 105. Prop. III, 21 (II, 26), 5. Auson. Mos. 466. Petron. Epigr. in Del. (p. 637. Burm.) *Delos, iam stabili revincta terra, Olim purpureo mari natabat.* Gellius XVIII, 11. (ex Furio:) *Spiritus Eurorum virides cum purpurat undas.* Nonius II, 717. et Ameis. in Jahnii Annal. phil. LXI. p. 387. — 374. „Pervenit tandem in thalamum matris Aristaeus. Exceptus ille hospitio lavatur, et mensa apposita recreatur; fit libatio in patris Oceani Nympharumque honorem. — Inter haec matrem puta calamitatem ex filio rescivisse et de remedio fortunae cogitasse; vino libato, ex flamma emicante omine capto, erecta illa filium ad Proteum ablegat, ut ex eo causam morbi et medendi rationem comperiat; degit ille ad Pallenes, Thessaliae peninsulae, litora v. 387 sq.“ *Heyn. — thalami pendentia pumice tecta,* thalamus, cuius tectum pumice pendente constat, antrum pumiceum, saxis exesis. Cf. Lucr. VI, 195. *speluncas - - saxis pendentibus structas,* Martial. II, 14, 9. *centum pendentia tecta columnis* et Ovid. Her. XV, 141. *Antra vident oculi scabro pendentia tofo* (a Coningt. laud.) — 375. *nati* cum Wagn. ex Medic. edidi pro vulg. *gnati*, adsentientibus ceteris recentioribus editoribus. Vid. adnott. ad Ecl. V, 22. Ceterorum Codicum varietas, ut saepe in eiusmodi rebus, quas leviores videntur editoribus, non accurate adnotata. — *fletus inanes,* dolorem levi de causa susceptum, cui facilis et parata medicina esset. Cf. *lacrimae inanes* Aen. IV, 449. et X, 465. — 376. Cf. Hom. Od. I, 136 sqq. Excipitur puer ad veteris hospitii morem. — *fontes,* aquam. Cf. Aen. II, 686. XII, 119. Lucan. V, 336. *si cuncta minentur Flumina, quos miscent pelago, subducere fontes.* — 377. *tonsis mantelia villis,* quae redeunt Aen. I, 702. (ubi plura ex h. l. iterantur), Heynio sunt „lanea; sed lanugine, quae in texti superficie eminet, attonsa, ideoque levia ac tenuia, mollia, non villosa et crassa.“ Sed rectius Voss. ad h. l. et ad Arat. 423. (cui adsentiuntur Wagn. et Ladew.) docet, etiam veteres linteis manteliis, quibus manus siccarentur, usos esse; ipsa autem lintea apud eos fuisse villosa, ideoque, ut levia et mollia fierent, villos tondendos. — 378. *Pars onerant - - reponunt.* Collectivis a Vergilio raro adiicitur pluralis Verbi numerus. Cf. Wagn. Qu. Virg. VIII, 4., qui docet, vocabulo *pars* tum tantum Pluralem Verbi adiungi, cum Nominis, ad quod illud referatur, Pluralis aut Pronomen *alii* praecedat, ut Geo. II, 10 sqq. Aen. I, 210 sqq. II, 339 sqq. IV, 402 sqq. IX, 505 sqq. etc. Ceterum de hoc potissimum nomine collectivo cum Plurali constructo cf. Drakenb. ad Liv. XXVII, 1, 12. Kritz. et Dietsch. ad Sall. Iug. 15, 2. alii. — 378. „*reponunt*, seu, ut saeculo Augusteo fit, pro simplici ponunt, ut Geo. III, 527., seu ut tri-

Pocula; Panchaeis adolescunt ignibus arae,
Et mater „Cape Maeonii carchesia Bacchi:
Oceano libemus!“ ait. Simul ipsa precatur
Oceanumqne patrem rerum Nymphasque sorores,
Centum quae silvas, centum quae flumina servant.
Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam,

---

buas notionem iterum iterumque.“ *Heyn.* Altera explicatio unice vera: repetita vice ponunt, quod apparet ex Aen. VIII, 175. *iubet sublata reponi pocula.* Nam cum mensa secunda etiam alia pocula apponebantur. Cf. Wagn. Qu. Virg. XLI. et adnott. ad Geo. l. l. Wakef. ad Lucr. VI, 1278. explicat: multa pocula ponunt. — 379. „*tura* ardent in aris; de voc. *adolere*, proprie augere, hinc, in sacris proprio usu, flammam augere, incendere, vid. ad Ecl. VIII, 65. Adolescit ignis in ara, h. l. *ignes Panchaei*, i. e. tura Panchaea (vid. Geo. II, 139.), tura ex Arabia incensa.“ *Heyn.* Cf. etiam Philarg.: „*Panchaeis adolescunt*, i. e. Panchaicis odoribus incenduntur arae.“ Voss. et Iacobs. confundentes hoc frequentativum verbi *adolere* cum verbo *adolescere* ex *ad* et *alescere*, frequentativo verbi *alere*, composito, satis mire haec ita interpretantur: arae cumulantur ture incenso; ut arae, flammis inde surgentibus, ipsae quasi surgere et adaugeri videantur, et Wakef. simpliciter per *cumulantur* explicat. Wagn. autem *Panchaeos ignes* pro igni tura Panchaea cremante vix Latinum esse censet ideoque Medicei a m. sec. lectionem *pinguibus* ab ipsius Vergilii manu profectam suspicatur. Putat autem Vir doct., ut sexcenties *vinum*, *unguentum* et similia per ellipsin omittantur, ita non dubitandum esse, quin etiam *tus*, *aroma*, eodem modo veteres reticuerint; et confert Grat. Cyneg. 441. *ter pinguia libant Tura foco.* Ovid. Trist. V, 5, 11. *Da mihi tura, puer, pingues facientia flammas.* Lucan. VIII, 730. *non pinguis ad astra Ut ferat, Eoos - - fumus odores.* (Vid. etiam adnott. ad Ecl. VIII, 54.) Sed recte Ameis. Spic. p. 41 sq. comparat *πευκήεντα Ἥφαιστον* ap. Soph. Ant. 123. (ibique Wund.) et *πῦρ δρύινον* ap. Theocr. IX, 19., Ladew. autem Ovid. Met. XV, 574. *placat odoratis herbosas ignibus aras* et Stat. Theb. IV, 412. *turea altaria.* Etiam Conington recte contra Wagn. disputat. Wakef. autem ad Lucr. II, 417. parum feliciter coni. *Panchaeis adolent sub turibus arae.* — 380. „Translatum hoc ab hominum conviviis, imprimis festorum dierum; peractis epulis fiebat libatio, cf. Aen. I, 728 [et VIII, 274.] — *Bacchi Maeonii*, vini Lydii, Tmolii supra Geo. II, 98., pro praestantiore genere. Nam Catacecaumenium vinum geographis, non poëtis notum. Vid. Strab. XIII. p. 931. extr. — *Carchesium* vas oblongum, ansatum. Vid. Athenaeum XI. p. 474. E. Docta de eo disputatio apud Macrob. Sat. V, 21.“ *Heyn.* Legitur hac significatione usurpatum etiam Aen. V, 77., apud Ovid. Met. VII, 247. XII, 317. Val. Fl. II, 656. Sil. XI, 302. et alibi. — 381. *Simul.* Vid. ad Ecl. VI, 26. — „*Oceano*, quippe communi omnium fluminum et fontium patri (Il. XXI, 195 sqq. et al.). At v. 382. *Oceanus est pater rerum*, parens naturae, [tamquam omnium rerum principium, *Grundstoff:* cf. Hom. Il. XIV, 246. *Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.*] Libationem ac preces faciunt dii aliis diis et alibi; hoc loco ad placandas Nymphas filio facit mater.“ *Heyn.* — *sorores.* Cf. v. 351. et 377. — *Centum* numerus est rotundus, magnam Nympharum catervam indicans. Cf. v. c. Aen. VI, 786. (Berecynthia mater) *centum complexa nepotes.* — 383. *servant*, incolunt, ut inf. v. 459. et alibi apud poëtas, recte enim Wagn.: „*servare* dicuntur locum, qui numquam aut raro inde discedunt.“ Aliter tamen Ameis. Spicil. p. 42., qui *servare* per diligenter custodire et tueri explicat, memor haud dubie loci Geo. I, 499.; neque aliter Conington, huic voci vindicans *the notion of tutelar presidency.* Nescio an rectissime utramque interpretationem coniunxeris. — 384. Unus Ribbeck. ex Med., in quo tamen N puncto superposito notatur, recepit Praesens *perfundit*, quod minus apte respondet sequenti *reluxit.* Fortasse respexit hunc locum auctor epigr. in Anth. Lat. Burm. V, 46, 3. *Pierio - - perfundis nectare mentem.* — *Vestam*, ignem; quamquam non memini alius

Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.
Omine quo firmans animum sic incipit ipsa:
„Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor
Et iuncto bipedum curru metitur equorum.

loci, ubi *Vestae* nomen eadem ratione igni significando adhibeatur, quamquam *Vulcani* nomen sic usurpatum vidimus Geo. I, 295. Vide tamen adnott. ad Ecl. IV, 32. et V, 69. — 385. *subiecta*, subiiciens se, emicans et lambens lacunar. Vid. Geo. II, 19. III, 241. (ibique adnott.) Ecl. X, 74. *aqua subiectat harenam* et Epiced. in Drusum v. 250. (flamma rogi) *Aethera subiectis lambit et astra comis.* Med. a m. pr. et Gud. *sublata*, Med. a m. sec. *sublecta*, Moret. IV. et eiusd. fragm. *subvecta*, minus bene. Receptam lectionem testantur etiam margo Cod. Gud. et Nonius p. 387, 17. „Erat autem hoc fausti ominis, ut saepe observatum: quo auspicio firmata mater, ut consilii sui bonum eventum animo praeciperet, puero suadet, ut Proteum adeat, ex quo reparandorum examinum rationem comperiat." *Heyn.* De fausto ignis subito flammam concipientis et alte volventis omine cf. Ecl. VIII, 105. Ovid. Met. X, 279. *Flamma ter accensa est, apicemque per aëra duxit.* id. ex P. IV, 9, 54. *Detque bonum voto lucidus omen apex*, et Turnebi Advers. IX, 27. Quare, ut eo altius flamma emicaret, vino inspergebatur ignis. Cf. Ovid. Epist. XIII, 113. *Tura damus lacrymamque super; qua sparsa relucet, Ut solet affuso surgere flamma mero*, ubi vid. Heinsius. — 386. *animum firmans* prius cum Burm. et Vossio explicui: Cyrene (*gemitu exterrita* v. 353. et *percussa formidine* v. 357.) hoc omine firmans animum suum Aristaeo dat consilium. Cum tamen Cyrenes metus primo filii lamentantis adspectu provocatus iam eius narratione, unde *inanes* eius *fletus* esse *cognovit* (v. 375.), pulsus esse videatur, nunc potius cum aliis interpretibus (etiam Coningtone) ad *animum* intelligo Aristaei, etiam infra v. 530. adhuc *timentis*, quam explicationem etiam additum Pron. *ipsa* videtur iuvare. *Animum firmare* legimus etiam Aen. III, 610. — *sic incipit ipsa* Wagn. Qu. Virg. XVIII, 2, b. explicat: „postquam *invocati dei adnuerant, ipsa incipit*," coll. Aen. X, 5. *Considunt* (dei) *tectis bipatentibus. Incipit ipse* aliisque locis similibus. — 387. „Locum hunc ex Odyss. IV, 364—384 sqq. adumbratum esse, omnes viderunt Intpp.; ubi, monstrante Idothea, Menelaus in Pharo, Aegypti insula, eodem modo Protea aggreditur, ex eoque reditus in patriam fortunam exquirit. Fabula de Proteo ex Aegypto ducta est haud dubie, sedes eius apud Homerum ad Pharum insulam in litore tum deserto; hinc in *Carpathio Neptuni gurgite*, h. e. mari, versatur; nam Carpathos insula Aegypto obversa est." *Heyn.* Cf. quos de hoc mari, nunc *Mare di Scarpanto* appellato, in libro nostro geogr. II. p. 21. collegimus veterum locos. Inde Proteus Ovidio Met. XI, 249. *Carpathius vates* et Am. II, 15, 10. *Carpathius senex* appellatur. Ceterum Ribbeck. ex Med., Pal. (qui praebet *Carphalio*) et duobus Bern. edidit *Carphatio* (cf. eius Proleg. p. 423.). De *gurgite* vid. ad Aen. I. 118. — „Quod *Emathiam*, late h. l. dictam [cf. adnott. ad Geo. I, 492.] et *Pallenen*, procurrentem illam Macedoniae in forma peninsulae partem [de qua vid. librum meum geogr. III. p. 1163.], pro *patria* ei assignat, hoc fabula aliqua antiquiore nititur: cf. h. l. Serv.; quae etiam Lycophroni Alex. 115 sqq. memoratur: vid. Apollod. II, 5, 9. et Obss. p. 158. [Vulgo enim Aegyptus eius patria habetur. Cf. Pauly *Realencycl.* VI, 1. p. 129 sq.] Ceterum illa narratio de variis formis, in quas se transmutavit *Proteus*, originem habere videtur ex poëtis cosmogonicis, qui aquam omnium rerum principium ponebant; cuius transformationes in reliqua corporum genera, ignem, aërem et rel., symbolica ista fabula exponebant. De Proteo vid. Hymn. Orphic. n. XXIV." *Heyn.* Adde Ovid. Met. IV, 384 sqq. et Hygin. f. 118. Multa de hoc mytho disserunt Cerda et Voss. ad h. l. Cf. etiam quos laudat Obbar. ad Hor. Ep. I, 1, 90. Vol. I. p. 93. *Caeruleos* autem poëtis vocari deos marinos, satis notum. Cf. Aen. VIII, 64. Ovid. Met. II, 8. id. Her. IX, 14. Vellei. II, 83. Inde etiam Aen. VI, 819. *Caeruleus currus Neptuni*, Ovid. Her. VII, 50. *Caerulei Tritonis equi* et similia commemorantur. — 388. 389. *piscibus et curru bipedum equorum*

Hic nunc Emathiae portus patriamque revisit
Pallenen; hunc et Nymphae veneramur et ipse
Grandaevus Nereus; novit namque omnia vates,
Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur.
Quippe ita Neptuno visum est, inmania cuius
Armenta et turpis pascit sub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem
Expediat morbi causam eventusque secundet.

---

iuncto, poëtice pro curru piscibus et equis bipedibus iuncto; *pisces* autem et *equi* unum idemque animalium genus significant hippocampos, qui anteriore sui parte equos referunt, posteriore autem in pisces desinunt. — „*metitur*, pererrat, medium transit, ut saepe poëtae, praeeunte Homero [Od. III, 179.]: πέλαγος μέγα μετρήσαντες, et μέτρα κελεύθου." *Heyn.* Cf. v. c. Ovid. Met. IX, 447. *celerique carina Aegaeas metiris aquas* et Claud. Bell. Get. 46. *metimur flumina.* Cerda suspicatur, Maroni obversatum fuisse Lucilii illum locum a Nonio servatum *Vir mare metitur magnum, se fluctibus tradit.* In omni autem hoc loco Vergilius pressit Homeri vestigia Od. IV, 364 sqq. imprimis 382 sqq. — *revisit*, redux ex Aegypto, quam propter Busiridis crudelitatem reliquisse traditur. Cf. Philarg. ad h. l. et Lycophr. l. l. — 392. „*Grandaevus Nereus*, proprio epitheto; est enim ex antiquissimis diis. Vid. Hesiodi Theog. 233." *Heyn.* Cf. adnott. ad Aen. I, 121. — 393. „Cf. Iliad. I, 70. Vides veram vatum notionem, qui tantum aberat ut solis futuris praedicendis spectarentur, ut praeterita etiam animo ac memoria tenentes, praesentia prudentibus consiliis regere putarentur." *Heyn.* Magna autem in hoc versu deprehenditur lectionis varietas, cum optimi quidem Codd. (Med., Pal., Rom., Gud., Bern. II. et III., alii) consentiant in Coniunctivis *sint*, *fuerint*, *trahantur*, alii vero Indicativos exhibeant, quos etiam Serv. Dresd. auctoritate sua comprobat, quare eos, cum correptio Perfecti *fuĕrunt* facile ansam mutationis praebere potuerit, prius cum Wagnero recepimus. Nunc vero, cum etiam Wagn. ipse et Ladew. sententiam suam mutaverint, cum Ribbeckio et ceteris recentioribus editoribus praeter Hauptium Coniunctivos restituendos duximus. — *ventura trahantur* pro *ventura, futura sint*, adiuncta tamen morae interpositae notione. Ceterum cum h. l. cf. Hesiod. Theog. 38. (*Μοῦσαι*) εἰρεῦσα τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. Ovid. Met. I, 517. *Per me, quod eritque fuitque Estque, patet* (ubi Bach. conferri iubet Hemsterh. ad Lucian. Somn. §. 10.) et quos Wagn. laudat Eleg. ad Messal. p. 41.: Ovid. Met. XV, 445. Catull. XLIX, 1 sqq. Cic. ad Quir. post Red. c. 7. in. etc. — 394. 395. „A Neptuno hoc tanquam γέρας Proteo datum esse ait. — *inmania armenta*, monstra marina, inter quae *phocae turpes*, foeda specie. Vid. sup. Geo. III, 52. Exornat autem his versibus illud Odyss. IV, 386. *Ποσειδάωνος ὑποδμώς*. Hinc Horat. Od. I, 2, 7. *Omne cum Proteus pecus* etc.; et omnino poëtis hinc pastio monstrorum marinorum. Orta autem fabula Homerica ex observatione, quod certis diei partibus magnum phocarum numerum in litore apricari videbant homines; quae res armentorum speciem habebat, quae in pascua agerentur. Valde autem desertam illo tempore, quo haec fabula reperta, inferioris Aegypti oram cum Pharo insula, praetexta litori, fuisse necesse est." *Heyn.* Ceterum cf. Andronici fr. 2. *Lascivom Nerei simum pecus* et Pacuv. fr. 5. *Nerei repandirostrum incurvicervicum pecus.* — 396 sq. Vid. Odyss. IV, 388 sqq. — *vinclis capiendus.* Dii enim et vates vinculis constricti ad vaticinandum cogi posse putabantur. Cf. Ecl. VI, 19. ibique adnott. Ribbeck. cum Nonio p. 253, 2. scripsit *capiundus.* — 397. „*eventus*, quae ei acciderant mala, *secundet*, in melius mutet, monstrando causam, qua sublata apes reparatae sunt." *Wund.* Rectius Ameis. Spic. p. 42. (quem etiam Ladew. sequitur): „eventus apum reparandarum secundos reddat, h. e. subsidia monstret, quibus apes cum secundo eventu reparari possint," ut *eventus secundare* (*die Erfolge segnen*) breviter dictum sit pro subsidia eventus secundi monstrare. Cf. Ovid. Fast. I, 367 sq., ubi Cyrene: *Siste*

Nam sine vi non ulla dabit praecepta neque illum
Orando flectes; vim duram et vincula capto
Tende; doli circum haec demum frangentur inanis.
Ipsa ego te, medios cum Sol accenderit aestus,
Cum sitiunt herbae et pecori iam gratior umbra est,
In secreta senis ducam, quo fessus ab undis
Se recipit, facile ut somno adgrediare iacentem.
Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis,
Tum variae eludent species atque ora ferarum.
Fiet enim subito sus horridus atraque tigris
Squamosusque draco et fulva cervice leaena,

---

puer, lacrimas; Proteus tua damna levabit, Quoque modo repares, quae periere, dabit. — 398. Pro *praecepta* Probus Inst. I, 12, 2. exhibet *responsa;* hinc explicandum Philarg. scholion: „praecepta, responsa". Cf. Ribbeck. Proleg. p. 205. — 399. *flectes.* Ita optimi Codd. (Med., Rom., Gud., alii); sed multi (inter quos etiam Ribbeckii Bern. III.) *vinces*, quod Burm. praeferendum censet, ut vulgaris lectio ex interpretamento orta sit; „non sentiens ille quidem, quam molesta haec sint auribus: *vinces - - vim - - vincula;*" ut vere docet Wagn. — *vim duram* explicant verba adiecta *et vincula.* Cf. adnott. ad Geo. I, 498. — *vincula tendere alicui* (quod redit Aen. II, 236.) est i. q. *iniicere vincula; vim* autem *tendere* alicui i. q. vim adhibere. Verba diverso significatu in eadem periodo etiam alibi iungi pluribus Substantivis, docet Wund., coll. adnot. sua ad Tibull. III, 3, 21. Ceterum Peerlk. p. 296. coni. *vim, dura et vincula.* — 400. *circum haec*, ἀμφὶ ταῦτα, haec si facies, si vim et vincula adhibebis. Wagn. in edit. min. apte comparat hunc Pindari locum Pyth. I, 22. θέλγει (ἡ λύρα) φρένας ἀμφί τε Λατοΐδα σοφίᾳ βαθυκόλπων τε Μοισᾶν, i. e. cum Apollinis Musarumque carmina audiuntur. — *frangentur.* Unus Ribbeck. ex Pal., Rom. et Bern. III. a m. pr. recepit Praesens *franguntur*, quod minus aptum esse patet. — „*inanes*, ut inanes sint. Ceterum vatum haec reluctatio ducta est ab ingratis spasticis affectionibus, quibus corripi solebant ecstaticorum corpora. — 401. Ex Odyss. IV, 400 sqq.; quo comparato videbis, Vergilium prudenter omisisse ea, quae a poëta iam ita ornata erant, ut nihil addi posset; in reliquis autem ornatu verborum et sententiarum certare." *Heyn.* — *medios aestus.* Vid. adnott. ad Geo. I, 297. — 403. „*In secreta senis*, secretam sedem. Adumbrata autem haec quoque sunt ad communem hominum antiquorum sensum et opinionem, in solitudine versari deos, imprimisque meridie, medio aestu, in agrorum silvarumque solitudine deos pastoricios et agrestes." *Heyn.* Cf. Aen. VI, 10. *secreta Sibyllae* et VIII, 463. *Aeneae secreta.* — 404. Conington cum Proteo meridie conquiescente comparat Silenum (Ecl. VI, 14.) et Pana (Theocr. I, 17. et Nemes. III, 3. = Calpurn. X, 3.) interdiu dormientes. — 406. *eludent* pro vulg. *illudent* vel *illudunt* ex optimis Codd. restituit Heins. *Eludere* secundum Wagn. bene dicitur de iis, qui arte aut velocitate se subtrahunt capturo. Ovid. Met. VIII, 687. *Ille celer penna tardos aetate fatigat, Eluditque diu.* Vulgaris lectio fortasse orta est ex Geo. I, 181. *Tum variae inludent pestes.* — 406—410. Proteus in varias formas se transformabit. — 407. *sus horridus*, horrentibus setis. Cf. Lucr. V, 25. *horrens Arcadius sus.* — *atra tigris*, horrenda et saeva specie. Vid. adnott. ad Geo. I, 129. et II, 130. Etiam Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 52. recte interpretatur „*der finstre Tiger*, ob saevitiam in eius vultu conspicuam", simul cavillans miram Ladewigii explicationem „*der grausvolle Tiger, bei dessen Anblick Einem schwarz vor den Augen wird*", quam tamen Vir doct. in recentiss. edit. iure omisit. — 408. *Squamosus draco* legitur etiam in Anth. Lat. Burm. I, 178, 253., ut *fulva cervice leaena* ibid. v. 288. Wagn. Qu. Virg. XL. p. 595. observat, primum illud molestum esse, quod Proteum in *leaenam* conversum referat, non in *leonem*, ut Hom. Od. IV, 456. Ἀλλ' ἦτοι πρώτιστα λέων γένετ' ἠϋγένειος; tum

Aut acrem flammae sonitum dabit atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.
Sed quanto ille magis formas se vertet in omnis,
Tam tu, nate, magis contende tenacia vincla,
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret cum lumina somno."
Haec ait et liquidum ambrosiae diffundit odorem,

---

quod fulvam cervicem memoret, i. e. ex poëtarum loquendi more iubam, quae leonis sit, non leaenae. Ceterum idem, quod hic Vergilio, accidisse Val. Flacco III, 740. (ubi pariter leae iuba tribuitur). Ladew. quidem docet, etiam ea animalium nomina, quae duplici forma sexum discernere sinant, a poëtis interdum ut epicoena usurpari, quare idem Val. Fl. VI, 347. canat: *dat catulos post terga leo;* nemo tamen negabit, multo commodius *leonem* pro *leaena* poni potuisse, quam contra, quare omissa iuba, de qua non necessario cogitandum, restat tamen Proteus parum apte in *leaenam* mutatus. — **409.** Fiet flamma vel aqua. Cf. etiam infra v. 442. Homerus l. l. de aqua modo loquitur, Silius autem VII, 422 sq. hanc miram profecto transfigurationem in ignem et aquam caute omittit. — *atque ita vinclis Excidet.* De coniunctione causae et eventus per Particulas *atque ita*, Ovidio imprimis frequentata, cf. Bach. ad Ovid. Met. I, 228. — „*Excidet*, elabetur, effugiet, ut *ἐκπίπτειν*; *dilapsus abibit*, ornatius, quam dilabetur." *Heyn.* Simili copia Ovid. Met. V, 435. *Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos.* Ceterum cf. Ovid. A. A. I, 761. *Utque leves Proteus modo se tenuabit in undas* et Wernsd. Poët. L. min. IV, 521, 20. *Spumat aper, fluit unda, fremit leo, sibilat anguis.* Peerlk. tamen, qui putat, *sonitum flammae dare* poni non potuisse pro *fieri flammam* et, si Proteus flamma factus *vinclis excidere* possit, absonam esse admonitionem sequentem, ut vinclis teneatur (quod sane negari vix potest), p. 296. vv. 409. et 410. spurios censet. Vide tamen, quomodo Ladew. *Beurtheil.* p. 25. eos defendere studeat, et cf. Ribbeck. Proleg. p. 53. — **412.** Cum in Med. a m. pr., Pal., Gud. et Bern. II. a m. pr. pro vulg. *Tanto* legatur *Tantu'*, cum Peerlk. p. 297., Ribb. et Ladew. nunc edidimus *Tam tu*, quod etiam Donat. ad Ter. Hec. III, 4, 3. videtur legisse. Bene autem sibi respondere *quantum* vel *quanto - tam*, docent loci Lucani IX, 766. Claud. de Cons. Stilich. 27. aliique a Gronovio ad Liv. XXVI, 1. collati, quibus Ladew. adiicit Liv. IX, 38, 4. Seneca Hipp. 1086. hunc locum sic imitatus est: *et quanto magis Pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.* (Wagn., Bryce, Haupt. et Couingt. *Tanto* servarunt.) — *contende*, intende, contrahe. Hom. l. l. v. 419. *ὑμεῖς δ' ἀστεμφέως ἔχεμεν, μᾶλλον τ' πιέζειν.* De Imperativo Futuro respondente cf. adnott. ad Geo. III, 73. — **414.** *tegeret cum lumina somno* pro vulgari: *cum somnus tegeret lumina.* Cf. Catull. L, 10. *Nec somnus tegeret quiete ocellos*, LI, 11. *gemina teguntur Lumina nocte*, et Prop. I, 10, 7. *Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos.* — **415.** „Hic vero cum Homerica simplicitate et veritate contendit Vergilii elegantia et ingenium; nam in Odyssea v. 444 sqq. *ambrosiae odor* iis, qui sub phocarum pellibus laterent, quam maxime erat quidem utilis, rei tamen ipsius parum iucunda narratio: at in nostro corpus iuvenis ambrosia inungitur, ut ille novum robur, novas vires ad vinciendum et domandum senem accipiat. Nam illa! quod *dulcis spiravit aura*, et quidem *crinibus compositis*, ornatus poëtici causa adiecta." *Heyn.* — *ambrosiae odorem*, h. e. ambrosiam odoratam, *diffundit*, per membra filii, ut totum eius corpus perducat. Cf. Aen. I, 403. XII, 419. et Ovid. Met. XIV, 606. *ambrosia cum dulci nectare mixta Contigit os.* Plures Codd. (certe schedae Sangall. et Vat. Servii) *defundit*, quod praefert Wakef. ad Lucr. IV, 88. et recepit Ribbeck. Wakef. quidem subtilius quam verius adiicit: „*Diffundere* i. q. quaquaversum spargere, *defundere* autem de aliqua re in aliam deorsum fundere; quod facit Cyrene, succos ambrosios de maiore vase fundens in manum, vel in minus, quo melius Aristaeus odore perduceretur. Si Cyrene diffudisset odores istos, disperditi in humum et in auras evanuissent;" sed nonne Cyrene unguentum in ipsum Aristaei corpus diffundere, i. e. corpus eo

Quo totum nati corpus perduxit; at illi
Dulcis conpositis spiravit crinibus aura
Atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
Exesi latere in montis, quo plurima vento
Cogitur inque sinus scindit sese unda reductos,
Deprensis olim statio tutissima nautis;
Intus se vasti Proteus tegit obice saxi.
Hic iuvenem in latebris aversum a lumine Nympha
Collocat, ipsa procul nebulis obscura resistit.

---

conspergere potuit? Cod. certe Med. et duorum Bern. a m. pr. scripturam *difundit* nihil probare in promptu est. De unguento ambrosio cf. Hom. Il. XIV, 170 sqq. et XIX, 348. Ceterum vide Aen. I, 403. — 416. „*perduxit*, h. e. perunxit; at illud exquisitius. Porro vulgari ratione *perduci ambrosiam per corpus*, exquisitius *corpus ambrosia* dicunt.“ *Heyn.* Causam, cur hoc faciat, docet v. 418. Ceterum vid. Pers. II, 56. *auro sacras quod ovato Perducis facies* et Auson. Mos. 136. *Actaeo perductum tergora olivo* coll. eiusd. v. 112. — 417. *aura dulcis*, h. e. odor auris mixtus. Cf. Geo. III, 251. — 418. *habilis membris venit vigor*, qui reddit habilem, idoneum rebus agendis, fortem et strenuum. Ceterum cf. Curt. VII, 13, 14. *membris aliquis redibat vigor* et Lucan. III, 715. *postquam membris sensit constare vigorem.* — „Est antrum exesa in rupe [vid. supra ad v. 44.], quo plurimum undarum maris, *plurima unda* (cf. not. ad Geo. II, 182.) penetrat; sed, postquam intravit, in plures sinus, s. cavitates antri et reccessus, dispergit se, *scindit sese*. Ita malim interpretari, quia de specu agitur. Alioquin non damnem illam rationem, ex qua *sinus reducti* fluctuum allisorum scopulis et longo tractu recedentium, cavitate intus relicta, intelliguntur [quam rationem praestare censeo]. Idem fere versus Aen. I, 160. 161. [ad quem l. vid. adnott.] — 421. 422. Haec ita intelligo, ut anteriore huius recessus (*Bay*) parte patente sub dio navium statio, in interiore, intra scopulos reducta, antrum fuisse dicatur; huic pro munitione ac foribus scopulus obiectus erat, in quo Proteus v. 436. considet ad recensum armentorum. “*Heyn. statio tut. nautis.* Contra Aen. II, 23. *sinus et statio male fida carinis.* — *deprendi* naves tempestate notissimum. Cf. Aen. V, 52. *Argolico mari deprensus*, Hor. Od. II, 16, 1. *in patenti Prensus Aegaeo* (ubi vid. Orell.), Ovid. Met. XI, 663. *Nubilus Aegaeo deprendit in aequore navim Auster* etc. — *olim* Voss. male reddit per *manchmal* (de qua significatione diximus ad Aen. V, 125.); est potius i. q. *iam dudum*, iam ex longinquo tempore, nam haec Part. etiam id significat, quod inde ab aliquo tempore etiamnunc et continuo fit. Cf. Iuven. IV, 96. *sed olim prodigio par est cum nobilitate senectus*, Curt. X, 3, 10. *hoc ego nunc primum profiteor, sed olim scio*, Plin. Ep. I, 11, 1. *olim nullas mihi epistolas mittit* et alia exempla ab Handio in Tursell. IV. p. 370 sq. prolata. Aliter tamen *Wagn.*: „*Olim* iunge cum *deprensis*: tum, cum deprensi sunt, uti solet accidere nautis, vid. Aen. V, 125.“ Voss. e Cod. Goth. II. et Lengrich. *statio fidissima* praetulit, cum *tutissima* ex glossa ortum sit. Sed *tutissima* optimi libri tuentur, nec minus imitator huius loci in Wernsd. Poët. L. min. IV, 311, 11. *Litora qui praestant fessis tutissima nautis* et alterum ex Aen. II, 23. huc translatum videtur. Quam suspicionem iuvat tertia illa lectio *gratissima*, ex Aen. V, 128. (*statio gratissima mergis*) huc illata. — 422. *tegit*, tegere consuevit. Vid. adnott. ad Geo. I, 49. — *obice* pro pedestri *obiectu*. Cf. adnott. ad Geo. II, 480. — 423. *aversum a lumine*, in loco tenebricoso, quo lumen ab ostio antri non permeat. Gud. in margine: „al. *limine*,“ cuius lectionis alibi nullum invenitur vestigium. — 424. *procul* non i. q. longe remota, sed iuxta. Cf. quae ad Ecl. VI, 16. adnotavimus. Non mirum tamen, hoc Adverbium male intellectum multos librarios movisse, ut ex *resistit* facerent *recessit*, quae duo voces etiam Aen. IV, 76. confunduntur. De voc. *resistendi* usu hic

Iam rapidus torrens sitientis Sirius Indos
Ardebat caelo et medium Sol igneus orbem
Hauserat; arebant herbae et cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
Cum Proteus consueta petens e fluctibus antra
Ibat; eum vasti circum gens humida ponti
Exsultans rorem late dispergit amarum.
Sternunt se somno diversae in litore phocae;

---

obtinente Burm. conferri iubet Salmasii Exercc. Plinn. p. 116. — *nebulis obscura*, h. e. nebulis ex aequore surgere solitis circumfusa. — „*resistit*, stat, ut Apollo in nube ap. Homer. Il. V, 185. XV, 308. Quod Homerus v. 402. Proteo pulchre tribuebat, *μελαίνῃ φρικὶ καλυφθείς*, ad Clymenem, mutata ratione, transtulisse videtur, ut ipsa obtecta sit nebula caliginosa." *Heyn.* Sed recte Wund. voc. *φρίξ*, quod est apud Homerum, ad *nebulam* trahi posse negat neque cum *resistit* vox *nebulis* coniungenda est, sed cum *obscura*. — 425. „*Sirium* pro sole h. l. accipi volunt. Enimvero mediam aestatem et aestivum calorem ostendit priore versu, et per Sirii s. caniculae ortum declarat, ut poëta. Cf. Aen. III, 141. X, 273." *Heyn.* — *Ardebat* (*ἔφλεγε*) *caelo Sirius rapidus*, h. e. vehemens, gravis (pro quo Wakef. perperam coni. *rabidus*: cf. adnott. ad Ecl. II, 10. et Geo. II, 151.), *torrens sitientes* (vid. adnott. ad Ecl. I, 64.) *Indos*, h. e. populos plagas meridionales habitantes, quos potissimum urit Sirius. Male autem Forcell. cum Servio, *ardebat* per *siccabat* explicante, *ardebat* activa comburendi significatione usurpatum censet, cum Accusativum Obiecti *Indos* a Participio *torrens* pendere quisque videat. — „In tali anni tempore medium diei tempus subiicit v. 426. *medium Sol igneus orbem Hauserat*, peragraverat, emensus erat. Colum X, 313. Titan — *Hauserit et flammis Lernaei bracchia Cancri*; et saepe *exhaurimus* labores et alia, quae ad finem perducimus. Ornavit haec, quae Homerus simpliciter posuerat." *Heyn.* — *medium orbem*. Cf. Aen. III, 512. et VIII, 97. *Orbem* autem hic non viginti quatuor (ut Geo. I, 209. et 231.) sed duodecim horarum esse (ut Aen. III, 515. VIII, 97. Ovid. Met. XIV, 53 et alibi), recte docet Voss. *Haurire* de laboribus exantlandis dicitur. Cf. Stat. Theb. I, 369. *vastum haurit iter* et Apul. Met. XI. p. 258. *Augusti portum celerrime hausimus*, ibique Oudendorp. Huc autem pertinent potius loci a Ladew. collati Geo. III, 105. Aen. II, 600. V, 137. X, 314., ubi *haurire* idem fere significat, quod penetrare, pervadere, vel traiicere, transfodere aliquid. — 427. *arebant herbae*. Cf. Aen. III, 142. Sequentia sic construe: *radii coquebant cava flumina* (cf. Geo. I, 326.) *tepefacta ad limum* (ad imum fundum) *faucibus siccis*, i. e. ostiis (ut recte Ameis. Spicil. p. 42. explicat). Cf. Plin. V, 9, 10. *Nilus multis faucibus in Aegyptium mare se evomit*. Peerlk. p. 298. hunc totum locum v. 425 — 428. spurium habet, in quo omnia plena sint ineptiarum. Sed recte Ribbeck. Proleg. p. 53. eum defendit coll. supra v. 401 sq. — 430. 431. „Ornatius haec, quam Homerus l. l. 448. *Φῶκαι δ' ἐξ ἁλὸς ἦλθον ἁολλέες*" *Heyn.* — *Exsultans*. Haupt. et Ribbeck. scribunt *Exultans*. Vide tamen ipsius Ribbeckii Proleg. p. 445 sq. et Wagn. Orth. Verg. p. 436. — „*rorem amarum*, *πικρὰν ἁλὸς ὀδμήν* dixerat ille v. 406." *Heyn.* *Rorem* enim poëtis de quovis humore dici constat: de aqua v. c. Geo. I, 385. Aen. VI, 230. Lucr. I, 769. 496. IV, 439. (ubi *ros salis* prorsus idem est, quod hic *ros amarus*) Hor. Od. III, 4, 61. Ovid. Fast. IV, 778. etc., de pluvia Hor. Od. III, 3, 56., de lacrimis Hor. A. P. 429. Ovid. Met. XIV, 708., de sanguine ibid. XI, 57. Stat. Theb. II, 673. et sic porro. — *dispergit* pro vulg. *dispersit* cum omnibus recentioribus editoribus praeter Ribbeckium (etiam Wagn. ipso in edit. min.) ex Med. et Rom. nunc restituimus, cum haec verba secundariam modo notionem contineant principali sententiae *Proteus ibat* adiunctam. Ceterum cf. Ciris 515. *Et multum late dispersit in aequora rorem*. — 432. *Sternunt se somno*, ad somnum capiendum. Wagn. affert Doeringii adnot. ad Liv. VII, 36. (*superscandens vigilum*

Ipse, velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit
Auditisque lupos acuunt balatibus agni,
Considit scopulo medius numerumque recenset.
Cuius Aristaeo quoniam est oblata facultas,
Vix defessa senem passus conponere membra,
Cum clamore ruit magno manicisque iacentem
Occupat. Ille suae contra non inmemor artis
Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemque horribilemque feram fluviumque liquentem.
Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus

---

strata somno corpora miles): „*Strata somno*, h. e. somni capiendi causa strata; *somno* est Casus tertius. Verg. Geo. IV, 432. *Sternunt se somno*, Liv. XXXVII, 20. *Pars vescentes sub umbra, quidam somno* etiam *strati*." — *diversae in litore*, i. e. aliae alio se vertentes per omne litus; ideoque i. q. in diversis litoris partibus. Eadem ratione *diversus* non ad locum, sed ad ipsas personas aliquo loco versantes refertur supra v. 367. Aen. I, 70. V, 166. IX, 415. Ovid. Met. I, 40. 173. IV, 406. XI, 50. Fast. IV, 568. Caes. B. G. II, 24. Nep. Dat. 11. et alibi. Tuentur autem hanc lectionem Medic., Gud., Moret. pr. aliique boni libri et Nonius p. 389, 8. Vulgo *diverso*. — **433—436.** Cf. Hom. Odyss. IV, 411—413. et 450. 451., quem tamen Heynio iudice, Vergilius ornatu poëtico superavit. — *Ipse*, Proteus. Vid. adnott. ad Ecl. I, 38. — *olim*. Vid. supra v. 421. — **434.** „*Vesper reducit vitulos* poëticum pro: pastor reducit vesperi, ut in Eclogis. Ornate illud v. 435. expressit: „reducit oves balantes." *Heyn.* Voss. e Cod. Arund. *reduxit* praetulit. Sed solent poëtae in comparationibus praesenti tempore uti. Vid. adnott. ad Ecl. VI, 30. Ceterum cf. Geo. III, 316. (caprae) *ipsae memores redeunt in tecta*. — **436.** *Considit scopulo medius*. Cf. Aen. VII, 169. Ovid. Met. X, 144. XIII, 780. Calpurn. Ecl. VI, 33. et multos locos similes. Ceterum Wund., *considit* perperam pro antiqua Perfecti forma habens, Perfectum et Praesens (*recenset*) crebro se excipere docet. Sed *considit* Praesens est tempus. Cf. adnott. ad Aen. III, 565. Perfectum non nisi *consedi* formabatur; quam sane formam vulgares editt. cum paucis Codd. (inter quos tamen etiam Med.) hic exhibent. — **437.** Sequentia sunt ex Odyss. l. l. 454 sqq. petita. *quoniam* (*quom iam*) prima significatione positum. Iam Philarg. adnotat: „*Quoniam* pro postquam. Pacuv. [fr. inc. v. 392.] *Quoniam ille interit, imperium Calefo transmissum est*." Cf. etiam Festus h. v. Donat. ad Ter. Ad. Prol. 1. Plaut. Trin. I, 2, 75. 112. Asin. III, 3, 121. Aulul. Prol. 9. et Coningt. ad h. l. Verba *quoniam est oblata facultas* hinc repetit imitator ille Vergilii in Anth. Lat. Burm. I, 178, 68. Conington comparat Planc. ap. Cic. ad Div. X, 4. *si facultas tui praesentis esset*. — **438.** Impatientiam praeclare memorari in iuvene, nemo non videt. — *manicis occupat*, vincit, adiuncta notione celeritatis. Ceterum totus v. **440.** iteratur in Anth. Lat. Burm. I, 45, 5. — **441.** *in miracula rerum*, in miras res, formas. Cf. Ovid. Met. III, 671. *in quae miracula, dixit, Verteris*, hunc locum, opinor, respiciens. Cum verbis *miracula rerum* cf. *discrimina rerum* Aen. I, 204. et adnott. ad Geo. II, 534. — **442.** *horribilem feram*, possis *suem* ex v. 407. intelligere; sic Gr. θήρ; sed hoc argutius." *Heyn.* — Peerlk. p. 299. vv. 441. et 442. eiusdem Grammatici esse putat, qui v. 409 et 410. adscripserit. Sed vide Ribbeck. Proleg. p. 53. — **443.** *fallacia* pro vulg. *pellacia* cum Wagnero ex librorum infra laudatorum auctoritate revocavi, cum iam Voss. observet, omnibus exemplis ab Heinsio h. l. et a Bentleio ad Hor. Od. III, 7, 20. laudatis comprobari id, quod Servius doceat ad Aen. II, 90., vocc. *pellax* et *pellicere* de iis dici, qui blandimentis (et magicis artibus) alterum capere studeant; ideoque *pellacia* non cadat in Proteum, qui fallere et terrere Aristaeum

In sese redit atque hominis tandem ore locutus:
„Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras
Iussit adire domos? quidve hinc petis?“ inquit. At ille:
„Scis, Proteu, scis ipse; neque est te fallere quicquam;

---

allicere velit. Addit Voss., confirmari lectionem *fallacia* ab auctore Ciris v. 378.: *Verum ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum.* Originem vitii indicat Medic.; in quo a manu pr. *phallacia* exaratum legitur, a posteriore emendatore in *fallacia* mutatum; quam lectionem etiam agnoscunt Donat. ad Ter. Adelph. V, 3, 8. et Philarg., qui adnotat: „legitur et *pellacia*.“ Male igitur Schirach. p. 400. et 408. lectionem *pellacia* probat. Iahn., et ipse Vossii adnotationem repetens, simul conferri iubet Burmann. ad Prop. I, 1, 19. Recentiores editores omnes *fallacia* recte retinuerunt. — 444. *in sese redit*, in suam formam. Cf. Ovid. Fast. I, 374. *domitus vinclis in sua membra redit.* Saepius *ad se redire* dicitur, sed ubi de animo, non de corpore agitur. — *locutus* (est): - - *inquit.* Vid. adnott. ad Aen. II, 78. et infra ad v. 499. — 445. „*Nam*, satis nunc quidem noto usu, ex Gr. γάρ pro δή, *quis tandem?* Homer. Od. IV, 462. *Τίς νύ τοι - - θεῶν συμφράσσατο βουλάς; - - τέο σὲ χρή.*“ *Heyn.* Editores omnes cum Servio *nam quis* antique pro *quisnam* dictum esse putant, quemadmodum etiam Aen. II, 373. et XII, 673., quibuscum locis cf. Plaut. Bach. V, 1, 28. *Quid tibi ex filio nam, obsecro, aegre est?* a Coningt. laud., eandemque sententiam sequitur Hand. Turs. IV. p. 19. Alii tamen errare hos viros doctos et in omnibus eiusmodi locis (quos collegerunt Donat. ad Ter. Phorm. V, 1, 15., ubi legimus *Nam quae haec anus est?* et Meier. de Partt. Latt. p. 269.) *nam* retinere vim suam explicandi perque ellipsin omissae sententiae explicandum esse putant. Praeter Iahn. ad Aen. l. l. cf. imprimis Kritz. ad Sall. Iug. 19, 2. et qui ab eo laudantur viri docti. Quam quidem rationem si sequeremur, censendum esset, *nam* hic spectare ad hanc cogitationem Protei: Omnes artes meae me fallunt; nam tu non es vulgaris homo et dolos meos perspicis. Quis igitur te misit? etc. Ceterum Cyrene mater iusserat; quare v. 458. *deûm praecepta secuti venimus.* Repetitur autem totus v. 445. cum initio sequentis ab imitatore Verg. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 258 sq., ut v. 446. ibid. I, 170, 49. — 446. Heins. ex Med., Moret. I. et Mentel. I. edidit *domus*, quem posteriores secuti sunt. Nos cum Wagn. vulgarem lectionem revocavimus, cum, si Cod. Medic. in aliis locis sequimur, Vergilius Accusativum Pluralis huius vocabuli ubique in *— os* misisse videatur, eamque formam hic etiam Nonius p. 262, 18. auctoritate sua comprobet. Wagn. docet, haud raro syllabam finalem *os* a librariis in *us* mutatam reperiri, ut in eodem Med. Aen. I, 755. *tuus* pro *tuos*; IV, 524. *liquidus* pro *liquidos*; V, 113. *ludus* pro *ludos*; IX, 725. *multus* pro *multos*; XI, 194. *decorus* pro *decoros*; ibid. 298. *rapidus* pro *rapidos*. Recte igitur recentissimi editores omnes lectionem *domos* servarunt. — *quidve hinc petis?* Particulam *ve* saepe usurpari in interrogationibus, ubi praegresso Pronomini interrogativo alterum subiicitur, res satis nota. Wagn. Qu. Virg. XXXVI, 5. haec exempla congessit: Aen. I, 539. II, 74. IV, 408. VI, 560. 712. IX, 228. 376. X, 670. XI, 508. et quod attinet ad Adverbia ex eo Pronomine ducta: Aen. III, 88. V, 13. XII, 313. — *hinc*, i. e. a me, ut Ter. Ad. III, 3, 7. *hinc scibo iam, ubi siet*, i. e. ex hoc. Cf. adnott. ad Geo. I, 505. et Aen. I, 21. — 447. „*Scis Proteu, scis ipse*, ex II. II, 365. [Adde Odyss. IV, 465.] — *est*, noto graecismo, ut Ecl. X, 46. [ubi vid adnott.] *οὐκ ἔστιν* (*οὐ δυνατόν ἐστι*) *θνητῶν τινα ἠπεροπεύειν σέ τι.*“ *Heyn.* Apparet autem in eiusmodi locis, sine ellipsis ope explicandis, *esse* non Copulae vice fungi, sed absolute positum Subiecti indefiniti vim sustinere (*es ist der Fall, es findet statt*), cui generali notioni certae actionis verbum subiiciatur per Infinitivum ab eo pendentem, quemadmodum alibi per Particulam *ut* cum Coniunctivo Verbi coniunctam, ut *non est te fallere* plane idem sit quod *non est, ut fallas* scil. me, locus (me) fallendi tibi non est (cf. v. 443.), quamquam alibi non Accus. c. Inf., sed simplex Infin. adiici solet, quare hic *te* vulgo pro

Sed tu desine velle. Deum praecepta secuti
Venimus, hinc lassis quaesitum oracula rebus."
Tantum effatus. Ad haec vates vi denique multa
Ardentis oculos intorsit lumine glauco

Accus. Obiecti habetur a *fallere* pendente, ut sensus sit: non est, ut fallaris, quae tamen sententia ab hoc loco aliena est. (Vide infra.) Exempla huius Graecismi habes v. c. Aen. VI, 595. Aen. VIII, 676. Sil. Ital.. II, 413. *Aeneam pulsum pelago - - cernere erat.* Hor. Sat. I, 5, 87. *quod versu dicere non est.* Ovid. Met. III, 478. *quod tangere non est* et alibi, vel apud posteriores pedestris orationis scriptores, ut Tac. Germ. 5, 6. *est videre argentea vasa.* Cf. Zumpt. §. 227. Ruddim. II. p. 227. Periz. ad Sanct. Min. IV, 4. not. 52. Heyn. ad Tibull. I, 6, 24. Huschk. Epist. crit. p. 61. Kritz. ad Sall. Iug. 110, 3. Schmid. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 12, 2. Thiel. ad Aen. VIII, 676. et quae de formis *sit* et *fuerit*, ad Ecl. X, 46. adnotavimus. — *quicquam* (ut cum Med. et Rom. scripsimus pro vulg. *quidquam*, dum Ribbeck. sched. Veron. secutus edidit *quiquam*) est Accusativus remotioris, quem dicunt, Obiecti per: ulla ratione, ulla ex parte, explicandus, ut Ecl. VII, 10. *si quid cessare potes.* Hor. Od. I, 6, 19. *sive quid urimur.* Sat. II, 2, 27. *tamquam ad rem attineat quidquam* etc. Cf. Burm. ad Anth. Lat. p. 155. Ribbeck. tamen *neque quidquam* pro nequidquam positum habere videtur, cum collato Homeri illo loco Od. IV, 465. *οἶσθα, γέρον, — τί με ταῦτα παρατροπέων ἀγορεύεις;* explicet: „nequi (d) quam fallere conaris." Ceterum haec Med., Rom. aliorumque bonorum Codd. lectio, quam etiam Arusianus p. 229. L. exhibet, dudum restituta est loco vulgaris *cuiquam*, quam qui defendunt, *quidquam* temere contendunt ambigue esse dictum, cum etiam sic construi possit: *nec est, quidquam fallere* (latere) *te*, ut Wagn. verba revera constituit et explicat; quae tamen sententia quomodo cum seqq. verbis *Sed tu desine velle* conciliari queat, nemo facile dixerit. Ladew. in Append. p. 199. et Wagneri et vulgarem interpretationem (non est, ut in ulla re fallaris) recte reiiciens, pro *te* potius *me* legendum esse censet, quod sane vulgari huius dictionis (*est* cum Infin.) usui magis responderet. Codd. tamen lectionem tuetur etiam iteratio huius loci in Anth. Lat. Burm. I, 178, 83. *scis ipse, neque est te fallere quidquam.* — *desine velle*, sc. fallere me; ut ap. Ovid. Fast. II, 262. *Nec aude Fatidicum verbis fallere velle Deum.* Cf. etiam Cic. ad Fam. VIII, 16. *quorum fortunas non debes velle conturbare.* Alii, qui sequuntur rationem modo commemoratam, ex qua *fallere* pro latere positum censetur, verba *tu desine velle* satis contorte sic supplent: te fallere quidquam; Wagn. autem intelligi vult *me fallere*, ideoque mira ratione postulat, ut *fallere* primum pro latere, deinde pro decipere positum habeamus; alii denique cum Servio ieiunum censet. — *Deûm*, quamquam de una modo dea, Cyrene, sermo est. Cf. adnott. ad Aen. VI, 322. — **449.** *„quaesitum hinc oracula*, h. e. remedium sortis vice editum, *lapsis rebus*, calamitati ex apum internecione." *Heyn.* Cum tamen Med., Pal., Gud., duo Bern., sched. Veron. aliique libri praebeant *lassis*, unde fluxit lectio *fessis* in marg. Gud., (ut Aen. III, 145. et XI, 335.) et rerum lapsarum notio librariis planior esse debuerit, quam lassarum nunc cum Ribbeckio et Coningtone recepimus scripturam *lassis* dum ceteri recentiores editores *lapsis* (quod exhibent Rom. et Serv. Dresd., per „fessis et perditis" explicans) retinuerunt. *Res lassas* invenimus etiam ap. Ovid. Trist. I, 5, 35. ex Ponto II, 2, 49. et II, 3, 93. (Plaut. Stich. IV, 1, 16.) al., *res lapsas* autem Ovid. Trist. V, 2, 41. Sen. Herc. fur. 646. (Liv. III, 33.) al., quamquam etiam in pluribus horum locorum lectio variat. Ceterum apte conferes Tibull. II, 3, 21. *Saepe duces trepidis petiere oracula rebus*, cui hunc Vergilianum locum obversatum esse patet, in quo et ipsum *lassis* potius, quam *lapsis* legisse suspiceris. — **450.** *Tantum effatus. Ad haec* etc. Cf. locum simillimum Aen. XII, 885. *Tantum effata; caput glauco contexit amictu, Multa gemens.* — **451.** *oculos lumine glauco ardentes*, i. e. glaucos, quales diis marinis tribui solent

Et graviter frendens sic fatis ora resolvit:
„Non te nullius exercent numinis irae.
Magna luis commissa: tibi has miserabilis Orpheus
Haudquaquam ob meritum poenas, ni fata resistant,
Suscitat et rapta graviter pro coniuge saevit.

(vid. ad Aen. XII, 885.) et qui non minus ferociter ardere possunt, quam nigri. Conington non inepte comparat *truces et caeruleos oculos* ap. Tac. Germ. 4. Oculorum autem distortionem aliosque motus epilepticos indicare vim divinationis nunc ipsum initium facturam se exserendi, Ladew. docet coll. Aen. VI, 47 sqq. 77 sqq. 100 sqq. — *fatis ora resolvit* ad oracula, fata edenda; ut modo v. 432. *somno*, pro ad somnum. Sic *ora resolvere* etiam ap. Ovid. Met. XIII, 126., *fauces resolvere* ibid. II, 282. et Fast. I, 255., et *ora solvere* apud eund. Met. I, 181. IX, 428. Imprimis autem cf. Aen. III, 457. *vocem atque ora resolvat* et Aen. II, 246. *fatis aperit Cassandra futuris Ora;* de *fatis* autem pro oraculis positis vid. adnott. ad Aen. I, 382. Iterantur autem haec verba in Anth. Lat. Burm. I, 172, 52. „Ceterum v. 450—452. narrata non ad indignationem, sed ad furorem vaticinantis pertinent. — 453. Episodium, quod sequitur, de tentata ab Aristaeo Eurydice, inflicta ab Erinnysin poena, et luctu Orphei, cum eius descensu ad inferos, reddita et frustra reducta uxore, omnino omnium est elaboratissimum." *Heyn.* Quam tamen de Aristaeo fabulam unde poëta hauserit, ignoramus. Orphei discipulum fuisse Aristaeum, tradunt mythographi; Eurydices vero pudicitiam temptasse, quantum equidem scio, nemo praeter Vergilium narrat. De toto autem Aristaei mytho cf. imprimis Bröndsted *Reisen und Untersuch. in Griechenl.* Paris. et Stuttg. 1826. I. p. 40 sqq. — „*Non nullius numinis*, h. e. profecto alicuius dei, Nympharum scilicet, vide v. 532." *Heyn.* Rectius cum Ladew. explicueris: non numinis, quod proprie non est numen, i. e. imbecilli, invalidi, sed admodum gravis. Cf. etiam Aem. Aspri et Philarg. scholia cum Ribbeck. Proleg. p. 133. De productione Gen. *nullius* vid. adnott. ad Ecl. I, 39. al. — „*irae exercent*, vexant, persequuntur *te*, divinitus haec calamitas tibi immissa est; ut solebant antiquitus pestes, morbi, agrorum sterilitates etc. civitatibus ira deorum infligi propter ἄτην seu ἄγος, piaculum. Ita h. l. Aristaei ὕβρις apum internecione divinitus vindicatur." *Heyn.* Wagnero hic versus corruptus videtur, ita tamen ut, quomodo persanandus sit, se nondum satis exploratum habere fateatur. — 454. *Magna luis commissa*, pro magno flagitio (vid. v. 457.) haec tibi tamquam poena inflicta est. Rom., Bern. III. et Serv. *lues*, atque ap. Philarg. adeo hoc mirum legimus scholion: „*Magna lues*, i. e. magnum scelus." — „*Orpheus*, Orphei umbra, Manes, *haud quaquam ob meritum*, merito suo, *miserabilis*, *suscitat tibi* [et perget suscitare; Praesens autem, quod omnino in vaticiniis usitatum, quia vates futura tamquam praesentia intuentur, hic eo aptius, „quoniam uno verbo et praesentia et futura comprehendenda fuerunt," ut Dietsch. Theol. Verg. p. 16. censet, bene de h. l. disputans] *has poenas* (fortasse ποιητικώτερον *Poenas*, h. e. Furias [?] *ni fata resistant*, nisi ita in fatis sit, ita evenerit, ut tibi avertendarum dirarum et expiandae culpae ratio ac via monstretur, [ni fata iis poenis finem imponant]. Itaque tibi curandum est, ut Orphei Manes elacentur." *Heyn.* Peerlk. p. 299. tamen, cui illa verborum coniunctio *h. q. ob meritum miserabilis* dura et coacta videtur, coniicit *Nequaquam haud merito*, quod sic explicat: „minime poena indignus eras, ut apes numquam recuperares. Sed fata tibi succurrunt." Si quid mutandum esset, potius cum Ladew. in Append. p. 199. ex Palat. *ad* pro *ob* recipiendum esse censerem, ut sensus sit: poena pro delicti tui magnitudine lenior est. Ceterum Codd. Med. et. Rottend. pro *ni* praebent *nisi*, quo ex Handii iudicio verissimo (qui in Tursell. IV. p. 184 sqq. omnium optime et accuratissime exposuit de discrimine inter *ni* et *nisi* intercedente) omnis vis sententiae periret. Cf. adnott. ad Aen. V, 49. — *rapta pro coniuge* Heyn. verecunde ac pudice dictum putat de conatu Aristaei, qui Eury-

Illa quidem, dum te fugeret per flumina praeceps,
Inmanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus aequalis Dryadum clamore supremos
Inplerunt montis; flerunt Rhodopeïae arces
Altaque Pangaea et Rhesi Mavortia tellus

---

dicae vim inferre voluerat. Rectius Voss., Wund. et Wagn. *rapta* pro erepta morte accipiunt. Cf. infra v. 504. Sic *ademptus* pro mortuus Horat. Od. II, 9, 10. Adde infr. v. 504. Ceterum de hac fabula cf. imprimis Ovid. Met. X, 1 sqq. Verba *graviter pro coniuge saevit* iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 178, 308. — **457**. *Illa quidem.* Wagn. Qu. Virg. XXI, 7. docet, Pron. *Ille* interdum ita poni, quemadmodum apud Homerum (Il. I, 488. Soph. Ai. 780. Herod. IX, 55. etc.) ὁ αὐτός, ut obscure indicet Subiectum post aliquot demum verba illatum. Sic Aen. V, 609. *Illa - - - virgo.* XII, 901. *Ille - - heros* etc. Et hic quidem verba addita *moritura puella* multum faciunt ad miserationem commovendam. — *dum te fugeret*, prae fugiendi studio. Particula enim *dum*, *während*, interdum etiam cum Coniunctivo coniungitur, ubi enuntiatio ab ea incipiens nexu causali cum sententia primaria cohaeret, ita ut idem fere significet, quod *cum*, vel ubi consilium modo et cogitationem loquentis agentisve continet. Cf. v. c. Aen. I, 5. (ibique Wagn.) X, 799. Tibull. II, 3, 19. (ibique Huschk.) Liv. XXIV, 40, 10. Sall. Cat. 7, 6. Phaedr. I, 4, 2. Suet. Aug. 78. Claud. XXXVII, 101. etc. — *fugeret praeceps*, praecipiti cursu, *per flumina*, h. e. per ripam fluminis, secundum flumen. Vid. supra ad v. 277. et cf. infra v. 527. De Hebro autem flumine cogitandum esse, sequentia videntur flagitare. Ceterum Heyn. conferri iubet Ovid. Met. X. pr., Hermesianactem ap. Athenaeum XIII. pr. 597. et Senecam Herc. Oet. 1031 sqq. — **458**. *moritura.* Vid. adnott. ad Geo. III, 501. — *puella.* Cf. adnott. ad Ecl. VI, 47. cum Prop. IV, 14 (III, 15), 21. et 34., ubi Antiope, quae iam mater erat Zethi et Amphionis, cum Ovid. Her. I, 115., ubi Penelope, quae iam Telemachum Ulyssi peperat, *puellae* vocantur, cum Hor. Od. III, 14, 10. 22, 2. Stat. Silv. I, 2, 163. Gell. XII, 1. etc., ubi de puellis puerperis et viduis sermo est. — **459**. *servantem ripas*, incolentem, in iis latentem vel potius ripas custodientem, ut strueret insidias. Cf. Ameis. Spic. p. 42. et supra v. 383. ibique adnott. — **460**. *chorus aequalis Dryadum*, pro aequalium, una cum ea nutritarum. Cf. v. 532. 533. Conington comparat Ovid. Met. X, 9., ubi Eurydice, *dum Naiadum turba comitata vagatur, Occidit in talum serpentis dente recepto.* — **461—463**. Per totam Thraciam lamentationes Nympharum auditae sunt. — *supremos.* „*Clamore supremo* Rom. et alii Pierii; ut sit clamor ille in funere edi solitus; sed haec Statii alicuius elegantia esset, non Vergilii; nam hic de discurrentium Nympharum eiulatibus agitur. Recte vulgatam confirmat Nonius in *supremus.*“ *Heyn.* — *supremos* autem *montes* pro vulg. summos montes, etiam apud Lucr. I, 275. et Hor. Epod. XVII, 68. legimus. — *chorus Dryadum - - Inplerunt montes*, i. q. Dryades implerunt. Cf. adnott. ad v. 402. — *Rhodopeïae arces*, Ῥοδοπηΐαι ἄκραι, pro montium iugis, more poëtarum. Vid. Geo. I, 240. et II, 535. De ipsa *Rhodope* vid. ad Ecl. VI, 30., de hiatu autem ad Ecl. II, 53. Respexit hunc locum Silius II, 73. *Rhodopen Pangaeaque lustrant - - fatigant Hebrum - - spreti Ciconesque Getaeque Et Rhesi domus.* — **462**. *Pangaea* s. Pangaeus, mons Thraciae inter Strymonem et Nestum situs, qui etiamnum *Pangea* vocari dicitur, secundum alios autem *Pirnari* nominatur. Cf. Herod. V, 16. VII, 112. Plin. IV, 11, 18. VII, 56, 57. Lucan. I, 679. alii et liber meus geogr. III. p. 1053. Thracia autem vocatur *tellus Mavortia*, Marti sacra, propter fortes et bellicosos incolarum animos: cf. Eurip. Rhes. 386. id. Hec. 1090. Stat. Theb. IV, 794. V, 173. Verg. ipse Aen. III, 13. 35. XII, 331. *Rhesi*, quia hic heros ad Troiam duxerat Thraces. Cf. Hom. Il. X, 435 sqq. Aen. I, 469 sqq. cum Heynii Exc. XVI. Apollod. I,

Atque Getae atque Hebrus et Actias Orithyia.
Ipse cava solans aegrum testudine amorem
Te, dulcis coniunx, te solo in litore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.
Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus Manisque adiit regemque tremendum
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
At cantu commotae Erebi de sedibus imis
Umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum,
Quam multa in foliis avium se milia condunt,

3, 9. et Euripidis tragoedia notissima. — *Getae.* Cf. Geo. III, 462. ibique adnott. — *Hebrus.* Vid. ad Ecl. X, 65. — „*Actias Orithyia*, quam, ut Nympham regionis, memorasse videtur, erat Erechthei, Athenarum regis, filia (unde *Actias*; Attica olim *Acte, Actice*, quod nomen inter poëtas haesit), a Borea rapta." *Heyn.* De forma Adiectivi *Actias* cf. adnott. ad Ecl. IV, 1., de ipsa *Orithyia* Aen. XII, 82. Ovid. Met. VI, 683. Sil. VIII, 516. — 464. *Ipse.* Pron. *ipse* haud raro poni, ubi oratio redeat ad eum, qui primas agat in aliqua re partes, Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 460 sqq. docet his locis collatis: Geo. IV, 454—64. Aen. II, 469—80. IV, 504—19. VII, 655—66. VIII, 714—21. XII, 456—64. — *solans*, leniens. Cf. adnott. ad Ecl. VI, 46. et Aen. I, 238. — *cava testudine*, cithara, lyra. Cf. Cic. N. D. II, 57. extr. Hor. Od. IV, 3, 17. idem A. P. 394. Ovid. Am. III, 147. Val. Fl. I, 277. Iuven. VI, 380. aliique. Videtur hunc locum respicere Epit. Iliad. 586. *Et dulci cithara dirum lenibat amorem.* — 465. De vi quater repetiti *Te* vid. adnott. ad Ecl. I, 74. et Aen. I, 78. — *solo in litore.* Infra v. 508. *deserti ad Strymonis undam.* Cf. adnott. ad Ecl. X, 14. et Aen. XI, 569. — *secum*: cf. Geo. I, 389. Iterantur autem verba *te solo in litore secum* (- - *vocabat*) ab imitatore Verg. in Anth Lat. Burm. I, 178, 310. — *veniente die, decedente.* Cf. Hor. Od. II, 9, 10. *nec tibi Vespero Surgente decedunt amores, Nec rapidum fugiente Solem.* Plures Codd. *discedente*, male. Cf. adnott. ad Ecl. II, 67. — 467. „*Taenarias fauces*, specum in Laconica ad Taenarum, in promontorio, cui ex adverso alterum est Maleae promontorium; hoc loco poëtice illud posuit, ut certum aditum Orci memorare posset." *Heyn.* Cf. de eo Strab. VIII. p. 363. et Hor. Od. I, 34, 10. De ipso Taenario promontorio, extrema Taygeti parte, quod nunc *Cap Matapan* dicitur, vid. librum meum geogr. III. p. 867. — 468. *lucum.* De lucis inferorum cf. etiam Aen. VI, 131. 154. 238. 259. 473. — *nigra formidine*, tenebris formidolosis. Vid. Aen. I, 165. cum adnott. Conington confert Lucan. III, 411. *arboribus suus horror inest*, Cerda autem minus apte Val. Fl. III, 404. *arvaque nigro Vasta metu.* — 469. De ornatu loci ex Copula saepius repetita cf. adnott. ad Geo. III, 474. „ἀμείλιχος Ἅΐδης. Volebat dicere regem corde nescio mansuescere." *Heyn.* Peerlk. p. 300. hunc locum sic mutat et distinguit: - - *mansuescere corda; At cantu commota. Erebi* etc., ut Orpheus corda regis et reginae, quae nullis precibus commoveri potuissent, cantu commovisse dicatur. In Codd. enim lectione non apparere, quomodo Eurydice Orpheo concessa sit, si Plutonis et Proserpinae animi nullis precibus commoveri potuerint. Ladew. tamen *Beurtheil.* p. 26. *nescia - - mansuescere corda* non solum ad regem et reginam, sed ad Manes et Orcum omnino referenda esse contendit et, si Eumenides adeo et Cerberum Orphei cantus commovisse dicatur, per se apparere, magis etiam illos commoveri debuisse, etiamsi non diserte dicatur. — 472. *ibant*, longo agmine deinceps adfluentes, quare hic de re per aliquod tempus tenente Imperfecto, infra autem v. 481 sqq., ubi de rebus simpliciter factis sermo est, Perfectis utitur poëta. Ceterum verba *Umbrae ibant tenues* iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 170, 31. — 473. „Ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων Il. XXIII, 72." *Heyn. ibant*, ad canentem confluebant. — *simulacra luce carentum* ex Lucretio IV, 39. (35.)

Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber,
Matres atque viri defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae
Inpositique rogis iuvenes ante ora parentum;
Quos circum limus niger et deformis harundo
Cocyti tardaque palus inamabilis unda
Alligat et noviens Styx interfusa coërcet.
Quin ipsae stupuere domus atque intima Leti
Tartara caeruleosque inplexae crinibus anguis

---

depromptum, ubi legimus: *quom saepe figuras Contuimur miras simulacraque luce carentum.* Cf. supra v. 255. — *in foliis.* Med., Gud., Bern., III., Mentel. I., Moret. aliique *in silvis*, quod ex loco nostro simillimo, Aen. VI, 309., huc translatum. — 474. „*ubi vesper aut hibernus*, procellosus (ut χειμών et *hiems*), *imber* eas *agit de montibus* (v. sup. ad Geo. I, 374. 5.) ad silvas et arborum tecta. Cf. Aen. VI, 309—312. — 475. *corpora heroum*, simpl. heroes. [Immo: heroes externa forma conspicui et admirationem sui cuivis iniicientes: cf. Geo. III, 51. 369. Aen. I, 193. II, 18. VI, 22. et Ladew. ad h. l.] Versus hi adumbrati ex Odyss. XI, 37—43." *Heyn.* Iterantur autem Aen. VI, 306—308. — 476. *Magnanimûm*, ut Aen. III, 704. Respexit hunc locum auctor carminis in Anth. Lat. Burm. I, 170, 19. *Magnanimûm heroum primaevo flore iuventus.* — 478. „Quos Cocytus et Styx a reditu prohibent. Iam ornatum vide. Pro Cocyto, limoso et arundinoso fluvio, *limus niger et deformis arundo*, cuius, si late omnia obsidet, iniucundus ac tristis adspectus est; adeoque *palus inamabilis*, ἀνέραστος pro μισητή, invisa, detestabilis, et *tarda unda.* Porro *circum*, ab omni parte, *alligat* et *coërcet*, implicat, impedit, ut Statius et alii hoc idem efferunt." *Heyn.* — 479. De *Cocyto* vid. adnott. ad Geo. III, 38. — Cum *nigro* eius *limo* cf. *ater* eius *sinus* Aen. VI, 132. et *informis* Stygis *limus* ibid. v. 416. — *tarda palus.* Cf. etiam Aen. VI, 296 sq. et 323. — *inamabilis unda.* Plures Codd. *innabilis unda.* „At vulgatum post antiquiss. libros [Medic., Rom., fragm. Vatic. etc.] defendit etiam Macrob. VI, 7. Gell. II, 6., imitatio Ovidii [Met. X, 15.] *inamoena regna*, et Aen. VI, 438., ubi v. 479. 480. iterum leguntur." *Heyn.* Magis etiam huc pertinent duo alii Metamorph. loci, IV, 476. et XIV, 590., ubi inferorum *inamabile regnum* commemoratur. *Innabilem undam* Conington ex Ovid. Met. I, 16. huc translatam suspicatur. — 480. *alligat*, cohibet, abire non patitur. — „*Styx noviens interfusa*, dum novies ambit Erebum. Hoc ultimum exprimere voluere Claudian. XXXIII, 23. *quos Styx liventibus ambit Infusa vadis* et Statius Theb. IV, 524. *Et Styx discretis interflua Manibus errat.*" *Heyn.* Cf. etiam Wernsd. Poët. L. min. IV, 541, 140. *et plaga ponti Interfusa coërcet. Noviens* autem cum recentissimis editoribus scripsimus fragm. Vat. a m. pr. secuti. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 457. et Ribbeck. Proleg. p. 434. — *coërcet*, inclusos tenet; quod apud Hor. Od. II, 14, 9. *compescit.* — 481. *ipsae domus Leti et intima Tartara* unum idemque significant, interiora Tartari loca, ubi Letum habitat. Cf. Aen. I, 258. *urbem et promissa Lavini Moenia*, Wagn. Qu. Virg. XXXIII, 4. et adnott. ad Geo. II, 242. Non autem in eo haerendum, quod poëta hic Letum in interiore Tartaro, Aen. VI, 277. vero in primo Orci aditu collocat. — Verba *Quin ipsae stupuere domus* hinc repetit idem ille poëta Anth. Lat. Burm. I, 170, 30. — 482. *inplexae.* Multi Codd. *amplexae*, Rom. et fragm. Vatic. *innexae* ex interpretamento, quod fluxit ex Aen. VI, 281. Eadem lectionis varietas deprehenditur apud Tibull. I, 3, 69., ubi vid. Huschk. et Dissen. Vulgarem lectionem comprobat etiam Horatii locus Epod. V, 15. *Canidia brevibus implicata viperis Crines.* Cf. etiam Ovid. Met. VII, 161. et X, 271. *inductae cornibus aurum* et similes loci cum adnott. ad Ecl. I, 54. et III, 106. — *caeruleos angues.* Vid. adnott. ad Aen. VII, 346., de constructione autem graeca *inplexae caeruleos angues* adnott. ad

Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora
Atque Ixionii vento rota constitit orbis.
Iamque pedem referens casus evaserat omnis
Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras
Pone sequens, — namque hanc dederat Proserpina legem —

Ecl. I, 54. — 483. *Que* post *tenuit* abest a nonnullis Codd. (cf. Burm. ad h. l. et Cort. ad Lucan. I, 642.), quorum tamen fides parum explorata est; et Wagn. Qu. Virg. XII, 15. iure contendit, Copulam, quam Heyn. recte abesse putat, requiri h. l., cum vox *Quin* v. 481. praegressa ad omnia, quae sequantur usque ad v. 484., pertineat. — 484. Sententia est aperta, Ixionis rotam, cui ille illigatus erat (vid. Geo. III, 38 sq.), substitisse, Orpheo canente (cf. Hor. Od. I, 12, 10., qui inducit Orpheum *morantem celeres ventos*), oratio vero paullo impeditior. — *rota orbis* poëtice pro orbe, *κύκλῳ*, s. rota ipsa orbis formam habente positum videtur. Cf. Tibull. I, 5, 70. *Versatur celeri Fors levis orbe rotae.* (Conington cum *rota orbis* pro rotae orbe posita confert Ecl. IX, 58. *ventosi murmuris aurae*, ubi vid. adnott.). Voss. et Wagn. *rotam orbis* intelligunt de rotatione orbis seu rotae, coll. Aen. VI, 748. *ubi mille rotam volvere per annos* (ubi tamen *rota* nihil aliud est, quam certus annorum orbis s. complexus), Prop. II, 7, 32. (s. 8, 8.) *Vinceris aut vincis, haec in amore rota est* (ubi vero per rotam non rotatio, sed rota s. vicissitudo Fortunae intelligenda), Prop. II, 25, 26. *septima rota*, et Sidon. Apoll. VII, 291. *tertiaque acta rota est.* Iacobum in Disquisit. Virg. P. I. p. 11. locum intelligere de „rota Ixionem per orbem agitante," docet Wagn. — *vento constitit*, i. e. venti impulsu cessante, vento sopito stat, quiescit rota, ut Ecl. II, 26. mare dicitur *placidum ventis stare*. Ameisio Spic. p. 42 sq. et Ladewigio *vento* tertius, non sextus Casus esse videtur, ut sensus sit: vento illi, qui Ixionis rotam circumagebat, cum Orphei audiendi cupiditate sensim sedatior factus esset, tandem constitit rota. Summa tamen rei eadem manet; quamquam non nego magis poëticum esse, ut ventus institionem non tam efficiens, quam cupiens quasi et iubens cogitetur. Cessantem autem rotae Ixioneae motum a vento peti poëtis, Heynius in editione maiore singulari Excursu docuit multis locis appositis (Hom. Od. XI, 590 sqq. Platon. Phaed. p. 83. Verg. Aen. VI, 740. 888., quibus certe Tartarum ventis non vacasse probatur, atque Schol. Eurip. Phoen. 1192. et Schol. Luciani D. D. 6. T. I. p. 216., qui diserte narrant, Iovem iratum Ixionem rotae illigatum permisisse aëri ferendum et in aëre circumagendum. Cf. etiam Sen. Herc. Oet. 1069. *Haesit non stabilis rota victo languida turbine*, a Vossio et Ameisio laud.) Alii coniecturis locum vexarunt, et Faber quidem *velox*, Burmann. *cantu* (quod, cum etiam in Codd. aliquot legatur, Martin. adeo in contextum recepit, nec Ribbeck. Proleg. p. 54. improbat, haec adiiciens: Philarg. *ventu* vel legit vel certe coniecit), *lente*, vel *campo* coniecit, Wakef. autem ex coni. edidit *flendo*, et Peerlk. p. 301. coni. *restitit*, hac explicatione adiecta: „Rota conatur resistere et restitit vento, turbini, quo circumagitur. Ut *consisteret*, prius *vento resistere* debebat." Sed vulgarem lectionem praeter plurimorum et optimorum Codd. consensum etiam Serv. ad Aen. I, 190. et VI, 616. et Schol. Hor. Cruqu. ad Od. III, 11, 21. tuentur. — 485. „Mirum in sqq. narrationis artificium, quod facile sentias, si ad vulgarem sententiarum iuncturam revoces orationem. Legis autem, ne respiceret, excogitandae consilium ex vulgari superstitione natum esse videtur, cum res aversandae etiam in sacris magicis respici vetarentur. Cf. Ecl. VIII, 102." *Heyn.* — 486. *superas ad auras.* Inferi enim loca supera (*die Oberwelt*) iisdem vocibus designant, quibus homines in terra viventes caelum et aetheris regiones. Cf. Aen. VI, 128. 436. 481. 568. 719. 781. 887. etc. — *veniebat*, (non *venit*), quia adhuc in via esse cogitatur. — 487. Cf. Ovid. Met. X, 50. *Hanc simul et legem Rhodopeïus accipit heros, Ne flectat retro sua lumina* etc. *Lex* pro conditione legitur etiam Geo. I, 60. et Aen. XI, 322. — *Pone*, a tergo. Cf. Aen. II, 208. 725. X, 225. et Hand. Turs. IV. p.

Cum subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes:
Restitit Eurydicenque suam iam luce sub ipsa
Inmemor heu! victusque animi respexit. Ibi omnis
Effusus labor atque inmitis rupta tyranni
Foedera terque fragor stagnis auditus Avernis.
Illa „Quis et me", inquit, „miseram et te perdidit, Orpheu,
Quis tantus furor? En iterum crudelia retro

---

478 sq. Peerlk. p. 302. post hunc versum unum excidisse suspicatur, qualis sit Ovidii modo laud. Sed vide Ladew. *Beurtheil.* p. 26. — **488.** Verba *incautum dementia cepit amantem* repetuntur in Anth. Lat. Burm. I, 170, 15., ut (sine *incautum*) etiam I, 168, 14.; sequentia autem *scirent si ignoscere Manes* ibid. I, 172, 119. et I, 178, 312. — **490.** „*iam luce sub ipsa.* Seneca Herc. fur. 813. *Postquam est ad oras Taenari ventum* etc. et *superas veniebat ad auras* v. 486." *Heyn.* Ex Servii Dresd. interpretatione: „Quae paene sibi iam erit reddita" apparet, alios locum sic distinxisse: *Eurydicenque, suam iam, luce s. i.*, quod, nisi cum detrimento soni fieret, Wagn. probaret. Aperte tamen praestat vulgaris ratio: cum iam in eo esset, ut Orci faucibus egrediens lucemque revisens uxorem vitae humanae redderet. — **491.** „*victus* absolute dicitur is, qui a proposito recedit, re aliqua permotus. Ita *victus* saepe ex contextu explicandum. Aen. IV, 370. *Num lacrimas victus dedit?* h. e. permotus precibus et misericordia. Aen. II, 699. *Hic vero victus genitor*, h. e. ostentis evictus. Hic *victus* notat motus desiderio et amore uxoris." Wund. Noli tamen putare, hoc *victus* per se significare; acquirit potius hunc sensum addito demum Genitivo *animi* (*hinsichtlich seines Herzens*), ut *victus animi*, eadem ratione dictum, qua alias *captus animi*, *amens animi* etc., idem fere sit, quod *animo* (*durch sein Herz*) *victus*, i. e. desiderio captus. (Vid. Ameis. in Iahnii Nov. Annal. LXII. p. 54.) Multa huius constructionis exempla collegerunt Heins. ad Val. Fl. III, 737. et ad Sil. XIV, 670. Gronov. ad Liv. XXX, 15, 9. Drakenb. ad Liv. VI, 11, 3. Herzog. ad Sall. Cat. c. 5. p. 26. Boetticher. Lex. Tacit. p. 213 sq. Ruddim. II. p. 73 sqq. alii. Ex Vergilii carminibus huc pertinent Geo. III, 289. Aen. II, 61. IV, 203. V, 202. IX, 246. XI, 417. XII, 19. etc. Cf. etiam supra ad v. 310., ubi eadem ratione constructa legimus *truncus pedum* (*in Ansehung der Füsse*), et adnott. ad Geo. I, 277, ubi *dies felices operum* commemorantur. — **492.** *effusus*, irritus, frustra impensus, ut Gr. ἐκχεχυμένος. Cf. Grat. Cyn. 233. *primos nequidquam effunderet actus.* — **493.** *Foedera*, conditio a Plutone imposita, ut supra v. 487. *lex.* Cf. adnott. ad Geo. I, 60. et Aen. I, 62. Verba *atque inmitis rupta tyranni Foedera* iterantur ab imitatore Verg. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 16. — „*fragor ter auditus.* Servius [a Martinio et Heynio explosus] hanc profert causam: „Quasi exsultarent umbrae redditam Eurydicen. - - Lucanus in Orpheo dicit, strepitum factum redeunte Eurydice ob hoc, *quia gaudent, a luce relictam* (reductam, revectam?) *Eurydicen, iterum sperantes Orphea* [Orphei cantum se audituros], *Manes.*" Aliam, non coniecturam, sed certam [et procul dubio verissimam] sententiam, proponit Voss.: tonitru subterraneum natum esse ex arcana vi, qua Pluto Eurydicen in Erebum retrahit. Eandem vim arcanam, qua ad retrahendam puellam opus erat, mox contendit declaratam esse per *furorem!*" *Heyn.* Quam explicationem nescio quo iure Conington (qui conferri iubet Miltonis *Par. Lost* IX, 782. et 1000.) poeticae loci pulchritudini iniuriam facere censeat. („*Voss's opinion - - would surely spoil the poetry of the passage.*") Ribbeck. ex Rom. recepit *stagni est* (*stagnist*) et ex fragm. Vat., Rom., Gud. et duobus Bern. *Averni*, quod fortasse probandum censet Conington, ipse tamen, ut ceteri recentiores editores, Ribbeckium non secutus. Cf. etiam VI, 118., ubi *lucis Avernis* legimus. — **495.** *Quis, quis tantus furor*, amoris intemperantia, quae Orpheum, ut respiceret, impulit. Supra v. 488. erat *dementia. Quis furor* autem sollemnis fere est exclamatio, ubi admiratio cum indignatione

Fata vocant conditque natantia lumina somnus.
Iamque vale: feror ingenti circumdata nocte
Invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas!“
Dixit et ex oculis subito ceu fumus in auras
Commixtus tenuis fugit diversa, neque illum
Prensantem nequiquam umbras et multa volentem
Dicere praeterea vidit; nec portitor Orci

---

coniuncta inconsiderantiam et temeritatem graviter incusat. Cf. Ovid. Met. III, 531. 641. Tibull. I, 19, 33. et Bach. ad Ovid. Met. VI, 170. — **496.** *Fata vocant.* Cf. Aen. VI, 147. X, 472. Silius IV, 519. Claud. B. Get. 171. Similiter Aen. I, 610. et V, 656. *terrae* et *regna vocant.* — *condit.* Cf. Propert. V, (IV,) 11, 64. *Condita sunt vestro lumina nostra sinu.* Ovid. Trist. III, 3, 44. *Labentes oculos condet amica manus.* id. Her. I, 113. *ut iam sua lumina condas.* ibid. X, 120. *Nec mea qui digitus lumina condat, erit?* id. A. A. III, 742. *cara lumina conde manu.* Eleg. ad Liviam 157. *Tu mea condas lumina.* Wernsd. Poët. L. min. II, 224, 74. *ut vidit vituli condita lumina.* — *natantia lumina*, moribundi, incerto iam motu fluctuantia. Praeiverat Lucretius III, 479. *Nant oculi*, ubi vid. Wakef. Cf. etiam Aen. V, 856. Ovid. Met. V, 71. *oculis sub nocte natantibus atra.* Lucan. II, 26. *oculos in morte natantes.* Sil. II, 122. *oculos iam luce natantes Irrorat lacrimis* (ubi vid. Drakenb.). Stat. Theb. II, 638. *oculos etiamnum in luce natantes Sistit* etc. — *iterum - - retro - - vocant. Iterum* pro *rursus* positum, ut apud Tibull. II, 6, 6. *Atque iterum erronem sub tua signa voca*, ubi Huschk. praeter h. l. confert Ter. Adelph. IV, 1, 9. *Prius nox oppressisset illic, quam huc reverti posset iterum.* De notissimo autem pleonasmo *rursus revocare* cf. adnott. ad Geo. I, 200. Ceterum verba *iterum crudelia retro Fata vocant* repetuntur ab eodem illo poëta Anth. Lat. Burm. I, 178, 208. Cf. etiam ibid. IV, 187, 2. *O utinam me crudelia fata vocent.* — **497.** Etiam verba *feror ingenti circumdata nocte*, quibuscum Conington confert Eur. Phoen. 1453. *καὶ χαίρει'. ἤδη γάρ με περιβάλλει σκότος*, iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 172, 130. — **499.** *Dixit.* Haud raro Vergilius, Homerum et epicae orationis formam secutus, post alicuius orationem verbum dicendi, iam in principio orationis positum (ut hic v. 494. *inquit*), repetit, et interdum ita, ut Perfectum tempus praecedenti Praesenti (Aen. V, 161. et 164. 474. et 477. 532. et 539.), Plusquamperfectum Perfecto respondeat (Aen. V, 409. et 421. 723. et 740. etc.), quamquam in plurimis locis hoc temporis discrimen non curat. Cf. omnino Ecl. II, 38. 39. Geo. IV, 444. et 446. Aen. I, 131. et 142. 256. et 297. 386. et 402. 459. et 464. 595. et 610. 614. et 631. II, 76. et 78. etc. cum iis, quae de Graecis Poppo ad Xen. Cyr. I, 3, 6. Krüger. ad Xen. Anab. II, 5, 24. Stallb. ad Plat. Phaed. 24., de Romanis Ruhnk. ad Rut. Lup. I, 5. p. 20. Oudend. ad Suet. Caes. 32. Bremi ad Nep. Hann. 2, 2. Heind. ad Cic. N. D. I, 7. p. 17. Bach. ad Ovid. Met. VI, 282. Sillig. ad Catull. 63, 77. Beneck. ad Iustin. I, 8, 14. Wilms. Progr. p. 19 sq. aliique disputarunt. — *„fugit in auras*, ut Aen. V, 740.; tum *fugit commixtus* est plenius et ornatius dictum. Petitum autem ex II. XXIII, 100. — **500.** *diversa*, cum in diversam, ac qua Orpheus tendebat, partem h. e. retro, auferretur, ut sup. v. 367. *flumina diversis locis.“ Heyn.* Vid. etiam v. 432. et Aen. V, 166. *quo diversus abis?* Wakef. ad Lucr. III, 437. incertus est, quo referat *tenuis*, ad *fumum*, an ad *auras*. Equidem, cum collocationem verborum et Participium voc. *fumi* additum, tum similes locos Aen. IV, 278. et IX, 658. considerans, epitheton cum *auras* coniungo. — **501.** *umbras*, sc. Eurydices. De mortui simulacro, *εἰδώλῳ*, haec vox legitur etiam Aen. II, 772. IV, 386. VI, 289., et Plurali quidem numero etiam IV, 571., de Manibus Aen. V, 81. et VI, 510. Conington tamen simpliciter de auris obscuris, caliginosis cogitat, quas Orpheus uxoris loco amplectatur („*the darkness which Orpheus clutches in the hope of embracing his wife*“), quod mihi minus poëticum videtur. — **502.** *praeterea*, poëtice pro posthac, in posterum. Cf. Aen. I, 49. — *portitor Orci*, Charon. Cf. parallelum Ovidii locum Met. X, 72. *frustraque*

Amplius obiectam passus transire paludem.
Quid faceret? quo se rapta bis coniuge ferret?
Quo fletu Manis, qua numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat iam frigida cymba.
Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aeria deserti ad Strymonis undam

---

iterum transire volentem (Orpheum) *Portitor arcuerat. Portitoris* nomine Charon etiam Aen. VI, 298. (ubi vid. adnott.) et 327. Prop. V (IV), 11, 7. Stat. Theb. XII, 559. Val. Fl. I, 784. et alibi vocatur. — **503.** *Amplius*, praeterea (ἔτι). Vid. Aen. I, 687. III, 192. etc. — *obiectam* poëtico ornatu adiectum. Cf. Geo. III, 253. *non obiecta retardant flumina.* — *passus transire*, scil. Orphea. Serv. minus recte supplet Eurydicen, addit enim hoc scholion: „Mysticum est: dicitur enim bis eandem umbram evocari non licere." — **504.** Cf. similis locus Aen. IV, 283. — **505.** *quo fletu, qua voce* Heyn. pro vulgari *quomodo* positum censet, ut Ecl. VI, 80. *quo cursu, quibus alis.* (Cf. adnott. ad Aen. I, 8.) Potest vero etiam simpliciter explicari: quali demum fletu, quali voce. *Manes*, deos inferos (cf. v. 489.), *numina*, deos superos, qui eadem ratione sibi opponuntur Aen. XII, 646. *Vos o mihi, Manes, Este boni, quoniam Superis aversa voluntas*, et apud Hor. Epist. II, 1, 138. *Carmine di superi placantur, carmine Manes.* Conington tamen hoc discrimen non agnoscens, cum etiam dii inferi Aen. VI, 266. 324. VII, 571. *numina* appellentur (qua de re nemo umquam dubitavit) et cum superorum deorum hac in re nulla sit iurisdictio (?), *Manes* atque *numina* unum idemque esse opinatur. Ceterum de toto hoc loco cf. Donat. ad Ter. Adelph. V, 3, 4. Peerlk., si omnino Vergilii esset hic versus (vid. infra), *iterum* adiectum requiri, aut alteram Codd. lectionem *Quos fletu Manes, quae Numina* etc. praeferendam esse censet, ut ap. Val. Fl. III, 511. *Quam Nemeen tot fessa minis, quae proelia Lernae Experiar.* Ladew. et Ribbeck. servant quidem *Quo fletu*, nihilominus autem ex Med. et Rom. edunt *quae numina*, quae lectio non solum illis verbis parum respondet, sed etiam diis inferis *numen* abiudicare videtur. Cf. etiam Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 376. — V. **506.** Meierotto in Dubiis p. 28. aut spurium aut alieno loco insertum et post v. 503. retrahendum atque etiam Heyn. otiosum et poëtae abiudicandum censuit, cui sententiae, praesertim cum praecesserint verba: *nec portitor Orci - - paludem*, quae iam transmissam significent, etiam Wagn. et Ribbeck. (cf. eius Proleg. p. 50.) adstipulantur, Peerlk. autem p. 302. non solum eum, sed simul v. 504. et 505. tamquam spurios exsulare iubet, adversante Ribbeckio l. l. Ceterum Haupt. et Ribb. ex Med. a m. pr. ediderunt *cumba*. Cf. eius Proleg. p. 452. et Wagn. Orth. Verg. p. 485. Voss. autem (quem sequuntur Iahn. et Ameis. Spic. p. 53.) versum ita defendit, ut Eurydicen per Stygem retro vectam dicat cum gravitate opponi Orpheo a transitu prohibito et lugenti; quod autem Wagn. contendit, tum praecedenti *Illa* in sequente versu *hunc* opponendum (*Hunc septem totos*), non vero Pron. *ille* repetendum fuisse, hoc Ameis. l. l. recte ad poëtae orationem non quadrare censet, cum etiam Geo. II, 505. 507. et Aen. VII, 473 sq. per *hic — hic* diversae personae sibi opponantur. Mihi versus ita videtur defendendus, ut ad verba *Quid faceret?* etc. his responderi statuamus: Nihil sibi faciendum superesse vidit, cum illa iam naret etc. *Was sollte er thun? schwamm sie ja doch schon* etc. Sic igitur hic versus aptam efficit clausulam narrationis de ipsa Eurydice et sequentia ad solius Orphei fata posteriora spectant. Eo facilius autem post narrationis pausam poëtae per Pron. *illum* pergere licuit. (Consentit mecum Conington, qui tamen *iam* cum *frigida*, non cum *nabat* coniungendum esse et *nare* de navigantibus praeter h. l. fortasse non nisi ap. Catull. LXVI, 46. *iuventus Per medium classi barbara navit Athon* inveniri memorat.) Ceterum haec verba leguntur etiam in Anth. Lat. Burm. I, 172, 104. — *ex ordine*, καθεξῆς, deinceps, septem menses continuos. Vid. adnott. ad Geo. III, 341. — **508.** *Rupe sub aeria.* Cf. Ecl. X, 14. *sola sub rupe iacentem*, de epitheto autem *aeria* adnott. ad Ecl. I, 58. — Verba *deserti ad Strymonis undam* repetuntur in Anth.

Flevisse, et gelidis haec evolvisse sub antris
Mulcentem tigris et agentem carmine quercus;
Qualis populea maerens philomela sub umbra
Amissos queritur fetus, quos durus arator
Observans nido inplumis detraxit; at illa
Flet noctem ramoque sedens miserabile carmen
Integrat et maestis late loca questibus inplet.
Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenaei.
Solus Hyperboreas glacies Tanaimque nivalem

Lat. Burm. I, 178, 309. De *Strymone* vid. adnott. ad Geo. I, 20. — **509.** Pro *Flevisse* Ribbeck. ex uno Cod. Rom. recepit *Flesse sibi*, quod si alii quoque libri exhiberent, sane praeferendum censerem. — „*evolvisse*, *διαπτύξαι*, *ἐξειπεῖν*, querendo enarrasse, *haec*, casus suos; ut Stat. Theb. I, 2. *sontes evolvere Thebas*, h. e. fratrum scelera seu scelesta odia narrare." *Heyn.* — Pro *sub antris* plures Codd., inter quos Rom., *sub astris*, quod post Wakef., qui confert Lucr. VI, 720. (*gelidae stellae*), et Ovid. Epist. II, 123. (*frigida sidera*), etiam Ribbeck. recepit. Sed verissime Heyn. hanc lectionem, quae de sideribus septemtrionalibus intelligenda esset, Statio aliquo vel Claudiano, non Vergilio dignam censet; praeferre tamen videtur Iahn., qui *antris* fortasse ex versu praecedente ortum esse suspicatur. Ceteri recentiores editores nobiscum consentiunt, et Conington quidem conferri iubet Prop. IV (III), 1, 5. *Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro* et Hor. Od. I, 32, 1., ubi certe Bentl. pro vulg. *Si quid vacui sub umbra Lusimus* ex uno Cod. legi velit *sub antro.* — **510.** „*tigres* in Thracia memorat, ut poëta, qui geographicam subtilitatem haud curat. Sic *cervos* Libyae assignavit Aen. I, 184." *Heyn.* Cf. quae ad Ecl. V, 27. adnotavimus et quae Wagn., ut poëtam excusaret, in min. edit. huic loco adscripsit. Etiam Hor. Od. III, 11, 13. de Orpheo: *tu potes tigres comitesque silvas Ducere.* — **511.** „Fundus huius comparationis nobilissimae est ap. Homer. Od. XIX, 518—524.; adde XV, 216 sqq. Hinc plures expressere. At nemo elegantius variavit et ornavit, quam Moschus IV, 21 sqq., quem et ipsum Vergilius ante oculos habuisse videtur. Quorundam reprehensiones huius loci, imprimis *umbrae populeae*, cum tamen sequatur *Flet noctem*, ex eo, quod poëticae cum rationis et artis tum orationis parum memores erant, profectae sunt. *Umbra* enim tam proprium et perpetuum est arboris attributum, ut ad causas physicas ac tempora respectus plane non habeatur. *Populeae frondis* mobilitas ac lene murmur in primis aptum moestitiae cantus." *Heyn.* Verba *maerens philomela sub umbra* iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 168, 3. Cf. ibid. I, 178, 303 sqq. *Qualis philomela sub umbra - - Late loca questibus implet Maerens* et Pervig. Ven. 86. *Adsonat Terei puella subter umbram populi.* — **512.** *arator* latiori sensu pro rustico, ut Geo. II, 207., ubi cf. v. 209 sq. huic loco simillimi. — **513.** Cf. Hor. Epod. I, 19. *Ut adsidens implumibus pullis avis Serpentium adlapsus timet.* Ribbeck. scripsit *Opservans.* Cf. eius Proleg. p. 390. et Wagn. Orth. Verg. p. 413 sq. et 462. — **514.** „*miserabile carmen Integrat*, iterat. Suavius Homerus (Od. XIX, 521.] *Ἠΰτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνήν*, ubi variatos modulationis colores expressos vides." *Heyn.* — **515.** *late loca inplet.* Cf. Lucr. II, 146. *liquidis loca vocibus opplent* et praeter Anthol. locum modo comm. etiam eiusd. I, 168, 2. et III, 81, 107. *maestis late loca questibus implet. — maestis questibus* non inutili pleonasmo, sed maiore cum vi dictum, ut *maestae querelae* apud Tibull. I, 8, 83., *maesti luctus* Aen. XI, 38., *maesti fletus* apud Prop. I, 5, 15., *miserae querelae* apud Ovid. Met. II, 342. etc. Cf. imprimis Dissen. ad Tibull. I, 1, 62. — **516.** *Nulla Venus*, nullus alius feminae amor (cf. adnott. ad Ecl. IV, 32. et VII, 69.). Conington confert Eur. Iph. Aul. 1264. *Ἀφροδίτη τις* („*a certain passion*"). — *non ulli - - hymenaei*, nullum alius matrimonii desiderium. Cf. adnott. ad Aen. I, 651. Auctor epigr. in Anth. Lat. Burm. I, 170, 71. hunc locum sic imitatur: *Nulla Venus, nulli quondam flexere hymenaei.* — **517.** *Solus*,

Arvaque Rhipaeis numquam viduata pruinis
Lustrabat raptam Eurydicen atque inrita Ditis
Dona querens ; spretae Ciconum quo munere matres
Inter sacra deum nocturnique orgia Bacchi
Discerptum latos iuvenem sparsere per agros.
Tum quoque marmorea caput a cervice revolsum

---

sine uxore, ut Aen. IV, 33. *sola*, sine marito. — „*Hyperboreas glaciei* vid. Geo. III, 196.; nomina tantum ad ornatum faciunt, non ad geographiam, ne mythicam quidem; ex qua nimis hyperbolice dictum esset, Orpheum inde ab Hebro peragrasse Hyperboreos, Tanaim et montes Rhipaeos. Tam latos errores vix faciunt amantes; voluit ac debuit poëta Thraciam nominare." *Heyn.* — *Tanais*, flumen Sarmatiae Europaeae notissimum, nunc *Don* vocatum. Cf. Herod. IV, 20. 123. Strab. XI. p. 492. Plin. IV, 12, 24. Mela I, 1, 6. alii et liber meus geogr. III. p. 1114 sq. — 518. De *Rhipaeis* montibus et Ribbeckii scriptura *Riphaeis* vid. adnott. ad Geo. I, 240. — *viduatus* prima significatione pro vacuus, carens, apud poëtas haud raro legitur. Cf. Lucr. V, 838. Sil. III, 601. id. XII, 370. Colum. de arb. 1. med. etc. — 520. *Cicones*, populus Thracius, Samothraciae vicinus, de quo cf. Hom. Od. IX, 39. Herod. VII, 110. Plin. IV, 11, 18. Mela II, 2, 8. et liber meus modo comm. III. p. 1076. *Ciconum matres*, i. e. matronae. Vid. adnott. ad Aen. II, 489. Sic Ovid. Met. XI, 3. *nurus Ciconum*. — „Verba *spretae quo munere* causam continent, cur mulieres Orpheum discerpserint. Mulieres cum hac pietate (*hoc munere*) repudiatae (*spretae*) essent [cf. Ecl. III, 74. et Aen. I, 27., scil. Orpheo omne matrimonium aversante: vid. v. 516.], inter orgia iuvenem discerpserunt. Vid. Voss. ad h. l. et Scheller. Observat. in prisc. script. quosd. p. 314. Dele igitur interpunctionem, quae vulgo post matres legitur." *Iahn.* Et sane haec ratio (iam Heynio ut etiam Ameisio Spic. p. 44. probata) una esse videtur, qua locum difficillimum utcunque interpretari possimus, quamquam negari nequit, *munus* paulo artificiosius de pietatis officio explicari. Proprie enim esset honor mortuae Eurydicae ab Orpheo tributus (ut Aen. IV, 624. VI, 686. XI, 26.), qui cum hic tantum cernatur in firmo et constante coniugis amore et in summo amissae desiderio, hoc sane paulo insolentius *munus* dicitur. Quare Servius et Iul. Sabinus de *munere nuptiali* cogitant, et hic quidem addit: „quasi non essent dignae illae nubere Orpheo;" unde apparere videtur, hunc Grammaticum legisse *sprcto quo munere*, ut in Bodlei. et paucis aliis Pierii Codd. vere scriptum invenitur; Asper autem Grammaticus (cf. Ribbeck. Proleg. p. 133.) et, qui ei adsentitur, Gesner. *quo munere* explicant *quamobrem*, *qua causa*, *οὗ χάριν*, qui tamen usus aliis exemplis esset comprobandus. Idem sibi vult Marklandi (ad Stat. Silv. III, 3, 87.) coniectura satis languida *quo nomine*. Burm. coni. *spreto C. quem foedere* (nuptiali) *matres;* Heyn. inter plures coniecturas a se propositas huic plurimum tribuere videtur: *Spretae C. cum munera matres*, ut coniungas *inter munera sacra deum;* Wagner. denique *pro munere* scriptum suspicatur, i. e. quo contemptum suum remunerari vellent. Peerlk. p. 303. coniicit *Spreto Ciconum quoque foedere*. Alia editorum commenta silentio praetereo. Ceterum hanc Orphei caedem accuratius narrat Ovid. Met. XI, 1 sqq. — 521. „Primum genus ponit, ut poëtica ratio fert, *inter sacra deûm;* tum subiungit ex iis id sacrum, in quo res acta, *inter orgia*, quo nomine omnia sacra enthusiastica et mystica appellabantur, *Bacchi nocturni*, cuius sacra noctu celebrari solita. [Cf. Aen. IV, 303. ibique adnott.] Porro Macrob. IV, 3. *Sacer vero locus imprimis pathos movet. Occisum inducit Orphea, et miserabiliorem interitum eius a loco facit: Inter sacra deum n. o.* Haec tandem Grammatico digna in poëtam suum observatio!" *Heyn.* Ceterum cf. cum h. l. Ovid. Met. XI, 3 sqq. — 522. Verba *iuvenem sparsere per agros* repetit imitator Verg. in Anth. Lat. Burm. I, 178, 147. — 523. *marmorea cervice*, candida, ut saepe apud poëtas. Cf. Lucr. II, 765. *Marmoreo fieri - - candore repente*, et ibid. v. 775. *in marmoreum migrare colorem.* Ovid. Met. III, 481. *marmoreae palmae.* id. Am. II, 11, 15. *marmorei pedes.* Lucil. apud Non. IV,

Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua
Ah miseram Eurydicen! anima fugiente vocabat,
Eurydicen toto referebant flumine ripae."
Haec Proteus, et se iactu dedit aequor in altum,
Quaque dedit, spumantem undam sub vortice torsit.
At non Cyrene; namque ultro adfata timentem:
„Nate, licet tristis animo deponere curas.
Haec omnis morbi causa; hinc miserabile Nymphae,
Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium misere apibus. Tu munera supplex

---

421. *marmoreum pectus.* Mart. VIII, 56. *marmorea manus* etc. Respexit hunc locum Silius XI, 481. *tum quoque, cum rapidi caput a cervice revulsum* et verba *caput a cervice revolsum*, petita ex Ennii Ann. fr. 15. p. 69. Vahlen., redeunt etiam in Anth. Lat. Burm. I, 178, 144. Praeterea cf. Aen. II, 558. *Avolsumque humeris caput.* — 524. *Hebrus* (vid. ad Ecl. X, 65.) *Oeagrius*, ab Oeagro, Thraciae rege, Orphei patre, de quo cf. Apollod. I, 3, 2. Schol. Apollon. I, 23. Schol. Pind. Pyth. IV, 313. aliique. — 525. Verba *vox ipsa et frigida lingua* iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 168, 13., ut sequentia *anima fugiente vocabat* ibid. I, 178, 311. Ceterum animadverte, quanto animi affectu Eurydices nomen ter repetatur, et cf. Aen. III, 523 sq. Signum autem exclamandi post *Eurydicen* cum Hauptio et Ribbeckio tollere noluimus, ne quis nomen pro Accus. Obiecti et *vocaret* pro advocare positum haberet. — 527. Verbum *referre*, hic de echo usurpatum, similiter de sono repercusso legitur ap. Cic. N. D. II, 57, 144. ad Qu. fr. I, 1, 14. Petron. 89. et alibi. — *toto flumine* ad latitudinem et utramque ripam referendum videtur, nam de toto fluminis cursu cogitare echus notio non permittit, nisi sumere volumus Orphei caput in Eurydices nomine murmurando perseverare, quod ridiculum esset. — 528. Cf. Hom. Od. IV, 570. Ex vatum more Proteus non omnia aperit, quae cognoscere Aristaei interest, sed filum subito abrumpens et remedia, quibus illi utendum est, Cyrenae prodenda relinquens in mare se praecipitat. — *se iactu dedit* etc. Cf. Senec. Troad. 1041. *medioque iactum Fecit in ponto.* Violentia, qua se in mare praecipitet Proteus, prodi eius stomachum, quod vaticinari coactus fuerit, haud inepte memorat Ladew. — 529. *„torsit sub vortice*, pro vulgari vortice vel in vorticem; ita ut vortex fieret. *vortice* autem, non capitis, sed quem mota eo insiliente aqua [in orbem circumacta] ciebat, δίνῃ, contorta in se aqua. — 530. *„At non Cyrene* iactu se in altum dedit et filium reliquit consilii inopem [ut modo Proteus: vid. adnott. ad Geo. III, 349.]. - - Namque, ducto in specus et in latebris collocato filio, substiterat illa, nube seu nebula circumdata: vs. 424. *ipsa procul nebulis obscura resistit.* Scilicet Proteus internecionis apum, *morbi causam* v. 397. tantum exposuerat, non vero fortunae remedium. Hoc mater subiicit; culpae, puta, expiationem, Nympharum placationem sacrificio certo ritu faciendo, ad inferias Orpheo et Eurydicae ferendas; quo facto ex victimarum visceribus nova examina exoritura esse." *Heyn.* Rectius Ameis. Spic. p. 44. censet, sensum tantum verborum illorum *se iactu dedit in altum* repetendum et hanc esse sententiam: abiit, i. e. reliquit Aristaeum, quemadmodum etiam apud Hom. Il. I, 532. ex verbis εἰς ἅλα ἅλτο ad sequentia tantummodo primaria notio illius formulae, i. e. ἔβη, cogitanda sit. (Ameisii explicationem repetit Ladew.) — *ultro*, non demum precibus excitata. Peerlk. p. 304. putat, Vergilium melius scribere potuisse *Natum Cyrene iamque ultro etc.* aut *Iamque ultro natum Cyrene.* — 531. *deponere curas*, ut apud Cic. Fam. IV, 6. Ovid. Trist. IV, 7, 20. et Remed. 253. etc. Conington confert Aesch. Agam. 165. ἀπὸ φροντίδος ἄχθος χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως. — 533. *choros agitabat.* Cf. Aen. I, 499. *Exercet Diana choros* (cum Oreadibus). — 534. *munera supplex tende*, protende, offer. Cf. Aen. II, 674. *parvumque patri tendebat Iulum. Munera* autem,

Tende petens pacem et facilis venerare Napaeas;
Namque dabunt veniam votis irasque remittent.
Sed modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quattuor eximios praestanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycaei,
Delige et intacta totidem cervice iuvencas.
Quattuor his aras alta ad delubra dearum
Constitue et sacrum iugulis demitte cruorem

---

ut *honores*, dicuntur omnia, quibus dii placantur aut coluntur. „Ritus haud dubie respicitur apud Homerum obvius fruges aliaque sacra inter preces tollendi. Apud Soph. Electr. 634. Clytaemnestra preces factura imperat servae: *ἔπαρε δὴ σὺ θύμαθ', ἥ παροῦσά μοι.* Ita proprie positum *Tende*, praesertim cum Participio *petens pacem* copulatum." *Wund.* Voss. confert Soph. Oed. Col. 499. et Sil. VI, 473. *nobis - - desistite honorem Tendere*, ubi tamen Heins. vel *pendere* vel *vendere* coniecit. — **535.** *petens pacem*, veniam et reconciliationem gratiae. Cf. Aen. III, 261. 370. etc. Conington comparat Lucr. I, 40. *Funde petens placidam Romanis, incluta, pacem.* Ceterum verba *Tu munera supplex Tende petens pacem* repetuntur in Anth. Lat. Burm. I, 178, 169 sq. — *faciles*, placabiles, haud inusitatum Nympharum epitheton. Conington laudat Prop. III, 26, (32,) 76. (prius II, 34, 76.) *faciles Hamadryadas* et Nemes. Cyn. 94. *Naiades faciles.* Cf. etiam, quae ad Ecl. III, 9. adscripsimus. — *Napaeae*, Nymphae saltuum et nemorum, vel potius convallium silvosarum (a *νάπῳ* s. *νάπη* appellatae), quas diserte a Dryadibus distinguunt Colum. X, 264. et Calpurn. IX, 20. — **536.** *„votis*, precibus factis. Forte praestat interpungere: *Namque dabunt veniam, votis irasque remittent.*" *Heyn.* Sed vide, quae supra ad v. 22. adnotavimus. — **537.** *qui sit.* Quinque Codd. et editt. vett. *quis sit*, male; cum in seqq. orandi modus per partes describatur, et qualis esse debeat, declaretur. Vide adnott. ad Ecl. I, 19. — *ordine dicam*, exponam, ut ipse rerum ordo postulat. Cf. supra I, 425. — **538.** *eximius* proprie dicebatur de animalibus ad sacrificium electis, quia in sacrificiis optimum pecus e grege eximebatur, teste Festo p. 61. edit. Lindem. et Macrob. Sat. III, 5, 6. Cf. etiam Donat. ad Ter. Hec. I, 1, 9. (a Coningt. laud.) et Drakenb. ad Liv. VII, 37, 1. — V. **538.** iteratur infra 550., ut v. 540. fere totus 551. Pro *eximio* (quod tuentur Med., Gud. a m. sec., Bern. II. et III. et Macrob. loco laud.) hic Rom. et Gud. a m. pr. et v. 550. Med. et Rom. *eximios*, pro *praestanti* autem (quod praebent Med., fragm. Vat., Bern. II. et III. et Macr. l. l.) hic Rom. et Gud. et v. 550. iidem Codd. a m. sec. *praestantis* exhibent. — **539.** In *Lycaeo*, Arcadiae monte satis noto (de quo vid. adnott. ad Ecl. X, 15.), Aristaeus armenta habere narratur. Cf. v. 286., ubi *Arcadius magister* vocatur. — **540.** *intacta cervice*, scil. iugo, ideoque nondum sub iugum missas. Sic etiam apud Hor. Epod. IX, 22. *intactae boves.* Macrobio Sat. III, 5, 5. *iniuges hostiae* dicuntur. Omnino cf. Hom. Od. III, 382. *βοῦν ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.* Sched. Ver. et Rom., item Gud. et Bern. II. a m. pr. praebent *intactas*, neque aliter Rom. et Gud. a m. pr. infra v. 551., ubi Med. a m. sec. exhibet *intacto*, superscripta litera *a*; sed receptam lectionem praeter ceteros Codd. etiam Serv. et Macrob. l. l. tuentur. — **541.** *dearum*, Nympharum v. 532. — *„ad delubra* statuuntur arae ante templum, in *προνάῳ*, ex more; *delubra alta*, quia gradibus adscendebatur ad templa [plerumque in collibus exstructa]." *Heyn.* Cf. Aen. I, 448. De *delubro* autem, quod latiorem significationem videtur habuisse, quam templum, etsi Romani ipsi vim huius vocabuli antiquissimi non satis perspexerunt, Varro L. L. VII. p. 219. Bip. haec scribit: *Sicut locum, in quo figerent candelam, candelabrum appellarunt, ita in quo deum ponerent, nominarunt delubrum*; quae certe ingeniosa etymologia censenda. Cf. Gesner. in Thes. L. L. h. v. et Kritz. ad Sall. Cat. 11, 6. — **542.** *Constitue*; vox propria hac de re: cf. Aen. V, 237. VI, 244., et quod attinet ad simplex verbum *statuere* Aen. VIII, 271. IX, 627. — *demitte*, fac, ut in

Corporaque ipsa boum frondoso desere luco.
Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,
Inferias Orphei Lethaea papavera mittes
Et nigram mactabis ovem lucumque revises;
Placatam Eurydicen vitula venerabere caesa."
Haud mora; continuo matris praecepta facessit.
Ad delubra venit, monstratas excitat aras,
Quattuor eximios praestanti corpore tauros

---

pateras defluat, unde arae flammae infundatur. Cf. Aen. VI, 248. et Stat. Theb. IV, 464. Medic., Gud. aliique Codd. (etiam Ribbeckii Bern. III.) *dimitte*, quod, quamquam in contextum non recepit, praetulit tamen Iahn. ad Geo. II, 8. (p. 405. ed. II.), ut sit: „emittere, nullo respectu loci, quo veniat;" quemadmodum etiam Aen. VI, 455. ex Medic. aliisque libris temere scribi voluit: (Aeneas) *dimisit lacrimas*. — 543. *cruorem Corporaque ipsa*. Vid. adnott. ad Geo. III, 387. — 544. *„nona Aurora*. Haud scio an cogitaverit poëta de *sacro novemdiali;* vid. not. ad Aen. V, 64." *Heyn.* — 545. *Orphei*. De hac Dativi forma vid. adnott. ad Aen. V, 184. et de synizesi ad Ecl. VI, 42. — *Lethaea papavera mittes*, ut obliviscatur miseriae suae. Vid. Geo. I, 78. ibique adnott. — De *inferiis* cf. Voss. ad h. l. — 546. *nigram mactabis ovem*. Cf. adnott. ad Aen. V, 97. — 547. *„lucumque revises*. Nam ex seqq. apparet, inferias faciendas fuisse loco alio; tum autem, inferiis factis, ille *revisit lucum*, in quo fanum Nympharum erat, ad quod victimae caesae fuerant relictae. Displicet Orpheum non nisi papavere placari, Eurydicen vero vitula et ove. Et variant Codices, quorum pars maior versum *Et nigram* praeponit alteri *Placatam Eurydicen*. Cui ordini in lectione vulgata cum id obstet, quod tum verba *revises, venerabere* nullo iuncta sunt vinculo, hanc difficultatem Vossius lectione unius vel duorum Codd. *revisens* recepta expedivit [cui recte adversatur Ribbeck. Proleg. p. 47.]. Equidem ordinem versuum ita faciendum esse conieci: *Placatam Eurydicen — Inferias Orphei — Et nigram." Heyn.* Inverso ordine (*Placatam Euryd. - - Et nigram - -*) quantum scimus una Ald. III. et fortasse Cod. Longob. Pierii hos versus exhibent, nam in Mediceo (quem et ipsum huic rationi patrocinari putat Heins.) secundum Foggin. eodem ordine leguntur, quo nos cum Iahn. et Wagn. (quibus omnes recentiores editores se adiunxerunt) eos exhibuimus, quare non erat, cur Heins., Heyn. et Iacobs. hos versus invitis libris transponerent. Sententia enim loci haec est: Die nono inferias Orpheo mittes et post sacra facta lucum revises. Praeterea Eurydicen vitula caesa placabis. *Placatam* enim futurum tempus spectat: ita ut in posterum tibi sit placata. Vid. adnott. ad Geo. I, 320. et Aen. VIII, 532. Paulo aliter Ribbeck. l. l.: „Id ipsum agitur, ut inferiis placetur Eurydice, et placatam esse in luco ex prodigio comperit Aristaeus, placatae autem gratias agere iubetur caesa vitula. Itaque dubitari nullo modo potest, quin ultimo versu 547. quid ut efficiatur sacris illis futurum sit promittat Cyrene;" atque etiam Wagn. in min. edit.: „Eurydicen placatam iam ante cum ceteris Napaeis v. 535. praeterea vitula caesa venerabere". Temere igitur Heynius (cuius sententiae Iacobs. et prius etiam Wagn. album calculum adiecerunt) versum 547. in *νοθείας* suspicionem adduxit, quod neque v. 454. neque v. 553. Eurydices mentio fiat, neque post lucum petitum nova sacra commode commemorentur. — 548. *Haud mora; continuo* etc. Cf. adnott. ad Aen. III, 207. — *praecepta facessit*, ut Aen. IV, 295. et IX, 45. Ab hac ceterorum librorum lectione recedunt Med. et Gud. *capessit* exhibentes, ut Aen. I, 77., Gud. tamen in marg. addit: „alii *facessit*". Cf. etiam Schol. Bern. ap. Ribbeck. Proleg. p. 198. — 549. *monstratas aras*, ut Aen. IV, 636. *monstrata piacula*. Cf. supra v. 62. ibique adnott. — *excitare* pro erigere, ut saepe etiam apud pedestris orationis scriptores. Cf. v. c. Cic. Leg. II, 27, 68. *sepulcrum*, Caes. B. G. V, 39. *turres*, Flor. I, 1. *urbem*, Sen. Ep. 52. *aedificium*, Suet. Claud. 1. *tumulum excitare* etc. Wund. confert Callim. in Dian. 199. *ἀνιστῇ-*

Ducit et intacta totidem cervice iuvencas.
Post ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit lucumque revisit.
Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum
Aspiciunt, liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero et ruptis effervere costis
Inmensasque trahi nubes, iamque arbore summa
Confluere et lentis uvam demittere ramis.
Haec super arvorum cultu pecorumque canebam

σαντο δὲ βωμούς. — 550 sqq. „Iisdem verbis Maro utitur, quibus paullo ante, Homerico more; cuius ratio haec tenenda est, ne semel bene et proprie enuntiata ieiune aut perperam mutentur.“ *Heyn.* — 551. *Ducit.* Cf. Aen. VI, 153. *Duc nigras pecudes.* — 552. Ribbeck. cum Gud. a m. pr. scripsit *Post ube*, supra tamen v. 544. *Post ubi.* Vid. ad Geo. I, 441. *induxerat*, Conington confert Hor. Sat. I, 5, 9. *Iam nox inducere terris Umbras - - parabat.* — 554. *monstrum*, rem monstrosam, miram. Cf. Aen. II, 171. 680. III, 58. 307. VIII, 81. IX, 120. Respexit hunc locum Grat. Cyn. 443. *Hic dictu mirum atque alias ignobile monstrum - - Venit.* — 555. *Aspiciunt*, Aristaeus cum comitibus s. victimariis. - - *liquefacta per viscera*, i. e. tabe, putredine dissoluta. Vid. sup. v. 308. De *visceribus* vid. adnott. ad Geo. III, 559. — 556. *Stridere.* Vid. supra ad v. 262. Ceterum de verbis *monstrum - - stridere - - effervere* etc. per appositionem coniunctis vid. adnott. ad Aen. III, 241. — *effervere*, ex Lucret. II, 927. *Cernimus - - vermes - - effervere, terram Intempestivos quom putor cepit ob imbris*, ubi Wakef. confert Ovid. Fast. I, 379. *fervent examina putri De bove.* Ceterum cf. adnott. ad Geo. I, 456. — 557. „*nubes trahi*, nova examina. Cf. ad hos versus Nicandr. Alexiph. 443 sqq., ubi de papavere.“ *Heyn.* Cf. etiam supra v. 60. — 558. *uvam demittere*, in uvae speciem (*βοτρυδὸν*, Hom. Il. II, 89.) pendere ex arbore. Cf. simillimus locus Aen. VII, 64 sqq. — 559. sqq. Cum a poëtarum more alienum sit talia adiungere suis carminibus, contra vero Grammaticos tali lusu delectatos esse constet, cumque in eo singula quaedam verba offendant, ut *haec ego canebam - - dum fulminat* et *canere super aliqua re*, Bryantus, Schrader., Brunck., Heynius et Schirach. p. 415. (quibus etiam Peerlk. p. 307. videtur adsentiri, quamquam quid de his versibus sentiat, nondum aperte vult pronuntiare) hunc Epilogum spurium et poëta indignum censuerunt; sed recte eum defenderunt Voss., Wagn. (qui etiam conf. ad Eleg. ad Messal. p. 9.) et Ribbeck. Lect. Verg. p. 1., et Proleg. p. 18. Primum enim urgendus est librorum mss. omnium et Grammaticorum, Frontonis vv. *Adfectat* et *Super*, Servii, Philargyrii, consensus, deinde et aliorum poëtarum (Hesiodi, Nicandri, Ovidii), et ipsius Vergilii usus tales clausulas adiiciendi (cf. Ecl. X, 70 sqq. et Geo. II, 541 sq.), denique mira verborum gravitas numerorumque elegantia, prorsus aliena a Grammaticorum putidis additamentis; ita ut verissime contendat Wagn., singulis verbis nihil inesse, in quo quis iure haereat. Quae enim Heynium offenderunt, omnia bene se habent, ut statim videbimus. — *Haec.* Pron. demonstr. totum Georgicôn, ut Ecl. X, 70. *Haec sat erit, divae, vestrum cecinisse poëtam* totum Bucolicôn opus complecti censet Wagn. Qu. Verg. XX, 2. et Conington praeterea conferri iubet similem locum Hor. Ep. I, 10, 49. *Haec tibi dictabam* etc. Exempla autem Praepositionis *super* pro *de* positae ipse suggerit Vergilius Aen. I, 750. III, 348. X, 839. Neque ulla causa apparet, quidni in eiusmodi carminis didactici epilogo poëtae licuerit formula dicendi uti optimorum pedestris orationis scriptorum exemplis satis comprobata. Cf. Cic. Att. X, 8. extr. *Sed hac super re nimis*; ibid. XVI, 6. *Hac super re scribam ad te Regio* etc. Cf. etiam Ruddim. II. p. 326. et Orell. ad Hor. A. P. 429. — *pecorumque;* in his etiam de cultu apum. Voc. *pecoris* enim apes quoque in se posse continere, docet supra v. 168. Cf. ad-

Et super arboribus, Caesar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello victorque volentis
Per populos dat iura viamque adfectat Olympo.
Illo Vergilium me tempore dulcis alebat
Parthenope studiis florentem ignobilis oti,

---

nott. ad Geo. III, 75. Conington, de hac opinione mea dubitans, putat apes omissas esse, quia poëta sumere potuerit, per se neminem lectorem earum obliturum esse. — **560.** *dum Caesar - - Fulminat* etc. Particula *dum* etiam tum adsciscit Praesens tempus, cum, Perfecto praecedente vel subsequente, tempus iam praeteritum indicat. Cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 5, 72. Obbar. ad eiusd. Epp. I, 2, 2. Vol. I. p. 37. Heinrich. et Beier. ad Cic. pro Tullio 15. imprimisque Hand. Tursell. II. p. 306 sqq. Exempla vide apud nostrum Ecl. VII, 6. Aen. VI, 171., ap. Hor. Od. I, 22, 10. III, 11, 23. Epist. I, 19, 16. II, 1, 7. Liv. XXI, 7, 1. et alibi. Quare non erat, cur Heyn. aliique ad haec verba offenderent. — *ad altum Euphraten fulminat.* De ipsa re vid. adnott. ad Geo. II, 171., ubi vidimus, haec pertinere ad annum 724. s. 30. a. Chr. n., quo Octavianus hiberna in Asia agens etiam res Parthicas composuit. Euphrates autem illo tempore Syriam a Parthorum regno dividebat. Vere autem Wagn. adnotat: „Rem haud ita magnam mirifice auxit poëta, cui licentius fingendi potestas erat in rebus, quae quales quantaeque essent, eo, quo haec scribebat, tempore sciri nondum poterat.“ Nemini autem haec legenti in mentem venire non potest, Scipiones illos ab ipso Vergilio nostro Aen. VI, 842. Lucr. III, 1047. Silio VII, 106. et Cic. Balb. 15, 34. *fulmina belli, gentis, imperii* vocari. Cf. etiam Aen. XII, 654. *Fulminat Aeneas armis.* Ceterum Statius Silv. IV, 7, 50. *Caesaris fulmen* commemorans hunc locum videtur respexisse. — **561. 562.** *„volentes per populos,* quorum legati undique eum conveniebant, ut apud Xen. Oecon. 21, 12. *ἑκόντων ἄρχειν.“ Heyn.* Bene Servius: „Vincere virtutis est, iustitiae vero non invitis, sed volentibus imperare.“ — *dat iura,* leges imponit. Cf. adnott. ad Aen. I, 293. — *viamque adfectat Olympo.* Cf. Ter. Phorm. V, 8, 71. *Hi gladiatorio animo ad me affectant viam,* et Cic. Rosc. Am. 48, 140. *quod iter affectet.* Philarg. autem laudat Plaut. Aul. III, 6, 39. *cum affectat viam* et Ter. Heaut. II, 3, 59. *qui ad dominas affectant viam.* — *Olympo,* ad Olympum, ad immortalitatem nominis. Vid. supra v. 325. et adnott. ad Ecl. II, 30. et Geo. II, 306. coll. cum iis, quae ad Ecl. V, 56. adscripsimus. — **563.** *Vergilium.* De hac antiquiore et vera nominis forma (quam etiam ceteri recentiores editores receperunt) cf. Diss. meam de vita Verg. adnot. 1. — **564.** De *Parthenope* sive Neapoli, studiorum parente, Heyn. conferri iubet Wernsd. Poët. L. Min. T. IV. Exc. IX. Cf. etiam Plin. III, 5, 9. *Neapolis Chalcidensium et ipsa Parthenope a tumulo Sirenis* [Parthenopes, quae hic divino honore colebatur] *appellata.* Sil. XII, 33. *Sirenum dedit una suum et memorabile nomen Parthenope muris Acheloïas;* quare etiam Petron. c. 5. Neapolin *Sirenum domum* vocat. Praeterea vid. Strab. V. p. 377. Ovid. Met. XIV, 101. XV, 712. etc. et librum meum geogr. III. p. 734. coll. iis, quae scripsi in Pauly *Realencycl.* V. p. 485. De Marone autem Neapoli vivente vid. Diss. de vita et carmm. Vergilii adnot. 50. — *„studiis floret* et is, qui laudem inde et existimationem fert, ex iis inclarescit, et is, qui iis cum maxime deditus est. Floremus enim iis, quorum copia et abundantia ad manum est. Hoc altero sensu h. l. accipiendum. — *Otium* Romanis omne vitae genus a reip. negotiis domesticis bellicisque alienum; proprie tamen quodammodo de Musarum otiis; *ignobile* respectu gloriae bellicae et gestarum in civitate magnarum rerum. Sic Geo. II, 486. *inglorius.“ Heyn.* Cf. etiam Aen. VII, 776. Obversabatur autem hic locus Gratio Cyn. 392. *me studiis ignobilis oti Mulcentem curas.* Ribbeck. Proleg. p. 195. de hoc versu conferri iubet Schol. Bern. et Sueton. fragm. 203. p. 350. Reiff., Wagn. autem Ovid. Trist. IV, 8, 7. *Quaeque meae semper placuerunt otia menti, Carpere* (debebam) *et in studiis molliter esse meis.* *Otii* autem *studia* opponuntur *belli studiis* (Aen. I, 14.). De contracta

Carmina qui lusi pastorum audaxque iuventa, 565
Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.

---

forma Genitivi vid. adnott. ad Aen. IX, 151. — 565. *lusi*. Vid. adnott. ad Ecl. I, 10. et VI, 1. — „*audax iuventa*, qui omnino carmina vulgare auderet, rem poëticam aggrederetur, ut Geo. I, 40. *audacibus adnue coeptis*; non quod carminis genus tale esset, quod magnos ausus posceret. Tenue enim genus est bucolicum.“ *Heyn.* Ceterum Heynio et Schirachio p. 415. ultimos certe quatuor versus vanis de causis spurios censentibus rectissime adversatur Wagn., qui docet, nihil esse in his vss., quod non deceat vatem Mantuanum, et si priores quatuor vss. 559—62. genuini sint, ne posse quidem desiderari vss. 563. sqq.; atque ipsam Genitivi *oti* formam (vid. adnott. ad Ecl. I, 33.), probare, ante senescentis Augusti aetatem haec esse composita, quod iam viderit Weichert. de verss. iniuria susp. p. 148. De tempore autem, quo conscripta sint Georgica, vide Diss. de vita et carmm. Vergilii adnot. 47.

ADDENDA.

(Hoc primum volumen cum maximam partem iam a. 1868. typis exscriptum, redemptoris autem honestissimi consilium omnia tria volumina simul in lucem edendi bello exorto prelaque insistere cogente frustratum sit, nunc post quatuor annos haud paucis additamentis opus est, quae tertio demum volumini reservare noluimus, quamquam alterum tertiumque volumen hoc primum non diutius retinendum interiecto haud magno spatio sequentur. Spectant autem ea potissimum ad orthographiam Vergilianam atque singulorum vocabulorum formas usumque, cuius rei prius parum rationem habuimus.)

Ad Ecl. I, 2. De fistula pastoricia cf. etiam Volkmann. de organis sive instrumentis veterum musicis §. 4. et Gebaueri Progr. laud. p. 13.

\- - I, 5. Quod attinet ad rationem scribendi *formonsus* cf. etiam Ritschlii Opusc. II. p. 715. Corssen. de pron. (*Ueber Ausspr., Vokalism. u. Betön. d. Lat. Spr.*) I. p. 254. ed. II. (quae prodiit a. 1868. et 1870.) et Brambach. *Neugestalt. d. Lat. Orthogr.* (Lips. 1868.) p. 83. et 268.

\- - I, 7. *illīus.* Sic etiam *ipsĭus* Geo. I, 452. Aen. I, 114., *unĭus* Aen. I, 41. II, 131., *ullĭus* Catal. VIII, 3., *alterĭus* Aen. II, 667. III, 31. 33. Cf. etiam Ritschl. Opusc. II. p. 662 sqq. 677. 680 sqq. 690 sqq. et Neue *Formenl. d. Lat. Spr.* (Stuttg. 1866. et Mitav. 1867.) II. p. 183., ad quem librum praestantissimum lectores eo saepius delegandos esse duximus, quo magis indice eum carere dolendum est.

\- - I, 8. Hoffmann. in Ephem. gymn. Austr. a. 1851. p. 384. contra Wagn. paulo subtilius disputans *ab* hic partitive capiendum esse negat. Sed quid, quaeso, interest, utrum explices: ab ovili veniens, an: ex ovili petitus?

\- - I, 15. Interiectionem *ah* ex *aha* ortam esse ideoque non sine *h* scribendam esse docet Priscian. I, 5, 25. p. 548. Cf. etiam Neue *Formenl.* II. p. 566. — *conixus.* Cf. Corssen. I. p. 250. et quos laudat: Lachm. ad Lucr. p. 136. Brandt. Quaest. Hor. p. 114. et Fleckeis. L tit. (*Fünfzig Artikel üb. Lat. Rechtschreib.*) p. 14., quibus adde Ritschl. Opusc. II. p. 449. et Brambach. l. l. p. 302 sq.

\- - I, 17. *caelum.* Cf. Corssen. I. p. 223. 370.

\- - I, 19. De duplici forma Pron. *qui* et *quis* nunc etiam cf. Neue *Formenl. d. Lat. Spr.* I. p. 159 sqq.

\- - I, 22. *haedus.* Cf. Corssen. I. p. 99. 158. (et Brambach. p. 284.).

\- - I, 23. *Noram.* Cf. Geo. II, 108. 458. III, 168. IV, 424. 461. Aen. II, 586. IV, 33. 367. 605. V, 107. VI, 641. 712. VII. 643. 766. VIII, 317. IX, 108. 382. et Neue *Formenl.* II. p. 410 sqq. — *conponere.* Cf. Ribbeck. in Nov. Ann. phil. LXXV. p. 320. Corssen. II. p. 105 sq. et Brambach. p. 300.

\- - I, 29. De scribendi ratione *pos tempore* cf. etiam Ritschl. Opusc. II. p. 548 sqq. et p. 772 sq. Ribbeck. in Nov. Ann. phil. LXXVII. p. 187. et in Proleg. p. 442. Corssen. I. p. 183 sq. (199. 734. II. p. 595. 606. 908. 918. et Weidn. ad Aen. II, 56.)

Ad Ecl. I, 32. *peculi*. De hac Genitivi forma accurate egit Neue I. p. 83 sqq.

- - I, 34. De Particula *et* postposita vid. etiam Weidner. ad Aen. I, 333. et II, 600. (cuius Comment. in libros I. et II. prodiit Lips. 1869.)

- - I, 36. *maesta*. Vid. etiam Corssen. I. p. 328.

- - I, 42. *quot annis*. Cf. Corssen. (I. p. 175.) II. p. 878. 1004 sq.

- - I, 54. Cf. etiam adnott. ad Aen. I, 320. et V, 608. et de voce *saepes* per *ae* scribenda Wagn. Orth. Verg. p. 469. Ribbeck. Proleg. p. 446. Fleckeis. L tit. p. 28. Corssen. I. p. 326. II. p. 153. et Brambach. p. 204 sq.

- - I, 59. Loci huius voluminis, de quibus Wagner. in Lect. Verg. Philologi Suppl. I. p. 307 sqq. insertis accuratius egit, ut sententias prius a se propositas defenderet et novis quibusdam argumentis comprobaret, sunt hi: Ecl. I, 59. (60.) p. 311. — I, 65. (66.) p. 395. — III, 109. p. 305. — VII, 54. p. 368. — VIII, 74. p. 371. omninoque de tota Ecl. VIII. p. 396 sq. — IX, 3. p. 372. — X, 19. p. 312. — Geo. I, 50. p. 312. — I, 226. p. 313. — I, 419. p. 372. — I, 457. p. 313. — I, 185. p. 313. — II, 185. p. 313. — II, 367. p. 314. — (II, 464. p. 314.) — III, 188. p. 399. — III, 202. p. 314. — III, 219. p. 314. — (III, 230. p. 372.) — III, 235. p. 372. — (III, 241. p. 372.) — III, 305. p. 373. — III, 402. p. 374. — III, 433. p. 374. — IV, 14. p. 375. — IV, 202. p. 375. — IV, 505. p. 376.

- - I, 62. *Ararim*. Cf. etiam Neue I. p. 183 sq.

- - I, 63. *voltus* (*volnus* etc.). Cf. Corssen. II. p. 157 sq. et Brambach. p. 79 sqq.

- - I, 80. *super*. Vid. adnott. ad Aen. I, 680. et cf. Neue II. p. 551.

- - II, 1. *Alexim*. Cf. Neue I. p. 208.

- - II, 4. *adsidue*. Cf. tamen Corssen. II. p. 421. et Brambach. p. 298 sq.

- - II, 10. *rapido aestu*. Cf. etiam Geo. II, 321. *rapidus sol*.

- - II, 11. Cum Ribbeckii *aliis* conferri possunt eiusdem *Polio* Ecl. III, 84. et *stelio* Geo. IV, 243. Cf. vero quae Brambach. p. 260. recte opponit, qui tamen *alium* una *l* scriptum p. 136 sq. probare videtur, ut etiam Neue I. p. 423., qui quomodo Pluralis capiendus sit, ex Moret. 88. et Ser. Samon. 32. 188. 334. docet.

- - II, 17. *color*. Cf. etiam Aen. IV, 558.

- - II, 20. *dives* c. Gen. Sic etiam Hor. Od. IV, 8, 5. *dives artium* et Ep. II, 2, 31. *dives rerum*.

- - II, 22. *novom*. Cf. Corssen. II. p. (48.) 111. 114. Brambach. p. 79 sqq. et 319 sq. et Neue I. p. 66 sqq., qui p. 68 sq. collegit omnes Vergilii locos, ubi Codd. formas *om* pro *um* et *os* pro *us* exhibent. — *defit*. Cf. Aen. IV, 116. V, 708. X, 181. 860. XI, 242. 301. XII, 10. et Neue II. p. 474.

- - II, 47. *papavera*. De hoc Plurali cf. Neue I. p. 423., qui etiam agit de Plur. *mella*, *tura*, *harenae*, *cineres* etc. Verg. haud raro usurpato.

- - II, 49. *Tum*, ut Geo. I, 388. III, 227. 257. Aen. I, 104. 164. II, 697. III, 228. IV, 250. VI, 20. 278. 587. al., in enumeratione et descriptione usurpatum. Cf. Wagn. Qu. Verg. XXV. p. 623 sq. Wunderl. Epist. ad Heeren. p. XV. Iahn. ad Ecl. III, 10. p. 373. ed. II. alii.

- - II, 53. De hiatu cf. etiam Fleckeisen. in Nov. ann. phil. LXI. p. 49. Cum forma *honos* cf. Ecl. III, 56. et alibi *arbos* (*honor* et *arbor* ap. Verg. nusquam leguntur) et Aen. VI, 277. *Labos* (contra *labor* Geo. III, 118. et al.) et quae de hac forma Corssen. I. p. (170.) 234 sq. Brambach. p. 45. 277. et Neue I. p. 168 sq. disputarunt.

- - II, 54. De Superlativo in *umus* misso cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 450. Corssen. I. p. 331 sqq. et Brambach. p. 108 sqq. Sed vid. etiam Ritschl. Opusc. II. p. 725.

Ad Ecl. II, 61. *quas condidit.* Aliter tamen Ameis. in Nov. Annal. phil. LXI. p. 382.: Pallas ipsa condidisse fingitur.
- - II, 66. *aspice.* Cf. etiam Brambach. p. 299.
- - II, 70. De scribendi ratione *ulmost* cf. etiam Ritschl. Opusc. II. p. 85. Ribbeck. Proleg. p. 419. et Corssen. II. p. 646. et 853.
- - III, 1. *cuium.* Cf. Neue *Formenl.* II. p. 171.
- - III, 3. *ovis.* Vid. infra ad Geo. I, 25. — Ad verba „*ipse*, dominus Aegon" adde: qui hoc Pronomine opponitur *custodi* v. 5. commemorato.
- - III, 5. De duplici quantitate Pron. demonstr. (*hīc*, *hōc* etiam Aen. II, 104. 664. XI, 16., *hīc* Aen. IV, 22. VI, 792.) cf. Neue *Formenl.* I. p. 147 sq.
- - III, 6. *sucus.* Cf. Corssen. I. p. 38.
- - III, 8. *hirqui.* Cf. Corssen. I. p. 71. 73. et Brambach. p. 234.
- - III, 12. Ribbeck. Proleg. p. 205. ex Pseudo-Probi libro de ultimis syllabis p. 228, 23. K. praeferendam censet formam *Daphnidos.*
- - III, 18. *Excipere.* Cf. adnott. ad Aen. III, 332.
- - III, 29. *recusses.* Cf. Corssen. I. p. 283. et in universum Brambach. p. 273 sqq.
- - III, 32. *ausim.* Cf. Geo. II, 289. et Neue *Formenl.* II. p. 424. *quicquam.* Cf. Corssen. I. p. 209. et Brambach. p. 254.
- - III, 34. Quod attinet ad hunc usum Copulae *que* cf. etiam Aen. I, 27. II, 504. 722. III, 148. VII, 94.
- - III, 37. De *Alcimedonte* vide etiam Brunn. *Gesch. d. griech. Künstler* II. p. 402.
- - III, 38. Ameis. in Nov. Annal. phil. LXI. p. 583. verba *facili torno* reddit per: *mit leicht geführtem Schnitzmesser.*
- - III, 39. *edera.* Cf. Corssen. I. p. 167. omninoque Brambach. p. 283 sq.
- - III, 56. *arbos.* Vid. supra ad II, 53.
- - III, 59. De Ablat. *alternis* adverbialiter usurpato cf. Geo. I, 71. 79. Lucr. I, 524. 767. 1011. alibi et Neue II. p. 515. *Camenae.* Vid. etiam Corssen. I. p. 326.
- - III, 69. *aëriae* non nisi cum *congessere* coniunctum explicari poterat per: „in alto nidificantes". Cf. Ameis. in Nov. Ann. phil. LXII. p. 57.
- - III, 72. *quotiens.* Cf. Corssen. I. p. 258. et Brambach. p. 225. 269.
- - III, 73. De Gen. *divom* cf. Neue I. p. 110. et 118.
- - III, 79. *Longum vale.* Cf. etiam Aen. IV, 463. *longas in fletum ducere voces.*
- - III, 82. *umor.* Cf. Corssen. I. p. 545. (II. p. 127.) omninoque Brambach. p. 283 sq. (Vid. infra ad Geo. I, 385.)
- - III, 84. Cf. etiam Hübner. in Nov. Ann. phil. LXXVII. p. 361. contra Schultz. (Orth. Quaest. decas p. 44 sqq.) scripturam *Polio* reiicientem disputans. Corssen. I. p. 226 sqq. utramque scribendi rationem (ut etiam in *querela*, *reliquiae*, *religio* etc.) locum habere docet, Brambach. vero p. 260. formam *Pollio* praefert.
- - III, 86. *nova carmina*, novi, Romae adhuc incogniti generis, ut Ecl. V, 71. *novum nectar* et Aen. I, 307. *loci novi.*
- - III, 87. *harena.* Cf. etiam Fleckeisen. L tit. p. 18. Corssen. I. p. 102. et Brambach. p. 284. (388. 314.)
- - III, 96. *reice.* Vid. etiam Corssen. I. p. 309. II. p. 394. Brambach. p. 199 sqq. et Neue II. p. 335. et cf. infra ad Ecl. VI, 19. adscripta.
- - III, 105. *tris.* De hac forma Accus. vid. Neue II. p. 106.
- - IV, 5. De voce *saeculum* per *ae* scribenda cf. Fleckeisen. L tit. p. 27.
- - IV, 11. *inibit* rectius explices per: inibit in mundum.
- - IV, 12. *magnos menses* etiam Ameis. in Nov. Ann. phil. LXI. p. 383. de magno anno mundano intelligit.
- - IV, 32. *temptare.* Cf. etiam Aen. III, 146. 520. et Ovid. Met. V, 123. et de scribendi ratione etiam Corssen. I. p. 122. et

Brambach. p. 249 sq.; quod autem attinet ad *Thetim* pro mari positam locis allatis adde Geo. IV, 516., ubi *Venus* pro amore dicitur, et cf. quae Naegelsb. *Nachhom. Theol.* p. 95. et Ameis. in Nov. Ann. philol. LXII. p. 36. de hoc usu disputant.

Ad Ecl. IV, 38. Sententia omnino haec est: Cessabit omnis navigatio et mercatura.

\- - IV, 43. De hoc loco cf. etiam Ameis. in Nov. Ann. phil. LXI. p. 383.

\- - IV, 45. Etiam Neue II. p. 194. *pascentes* recte habet Partic. Verbi dep. *pasci*.

\- - IV, 50. *convexo pondere*. Cf. Aen. IV, 451. VI, 240. X. 251.

\- - IV, 57. *Orphei*. Consentit nobiscum Neue I. p. 309.

\- - IV, 61. *tulĕrunt*. Viris doctis hic laudatis adde Köne *Sprache d. röm. Epiker* p. 162 sq. Neue *Formenl.* II. p. 296. et Corssen. I. p. 611 sq.

\- - IV, 63. De Part. *et, atque, nec, neque* etc. postpositis praeter adnott. ad Ecl. VI, 37. cf. etiam Weidner. ad Aen. II, 600. — Cum Pal. et Gud. a m. pr. *cubileest* et Rom. *cubilest* exhibeant, Ribbeck. edidit *cubileist*, de qua re vid. supra ad II, 70. et ad Aen. I, 237.

\- - V, 1. *boni inflare, dicere*. Cf. etiam Köhler de Infinitivo apud Rom. poetas a nominibus adiectivis apto. Berol. 1861. (Progr.)

\- - V, 4. *aecus* (*propincus, ecus* etc.). Cf. Corssen. I. p. 73. omninoque Brambach. p. 221 sqq.

\- - V, 8. *tibi certet*. Locis allatis adde Aen. I, 493. IV, 38. XI, 600. et Wernsd. P. Lat. min. III, 220, 31.

\- - V, 12. *servabit* Ameis. in Nov. Ann. phil. LXI. p. 384. explicat „salvos tuebitur, *wird beschützen*", coll. Ecl. VII, 9.

\- - V, 14. *modulatus*. Adde locos ad Prooem. v. 1. collectos.

\- - V, 15. *iubeto*. Cf. quae de hac Imperativi forma disputarunt Kralup. in Friedem. et Seebodii Miscell. crit. II, 4. p. 728 sqq. et Neue *Formenl.* II. p. 304 sqq.

\- - V, 27. Herod. VII, 115. Xerxis aetate leones in Macedonia fuisse tradit et Xenoph. de ven. c. 11. Pangaeo Cittoque montibus leones et pantheras adscribit, quod memorat Wagn. ad Geo. IV, 510.

\- - V, 29. *curru*. Cf. Neue I. p. 366 sqq. et Weidn. ad Aen. I, 257.

\- - V, 35. *Pales*. De etymologia nominis cf. Corssen. I. p. 426.

\- - V, 52. Neue I. p. 209. et 321. defendit formam *Daphnin*.

\- - V, 56. *Candidus*. Ameis. in Nov. Ann. phil. LXI. p. 384. vertit *glanzumstrahlt, verklärt*.

\- - V, 58. *ergo*. De origine et significatione Particulae cf. etiam Corssen. I. p. 449.

\- - V, 59. *Dryadas*. Sic etiam *Hyadas* Geo. I, 138. Aen. I, 744. III, 516., *Pleiadas* Geo. I, 138., *Cyclopas* Aen. III, 647. XI, 263. etc. Omnino cf. Neue I. p. 327 sq.

\- - V, 65. De forma *quattuor* cf. Corssen. I. p. (69.) 175. (227. 314.) Brambach. p. 332. et Neue II. p. 107.

\- - V, 68. *crateras*. De hac forma Accus. Vergilio satis usitata cf. Neue I. p. 327 sqq.

\- - V, 74. *sollemnia*. De hac scribendi ratione cf. Corssen. I. p. 225.

\- - V, 75. *vota reddemus*. Vid. adnott. ad Geo. II, 194.

\- - VI, 1. *Prima*. Vid. adnott. ad Aen. I, 613. et VII, 528.

\- - VI, 8. *harundo* (*harena, holus* etc.). Cf. Corssen. I. p. 102. 107. et Brambach. p. 284. 288. 314.

\- - VI, 19 *iniciunt*. Vide supra ad Ecl. III, 96. De Praepos. Casui suo postposita cf. etiam adnott. ad Aen. I, 13. omninoque Neue II. p. 553 sqq., ut de sequente anadiplosi etiam adnott. ad Aen. II, 318.

\- - VI, 29. *Parnasus*. De duplici ratione nominis scribendi cf. Tzschuck. ad Melam II, 2. p. 194. Bernhardy ad Dion. Per. 635. sq. Iahn. Annot. crit. ad Pers. prol. 2. Wagner. Orth. Verg. p. 468. Ribbeck. Proleg. p. 444. (omninoque Brambach. p. 274 sq.).

Ad Ecl. VI, 37. Praeter Ameisium etiam Hoffmann. in Ephem. gymn. Austr. a. 1851. p. 389. mecum consentit. De Copula postposita vid. etiam adnott. ad Ecl. IV, 63.

- - VI, 58. Ritschl. Opusc. II. p. 570. singulos quosdam Codd. secutus hic, Geo. II, 288. IV, 118. Aen. II, 506. *forsitam* ut Aen. I, 203. et IV, 19. *forsam* scribendum esse statuit.

- - VI, 63. *cortex* hic et Cul. 280. est femin., sed Geo. II, 74. Aen. VII, 742. et IX, 743. mascul. generis. Cf. Neue I. p. 689 sq.

- - VI, 74. Keil. in Philol. II. p. 165. duas Scyllas a poeta confundi negans locumque Ciris, cuius Vergilius non sit auctor, nihil probare censens defendit quidem lectionem *aut Scyllam*, sed ante *quam* alterum *aut* vult adiectum.

- - VI, 75. *succincta*. Cf. Weidner. ad Aen. I, 323., qui coll. Aen. XII, 401. et Liv. XXI, 10, 4. docet, vim Praepositionis hic prorsus evanescere.

- - VI, 85. (*Silvanum* mero errore typogr. irrepsisse pro *Sileno*, vix est quod memorem.)

- - VII, 4. *ambo - - ambo*. Cf. etiam adnott. ad Aen. I, 750. *aetates*. De hoc Plurali nominum abstractorum nunc imprimis cf. Neue I. p. 434 sqq. Praeter alia magis usitata huc maxime pertinent *vitae* (Aen. VI, 433. et pro: animae, Geo. IV, 224. Aen. VI, 292. 728.), *mortes* (Aen. X, 854.), *neces* (Cul. 308.), *obitus* (Geo. I, 257. Aen. IV, 694.), *exitia* (Aen. VII, 129.), *fugae* (Aen. V, 593.), *exsilia* (Aen. II, 780. III, 4.), *somni* (Geo. I, 342. II. 470. et saepius), *metus* (Geo. II, 491. Aen. I, 463. V, 420. et al.), *timores* (Aen. V, 812.), *halatus* (Geo. IV, 435.), *eiulatus* (Geo. II, 339. Aen. IV, 442. XI, 346. 911.), *mugitus* (Ecl. VI, 48. Geo. II, 470. III, 150. et al.), *lapsus* (Aen. II, 236.), *positus* (Geo. IV, 515. Aen. IV, 553. V, 780. IX, 480.), *sortitus* (Aen. III, 323.), *strepitus* (Geo. III, 79. Aen. IX, 394.), *tinnitus* (Geo. IV, 64.), *visus* (Aen. II, 605. III, 36. IV, 277.), *calores* (Geo. II, 270.), *clangores* (Aen. III, 226.), *fervores* (Geo. III, 154.), *fragores* (Aen. V, 228.), *rubores* (Geo. III, 307.), *sonores* (Aen. IX, 651.), *stridores* (Geo. II, 162. Aen. XII, 590. Cul. 177.).

- - VII, 5. *respondere parati*. Cf. etiam Weidner. ad Aen. I, 179.

- - VII, 13. De forma *exagmen* vide infra ad Ecl. IX, 30. et cf. etiam Corssen. I. p. 638.

- - VII, 14. Caesurae heroicae exempla a Wagnero collecta vide in Philol. Suppl. I. p. 318 sqq.

- - VII, 30. *Micon*. Cf. etiam Neue I. p. 150.

- - VII, 32. De hoc cothurno venatorum, non confundendo cum tragico, vid. Weidn. ad Aen. I, 337. Quod autem attinet ad scribendae vocis rationem sine *h*, cf. omnino Corssen. I. p. 103 sq.

- - VII, 40. *Si quă - - cura*. De hac correpta forma Nom. Sing. Fem. cf. Neue I. p. 162.

- - VII, 47. *pecori defendite*. Vid. etiam addenda ad Geo. III, 155.

- - VII, 60. De forma *Iuppiter* diximus ad Aen. I, 223. Cf. etiam Corssen. I. p. 211. et II. p. 1009. — *imbri*. Sic semper Vergilius. Cf. Neue I. p. 240.

- - VIII, 2. *immemor herbarum*. Cf. etiam Geo. III, 493.

- - VIII, 3. Vid. etiam adnott. ad Aen. VI, 284.

- - VIII, 13. *victrices laurus*. Cf. Neue II. p. 13.

- - VIII, 27. *grypes;* apud alios *gryphes*. Cf. Neue I. p. 136.

- - VIII, 41. Cf. etiam Fritzsche ad Theocr. l. l.

- - VIII, 43. *cotes*. Cf. Corssen. I. p. 659 sq. omninoque Brambach. p. 206 sq.

- - VIII, 45. *edunt*. Vid. etiam Weidn. ad Aen. I, 79.

- - VIII, 48 sq. Hermanni coniecturae praeter Wagn. in Philol. Suppl.

[illegible] Hoffmann in Eidem. [illegible] satur [illegible] de Venere [illegible] fuisse [illegible] *delis tu quoque* [illegible] quod si [illegible] loco indicavimus.

Ad Ecl. VIII, 53. Pluralem *[illegible]* Neue [illegible] III. 12. 37. Met. [illegible] XXII. 2. 11. [illegible] tione dicta putat [illegible] *renae, tura, cerae, [illegible]*

- - VIII, 57. Iis, quae hic disputavimus [illegible] mann. l. l. p. 353. [illegible]

- - VIII, 65. De orthographia [illegible] cum iis, quae Corssen. I. [illegible] et 293. exposuerunt.

- - VIII, 70. *Ulixi.* De hac forma praeter [illegible] etiam Charis. I. p. 132. K. Ribbeck [illegible] Neue I. p. 339. Alii [illegible] Geo. III, 91. et alibi, *Orosii* Aen. [illegible] *Achati* Aen. I, 120. ubi vid. adnott.

- - VIII, 74. Lectionem tamen *hanc* praeter Wagn. [illegible] I. p. 371. defendit etiam Dietsch. [illegible] nota 9.

- - VIII, 75. Inusitato Abl. *impare* Servio iudice [illegible] utitur Verg. Ablat. tamen *compare* [illegible] Am. III, 5. 38. et A. A. III. 359., sed etiam [illegible] ap. Grut. 741, 1. legitur, ut Naue refert II [illegible]

- - VIII, 79. *dumescit - - liquescit.* Alios locos similes vide ad Aen. IX, 89. collectos et de alliteratione [illegible] Naeke in Mus. Rhen. III. p. 341

- - VIII, 81. *igni.* Sic ubique Vergilius. Cf. adnott. ad Geo. I 234 et Neue I. p. 223.

- - VIII, 96. Cf. etiam Aen. II, 224. ibique adnott.

- - VIII, 97. De voce *sepulchrum* in Codd. cum aspiratione scripta accuratius diximus ad Ecl. IX. 60. Iis, qui etymologiae causa alteram scripturam praeferunt, adde Corssen II. p. 153. Vide tamen eundem I. p. 46. et Brambach p. 323.

- - VIII, 102. *respexeris*, ut Geo. IV. 59. et 88. *suspexeris* et *revocaveris*. Ab aliis haec syllaba et in Coni. Perf. et in Fut. exacto etiam producitur. Ab initio in illo correpta, in hoc producta esse videtur. Cf. Neue *Formenl.* II p. 397

- - IX, 18. Fleckeisen. L. tit. p. 30. *solacium*, non *solatium* scribendum esse docet. Cf. etiam Wagn. Orth. Verg. p. 472. Ribbeck. Proleg. p. 446. et Brambach. p. 219.

- - IX, 40. De Praepositione postposita vid. etiam adnott. ad Geo. I, 161. Aen. I. 13. et Weidn. ad Aen. I. 32., qui ad Aen. I, 333. pariter de Coniunctionibus postpositis disputat.

- - IX, 48. Nonius p. 284. pro *segetes* legit *segetis* atque etiam singuli Vergilii Codd. hanc Nomin. formam exhibent (Geo. IV, 96. 121. 198. Aen. III, 672. IV, 294. 473. 664. V. 214. 268. 830. VI, 44. 225. 277. 736. VII. 625. IX. 163. XI, 362.), quos locos collegit Neue I. p. 257. et II. p. 24. Nihilominus de hac forma valde dubitandum. Vid. Ritschl. Proleg. ad Plaut. Trin. p. 90. Praeterea de hac re egerunt Wagn. Orth. Verg. p. 404 sq. Lachm. ad Lucr. I, 744. (p. 50.) et 805. (p. 56.) Freund ad Cic. Mil. p. 14. Herzberg. ad Prop. II, 31, 14. et Stoll. in Philol. 1856. p. 307. (quem cum aliis affert Neue l. l.

- - IX, 52. *soles* i. e. dies. Cf. Neue I. p. 433.

Ad Ecl. IX, 56. *amores*. Adde locos Aen. VI, 133. et VIII, 184. et de Plurali cf. adnott. ad Aen. I, 463. IV, 28. et supra ad Ecl. VII, 4.
- - IX, 58. Cf. adnott. ad Aen. I, 257.
- - IX, 66. Post „arvis" adde „et caestrae" et pro Ecl. IV, 51. cf. potius Ecl. I, 28. et Geo. II, 211. Vid. adnott. ad Aen. V, 521.
- - X, 4. *Sic tibi* etc. Cf. etiam adnott. ad Aen. IX, 208.
- - X, 12. *Aonie Aganippe*. Omisit hoc nomen Neue in indice nominum Graec. in e missorum I. p. 50 sq. Genit. *Aganippes* legitur ap. Iuven. VII, 6.
- - X, 19. *subulci*. De familia rustica nunc omnino cf. Eber mens *Hellas u. Rom* P. I. vol. 1. p. 257 sq. adnot. 98.
- - X, 24. *honore*. Vide etiam adnott. ad Aen. I, 751.
- - X, 25. *quassans*, scil. manibus. Ut nos, sic etiam Hoffmann. in Ephem. gymn. Austr. 1851. p. 389. indicat addens, ex ferulis vix coronam flecti potuisse.
- - X, 27. *baca*. Vide tamen Corssen. I. p. 38.
- - X, 44. Neglexi commemorare, etiam Graserum fusius de h. l. disputantem in Progr. Guben. a. 1838. cum Servio et Iahnio facere.
- - X, 62. De formis *rurus* et *rursum* vide etiam Wagn. in Philol. XVI. p. 364. et adde, Ribbeckium v. 62. *rursum*, v. 63. vero *rurus* edidisse. De forma *rursus* cf. Lachm. ad Lucr. p. 144. Ritschl. Opusc. II. p. 259. 544. Fleckeis. in Nov. ann. phil. LX. p. 255. Corssen. I. p. 243. Brambach. p. 273. 332. et Neue II. p. 493.
- - X, 76. De Pluralis vi notionem augendi (quam nos indensivam vocamus) cf. etiam adnott. ad Aen. IV, 28. et Roth. Exc. IV. et V. ad Tac. Agr. p. 109 sqq. (laud. a Weidn. ad Aen. I, 61.) et Weidner. ipse ad Aen. I, 350.
Ad Geo. I, 1. *laetas segetes*. Cf. infra v. 325. *sata laeta*.
- - I, 7. Servianam nominis *Cereris* etymologiam (*a creando*) probat Corssen. I. p. 473.
- - I, 10. *agrestum* etiam legitur Cul. 21. et Ovid. Met. XIV, 635., ut *caelestum* Aen. VII, 432., ubi vid. adnott. et cf. Neue II. p. 22.
- - I, 15. *tercentum*. Vid. adnott. ad Aen. I, 71. et cf. Neue II. p. 123.
- - I, 19. Ribbeck. scripsit *mostrator*, ut infra III, 152. et alibi *mostrum*. Cf. adnott. ad Aen. III, 26. Ribbeck. Proleg. p. 435. Corssen. I. p. 254. (II. p. 190.)
- - I, 21. De forma *di* et *dis* vid. Neue I. p. 100.
- - I, 25. Viris doctis de Accus. in *is* exeunte disputantibus nunc adde Neue I. p. 257 sqq. II. p. 23 sq. 59. Buecheler. *Gr. u. Lat. Dekl.* p. 27. Keller. in Mus. Rhen. XXI. p. 241 sqq. Corssen. I. p. 738 sqq. et Brambach. p. (38. 45.) 149 sqq. Locos Vergilii, ubi Codd. tuentur Accus. in *es* missum, collegit Neue I. p. 260 sq.
- - I, 44. Pro *gleba* scribendum erat *glaeba*. Vid. infra ad v. 65.
- - I, 48. Probus p. 32, 14. K. pro *sensit* exhibet *sentit*, quod iure reiicit Keil. in Philol. II. p. 164.
- - I, 50. *ruperunt*. De hoc usu Perfecti cf. etiam Madvig. Opusc. II. p. 112 sqq. et Weidner. ad Aen. II, 12. Hoffmann. tamen in Ephem. gymn. Austr. 1851. p. 385. negat hunc usum in hoc loco et *ruperunt* simpliciter per *haben gebrochen* vult reddi.
- - I, 56. Adde, Ribbeckium nihilominus infra II, 98. edidisse *Tmolius*. Ceterum idem etiam in Nov. Ann. phil. LXXVII. p. 195 sq. et Ritschl. Opusc. II. p. 518 sq. de hac re disputarunt.
- - I, 59. *Epiros*. Sic etiam ap. Ovid. Met. VIII, 283. et alibi. Cf. Neue I. p. 122.
- - I, 65. *glaeba*. Omnino cf. Wagn. Orth. Verg. p. 439. Ribbeck.

Proleg. p. 385. Corssen. I. p. 687 sqq. et Brambach. p. 205 sq.

Ad Geo. I, 66. *soles, Sonnenblicke, Sonnenstrahlen:* Neue I. p. 433.

\- - I, 74. *siliqua quassante.* Vide adnott. ad Aen. II, 27.

\- - I, 92. Eadem fere, quae de h. l. disputavi, repetit Ameis. in Nov. ann. phil. LXII. p. 32.

\- - I, 96. De Adv. *nequiquam* scribendi ratione praeter priores viros doctos cf. etiam Lachmann. ad Lucr. II, 1148. p. 141. et Neue II. p. 495.

\- - I, 104. De voce *comminus* duplici *m* scribenda cf. Fleckeisen L tit. p. 13. Ribbeck. Proleg. p. 393. Corssen. II. p. 415. 858.

\- - I, 112. *luxuries* (infra autem v. 191. Ablat. *luxuria*). Sic Aen. II, 374. *segnities* et XI, 328. *materies.* Cf. Neue I. p. 385 sq.

\- - I, 120. *intubum.* Vid. etiam Brambach. p. 203 sq.

\- - I, 126. *signare* etiam Ameis. l. l. p. 34. explicat per *mit einem Male bezeichnen.*

\- - I, 134. *sulcis* pro *in sulcis.* Vid. adnott. ad Aen. III, 503.

\- - I, 146. *urguens.* Vid. etiam Ribbeck. Proleg. p. 448. Corssen. I. p. 86. et Brambach. p. 127 sqq.

\- - I, 150. Pluralis *frumenta* hic, ut v. 189. 315. III, 176. Aen. IV, 406., varia frumenti genera significat. Cf. Neue I. p. 418.

\- - I, 151. De forma *essem* pro *ederem* vid. Neue II. p. 469.

\- - I, 160 sqq. De instrumento rustico nunc etiam cf. liber meus *Hellas u. Rom* P. I. vol. I. p. 245. cum notis 102—107.

\- - I, 161. De Praepos. postpositis vide supra ad Ecl. IX, 40.

\- - I, 163. *volventia plaustra.* Vid. Neue II. p. 193.

\- - I, 182. *que - - atque.* Cf. etiam adnott. ad Aen. IV, 506. et 650. — De Codd. Verg. inter duplicem Accus. *domos* et *domus* fluctuantibus vid. Neue I. p. 541 sq.

\- - I, 185. *pŏpulat.* Cf. Neue II. p. 236.

\- - I, 200. De Infinitivi absoluti usu cf. etiam Klotz. ad Ter. Andr. p. 28. et Holtze. Synt. Plaut. et Ter. II. p. 29 sq. (a Weidn. ad Aen. II, 685. laud.) et de pleonasmo *retro referri* praeter adnott. ad Aen. (II, 378. et) VI, 449. Weidner. ad Aen. I, 342.

\- - I, 202. *bracchium.* Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 391.

\- - I, 203. *amni.* Sic ubique Vergilius. Cf. Neue I. p. 219.

\- - I, 207. *ostriferi Abydi* descendit a Nom. *Abydum,* quae forma invenitur ap. Plin. H. N. V, 32, 40.; nam *Abydus* est generis femin. Cf. Neue I. p. 655.

\- - I, 208. Viris doctis de antiqua Genitivi forma (*die*) disserentibus adde Bentl. ad Hor. Od. III, 7, 4. Cort. et Kritz. ad Sall. Iug. 21, 2. et 52, 3. Koenium de lingua epica Rom. p. 81 sqq. et Neue I. p. 391. — Weidner. ad Aen. I, 636. defendit lectionem *dies* (ut sit Genitivi forma).

\- - I, 213. Ut nos, sic etiam Ladew. ad Aen. II, 103. de significatione voc. *iamdudum* statuit, quocum consentit Ameis. in Nov. ann. phil. LXII. p. 35.

\- - I, 226. Lectionem *aristis* Wagn. etiam in Philog. XVII. p. 170. defendit loco Quinct. Inst. I, 3, 5. *ut imitatae spicas herbulae inanibus aristis ante messem flavescunt.*

\- - I, 234. *sole rubens.* Consentit mecum Ameis. in Nov. ann. phil. LXII. p. 35. — *igni.* Vid. supra ad Ecl. VIII, 81.

\- - I, 242. Cum Ribbeckio etiam Weidner. ad Aen. I, 259. consentit. De Adv. *sublimen* nunc etiam vid. Ribbeck. Proleg. p. 446. Ritschl. Opusc. II. p. 467 sqq. (ubi etiam Vergilio hoc Adverbium vindicat et contra Klotzium sane parum urbane loquentem disputat) et Neue II. p. 515. Nos imprimis ob locos Geo. I, 320. et III, 108. sequi dubitavimus.

\- - I, 246. *tingui.* Praeter Wagn. Orth. Verg. p. 478. cf. viros doctos supra ad v. 146. allatos.

\- - I, 248. Neue II. p. 331. in omnibus, quos attulimus, Vergilii

locis (quibus adde Aen. VII, 794.) formam *densere* videtur praeferre.

Ad Geo. I, 262. *obtunsi*. Cf. Ribbeck. Proleg. p. 148. et Brambach. p. 268. — *lintres*. Hanc scribendi rationem iuxta *lunter* defendunt Fleckeisen. L tit. p. 20. et Corssen. I. p. 114. II. p. 271. Tertiam vero rationem (*lynter*, quam recepit Ribbeck. quamque etiam agnoscunt Buecheler. in Mus. Rhen. XI. p. 297 sq. et Brambach. p. 124.) Fleckeis. l. l. iure videtur reiicere. Fortasse etiam hic cum Eutychio (Corp. Gramm. L. Lindem. I. p. 179.) *luntres* scribendum esse censet Schmitz. in Nov. Ann. phil. LXXXV. p. 109.

- - I, 272. *balantum*. Sic Geo. II, 462. *salutantum*, III, 183. (et Aen. XII, 410.) *bellantum*, III, 541. *natantum*, IV, 167. (et Aen. I, 434. VI, 755.) *venientum*, IV, 255. et 472. *carentum*, Aen. V, 148. *faventum*, VI, 432. *silentum*, VII, 16. *rudentum*, IX, 551. et XII, 5. *venantum*, X, 674. et XII, 410. *cadentum*, XI, 216. *maerentum*, XI, 838. *furentum*, XI, 886. *defendentum* et *ruentum*, XII, 519. *potentum*. Cf. Neue II. p. 57 sq.

- - I, 294. *coniunx*. Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 434. Corssen I. p. 250. Brambach. p. 270 sq. et Neue I. p. 139 sq.

- - I, 299. *hiemps*. Cf. etiam Brambach. p. 249 sq. et Neue I. p. 138.

- I, 303. *ceu cum*. Vid. adnott. ad Aen. IX, 30.

- - I, 310. Contra Ribbeck., qui parum sibi constans solosque Codd. secutus prius *Cum*, deinde *quom*, infra v. 361 sq. prius *quom*, post *cumque*, III, 332 sq. prius *sicube*, post *sicubi*, IV, 525 sq. prius *Eurydice*, tum *Eurudice* scripserit etc., recte disputat Wagner. in Philol. XVII. p. 364. Omnino cf. Schultze. Orth. Quaest. decas p. 3., qui, quamquam vulgarem scribendi rationem contra rerum novarum cupidos haud raro iniuria defendit, recte tamen contra eos videtur disputare, qui „ut quod verbum ab ullo umquam librario insolentius scriptum deperiatur, id nunc eodem modo edendum in libris putent."

- - I, 311. *autumnus*. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 418. Ribbeck. Proleg. p. 389. Fleckeisen. L tit. p. 8. et Corssen. I. p. 37. II. p. 174.

- - I, 329. *quo motu*. Viris doctis ad h. l. laudatis adde Schneider. in Nov. Ann. phil. LXI. p. 255.

- - I, 332. *Athon*. Vid. ad Aen. XII, 701. Cf. etiam Neue I. p. 133.

- - I, 333. *deicit*. Vid. ad Ecl. VI, 19.

- - I, 340. Neue II. p. 550. sq. nihil interesse censet, utrum in eiusmodi locis *sub* cum Accus., an cum Abl. construatur, quod probare non possum.

- - I, 344. De forma *quoi* cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 413. Corssen. I. p. 115. 706. II. p. 672. 675 sq. Brambach. p. 183. 229. et Neue II. p. 165.

- - I, 378. Pro „Corssen. de pron. I. p. 81 sq." nunc lege I. p. 226 sq. ed. II. et adde Brambach. p. 259. (qui reiicit script. *querella, loquella* etc.) et Neue II. p. 364.

- - I, 383. Wagner. in Philol. Suppl. I. p. 387. damnat eiusmodi elisionem Pronominis relativi, quae locum non habeat, nisi ante Verba composita, quare hic, ubi in Cod. Med. *atque* legatur, pro *et quae* coniicit *quaeque*.

- - I, 385. Etiam Fleckeis. L tit. p. 31. et Corssen. II. p. 127. 199. non nisi formam *umerus* probant, quos propter originem a Graeco ὦμος fortasse rectius secutus essem. Alia res est in vocc. *umor, umidus* etc. (vid. supra ad Ecl. III, 82.), in quibus scribendis Med. auctoritatem cum Hauptio et Ribbeckio sequi dubitavimus, cum hic Codex (ut alii libri) etiam in aliis vocabulis (ut *halare, halitus, hastilia, haurire, haustus, hora, honor, hortari,*

humus etc.) literam *h* omittat, ubi eius omittendae interna causa non apparet, et *humor*, *humidus* etc. nobis nervosius quid habere videntur, quam *umor*, *umidus* etc., quare etiam *harena*, *harundo* et similia scripsimus.

Ad Geo. I, 395. *obtunsus*. Vid. etiam Brambach. p. 268.

\- - I, 397. *tenvia*. De hac synizesi nunc imprimis cf. Th. Bergk. in *Zeitschr. f. d. Alt.-Wiss.* 1851. p. 217 sqq. et quae contra eum disputat Ritschl. Opusc. II. p. 596 sq. et 601.

\- - I, 398. *pinna*. Cf. tamen Corssen. (I. p. 181.) II. p. 270. et Brambach. p. 142 sq.

\- - I, 399. *alcyones*. Vid. infra ad III, 338.

\- - I, 409. *voces ingeminant*, ut apud Ovid. Met. III, 368. Cf. etiam adnott. ad Aen. I, 747.

\- - I, 413. De hoc loco agit etiam Hoffmann. in Ephem. gymn. Austr. 1851. p. 389 sq. contra Wagnerum disputans.

\- - I, 415. Etiam Schrader. in Muetzellii Ephem. gymn. VII. p. 726., Hoffmann. l. modo l. p. 383. et Schenkl. in iisdem Ephem. gymn. Austr. 1852. p. 394. recte defendunt lectionem *divinitus*; sed Schrader coniungit *rerum prudentia*, dum Hoffm. non addit, quo *rerum* referat.

\- - I, 428. *aëra*. De hac Accus. forma Vergilio satis usitata vid. Neue I. p. 310 sqq.

\- - I, 452. *ipsĭus*. Vid. supra ad Ecl. I, 7. et cf. Neue II. p. 145.

\- - I, 454. De paragoge Infin. Pass. nunc etiam cf. Neue II. p. 309 sqq. et adde locos Aen. VII, 70. VIII, 493. et IX, 231.

\- - I, 456. *fervĕre*. Adde Geo. IV, 556. et cf. Neue II. p. 324.

\- - I, 468. *sacculum*, non *seculum* scribendum esse, etiam Fleckeisen. L tit. p. 27. et Corssen. I. p. 325. docent. Cf etiam Brambach. p. 205 sq.

\- - I, 481. De forma *vortex* cf. etiam Wagner. Orth. Verg. p. 481 (Ribbeck. Proleg. p. 436. Corssen. II. p. 66.) Brambach. p. 101 sq. et Weidner. ad Aen. I, 117.

\- - I, 499. *Palatia*. Sic Aen. VI, 836. et VIII, 347. 653. *Capitolia*. Cf. Neue I. p. 411.

\- - I, 505. *fas atque nefas*. Cf. adnott. ad Aen. I, 543. ibique etiam Weidner.

\- - I, 513. Schrader. in Muetzellii Ephem. gymn. VII. p. 726. aut *addunt se spatio*, aut *addunt se spatia* („*so erweitern sich die Räume*“) legendum esse censet. Ribbeck. autem Proleg. p. 65. explicat: „quo plura absolvunt spatia, eo magis addunt gradum“.

\- - II, 13. *glauca canentia*. Vide ad Aen. II, 27. adnotata.

\- - II, 22. *repperit*. Vide adnott. ad Aen. IV, 214.

\- - II, 46. *exorsa*. Cf. Aen. X, 111. Sic *orsa* ap. Ovid. Her. XIV, 18. Cf. Neue II. p. 231.

\- - II, 64. Hoc uno loco ap. Verg. *myrtus* est vox 4. Declin., alibi (Ecl. II, 54. VII, 6. Geo. I, 28. IV, 124. Aen. V, 72.) ubique 2. Decl., ut etiam *cupressus* et *laurus*, dum *pinus* semper est 4. Decl. Cf. Neue I. p. 535. cum p. 530. et 534. 535.

\- - II, 71. Etiam Neue I. p. 531. contra Wagn. *fagus* pro Nom. Plur. habentem recte disputat.

\- - II, 81. Etiam Neue II. p. 409 sq. Lachmanno assentiens correptionem ultimae syllabae in *iit* et *petiit* negat et contra Wagn. disputat. (Cf. etiam Weidner. ad Aen. II, 279.) Sed cum nemo dubitare possit de veritate lectionis *ambiit* Aen. X, 243., quidni etiam *exiit* probum esse statuamus? Praeterea etiam alia conferantur Perfecta, in quibus neque illi viri docti correptam ultimam syllabam negant, quamquam in singulis Codd. alterum i omittitur (Geo. I, 475. Aen. VII, 516. VIII, 87. 218. 227. IX, 630. X, 464.) et Naue ipse Aen. VII, 516. cum quibusdam Codd. *Audīt et Triviae longe lacus, audīt et amnis* scribi non posse confitetur.

\- - II, 87. *Pomaque*. Aliter statuit Weidner. ad Aen. II, 37.

\- - II, 90. *Lesbos*. Sic Geo. III, 6. *Delos*, Aen. II, 21. *Tene-*

dos, III, 270. *Zacynthos*, Aen. III, 125. *Naxon*, ibid. 126. *Olearon* et *Paron* et VII, 208. *Samon* (quamquam in omnibus his locis Codd. quidam Accus. in *um* mittunt). Sic etiam Aen. IV, 670. *Tyros*, Aen. VI, 132. *Cocytos*, Geo. II, 487. *Spercheos*, Geo. III, 94. *Pelion*, Ecl. VI, 13. *Mnasyllos*, Aen. II, 264. *Epeos*, sed X, 51. *Paphus*, Ecl. VIII, 22. et X, 15. *Maenalus* etc. Cf. omnino Neue I. p. 122 sqq.

Ad Geo. II, 119. *balsama*. De hoc Plurali cf. Neue I. p. 422.

\- - II, 137. Hoffmann., qui prius probaverat Wakefieldi coniecturam *turgidus*, hoc recte retractavit in Ephem. gymn. Austr. 1853. p. 520.

\- II, 142. *virum*. Cf. Neue I. p. 110. et adnott. ad Aen. III, 70.

\- - II, 156. *manu*. Vid. adnott. ad Aen. IV, 344. et VI, 395.

\- - II, 170. Quod attinet ad celerem transitum ab Accusativo ad Vocativum cf. adnott. ad Aen. II, 56. ibique etiam Weidner.

\- - II, 177. *cuique*. Vid. adnott. ad Geo. I, 344.

\- - II, 187. De Adv. *hoc*, quod Haupt. et Ribbeck. exhibent, cf. Neue II. p. 491. Aen. VIII, 423.; sane ob omnium fere Codd. consensum et Prisciani Serviique auctoritatem de eo dubitare non licet.

\- - II, 225. Ladew. in Nov. Ann. phil. LXXIII. p. 464. suspicatur, hanc mutationem a Vergilio in iis modo exemplaribus factam esse, quae adhuc venales fuerint („*die noch auf dem Lager waren*").

\- - II, 277. *setius*. Cf. etiam Fleckeisen. L tit. p. 28. Corssen. I. p. 37. 52. II. p. 361. Brambach. p. 219. et Neue II. p. 521.

\- - II, 284. Cf. Empedocl. fragm. v. 237 sqq. Stein. (s. 315 sqq. Karsten.). Disputavit de h. l. etiam Schrader. in Muetzellii Ephem. VII. p. 723.

\- - II, 327. *magnus - - magno*. Imprimis cf. adnott. ad Aen. III, 159.

\- - II, 369. *tum denique*. Vid. Weidner. ad Aen. II, 295.

\- - II, 375. Ladew. Ribbeckio prius adversatus erat in Nov. Ann. phil. LXXIII. p. 466.

\- - II, 381. *proscaenia*. Cf. etiam (Ritschl. Opusc. II. p. 602.) Corssen. I. p. 325. omninoque Brambach. p. 205 sq. Praeterea vid. supra ad I, 65.

\- - II, 384. *saluere*. Cf. etiam Aen. III, 416. X, 453. XII, 741. et Neue *Formenl.* II. p. 372 sq.

\- - II, 389. Ut hic vulgarem habemus constructionem *suspendere ex* (alibi *ab*) aliqua re, sic hoc Verbum Aen. I, 318. (ubi vid. Weidner.) et ap. Livium I, 26, 6. etiam cum simplici Ablativo construitur.

\- - II, 396. Etiam Neue I. p. 377. in Vergilii locis (praeter hunc Aen. I, 212. et V, 103.) formam *veribus* testatur.

\- - II, 423. *dente recluditur unco*, ut Aen. X, 601. *mucrone recludere*, ubi vide adnott.

\- - II, 441. De crebris elisionibus vide adnott. ad Aen. II, 84. et Wagner. ad hunc ipsum locum.

\- - II, 464. Locis, ubi de aere Corinthio agitur, nunc etiam adde libri mei *Hellas u. Rom* P. I. Vol. I. p. 79. not. 280.

\- - II, 480. *obices*. Cf. etiam Corssen. II. p. 413. et omnino Brambach. p. 200 sqq.

\- - II, 482. De Ribbeckii scribendi ratione *opstare* cf. etiam Corssen. I. p. 119 sq. et Brambach. p. 205 sq. 241 sq. 331.

\- - II, 487. *bacchata*. Vid. etiam adnott. ad Aen. III, 125. et Neue *Formenl.* II. p. 202 sq.

\- - II, 490. Cf. Empedocl. fragm. v. 341. Stein. et Schrader. in Muetzellii Ephem. VII. p. 723.

\- - II, 497. *Hister*. Cf. etiam Corssen. I. p. 108. (omninoque Brambach. p. 282 sqq.)

\- - II, 506. Cf. Beckeri Gallus II. p. 273. et liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 61. not. 145.

\- - II, 535. iteratur Aen. VI, 784.

Ad Geo. II, 542. Genit. *equum* s. *equom* invenitur etiam Aen. VII, 189. 651. 691. IX, 26. 523. XII, 123. Alii minus frequentes eiusmodi Gen. sunt *famulum* Aen. XI, 34. et *iuvencum* Aen. IX, 609. Cf. Neue I. p. 113. Ceterum vid. supra ad II, 142.

- - III, 24. *scaena*. Vid. supra ad II, 381. Quod ad ipsam rem attinet, de scena et versatili et ductili etiam Hoffmann. in Ephem. gymn. Austr. 1851. p. 390 sq. nobiscum consentit. Ceterum nunc etiam cf. quae exposui in libro meo *Hellas u. Rom* I, 1. p. 346 sq.
- - III, 27. *Gangaridum*. Cf. Aen. VII, 305. *Lapithum*, VII, 735. *Teleboum*, I, 565. et saepius *Aeneadum*, X, 564. et XII. 121. *Ausonidum*, praeterea vero Aen. III, 20. *Caelicolum*, et VIII, 698. *omnigenum* et vid. Neue I. p. 17 sqq.
- - III, 35. De Assaraco vid. etiam adnott. ad Aen. VI, 650.
- - III, 81. De Activo *luxuriare* iuxta Dep. *luxuriari* usurpato cf. Neue *Formenl.* II. p. 220.
- - III, 91. *equi biiuges*. Cf. Aen. XII, 355. X, 571. et Neue II. p. 70. — *Achilli*. Vid. supra ad Ecl. VIII, 70.
- - III, 104. *carcer, die Schranke*, Verg. etiam Aen. V, 145. Sing. numero utitur, Geo. I, 512. vero Plurali, ut plerique. Cf. etiam Neue I. p. 468 sq.
- - III, 111. *spumae*. Poetas potissimum hoc Plur. saepe uti docet Neue I. p. 415. (Vid. Geo. III, 203. 449. 516. Aen. I, 35. III, 208. IV, 583. VII, 465.) Conferri possunt *rores, pruinae, nives, grandines*, de quibus Neue I. p. 417. agit.
- - III, 133. *tunsus*, ut Geo. IV, 267. 302. Aen. I, 481. XI, 37. Moret. 27., et *obtunsus* Geo. I, 262. 395. 433. III, 135. Aen. I, 567., at *contusus* Geo. IV, 240. Cf. Neue *Formenl.* II. p. 446 sq.
- - III, 143. Etiam Neue *Formenl.* II. p. 194. *pascunt* recte ad pastores refert.
- - III, 152. *monstrum*. Cf. etiam adnott. ad Aen. V, 849. Neglexi autem adnotare Ribbeckium scribere *mostrum*, de qua re vid. supra ad I, 19.
- - III, 155. *arcebis pecori*. Alibi Vergilius *arcere* aut cum simplici Ablativo (Geo. III, 131. Aen. I, 31. 300. V, 742. VI, 316. VII, 778. XI, 826.), aut cum Praepos. *a* (Geo. IV, 168.) construit.
- - III, 196. *Qualis cum*. Vide etiam adnott. ad Aen. II, 472. et Weidner. ad Aen. II, 223.
- - III, 201. *simul - - simul*. Vid. adnott. ad Aen. I, 513.
- - III, 204. De *essedis* cf. etiam Beckeri *Gallus* III. p. 9. et liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 41. nota 5.
- - III, 211. De scriptura Vat. *bovom* a Ribbeckio recepta cf. Neue I. p. 287.
- - III, 221. *lavit*. Adde infra Geo. III, 359. et cf. Neue II. p. 322.
- - III, 222. *obnixus*. Vid. adnott. ad Aen. I, 144.
- - III, 224. *stabulare*. Vid. Neue II. p. 243.
- - III, 241. Lectionem *subvectat* etiam Hoffmann. in Ephem. gymn. Austr. 1851. p. 383. recte impugnat.
- - III, 247. Contra Ribbeckium etiam Wagner. in Philol. XVII. p. 364 sq. disputat.
- - III, 254. Etiam Hoffmann. l. modo l. p. 384. Copulam reiicit locumque aliter explicat.
- - III, 258. *Quid iuvenis?* Cf. Aen. III, 339. *Quid puer Ascanius?*
- - III, 305. De Nom. Plur. Fem. *haec* cf. etiam Bentl. ad Ter. Andr. I, 1. 99. Alschefski ad Liv. XXI, 21, 4. Hildebr. ad Appul. Met. IV, 2. p. 239. et qui eos laudat Neue II. p. 150.
- - III, 311. *barbas* et infra v. 366. *barbis*. Vid. supra ad v. 111.
- - III, 335. *dare*. De Infinitivo pro Imperativo posito diximus ad Aen. III, 405. Wagner., qui in Philol. Suppl. I. p. 376. hunc usum Romanis prorsus abiudicat, simul audit

omissum verbum *iubeo*, „quod facile subintelligi possit, cum praecipientis partes agat poeta.“ Sed nonne hoc paulo argutius?

Ad Geo. III, 338. Etiam Neue I. p. 60. lectionem *alcyonen* videtur praeferre et recte iudicat, formam *alcyonem* niti tantum Nom. Plur. *alcyones* Geo. I, 399. Sen. Agam. 670. Gell. III, 10, 5. et Gen. Sing. *alcyonis* ap. Val. Fl. IV, 45.

- - III, 340. *mapalia*. Weidner. ad Aen. I, 421. conferri iubet Gesenii Linguae Phoen. monum. p. 392. et quod ad *rara tecta* attinet, provocat ad *Histor. Quellenbuch* II, 2. p. 201.

- - III, 362. *unda hospita*, ut Aen. III, 539. *terra hospita*, III, 377. *hospita aequora* et contra Aen. IV, 41. *inhospita Syrtis* et V, 627. *inhospita saxa*. Aliorum scriptorum locos huc pertinentes collegit Neue II. p. 11 sq. omnino agens de Subst. aliis Substantivis Adiectivorum loco adiectis.

- - III, 363. Quo vario sensu Plur. *aera* a Verg. usurpetur, docet Neue I. p. 426 sq. (*Erzstücke:* hic et Geo. IV, 173. Aen. VIII, 451., *Erzarbeiten:* Geo. II, 464., *Erzbilder:* Geo. I, 480. Aen. VI, 847., *Erzbecken:* Geo. IV, 151. Aen. III, 111., *eherne Rüstungen:* Aen. II, 734. VII, 526. IX, 809. X, 336., *Kupfermünzen* vel omnino *Geld:* Aen. XI, 329.)

- - III, 376. *specubus*. Cf. Neue I. p. 371 sqq. *Verubus* in Codd. quibusdam legitur Geo. II, 396. Aen. I, 212. et V, 103.

- - III, 449. 450. *sulfura, cerae, Schwefel-, Wachsstücke:* Neue I. p. 428. Vid. ad Ecl. VIII, 53.

- - III, 494. *volgo*. Vid. ad Aen. III, 643.

- - III, 519. *macrentem*. Vid. Wagn. Orth. Verg. p. 453. et Corssen. I. p. 328. Sic etiam Ecl. I, 36. et al. *macstus* scripsimus.

- - III, 546. Quod attinet ad Ribbeckii et Hauptii scribendi rationem *relinquont* et *relincunt* cf. Wagn. Orth. Verg. p. 450. Corssen. I. p. 73. et Brambach. p. 234.

- - IV, 34. Omisi adnotare, Ribbeckium ex Gud. recepisse formam *vimene*, ut ex Med. Aen. VII, 221. *limena*, XI, 663. *agmena* et ex Rom. XII, 212. *fragmena*. Vid. de hac flexione Neue I. p. 155. Sed cf. Geo. II, 241. 245. 414. III, 166. Aen. VI, 137. XI, 65., ubi nulla invenitur lectionis varietas.

- - IV, 47 sqq. Prius Ladew. in Nov. Ann. phil. LXXIII. p. 467. huic transpositioni adversatus erat.

- - IV, 49. *caenum*. Cf. etiam adnott. ad Ecl. I, 17. 36. Geo. III, 519. etc.

- - IV, 51. Neglexi indicare v. 47—50. iam supra legi post v. 17. positos.

- - IV, 65. *medicatus*. Cf. Aen. VI, 420. et Neue II. p. 221.

- - IV, 77. *nactus* et *nanctus*. Fleckeisen. I. tit. p. 21. et Neue II. p. 453. utramque formam rectam esse docent. De forma *nanctus* praeter Drakenb. ad Liv. XXIV, 31, 14. et XXV, 30, 2. Oudend. ad Suet. Caes. 11. Ottonem ad Cic. Rep. I, 10, 16. aliosque cf. Ritschl. ad Plaut. Trin. I, 2, 25. et Bacch. II, 2, 39. Brambach. p. 270. formam *nactus* praefert.

- - IV, 118. *forsitan canerem*, nisi *spatiis iniquis exclusus* essem (v. 147.). Cf. Weidner. ad Aen. II, 139.

- - IV, 165. *sorti* (Dat., non Abl.). Consentit mecum Neue I. p. 241.

- - IV, 169. Quod attinet ad scripturam *fraglantia* a Ribbeckio receptam cf. idem in Nov. Ann. phil. LXXVII. p. 191. Sed recte ei adversatur Weidner. in Progr. Colon. a. 1864. et ad Aen. I, 436. (Cf. etiam Brambach. p. 258.)

- - IV, 213. 214. *rupere - - Diripuere*. Vid. adnott. ad Geo. I, 49.

- - IV, 229. *thensauri*. Cf. etiam Corssen. I. p. 255. et Brambach. p. 266.

- - IV, 233. De nomine *Pleias* s. *Plias* Singul. usurpato vid. Neue I. p. 462.

Ad Geo. IV, 248. Etiam hic Ladewig. prius in Nov. Ann. phil. LXIII. p. 467. aliter statuerat.
- - IV, 262. *stridĕre.* Cf. Neue II. p. 325.
- - IV, 269. Plurali *defruta* utuntur etiam Stat. Silv. IV, 9, 39. et Plin. H. N. XIV, 21, 27. §. 136. Cf. Neue I. p. 413. De defruto ipso vide librum meum *Hellas u. Rom* I, 1. p. 142. not. 36.
- - IV, 276. Cf. etiam Ladewig. loco modo laud.
- - IV, 278. *prope flumina.* Vid. Neue II. p. 527 sq.
- - IV, 280. *carchesium.* Vid. liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 210.
- - IV, 290 sqq. Etiam hic Ladew. loco modo laud. prius aliter censuerat.
- - IV, 296. De *imbricibus* omninoque de tectis Romanorum cf. liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 145. not. 47. et p. 215. not. 6.
- - IV, 343. Cum lectione *Ephyrā* conferri potest *Gelā* Aen. III, 702. Alibi Graeca nomina in *a* missa a poetis Rom. plerumque corripiuntur. Vid. Ecl. VI, 79. Geo. IV, 511. Aen. II, 404. (III, 183. 187.) etc. et cf. Neue I. p. 54 sq.
- - IV, 363. *genetrix* et *genitrix.* Illam scribendi rationem defendunt etiam Wagn. in Orth. Verg. p. 438. Lachm ad Lucr. p. 15. Huebner. in Nov. Ann. phil. LXXVII. p. 358 sq. et LXXVIII. p. 437. Fleckeisen. L tit. p. 17. Ribbeck. Proleg. p. 420. et haud dubie etiam Brambach., qui certe ubique *genetivus* scribit; hanc vero Schultze. Orth. Quaest. decas p. 31 sq. et, ut videtur, Corssen. I. p. 436. et II. p. 297.
- - IV, 371. Cf. etiam Ovid. Met. IX, 1. XIV, 602. Fast. III, 647. Gesner. ad Claud. in Eutrop. II, 164. Gierig et Iahn. ad Ovid. Met. VII, 1. et Voss. *Mythol. Briefe* II, 34.
- - IV, 377. *mantelia.* Cf. liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 14. et p. 57. not. 115.
- - IV, 379. Cf. Weidner. ad Aen. I, 704.
- - IV, 473. *milia.* Cf. Lachmann. ad Lucr. p. 32. Corssen. I. p. 226. Huebner in Nov. Ann. phil. LXXVII. p. 361. alii. Contra Schultz. Qu. orth. decas p. 44. defendit *millia.*
- - IV, 476. *magnanimum.* Adde Aen. VI, 307. et de contracta forma Genitivi cf. etiam Neue I. p. 102 sqq.
- - IV, 480. *noviens.* Vid. supra ad Ecl. III, 74.
- - IV, 537 sqq. De sacrificiis Romanorum cf. quae exposui in libri mei modo comm. P. I. Vol. II. cap. 9. mox proditurо.
- - IV, 561. *fulminat.* Cf. etiam Propert. V, (IV,) 8, 55. Ovid. Am. I, 8, 16. et Neue II. p. 480.


Stanford University Libraries
3 6105 020 067 810
3.1
JF696
V.1
STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES
STANFORD AUXILIARY LIBRARY
STANFORD, CALIFORNIA 94305-6004
(415) 723-9201
All books may be recalled after 7 days
DATE DUE
28D MAR 2 6 19
APR 3 0 1998